Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
7 B
19

14-29-d. 15.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

...xus. Rom. Soc. Iesu

HIEROPOLITICON,

SIVE

INSTITVTIONIS POLITICÆ E SACRIS Scripturis depromptæ

LIBRI TRES:

AVCTORE IO. [illegible] STEPH. MENOCHIO è Societate IESV.



BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS
BIBLIOTECA NAZ. ROMANA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumptibus LVDOVICI PROST,
Hæredis ROVILLE.
M. DC. XXV.

Ex dono Ill.mi D. Card. ...

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDRO
VRSINO CARDINALI
AMPLISSIMO

IO. STEPH. MENOCHIVS
è Societate IESV, S. D.

QVÆ me potiſſimùm cauſſæ impulêre, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, vt ciuilem inſtitutionem à multis cum laude cõtextam ex prophanis ſcriptoribus, ego ſacris è litteris concinnarem, quòd ſcilicet hęc ſcribere religioſi hominis inſtitutũ, & ſtudia non dedeceat, & hæc legere Principibus (ſi qui tamen

Digitized by Google

Principes iſta legent) non vtile tantùm ſit, ſed etiam citra iactu-ram dignitatis, quæ nimirum videatur imminui, ſi homines hominibus impoſiti, ab hominibus præceptis humanis inſtituantur: eædem me ambæ admonuerũt, vt te vnum ex omnibus ſeligerem, cuius inſcriberem nomini has qualeſcumque lucubrationes meas. Etenim ex vna parte tenor iſtę vitæ, quam tu ad maiorem ſanctimoniam componis, ad cuius exemplum ſuam poſteri explorabunt, & exigent, incurrit quidem in omnium oculos, quippe in Principe viro mala iuxtà, ac bona eminent omnia, ſed trahit in primis afficítque religioſorum hominũ animos, quibuſcum quantum tibi

tempo

temporis à publicis muneribus ſupereſt, familiariter ipſe, ſuauitérque diſpenſas. Inter quos cum Societatis noſtræ viros præcipua beneuolentia, ac patrocinio, quæ tua eſt benignitas, complectaris, eorúmque ſtudiis, & conatibus in re litteraria delecteris, erit, vti ſpero, tibi non ingratum, quidquid ex hac familia, cui tantum tribuis, perſoluetur. Ex altera verò parte (quæ mihi cauſſa adhuc potior fuit) cum tu te in rerũ adminiſtratione, non ex præſcripto humanæ ſapientiæ, quam tamen & præcellenti iſto ingenio, & totius antiquitatis notitia perfectam habes, ſed ex diuinis oraculis, æternǽque legis interpretatione modereris: immò cum hoc ipſo de argu-

mento, vt inaudiui, opus aggreſſus ſis, quo regnorum initia, proceſſúſque, atque interitus ex ſacrarum hiſtoria litterarum, ea qua præſtas comprehenſione rerum omnium ponis ob oculos; accedo ipſe, vt arbitror, opportunè, dum tibi in hanc curam intendẽti offero hæc à me vtcunque collecta: ſi forte diſtrahentibus animum publicis priuatíſque negotiis ab otio litterarum, prompta hæc cõgeries mea partem aliquam tui laboris imminuat. Accipe igitur, PRINCEPS, hoc quidquid eſt operis, quod tibi & noſtræ familiæ nomine, & argumenti ſimilitudine, opportunitatéque fretus inſcribere auſus ſum, atque hominum expectationem, quam me hac de-

nuntia

Digitized by Google

nuntiatione conſilij tui concitaturum ſcio, tu expertus olim puer quid in omni litterarũ genere valeas, maiorem nunc cum virili ætate ſapientiæ maturitatem adeptus, morari diutius, ac deſiderio, & expectatione torquere noli. VALE.

Romæ Kal. Maij
1624.

ALEXANDRO VRSINO
Cardinali Ampliſſimo

LVDOVICVS PROST,
Hæres ROVILLE,
S. P. D.

IN laudes, VRSINE, tuas mea lingua recurrit:
Lingua tamen meritis non erit vna ſatis.
Innumeris variata modis elementa loquantur;
Quotque notas relegis, tot velut ora ſonent.
Purpurei cum ſis Decus immortale Senatus,
Gloria te voluit non moritura ſequi.
Aeternare tuum nota debuit ærea nomen;
Et quæ non vllo tempore lingua ſilet.
Sic mihi perpetuò, Princeps, laudabere. nam te
Qui non laudat, obeſt laudibus ille ſuis.

AD

Digitized by Google

AD CANDIDVM LECTOREM.

PAucula quædam, Amice Lector, in huius libri limine monendus es. Primum eſt, conſilium meum fuiſſe dum hæc ſcriberem, teſtimonijs ex Sacris tantùm litteris depromptis, in certum ordinem redactis, & inter ſe cōcinnatis, Politices præcepta tradere, explicare, confirmare. Alterum eſt, à profanis auctoribus citandis me cōſultò abſtinuiſſe, quanquam ex ijs multa huc commodè deriuari poſſe videbam. Cum enim ſatis multa huius argumenti volumina ab alijs conſcripta ſint, veterum Philoſophorum, Poëtarum, Hiſtoricorumq́; placitis, dictiſq́; refertiſſima, quæ paſſim circumferun-

tur,

Digitized by Google

tur, & manibus omnium teruntur; ſatius eſſe duxi extra Sacrarum litterarum fines quos mihi præfixeram non vagari, & hanc ſpartam dumtaxat ornare, quam mihi ipſe ſelegeram. Quanquam non negauerim quædam, rarò tamen, interſperſa ex profanis legenti obuia futura, quibus non vt teſtimonijs, ſed vt dicendi formulis, cum apte cadebant, vſus ſum. Ea qui in illorum auctorum lectione ſunt verſati, non difficilè agnoſcent. Tertium eſt, ſanctorum etiam Patrum dicta, & documenta quæ ad ciuilem inſtitutionem faciebant, me parcè admodum adhibuiſſe, & tunc tantùm cum ex ſacris Scripturis ſuas poſitiones ipſi confirmant: quæ enim meis ego verbis dicere debuiſſem, ſi Patrum verbis efferrem, plus grauitatis

uitatis & auctoritatis habitura eſſe non ignorabam. Tandem ordinem librorum eſſe huiuſmodi. In primo diſſeri de rerumpublicarum formis, & legitima ratione veniendi ad principatum, electione ſcilicet, & ſucceſſione. Deinde tribus vltimis capitibus muniri viam ad ea quæ ſecundo libro, qui totus eſt de virtutibus Principis, dicenda ſunt. Tertio verò de iis quæ Reipublicæ ſtatui, Principiſque gubernationi commodant, aut incommodant. Itaque diſputari de conſiliariis, adminiſtris, legibus, pace, bello, tyrannide, ſeditionibus, & huiuſmodi. Hæc te nolui Lector neſcire. Tu noſtra hæc qualia qualia ſunt, beneuolo animo accipe, & vale.

MV

MVTIVS VITELLESCVS,

Societatis IESV *Præpoſitus Generalis.*

CVm opus, Politica ſacra inſcriptum, P. IOANNIS STEPHANI MENOCHII, noſtræ Societatis; tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint; ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 10. Februarij 1624.

MVTIVS VITELLESCVS.

Facultas R. P. Prouincialis in Prouincia Lugdunenſi.

EGo IOANNES FORERIVS Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis HENRICO III. 10. Maij 1583. HENRICO IV. 20. Decembris, 1606. & LVDOVICO XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos abſque Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto LVDOVICO PROST, Hæredi ROVILLE, Lugdunenſi Bibliopolæ, vt Librum, qui inſcribitur, *Inſtitutio politica ex ſacris Scripturis deprompta, Authore* P. IOANNE STEPHANO MENOCHIO *è Societate* IESV, ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 7. Decembr. 1624.

FORERIVS.

Digitized by Google

Approbatio.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in ſacra Theologia Doctor in S. Pauli Lugdunenſis Canonicus, & in hac Diœceſi à D. Dionyſio Simone de Marquemont Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo in librorum cenſuram incumbere iuſſi; fidem facimus nos librum hunc qui inſcribitur, *Inſtitutio politica è ſacris Scripturis deprompta, Auctore* P. IOANNE STEPHANO MENOCHIO *è Societate* IESV, vidiſſe, nec in eo aliquid contra Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ ſanam doctrinam aut bonos mores inueniſſe. Non. Decembr. 1624.

DE VILLE.

Conſenſus

Digitized by Google

Conſenſus Procuratoris Regij.

LIbrum hunc R.P. STEPHANI MENOCHII Societatis IESV de Inſtitutione politica è Sacris litteris deprompta: Ego Conſiliarius, & Procurator Regius typis mandari, & in lucem exponi conſentio. Lugduni ſeptima die menſis Decembris 1624.

PVGET.

Facultas imprimendi.

LIbros Hieropoliticon, ſeu Inſtitutionis politicæ R. Patris STEPHANI MENOCHII Societatis IESV, à LVDOVICO PROST, Hærede ROVILLE, Bibliopola Lugdunenſi, in lucem dari permittimus, ac ne quis citra factam ei poteſtatem denuò excudat, interdicimus. Datum Lugduni ſeptima menſis Decembris 1624.

DE CHAPONAY.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI, QVORVM paragraphi, per numeros marginales diſtributi, hîc ſubiiciuntur.

In ſacris Scripturis ciuilem doctrinam contineri.

CAPVT I.

Num. 1. CHRISTVM eſſe Scripturarum argumentum præcipuum, multa tamen in iis tractari, ex quibus Politices iuſtum opus colligi poſſit. *pagina* 1
2. Probatur excellentia Politiæ ſacræ ex authore præcipuo ſcripturarum, qui eſt Deus; & ex ipſis ſcriptoribus qui ſapientes, & in Republica verſati fuerunt. 3
3. Idem probatur ex materia ſacræ Scripturæ, hiſtoriis nimirum & libris, quos illa complectitur. 9
4. Idem probatur ex forma ſcribendi horum ſcriptorum. 12
5. Idem probatur ex fine ſacræ Scripturæ. 13
6. Cur tam pauci in Scripturis quærant politica præcepta. 16
7. Adhortatio ad hanc doctrinam ex Scripturis petendam. 17

Digitized by Google

De Imperij neceßitate & Anarchiæ malis.

CAPVT II.

*Num.*1. Nullam Rempublicam gubernatione deſtitutam ſaluam eſſe. pag.19
2. Probatur ex mutua ope qua indigemus. 21
3. Idem probatur ex Angelorum politia. 25
4. Idem probatur, quòd ne ſceleſtorum quidem hominum cætus gubernatore carere poſſint. 27
5. Idem probatur, quòd etiam in ſeditionibus, quæ alioqui turbulentiſſimæ ſunt, caput quæratur. 28
6. Idem probatur quòd ne Satanæ quidē regnum ſine capite eſſe poſſit. 29
7. An olim apud Hebræos fuerit aliquādo Anarchia. 33

Poteſtatem Rerumpublicarum gubernatricem à Deo eſſe, illiq́; obtemperandum.

CAPVT III.

*Num.*1. Poteſtas gubernatrix in ſtatu naturæ à Deo fuit. pag.35
2. Idem fuiſſe in lege ſcripta. 37
3. Idem eſſe in lege Euangelica. 38
4. An Apoſtoli obediendum præceperint Principibus, qui tyrannicè regna occupauerant. 40
5. An infidelibus aut peccatoribus Principibus parendum. 41
6. Principibus in iis duntaxat parendum eſſe, quæ diuinæ legi non aduerſantur. 44

De

Digitized by Google

De Reipublicæ formis, Democratia, Ariſtocratia, Monarchia; hancq́ cæteris præſtare.

CAPVT IV.

Num. 1. Quot ſint Imperij formæ. pag. 47
2. Monarchiam cæteris præſtare probatur ex ipſa natura, cœlis, elementis, &c. 48
3. Idem probatur ex Angelorum politia. 50
4. Idem probatur ex Eccleſiæ gubernatione. 53
5. Idem probatur ex Hebræorum antiqua politia. 56
6. Idem probatur ex proprietatibus bonæ gubernationis. 59
7. Vnius dominatum in Scripturis promitti vt magnum bonum. 62

Mulieres Imperijs regendis vt plurimum aptas non eſſe.

CAPVT V.

Num. 1. Probatur ex naturali earum conditione quia factæ magis ad parendum. pag. 63
2. Idem probatur, quia deſtitutæ animi & corporis vigore; qui ad gubernandum neceſſarius eſt. 65
3. Idem probatur, quòd illarum conſilium imbecillum ſit, faciléque decipiantur. 69
4. Idem probatur, quia vehementibus animi perturbationibus commoueri ſolent. 71
5. An cum mulieribus Imperij arcana communicanda ſint. 72

INDEX CAPITVM

De legitima ratione Principatus capiendi, quæ eſt electio & ſucceſſio.

CAPVT VI.

*Num.*1. Duplex ratio ineundi principatus, electio & ſucceſſio. pag.74
2. Argumenta quibus probatur electionem præſtare ſucceſſioni. ibidem.
3. Argumẽta pro ſucceſſione contra electionẽ. 79
4 Cur ſummi Pontifices eligantur. 88
5. An Peregrini ad regnum eligendi. 89

Regna, quæ ſucceſſione ineuntur, primogenitis deberi.

CAPVT VII.

*Num.*1. Ita vſum Gentium tenuiſſe. pag.93
2. Ita factum propter amorem quo parentes primogenitos filios proſequuntur. 96
3. Idem probatur ex maiori piimogenitorum excellentia. 98
4. Cur ſecundo loco nati primogenitis aliquando antelati. 100
5. An expediat fœmineam prolem, Regni hæredem eſſe. 100.& 101
6. Quid de illegitimis. 102

Quibus diſciplinis, & Magiſtris inſtituendi ſunt ij, qui in ſpem Imperij educantur.

CAPVT VIII.

*Num.*1. Aliqua de diſciplinæ doctrinæque neceſſitate. pag.105

2. Deum

Digitized by Google

2. Deum ipſum magiſtrum Principum agere. 108
3. Ipſos Principes in quibuſdam liberos erudire debere. 112
4. Alios etiam magiſtros addendos. 114
5. Eloquentiæ ſtudium Principe dignum. 120
6. Hiſtoriam cognoſcat Princeps. 123
7. Præcipuum ſtudium Principis, prudentia ciuilis. 125
8. Moderatè Principi ſtudendum. 129

Finem boni publici Principi propoſitum eſſe debere.

CAPVT IX.

Num. 1. Baſis, Fundamentum, appellatur Princeps in Scripturis. 131
2. Murus, Angulus. 133
3. Paſtor. 134
4. Caput. 137

Principem virtutem colere debere, vt exemplo ſubditis proſit.

CAPVT X.

Num. 1. Quantum poſſit Principis exemplum in vtramque partem. pag. 138
2. Grauiter peccare Principes, qui ſuo exemplo ſubditis nocent, ſubditorúmque peccata illis adſcribi. 145

Initio Principatuum Principes ferme eſſe meliores, quàm ſint poſtea: & quænam huius mutationis ſint cauſæ.

CAPVT XI.

Num. 1. Probatur exemplo Saulis & Salomonis. pag. 147
2. Luxum & delicias Regias hanc mutationem afferre. 151
3. Negotiorum etiam multitudinem, quæ mentis culturam impedit. 154
4. Idem efficit adulatorum corruptela. 155
5. Quia latens vitium, virtutis tectum inuolucris paulatim ſe aperiente natura retegitur, poſitáque larua, dira ſcelerum facies quæ latuerat, tandem apparet. 157

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI,

qui eſt de virtutibus Principis.

Religionem Principi colendam eſſe, & de externo eius cultu.

CAPVT I.

Num. 1. Omnibus gentibus inſitum eſſe religionis ſenſum & amorem. pag. 159
2. Exemplis oſtenditur, Principem cultum externum religionis cordi habere debere. 161

3. Scriptu

3. Scripturis & rationibus probatur, externum hunc cultum retinendum eſſe. 163

Principem non ſimulato animo, ſed ſerio religioſum eſſe debere.

CAPVT II.

Num. 1. Magnum eſſe Rerumpublicarum malum, Principem hypocritam. pag. 165
2. Quales ſint huiuſmodi Principes, explicatur exemplis. 166
3. Principes hypocritas ſimulatione religionis vti ad conſequendum id quod cupiunt. 180
4. Quantopere Deus deteſtetur modum hunc agendi. 184

Nec hæreticos in Republica, aut eorum doctrinam, nec eam quam vocant libertatem conſcientiæ, ſine graui cauſa permitti debere.

CAPVT III.

Num. 1. Hæreticos extremo etiam mortis-ſupplicio puniendos eſſe. pag. 190
2. Hæretici in Republica tolerandi non ſunt, quia alios prauitate doctrinæ inficiunt. 197
3. Hæretici tolerandi non ſunt in Republica, quia ſeditionibus & turbis publicæ paci incommodant. 202
4. Soluuntur argumenta, quæ contra hactenus dicta afferri poſſunt. 207
5. Libros hæreticorum flammis abolendos. 211

Non debere Principem cum infidelibus inire fœdus, nec illorum opem implorare: & de locanda ſpe in diuino auxilio.

CAPVT IV.

Num. 1. Dominum deteſtari fœdera cum infidelibus inita. pag. 214
2. Crebrò accidere, vt qui infidelium auxilia implorant, aut ab illis deſtituantur, aut etiam impugnentur. 219
3. In Deo ſpem locandam, qui multis, miríſque modis, ſuis ſpem fert. 223

Principes Eccleſiarum & Sacerdotum iura ſarta tecta ſeruare debere.

CAPVT V.

Num. 1. Pontifices Hebræorum & Leuitas in rebus Eccleſiaſticis à Regum poteſtate exemptos fuiſſe. pag. 231
2. Leuitas olim in Republica Hebræorum à Iudicum ſæcularium poteſtate exemptos fuiſſe. 233
3. De eadẽ exemptione ex Nouo Teſtamẽto. 237
4. De immunitate à tributis. 239
5. De iure Aſyli. 249

De liberalitate & munificentia Principis in Eccleſias, & res ſacras.

CAPVT VI.

Num. 1. Exemplis oſtenditur quanta eſſe debeat

Chri

Digitized by Google

Chriſtiani Principis in Eccleſiam liberalitas, pag. 256

2. Ex auro templi de cæteris expẽſis capitur coniectura, ex quo eadem liberalitas Principi commendetur. 263

Qualem Confeſſarium, Concionatorem, aut Theologum ſibi deligere debeat Princeps, & quomodo ſe cum illo gerere.

CAPVT VII.

Num. 1. Debere Principes in rebus dubiis Doctores conſulere, & de veteri Hebræorum ritu in conſulendo Dominum. pag. 267

2. Contra eos Principes qui tantum auribus blandientia à Concionatoribus audire volunt. 271

3. Quanta cum libertate Concionator aut Confeſſarius cum Principe agere debeat. 277

4. Concionatorem ſuo tantùm muneri operam dare debere, nec ſe aulæ negotiis immiſcere. 285

Principes virtutis, ac præſertim Religionis cultores diutius ferè viuere.

CAPVT VIII.

Num. 1. Sanctos viros vt Dauid & Iob ex impiorum proſperitate quaſi ſcandalum paſſos eſſe; eoſdem tamen eorundem infortunia deſcripſiſſe, ac præſertim immaturam mortem; ex quo diuina aſſeritur prouidẽtia. p. 287. & 288

Digitized by Google

2. In Scriptura de quibuſdam ſanctis dici quòd multum vixerint, & tandem mortui ſint in ſenectute bona,& pleni dierum:quod pietati & in Deum religioni acceptum ferendum oſtenditur. 296.& 297
3. Ad prolixam vitã in ſanctis ipſis multum contuliſſe pacem animi internam, ex bona conſcientia prouenientem. 300
4. Longitudinem vitæ, Dei beneficium eſſe, & ſanctos etiam viros mortem timuiſſe. 303

De Principis iuſtitia: ac primò de ea quæ eſt in commutationibus.

CAPVT IX.

Num. 1. Exemplis Scripturæ commendatur Principi iuſtitia commutatiua. pag.307
2. Rationes duæ explicantur, quibus ſe permoueri dixit Iob ad iuſtitiam in commutationibus ſeruandam. 313
3. Proponitur exemplum Achabi, qui vinea ſua ſpoliauit Noboth. 317
4. Expenduntur quædam adiuncta ſuperioris hiſtoriæ. 319

De æqualitate & iuſtitia in ponderibus, menſuris ac numiſmatibus à Principe conſtituenda.

CAPVT X.

Num. 1. Afferuntur quædam teſtimonia, quibus oſtenditur quantopere Deo cordi ſit iuſtitia in menſuris ac ponderibus. pag.323

Digitized by Google

2. Varietas in ponderibus & menſuris vitanda. 324
3. De generibus monetarum apud veteres Hebræos. 325
4. Publico aliquo ſigno ſeu charactere inſignita eſſe debere. 326

De Principis iuſtitia diſtributiua.

CAPVT XI.

Num. 1. In Reipublicæ gubernatione Principem adminiſtris inferioribus indigere: cauendúmque ne ex iſtis aliquem nimis attollat. pag. 327
2. Aliquibus Scripturæ locis probatur, abſurdè facere Principem, qui immerenti honorem tribuit. 334
3. Peculiaria quædam præcepta huc facientia, vt de conſanguineorum Principum potentia in officio continenda. 337

De Iuſtitia vindicatiua Principis.

CAPVT XII.

Num. 1. Pœnis inflictis malos à peccando deterreri. pag. 347
2. Sontibus parcendum non eſſe, quia non ſunt meliores: & quia ſanguis ab ipſis fuſus clamat ad Principem. 349
3. Formam iudiciorum diligenter ſeruandam. 352
4. Quid faciendum Principi cum populus vniuerſus peccauit. 358. & 359
5. Ne ſit Princeps nimiùm minutus in delictis inquirendis. 360

6. Itam

6. Iram Principi cauendam dum punit. 361
7. Iuſtitiæ vindicatiuæ clemẽtiam copulari poſſe. 363

De Clementia Principis.

CAPVT XIII.

Num. 1. Clementiam Principem Deo ſimilem facere. pag. 368
2. Clementiam Principis munere, qui quaſi medicus ac pater eſſe debet, digniſſimam eſſe. 375
3. Clementiam Principes populis gratos efficere. 378
4. Clementiâ Principibus ſecuritatem parari. 384
5. In gratulationibus publicis, aut cum beneficia inſignia diuinitus accipiuntur, clementiâ largiùs vtendum. 385

De affabilitate & facilitate Principis.

CAPVT XIV.

Num. 1. Explicatur in quo ſita ſit affabilitas. pag. 387
2. Affabilitatem Maieſtati non officere ſi prudentia regatur; eſſe autem Barbarorum & abiectioris conditionis hominum immodicam quandam affectare maieſtatem. 388
3. Principem cum pauperibus præſertim affabilem eſſe debere. 392
4. Etiam cum iis affabilem eſſe debere Principem, à quibus aliquando læſus, ſed iis noxas condonauit. 394

Digitized by Google

De fide ac veritate Principis.

CAPVT XV.

*Num.*1. In quo fides hæc veritáſque ſita eſt. p. 395
2. Vniuerſim Principi hæc virtus commendatur. 399
3. Fidelem Principem & veracem, Deum ſummum Principem imitari. 401
4. Mendacem dæmoni ſimilem eſſe. ibidem.
5. Seruile eſſe mentiri, ac proinde Principem maximè dedecere. 405
6. Mendacium vix latere poſſe. 407
7. Mendacium Reipublicæ plurimum nocere. 408
8. In mendacio culpam eſſe grauitérque à Deo puniri. 411
9. Conſideratè Principem loqui, & promittere debere. 414
10. Etiam inimicis ſeruandam fidem. 419

De liberalitate Principis.

CAPVT XVI.

*Num.*1. Quomodo hic accipiatur liberalitas & de eius affinitate cum iuſtitia. 423
2. De liberalitatis vtilitate. 424. & 425
3. Liberalitatem honeſtam eſſe, quia pecuniæ in eos conferuntur vſus ad quos factæ ſunt. 428
4. Liberales Deum imitari, Principéſque liberalis titulum affectare. 429
5. In dando, ſed maximè in reddendo beneficio liberalitatem requiri. 432
6. Dandum hilariter. 435

7. Viden

Digitized by Google

7. Videndum cui, & quantum detur. 437
8. Cum dederit Princeps, ne improperet ei cui dedit. 439

An Principi liceat diuitÿs augendis ſtudere, & quibus artibus augeri poßint.

CAPVT XVII.

Num. 1. Licere Principibus theſauros colligere,& quæ rationes ſuadeant vt id fiat. pag. 440
2. Induſtria diuitias à ſapienti Principe augeri poſſe. 443
3. Primus modus augendi diuitias latifundiis parandis. ibidem.
4. Alter modus augendi regij cenſus ex fodinis, lapicidinis,ſyluis,ſalinis,&c. 447
5. Tertius modus ex mercatura. 449
6. Quartus modus ex tributis, vbi etiam docetur ea moderata eſſe debere. 454
7. An ars chymica diuitiis parandis vtilis eſſe poſſit. 456

De Auaritiæ turpitudine,damnis,eiuſdemq́; remedÿs.

CAPVT XVIII.

Num. 1. Auaros in Sacris litteris ferarum quarundam beſtiarum nominibus appellari, & quæ huius rei ſit cauſa. Vbi etiam de auaritiæ inſatiabilitate. pag. 459
2. Auaritiam deteſtandam, quia ſeruitus eſt idolorum. 462

3. Hanc

Digitized by Google

3. Hanc ſeruitutem turpem eſſe, quòd Dei ſeruituti repugnet. 466
4. Hanc ſeruitutem duram eſſe, ac laborioſam, ideóque defugiendam. 469
5. Laborem qui ferendus eſt in hac ſeruitute malè collocari, quod ſcilicet malè parta, malè dilabantur. 471
6. Colligitur ex dictis, diuitiis non eſſe fidendum. 474
7. Principem auarum eſſe non debere, quia auaritia odioſum facit populo, & periculum amittendi Principatus creare poteſt. 475
8. Principem non debere auarum eſſe, quia populorum eſt Pater. 477
9. Idem probatur, quia eſt paſtor populorum. 478
10. Remedium præcipuum auaritiæ proponitur, vt ſcilicet Princeps cupiditates ſuas intra modum ſuarum virium moderetur. 482
11. Poſſe etiam Principem non admodum diuitem ſibi Reipublicæque proſpicere. 487

De fortitudine Principis, & animi magnitudine.

CAPVT XIX.

Num. 1. Quid ſit fortitudo, de qua hic diſputandum: & quatenus corporis fortitudo requiratur in Principe. 488
2. De fortudine quæ ſpectatur in faciendis & ſuſtinendis aduerſis. 490
3. An fortitudini repugnet edere ſigna doloris 496

4. Magni

4. Magnitudinis animi eſſe, minùs ſecundos rumores qui ſparguntur, negligere. 498
5. De fortitudine quæ cernitur in aggrediendo. 500
6. Primum adiumentum ad fortitudinem conſequendam, de ea ſcilicet à Deo poſtulāda. 504
7. Secundum adiumentum de iuuanda fortitudine induſtriæ adminiculis. 505
8. De inanibus terroribus non formidandis. 508
9. De incommodorum, quæ timidos & remiſſos in aggrediendo conſequuntur, conſideratione. 510
10. De fortium virorum exemplis & imitatione. 511

De perſeuerantia & conſtantia Principis.

CAPVT XX.

Num. 1. Explicatur quid ſit perſeuerantia & conſtantia, vt hic accipitur, & Moſis & aliorum exemplo illuſtratur. pag. 513
2. Commendatur Principi conſtantia, quòd eum Deo ſimilem faciat. 517
3. Inconſtantes etiam inter homines leuitatis infamia laborare. 519
4. Aliud incommodum proponitur, quod incurrunt ij, qui in bene cæptis non perſeuerant, quod eorum quæ iam facta ſunt, iacturam faciunt. ibidem.
5. Laudabilem eſſe conſtantiam in miniſtris, & magiſtratibus non facilè à ſuis muneribus amouendis. 520
6. Cauendum Principibus, ne eorum conſtantia mulierum precibus infringatur. 521

7. Ita

Digitized by Google

7. Ita amplectendam conſtantiam, vt vitium pertinaciæ non incurratur. 525

De magnificentia Principis.

CAPVT XXI.

Num. 1. Explicatur quid ſit magnificentia, & Salomonis exemplum proponitur. pag. 527
2. Aliud magnificentiæ exemplum proponitur in conuiuio Aſſueri. 529
3. An peccauerit Aſſuerus tam ſumptuoſo diuturnóque conuiuio inſtruendo, & de conuiuiis, quæ in Principum inauguratione celebrata legimus in Scripturis. 532
4. De Principis magnificentia in largitionibus. 536

De Principis magnificentia in ædificando.

CAPVT XXII.

Num. 1. Studium ædificandi decere Principem: & de variis ædificiorum generibus, neceſſariis, vtilibus, aut ad voluptatem cõparatis. p. 538
2. Quo tempore ædificatio vrgenda, & quorum expenſis ædificandum. 540
3. De ædificiorum Regiorum magnificentia. 542
4. De veteribus ædificiis inſtaurandis. 544

De Maieſtate Principis.

CAPVT XXIII.

Num. 1. De Principis maieſtate in veſtibus & corporis cultu. pag. 546

2. An odorum vſus in veſtibus Principis laudabilis ſit. 551
3. De cæſarie promiſſóque capillo. 555
4. De ſtipatoribus & cohorte militum corporis cuſtodum. 556
5. De maieſtate in aliis quibuſdam, quæ Principem circumſiſtunt vt throno Regis. 560
6. Ad maieſtatem facere ſi ſe Princeps in loco à vulgi conſpectu ſubducat. 562
7. De miniſtrorum numero & aulæ frequentia. 563
8. De Titulis Principis. 568
9. Cur Saul iam Rex Iſraëlis creatus, cōtra quam poſtulat ſummi Magiſtratus maieſtas, boues ſecutus fuerit. 570

De temperantia Principis in cibo, potu & ſomno.

CAPVT XXIV.

Num. 1. Naturā paucis parabilibúſque cibis contentam eſſe. pag. 573
2. Ciborum multitudinem valetudini incommodare. 575
3. Perículoſiorem eſſe intemperantiam in viro Principe, quia ex illius vita plerunque pendet publica quies. 576
4. Vitam eorum, qui voluptatem in cibis quærunt, non eſſe voluptuoſam. 578
5. De intemperantia in potu, & ebrietatis malis. 583
6. Intemperantiam in cibo, potúque viam munire grauiſſimis peccatis. 587
7. De intemperantia in ſomno. 591

De

De temperantia Principis in voluptatibus tactus, ac primò de vitij huius occaſionibus.

CAPVT XXV.

Num. 1. Quanta ſit in paratis occaſionibus illecebra ad peccandum. pag. 593
2. Otium eſſe occaſionem luxuriæ. 595
3. Etiam incuſtoditos oculos, alióſque ſenſus. 598
4. De ſaltationibus aliiſque huiuſmodi luſibus. 601
5. Intemperantiam in cibo, potúque occaſionem eſſe luxuriæ. 605
6. Exemplis Dauidis & Salomonis idem confirmatur. 608

De malis, quibus propter luxuriam corpora afficiuntur.

CAPVT XXVI.

Num. 1. Luxuriam properatam adducere ſenectutem morbóſque. pag. 610
2. Affertur ratio cur corporibus intemperantia noceat. 613
3. Agitur de turpitudine intemperantiæ. 614
4. Turpitudinem incontinentiæ parentum redundare in filios. vbi aliqua de nothis tanguntur. 618
5. De malis animi quæ ex intemperantia proficiſcuntur. 620
6. Vitio intemperantiæ homines belluis ſimiles euadere. 624

De malis, quæ Principes aut Reſpublicæ libidinis alicuius occaſione paſſæ ſunt.

CAPVT XXVII.

*Num.*1. Primum exemplum Pharaonis & Abimelech, qui Saram ab Abrahamo extraxerant. pag.626
2. Secundum exemplum ex hiſtoria Dinæ, quæ à à Sichem violata eſt. 629
3. Tertium exemplũ ex clade Benjamitarum cum reliquo Iſraële pugnantium. 632
4. Quartum exemplum ex iis, quæ Dauid eiúſque Poſteri propter parentis luxuriam paſſi ſunt. 633
5. Quintum exemplum ex damnis quæ Iſraëli Salomonis luxuria intulit. 636
6. Vltimum exemplum ex hiſtoria diluuij. 638

De caſtitate coniugali, & quædam alia præcepta ad Principum matrimonia ſpectantia.

CAPVT XXVIII.

*Num.*1. Amor vnius coniugis ſuadetur. pag.639
2. De bigamia, & polygamia Veteris Teſtamenti. 643
3. Matrimonia cum infidelibus ineunda non eſſe. 647

De

Digitized by Google

De modeſtia Principis, & animi demiſſione.

CAPVT XXIX.

Num. 1. Facilè Principis animum in ſuperbiam attolli, adeo vt ſuperiorem neminem velit agnoſcere, ſéque Deo parem faciat, quod exemplis oſtenditur. pag. 649

2. Affertur remedium contra hoc malum, vt ſcilicet agnoſcat Princeps ſe Deo ſubditum eſſe. 651

3. Affertur aliud remedium, vt ſcilicet intelligat, adeo ſe Deo ſubditum eſſe, vt etiam infimus ſit & imbecillis, & more aliarum creaturarum Dei comparatione nihil. 653

4. Oſtenditur exemplis quàm malè ſibi conſuluerint ij, qui Dei obliti, in ſuperbiam elati, ſibi nimium placuerunt. 659

De prudentia Principis, & de ingenio regni & populi.

CAPVT XXX.

Num. 1. Regnorum inſtabilem eſſe poſſeſſionem. pag. 661

2. Principes multorum odiis & inuidiæ patere. 663

3. Principes abundare ſuſpicionibus & metu. 665

4. Peculiares regni cui præeſt conditiones Principi cognitas eſſe debere: vbi de cenſu. 666

5. Populi ingenium Principi cognitum eſſe debere, & quale illud ſit. 670

Digitized by Google

6. Finitimorum populorum ac principum mores & vires,&c. Principi inueſtiganda. 673
7. Curandum Principi vt ſuos bene norit, & quibus ex notis poſſit eos agnoſcere. 674
8. An phyſiognomiæ ſignis aliquid credendum, & an ex corporis pulchritudine de animo liceat facere coniecturam. 678
9. An delatores in Republica ferendi. 682

Alia quædam præcepta ad prudentiam pertinentia.

CAPVT XXXI.

*Num.*1. Non facile aliquid aggrediendum eſſe, niſi omnibus rei circunſtantiis diligenter exploratis. pag.684
2. Prudenti mutandum eſſe aliquando conſilium. 688
3. Prudentis eſſe ingruenti neceſſitati ſe accommodare, illíque ſeruire. 691
4. Prudentis eſſe non facilè credere. quod præceptum latè explicatur. 691
5. Odia inter coniunctos facilè reconciliari. 700
6. An Principi hebeti & tardo gerenda Reſpublica. 701

Cauendum Principi à Diuinorum, Magorum, Necromanticorum, aliorumq́ huiuſmodi damnatis artibus.

CAPVT XXXII.

*Num.*1. Huiuſmodi artibus ad Regum aulas aditum nonnunquam patere. pag.702

2. Has

Digitized by Google

2. Has artes deteſtandas, quod illarum authores dæmones fuerint. 703
3. Fallaces eſſe has artes, & ea polliceri quæ præſtare nequeunt. 705
4. Tractatur breuiter quæſtio an Samuelis anima à Pythoniſſa euocata, vi illarum incantationum apparuerit. 708
5. Artes iſtas diuino iure quod ſacris Scripturis continetur, prohiberi. 710
6. Explicantur duo ſcripturæ loca, quæ his artibus fauere videntur. 712

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII.

De Conſiliariorum & conſilij capiendi neceſſitate.

CAPVT I.

Num. 1. Conſilij capiendi neceſſitas aliquibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis probatur. p.713
2. Probatur idem exemplis Principum & ipſius Dei. 714
3. Incommoda quæ illi incurrunt, qui conſilium capere recuſant. 717
4. Capiendum interdum conſilium, vt conſcientiæ ſatisfiat. 719
5. Eum qui cum conſilio aliquid aggreditur, prudenter habendum, etiamſi id, quod agendum ſuſcepit, infelicem exitum ſortiatur. 721

Qualis Conſiliarius à Principe deligendus ſit.

CAPVT II.

*Num.*1. Senes conſilio meliores eſſe quàm iuuenes. pag.722
2. Senum maturitatem à moribus potiùs & prudentia, quàm ab annis ſpectandam eſſe. 723
3. Senum prudentiam experientiæ magna ex parte acceptam eſſe referendam. 724
4. Senes veteri gentium more in conſilium adhiberi ſolitos. 725
5. Eos deligendos conſiliarios qui à vitæ probitate commendationem habeant. ibidem.
6. Prauorum & aſtutorum hominum conſilia non eum ſortiri exitum, quem ipſi voluiſſent. 728
7. Illa eadem conſilia, quæ praui homines excogitant, in eorundem perniciem frequenter conuerti. 730
8. Eos deligendos conſiliarios, qui ſuis commodis quæritandis non ſtudeant. 731
9. Conſiliarium in ſententia ferenda liberum eſſe debere. 740
10. Conſiliarium ſuæ ſententiæ non nimis adhærere debere. 744
11. Conſiliarium fidelem eſſe debere arcanorum cuſtodem. 745
12. Conſiliarium experientia, & rerum, de quibus agitur, vſu præditum eſſe debere. 748

De

Digitized by Google

De Principis Adminiſtris, & monita quædam ad ipſos pertinentia.

CAPVT III.

Num. 1. De Adminiſtrorum Principis ætate, quædam. pag. 751
2. Quàm conſideratè miniſtri eligendi, & de aliquibus conditionibus, quæ in illis ſpectandæ ſunt. 753
3. Cauendum ne tantum quis augeatur, vt ipſi Principi euadat formidabilis. 756
4. Quatenus adminiſtri Principibus ſuis obtemperare teneantur. 765
5. Non facilè credant Principes criminationibus quæ magiſtratibus impinguntur, nam ſæpe ab inuidia proficiſcuntur. 767
6. Principem adminiſtris eam facultatem, & agendi poteſtatem concedere debere, quam negotia requirunt. 770
7. Adminiſtros Principis potius gloriæ, quàm ſuæ deſeruire debere, idque commodo ſuo facturos. 773
8. An peregrinis adminiſtris potius vtendum ſit quàm ciuibus. 775
9. An nobilibus potius quàm ignobilibus. 776
10. An coniugati potius adminiſtri ſint adhibendi, quàm coniugio ſoluti. 779
11. Adminiſtros priùs probandos eſſe in inferioribus magiſtratibus, quàm ad ſummos euehantur. 781
12. An vni tantùm adminiſtro prudenter omnia negotia credantur. 782

13. Aliqua de legatis qui extraordinarij ſunt miniſtri. 784
14. De inſpectoribus prouinciarum, ſiue viſitatoribus. 786

Leges Reipublicæ neceſſarias eſſe, quales eſſe debeant, ijſq; parendum.

CAPVT IV.

Num. 1. Leges vtiles eſſe ac neceſſarias Reipublicæ. pag. 789
2. Legum neceſſitas in Republica colligitur ex naturali rerum ordine ac lege. 792
3. Idem probatur ex diuinis legibus, quas Deus hominibus præſcripſit: vbi etiam de legum obſeruatione. 793
4. Curandum Principi vt leges ſeruentur, præſertim cum recenter latæ ſunt. 798
5. Leges paucas eſſe debere. 801
6. Curandum vt ſubditi legibus non inuiti pareant. 803
7. Quomodo leges interpretari debeamus. 805
8. Quædam de conſuetudinibus. 807

De ciuitatis condendæ ſitu, aliiſq; eò ſpectantibus.

CAPVT V.

Num. 1. Glorioſum eſſe Principi ciuitates condere. pag. 809
2. De ſitus ſalubritate in quo locanda ciuitas. 813

3. An

Digitized by Google

3. An potiores ſitus earum vrbium, qui oræ maris adiacent. 814
4. Pingue ſolum, & vber, vrbi ponendæ deligendum. 815
5. Quam ampla ciuitas eſſe debeat. ibidem.
6. De figura an ſcilicet quadrata, vel potius rotunda. 817
7. De nomine vrbi imponendo. 818

An Peregrini in ciuitates admittendi, & an ciues deductis colonijs aliò ablegandi.

CAPVT VI.

*Num.*1. An Peregrini in vrbem admittendi, aut aliqua occaſione ſiue pacis ſiue belli tempore eiiciendi. 821
2. De Aſylis, an licita ſint. 828
3. An vtilis coloniarum deductio. 829

Beneuolentiam populi, ſubditorúmque, Principem ſibi conciliare debere.

CAPVT VII.

*Num.*1. Beneuolentiam populorum parari moderatione imperij & lenitate agendi cum ſubditis. pag.832
2. Annonæ vilitate Principes apud populum inire beneuolentiam. 839
3. Spectaculis beneuolentiam Principi conciliari. 842

Quale

Quale ſit Tyrannidis ingenium, & de vitanda Tyrannide.

CAPVT VIII.

Num. 1. Tyranni nomen non ſemper in vitio poni in ſcripturis. pag. 844
2. Prima Tyranni nota, crudelitas. 845
3. Tyrannos timidos eſſe, & ſuſpicionibus obnoxios. 848
4. Tyrannos auaros eſſe & rapaces. 849
5. Tyrannos eſſe legum violatores & contemptores. 852
6. Tyrannos, doctos homines verámque doctrinam odiſſe. 853
8. Deum Tyrannidis ſcelus grauibus pœnis vindicare. 856
9. Cur Deus in Rebuſpublicis Tyrannos permittat. 857

De ſeditionibus, ciuiumq́; diſcordijs, quibus Reſpublicæ euertuntur.

CAPVT IX.

Num. 1. Ingentibus malis ſubiacere Reſpublicas propter diſcordias turbáſque ciuiles. p. 859
2. Quibus potiſſimùm occaſionibus, temporibúſque diſcordiæ gliſcant in Republica. 861
3. In diſcordiis, belliſque ciuilibus quantum fieri poterit, ſanguini parcendum. 863
4. De tollendis diſcordiis ciuilibus documentum. ibidem.

Bellis

Bellis Reſpublicas interdum euerti, & liceátne bellum gerere, quiq́; finis in ſuſcipiendis bellis ſpectandus ſit.

CAPVT X.

Num. 1. Licitum eſſe aliquando bellum gerere probatur. pag. 865

2. An vtile ſit Principi neutrum contra alterum iuuare, cum bellum inter finitimos exarſerit. 867

3. Quæ conditiones requirantur, vt bellum, quod ſuſcipitur, iure ſuſcipiatur. 869

4. De fæcialibus mittendis, & rebus iniuſtè ablatis, aut occupatis, antequam ad arma veniatur, repetendis. 872

5. An pax perpetua ineunda ſit, an verò ad tempus tantùm. 874

De belli Duce, eiuſq́; notis.

CAPVT XI.

Num. 1. Ducem belli optimum quærendum, cum belli neceſſitas incubuerit. pag. 875

2. An debeat Princeps in caſtris verſari & belli Ducem agere. 877

3. An vnus tantum belli Dux, an verò plures eſſe debeant. 879

4. In belli Duce rei militaris peritiam, quæ experientia colligitur, requiri. 880

5. Corporis etiam fortitudo vt militares labores ferre poſſit. 882

6. Prudentia militari Ducem præditum eſſe debere. 884

7. Plurimum in belli Duce exiſtimationem quæ de ipſius virtute habetur, ad res bene gerendas, momenti habere. 886

De militum delectu, diſciplina, exercitatione, & armis.

CAPVT XII.

*Num.*1. Locus quidam Iſaiæ explicatur, quo egregij militis deſcriptio continetur. pag. 888
2. Huiuſmodi milites ad defendendam Rempublicam deligendos eſſe. 890
3. De militum deligendorum ætate. 893
4. An Chriſtiana religio milites ignauos faciat, aut minus fortes. 896
5. De diſciplina militari monita quædam. 900
6. De militari exercitatione. 903
7. De militum armis. 903
8. De recenſendis militibus. 907

De equeſtribus copijs, ſtratagematis, exploratoribus.

CAPVT XIII.

*Num.*1. De equitatu. pag. 908
2. De ſtratagematis. 912
3. De exploratoribus. 914
4. Aliqua de transfugis. 918

De

Digitized by Google

De caſtris & arcibus.

CAPVT XIV.

Num. 1. De caſtrorum deſcriptione, vexillis, &c. pag. 920
2. De arcibus conſtruendis, earúmque ſitu. 924
3. Alia quædam de arcium ſitu. 925
4. De arcium propugnatoribus. 926
5. De cuſtodiondis ciuitatum & arcium portis. 929

Monita quædam ad pugnam ſpectantia.

CAPVT XV.

Num. 1. In aggrediendis hoſtibus loci temporíſque opportunitatem captandam. pag. 930
2. An nocturno tempore aggredi hoſtem expediat. 931
3. Cum hoſtibus confligendum cum aliqua occaſione aut animis ſunt conſternati, aut fracti viribus. 932
4. An expectandi ſint hoſtes intra regnum, an verò in eorum fines irrumpendum. 933
5. De tubis tympaníſque militaribus ad animos in prælia acuendos. 935
6. De fuga, hoſtibúſque perſequendis. 936
7. De obſidione. 938
8. De annona in vrbem, quæ obſidionem timet, importanda. 939
9. De arcanis litteris, quas cifras vocant, vltro citróque mittendis. 941

De

De victoria, & illius vſu, victorumq́; præmijs, triumphis, & trophæis.

CAPVT XVI.

*Num.*1. Pro victoria Deo gratias agendas eſſe. pag.942
2. Victoriam citra crudelitatem perſequendam eſſe. 944
3. De ſpoliis detrahendis, & colligenda præda. 945
4. De præmiis tribuendis qui victoriæ fuerint authores. 950
5. Nobilium parentum & bene de Republica meritorum liberis fauendum. 953
6. De triumphis & trophæis. 954

HIERO

Digitized by Google

HIEROPOLITICΩN,

SIVE

INSTITVTIONIS POLITICÆ EX SACRIS Scripturis depromptæ

LIBER PRIMVS.

In ſacris Scripturis ciuilem doctrinam contineri.

CAPVT PRIMVM.

1 PRæcipvvm ſacrorum voluminum argumentum Chriſtus Dominus eſt, vt tradit Apoſtolus cum ait, *finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti*, & ipſe Chriſtus teſtatus eſt, verbo quidem, cum Iudæos ad ſcripturas, quarum ſcientiam profitebantur, ablegauit; *Scrutamini*, inquit, *ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitã æternam habere, & ipſæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Facto autẽ, cum duobus diſcipulis in Emaus pergentibus, *Incipiens à Moyſe, & omnibus prophetis interpretatus eſt illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Hoc verò argumentũ à ſcriptoribus ſacris nõ paucis, & ieiunè tractatur, ſed lucu-

Chriſtũ eſſe ſcripturarum argumentum præcipuũ, multa tamen in ijs tractari, ex quibus politices iuſtum opus colligi poſſit.

Rom. 10. 4.
Io. 5. 30.
Luc. 24. 27.

Digitized by Google

lenter,& copioſè. Nam ab ipſa mundi origine ita deſcenditur ad Chriſtum, vt dum eius genealogia deſcribitur,ac proinde regum, ac principum eorum incidit mentio, à quibus Dominus ſecundùm carnem traxit originem, ſimul per amœna diuerticula lector circumducatur, rerum quæ in Hebræorum potiſſimùm Republica temporibus illis acciderunt, prophetarúmque recenſeantur oracula, ſapientum virorum prouerbia, & effata, ex quibus non tantum vera de Chriſto dogmata ſolidè fundari,ſed etiam vitam priuatim bene inſtituendi,& Reſpublicas temperandi ſaluberrima præcepta peti poſſint. Quod mihi videtur D.Paulus docuiſſe,cum ait, *Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum,ad arguendum,ad corrigendum,ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei,ad omne opus bonum inſtructus.* Cum enim voluerit Dominus horum voluminum ſcrutatores,vt hoc loco D.Paulus indicat,ea omnia habere in promptu, quibus hominis perfectio continetur, ſanè oportuit Reipublicæ bene gerendæ præcepta non prætermitti, ne ea vitæ humanæ pars minus eſſet exculta, quæ præclarior eſt, & præſtantior, finémque ſpectat excellentiorem, quàm ea facultas,quæ priuatam tantummodo vitam inſtituit. Fauent autem illa Pauli verba cum ait, *Ad erudiendum in iuſtitia*, quæ iuſtitiæ vox licet accipi frequenter ſoleat in ſcripturis pro omnium complexione virtutum; nihil tamen obſtat quo minus hîc ad eam peculiarem virtutem referatur, quæ vnicuique ſuum reddit, & in continendis Rebuſpublicis, beneq; gubernandis, maximum momentum obtinet. Quare quod de vno codice à ſe conſcripto teſtatur Salomon,eum ſcilicet

2.Tim.3. 16.

Digitized by Google

licet dirigi *Ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam,* Prou.1.1. *ad intelligenda verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, vt detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia, & intellectus*; totum cum aliis noui veteríſque inſtrumenti libris commune eſſe videtur, ex quibus præclariſſimis monitis imbui poſſe eos, qui ad publicas accedunt functiones, tractandámque Rempublicam certum puto. Quod vt ſentirem aliquot me rationes, quas ordine ſubnectam, permouerunt.

Probatur excellentia politiæ ſacræ ex auctore præcipuo ſcripturarum qui eſt Deus, & ex ipſis ſcriptoribus, qui ſapientes, & in Republica verſati fuerunt.

2 Prima deſumitur ex auctore præcipuo ſacrarum Scripturarum, qui eſt Deus ipſe, qui per Prophetas ſuos, horúmque codicum ſcriptores, qui inſtar *calami velociter ſcribentis* habuerūt, has quaſi parænetiCas, & inſtructorias epiſtolas ad nos trāſmiſit, in quibus vt diuinam decet bonitatem, ac ſapientiam, nihil non verum, non ſanctum, non aptum reperiri poteſt. *Eloquia enim Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum*, nullis ſcilicet mendaciorum aut errorum inquinamentis reſperſa, ſecus quàm hominum eſſe ſoleant, de quibus ibidem pronuntiat Dauid, *Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum, vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuū, labia* Pſal.44.2. *doloſa in corde & corde locuti ſunt.* Pſal.11.7. Nam vel ipſius Ibid. n.2. Balaam teſtimonio: *Non eſt Deus quaſi homo vt mē-* Num.23.19. *tiatur, eſt enim Deus verax,* ait Apoſtolus, *omnis autem homo mendax.* Nec verò vitiatur diuina iſta Rom.3.4. veritas quod humano ore proferatur: *Non enim* Matth.10.20. *vos eſtis qui loquimini*, ait Chriſtus Apóſtolis, *ſed* Luc.10.16. *ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis, &, qui vos audit me audit*; conſentítque Zacharias, qui Deo plenus teſtatur in cantico ſuo Dominum *locutum* Luc.1.70.

eſſe per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius. Itaque Prophetæ illud crebrò vſurpare conſueuerant, *Hæc dicit Dominus*, & illud, *Verbum Domini, verbum Domini.* Sunt enim ſacri Scriptores animalia illa Ezechielis, quæ *vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent.* Ita enim à ſpiritu porrò agebantur, vt non retrocederent per dolum, aut mendacium; *Non enim*, inquit D. Petrus, *voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quare S. Gregorius in præfatione ſuæ moralis expoſitionis in Iob, docet ipſum Iob ſua geſta ita ſcripſiſſe, vt quaſi de alio quopiam narret, vt cum dicit; *Vir erat in terra Hus, nomine Iob*, cuius rei hanc affert rationem. Scriptores, inquit, ſacri eloquij, qui repleti Spiritu ſancto ſuper ſe trahuntur, quaſi extra ſemetipſos fiunt, & ſic Dei ſententias, quaſi de aliis proferunt, &c. Sed quamuis nullo diuino Spiritu afflati fuiſſent ſacrorum bibliorum auctores, tanta tamen plerique eorum prudentiæ ciuilis laude floruerunt, támque diligẽter, & aſſiduè in Reipublicæ tractatione verſati ſunt, vt meritò eorum authoritas ethnicorum ſcriptorum, qui politica præcepta collegerunt, aut profanas ſcripſerunt hiſtorias, præferenda ſit. Et ne de ſingulis dicendo longum faciam, pauca quædam attigiſſe contentus ero ex libro Eccleſiaſtici, in quo cum multorum egregiorum virorum, qui de Republica Iſraëlitarum bene meruerunt, continentur encomia; tum ſcriptorum etiam aliquot biblicorum laudes recenſentur, ex quibus etiam ea prætermittam, quæ de eorum probitate dicuntur, eáque tantum breuiter perſtringam, in quibus à ciuili hac

Ezec. 1. 12.

2. Pet. 1. 21.

Iob 1. 1.

Digitized by Google

hac facultate de qua nunc agimus commendantur. Ac primò quidem laudantur vniuerſim, deinde eæ laudes attinguntur,quę cuiuſque proprię ſunt. *Laudemus*, inquit, *viros glorioſos,& parentes noſtros in generatione ſua, dominantes in poteſtatibus ſuis*, vel vt in Græco eſt, *in regnis*. Recenſentur enim reges aliqui, vt Dauid,& Salomon; aliqui etiam, qui licet reges non fuerint, ad regnorum tamen ſederunt gubernacula, iudices, & principes populi,vt Moſes, & Ioſue. Pergit,*magni virtute & prudentia ſua præditi, & imperantes in præſenti populo:* Græcus textus habet, *Rectores populi in conſilijs,& in intellectu literaturæ populi:* ea nimirum ſcientes,quæ doctrina populi regendi requirit,ad eos ſcilicet in officio continendos,prudentérque gubernandos. *Homines diuites in virtute,pacificantes in domibus ſuis*. Græcè eſt εἰρηνεύοντες, *Pacifici viuentes*, quod magnum prudentiæ ciuilis indicium eſt,cum non ſit procliue contraria ſubditorum ſtudia ita temperare,aut finitimorum libidinibus reſiſtere, vt nihil domi turbetur, aut foris. Nec verò cum dicitur illos pacificè vixiſſe in domibus ſuis, de ea pace ſermo eſt,quæ cum domeſticis agitur,& vernaculis, ſed vt indicat Græcus contextus, de ea quæ cum externis,& allophylis, quibus cum frequens concertatio eſt, magnáque iurgiorum ſeges. Nam τὸ *in domibus ſuis*, Græcè eſt ἐν παροικίαις αὐτῶν, id eſt, *cum accolis, & finitimis*. Deſcendit mox Eccleſiaſticus ad eas commendationes quæ vniuſcuiuſque ſunt propriæ, auſpicatus à Moyſe,cuius opus eſt Pentateuchus, cúmque appellat *dilectum Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione ſit, quem Dominus ſimilem fecerit ſanctis in gloria,& magnificauerit in timore inimicorum,*

Eccli. 44. 1.

Eccli. 45. 1.

micorum, qui nimirum virtutis illius, & ſapientiæ exiſtimatione, & miraculorum diuinitus patratorum eximia opinione concepta, illum formidabant. Hunc autem *glorificauit Dominus in conſpectu regum*, non tantùm quia *in verbis ſuis monſtra placauit*, quæ ad frangendam Pharaonis contumaciam, Dominus ſerui ſui miniſterio ediderat, ſed etiam quia, vt paulò poſt ſubditur, Dominus *dedit illi coram præcepta*, illum familiariter alloquendo, ita vt ex eo congreſſu admirabilem à Domino infuſam ſcientiam conſequeretur, *& legem vitæ, & diſciplinæ*, non vt ſibi tantum bonus eſſet, ſed vt alios etiam, quippe dux & princeps, gubernaret imperiis, & doctrina cælitus hauſta, ſubditur enim, *Docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael.* Moyſi planè geminum Ioſue filium Naue, cuius eſt liber nominis eiuſdem, facit Eccleſiaſticus, ſiue bellicam ſpectes fortitudinem, ſiue prudentiam, ſapienſque conſilium in tractãda Republica, nimirum ad quem illius ſpiritus, hæreditario quodammodo iure transferat.

Eccli.46. 1. Itaque illum appellat *fortem in bello, ſucceſſorẽ Moyſi in prophetis*, vel vt eſt in Græco textu, *In prophetijs*, qui prudentia ſua, & auctoritate ſciuerit *prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ*, cum ſcilicet populus exploratorum ſermone deterritus, in ſeditionem concitatus, reditum in Ægyptum meditatus eſt. Porro de Samuel à quo liber Iudicum, & Ruth, & magna etiam ex parte libri Regum conſcripti ſunt, ita loquitur Eccleſiaſticus.

Eccleſ.46. 16. *Dilectus à Domino Deo ſuo Samuel propheta Domini, renouauit imperium & vnxit principes in*

Ibid.n.22. *gente ſua.* Et paulò poſt. *Et ante tempus finis vitæ ſuæ, & ſæculi, teſtimonium præbuit in conſpectu Domini,*

mini, & Chriſti, pecunias, & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſauit illum homo. Ex quibus verbis apparet Samuelem præſtantiſſimum fuiſſe populi iudicem, ſiue integritatem morum incorruptam ſpectes, ſiue dexteritatem in iudiciis abſque vllius offenſione exercendis; cum nemo repertus ſit in tanta hominum multitudine, qui Samueli iniquitatis vllius crimen tot annis auſus eſſet impingere. Præclarum ſanè à populo teſtimonium quale vix vllus reportet princeps, etiam vitæ integritate conſpicuus. Quam enim difficile eſt placere omnibus, pręſertim cum iudicio diſceptandæ ſunt lites, controuerſiæque dirimendæ, in quibus facilius quiſque ius ſuum quàm alterius agnoſcit, potiúſque eſſe ſibi, perſuadere ſolet! Nec ſanè minor laus illa eſt, quæ ab Eccleſiaſtico Samueli tribuitur, cum ait: *Renouauit imperium & vnxit principes in gente ſua.* Ipſe enim populo importunis precibus mutationem imperij flagitante, aliam politiæ formam ita induxit vt nullus, quod in huiuſmodi mutationibus fieri amat, exiſteret tumultus, aut turbulenta ſeditio; ſed inunctum regem regni gubernaculis admoueret, populúſque ſumma animorum conſenſione eum reciperet, eíque debitum obedientiæ præſtaret obſequium. Poſt Samuelem laudatur ab Eccleſiaſtico Nathan propheta, quem aliqui opinantur Dauidis res geſtas in Regum hiſtoria perſecutum eſſe, illúmque à prophetia tantum commendat quemadmodum Dauidem à bellica fortitudine, cum tamen ex libris Regum conſtet, vtrumque prudentiſſimum fuiſſe, Nathánque in regia crebrò verſatum, & ad interiora conſilia regni admiſſum, floruiſſe excellẽtis opinione pruden

prudentiæ. Sequitur Salomon,cuius monumenta ſunt Prouerbia,Eccleſiaſtes,Sapientia, Canticum canticorum. Huius tale eſt elogium apud

Eccleſ.47. 14. Eccleſiaſticum. *Poſt ipſum ſucceſſit filius ſenſatus, & propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum.*

Ibid.n.16. & paulò poſt. *Et impletus es quaſi flumen ſapientia, & terram retexit anima tua, & repleſti in comparationibus anigmata:ad inſulas longè diuulgatum eſt nomen tuum,& dilectus es in pace tua. In cantilenis, & prouerbijs, & comparationibus, & interpretationibus miratæ ſunt terræ, & in nomine Domini Dei, cui eſt cognomen Deus Iſrael.* Sed Salomonis ſapientia illuſtrior eſt apud omnes, ac celebrior, quàm vt commendationem cuiuſquam oratione, vel ſcriptis nanciſci poſſit. Pergit porrò Eccleſiaſticus in laudandis viris illuſtribus gentis ſuæ, ex quibus ſunt (vt eos prætercam, qui nullum ſuæ ſapientiæ monumentum poſteritati reliquerunt) Ezechiel, Nehemias, duodecímque prophetæ.

Eccleſ.49. 12. De his ita ſcribit. *Et duodecim prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo, nam corroborauerunt Iacob*, ſuis quippe admonitionibus & increpationibus iniquorum regum vitio labantem Rempubl. fulſerunt. De Nehemia verò cuius ſtudio,prudentia, & fortitudine recreata eſt Iudæorum Reſpublica multis diuturníſque malis priùs afflictata, ita loquitur. *Et Nehemias in memoria multi temporis,qui erexit nobis muros euerſos, ſtare fecit portas, & ſeras, qui erexit domos noſtras.* Sed de te ipſo Ieſu fili Sirach, qui tam præclarum Eccleſiaſtici codicem tuæ teſtem ſapientiæ nobis reliquiſti,quid ſentis,

2.Cor.12. 16. aut prædicas? *Si enim gloriari volueris,non eris inſipiens. Doctrinam,*inquit,*ſapientia,& diſciplinæ,ſcripſit in codice iſto Ieſus filius Sirach Hieroſolymita,qui*

reno

Digitized by Google

renouauit ſapientiam de corde ſuo, vel vt in Græco eſt, ἀνώμβρησε σοφίαν, Diffudit inſtar pluuiæ ſapientiam: qui dicendi modus non ſemel occurrit in ſacris Scripturis, vt cum dicitur in libro Iob, *Super illos ſtillabat eloquium meum, expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum*, & in cantico Moſis, *concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina*. Significari autem videtur imbrium metaphorâ copia quædam vbertaſque doctrinæ, quam meritò in ſuis ſcriptis agnoſcit Eccleſiaſticus. Et forte etiam per pluuiam quæ minutulis guttis, ſed crebris campos infundit, terræ gremium grato liquore paulatim molliens, & fœcundans, doctrinæ ſapientum virorum conditio explicatur: quemadmodum enim minutæ guttæ anguſti oris vas ingrediuntur, quod alioqui largius infuſum humorem non admitteret: ita prudentis doctoris præcepta, & aphoriſmata paucis verbis comprehenſa, ita ad captum auditorum accommodantur, vt non modò acutiores, ſed tardiores etiam, & hebetiores, quæ dicuntur aſſequantur. Sed hoc obiter.

Iob. 21. 22.

Deut. 32. 2.

3 Secunda ratio, qua adducor vt credam in ſacris bibliis excellentem latere doctrinam ciuilem, deſumitur ex materia. In hiſtoricis quippe narrationibus crebris, & admirabilibus, quæ toto iſto ſacro volumine continentur, ſanè multa colligi poſſe contendo ciuilis vitæ documenta; nam in libris à Salomone conſcriptis, aut à Ieſu filio Sirach, cuiuſmodi ſunt Prouerbia, Eccleſiaſtes, Sapientia, Eccleſiaſticus, nullus, vt arbitror, inficiabitur multa præcipi ad publicorum munerum

Idem probatur ex materia ſacræ Scripturæ, hiſtoriis nimirum & libris quos illa complectitur.

Digitized by Google

rum adminiſtros politicis monitis imbuendos. Ponat ergo ſibi vnuſquiſque ob oculos quandam quaſi ſynopſim ſcripturarum, eaſque breuiter percurrat, planéque intelliget in tam multis, tamque variis rerum tot ſæculis geſtarum narrationibus, ciuilis doctrinæ præcepta nec pauca, nec obſcura deprehendi poſſe. Spectet itaque poſt naſcentis mundi exordia, corruptoſque hominum mores, & cataclyſmum [a], dura Nembrotis imperia [b], qui ſuis finibus non contentus, ſtudio regni amplificandi, quà iure quà iniuria ſui limites proferebat imperij. Molitionem turris [c] auſu temerario in altum ſublatæ, vnde nata ſermonum linguarumque varietas, homineſque ad varias mundi plagas delati, noua regna fundata, ciuitates extructæ: Ioſephi dein ærumnas, & carcerem [d], & mox diuino fauente numine, fælicitatem, & imperium. Poſtea filiorum Iſrael profectionem in Ægyptum [e], totique regno ſalutarem rei frumentariæ conſtitutionem: Hebræorum in Ægypto calamitates [f]: Moſis cum Pharaone altercationes [g]: terræ plagas: exitum populi de Ægypto [h], totque myriadum in deſertis locis, per tot annorum decadas difficilem cerebroſæ gentis ſub Moyſe gubernationem: populi cenſum [i]: tum exploratores in Chananitidem à Moyſe dimiſſos [l]: Gabaonitarum fraudulentam deceptionem [m]: cum tribu Beniamin reliquarum tribuum ciuile bellum [n], atrox ſanè, & plurimorum cæde funeſtum: tot denique iudicum, poſt extinctum Moyſem ſucceſſiones: populi poſt peccata in religionem, ac Dominum, clades, ac ſeruitutes, à quibus cum primum pænitudine crimen deleuerant, armis, aut aſtu ducum fortiſſimorum

a Geneſ. 6. 1.
b Geneſ. 10. 8.
c Geneſ. 11. 2.
d Geneſ. 30. & ſeq.
e Geneſ. 46. 6.
f Exod. 1. 10.
g Exod. 5. 1. & ſeq.
h Ibid. 12. 37.
i Exod. 12. 37. & alibi.
l Numer. 13. 4.
m Ioſue 9. 3.
n Ibid. 20. 11.

Digitized by Google

morum libertati reſtituti, ad priſtinum ſtatum emergebant. Strategemata Gedeonis [o], & Sampſonis [p], eorumdémque bellicam virtutem, & gloriam: mutationem deinde imperij, nouamque politiæ datam formam, iudicum antiquata, regum noua inducta poteſtate [q]: Dauidis res in bello fortiter, & callidè geſtas [r]: aſtuta conſilia Achitophelis [s]: filiorum Dauidis in parentem excitatas turbas, & creata pericula [t]: Pacificum Salomonis regnum [u], templi ſtructura illuſtre [x], diuitiis ex vltimo oriente aduectis abundans [y], reginæ Sabæ aduentu nobilitatum [z]: florentiſſimum poſtea imperium in duas partes diſciſſum, atque diſtractum, dum prudentiam ſenum, ſeruidum iunioris regis ingenium habet deſpectui [α]: tot deinde regum, partim Iudæ, partim Iſraelis res domi, ac militiæ geſtas: ſomniorum Nabuchodonoſor [β] & monarchiarum Aſſyriorũ, Perſarum, Græcorum, Romanorúmque interpretationem [γ]: Bethuliæ obſidionem [δ], obtruncatum Holophernem, mulieremque infirmam tanti ducis cruore delibutam [ε]: Hieroſolymorum ſub Zorobabele inſtaurationem [ζ]: Mardochæi in Aſſueri aula aduerſus Amani furentẽ inſolentiam, conſtantiam [η], & promeritum in regem, cuius iugulum Eunuchorum mucro petebat [θ]: res deinde à Machabæis geſtas fortiter, ac propemodum ſupra fidem, contra potentiſſimorum principum duces, & copias [ι]. Ex quibus omnibus aliiſque compluribus, quæ toto volumine recenſentur, tanta præceptorum, exemplorumque copia, me quidem iudice, colligi poteſt, vt nulla ſit politicæ facultatis pars, ad quam irrigandam ſcripturarum ſacrarum fontes, ſi quis recludere nouerit,

commo

o Iud. [illegible]. 1.
p Iud. 15. 4.
q 1. Reg. 10. 21.
r 2. Reg. 17. & ſeq.
s 2. Reg. 15. 12.
t 2. Reg. 15. 1.
u 3. Reg. 1. 39.
x 3. Reg. 6. 14.
y 3. Reg. 3. 13.
z 3. Reg. 10. 1.
α 3. Reg. 12. 4.
β Dan. 2. 1.
γ Dan. 2. 38.
δ Iudith 7. 5.
ε Iudith 13. 10.
ζ 1. Eſdr. 3. 8.
η Eſther. 3. 2.
θ Eſther. 6. 2.
ι 1. Machab. & 2. libro.

commodè deriuari non poſſint.

Idem probatur ex forma ſcribendi horũ ſcriptorũ.

4 Tertia ratio ducitur ex forma, modoque ſcribendi, quem ſacri Scriptores ſecuti ſunt: nam nullis animi perturbationibus obſequentes, nihil amicitiæ dantes, aut odio, omnia verè, & vt geſta ſunt, fideliter ſuis libris complexi ſunt, quod ſanè plurimum momenti habet in hiſtoria, vt ciuili doctrinæ vſui eſſe poſſit. Cum enim in ea quid fugiendum, quid amplectenduum ſit, quid ex hoc, illóue conſilio boni conſequi poſſit, aut mali timendum ſit, quaſi in ſpeculo quodam humanarum actionum proponatur; ſi ipſum nutet labetque fundamentum, neceſſe eſt omnia etiam illa corruant, quæ illo nitebantur: vna enim aut altera circunſtantia addita, detracta, immutata, totius facti ſpeciem corrumpit, aliamque inducit faciem, iuxta quam longè diuerſum eſſe debet ciuilis prudentiæ iudicium. At verò profani ſcriptores, quia (vt dicitur in prouerbiis,) *multi colunt perſonam prudentis, & amici ſunt dona tribuentis,* muneribus corrupti à principibus viris plus iuſto gloriæ cupiditate flagrantibus, nihil non auſi ſunt, vt de illis verè dici poſſit, quod de ſcribis ætatis ſuæ queſtus eſt Ieremias: *Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum*, vel vt ex Hebræo vertit Pagninus; *Verè etiam mendacium fecit ſtylus. Fruſtra ſcribæ.* Hoc ſenſu fruſtra eſt ſcribarum officium in Repub. quandoquidẽ qui ſcripturas incorruptas in tabulariis, veterúmque monumentorum memoriam fideliter conſeruare debuiſſent, adeò quod ſui fuiſſet muneris non præſtant, vt eis etiam adſperſis mendaciis vitium afferre non dubitent. Et ſanè de huiuſmodi hominum genere verè dicitur in pſalmo. *Confitebitur*

Prouerb. 19.6.

Ierem. 8. 8.

Pſal 48. 19.

tur tibi cum benefeceris ei, Symmachus eodem ſenſu legit ἐπαινέσουσί σε, *laudabunt te*. Hoc enim eſt adulationis ingenium, quæ facili negotio irrepit in hiſtoriam, vt veritatem exterminet, aut certè non niſi mendaciorum tegmine obuolutam publicum aſpicere patiatur. Volunt enim principes viri, & ornari ſua vehementius, quàm hiſtorici ſentiant, & vitia diſſimulari, ac præteriri, rebuſque geſtis, qualeſcumque tandem ſint, pluſquàm concedat veritas, indulgeri, vno verbo hiſtoriæ leges penitus negligi. Tandem vt demus principes ſolicitos non eſſe quomodo ſcribatur hiſtoria, quotuſquiſque eſt, qui ab amore vel odio vacuus ſit? quibus perturbationibus ſcriptorum ſtyli acuuntur & incitantur ad inſenſorũ famam lacerandam, vt meritò qui talem nactus fuerit inimicum, Dauidicum illud vſurpare poſſit; *Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circundederunt me.* Quare ſi dixero hiſtoricorum aliquos priuatis affectibus ſeruientes mentitos eſſe, nec mihi ſuccenſere, nec expoſtulare iure poſſint. Vnius enim Scripturæ ſacræ propria eſt laus illa quam ſuo tribuit Euangelio S. Ioannes cum ait, *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius:* qui quamuis eſſet *diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus*, vanitatis tamen, aut mendacij, quaſi in amici gratiam aliquid non veræ laudis affinxerit, nulla ratione reprehendi poteſt.

Pſal.108. 3.

Io.21.24.

Io.21.20.

5 Quarta ratio, quã paucis ſupra attigi, ex fine ſacræ Scripturæ petenda eſt, vocatur enim hæc à Patribus nonnumquam *Inſtrumentum*: huius autem vocis duplex ex notio, & vtraque in ſcripturas optimè quadrat, & ad rem noſtram facit. Nam inſtru

Idem probatur ex fine ſacræ Scripturæ.

inſtrumentum apud latinos id ſignificat quod σκεῦος, aut ὄργανον apud Græcos, qua ſignificatione calamus graphiarius inſtrumẽtum ſcriptoris eſt, trulla cæmentarij. Hac verò ſignificatione ſcriptura dici poteſt inſtrumentum, quia licet Deus nullis opus habeat inſtrumentis ad ſalutem noſtram procurandam, quæ tamen illius eſt in prouidendo ſuauitas, vt ſe ſe captui noſtro accõmodet, libros hoſce ſacros adhibere voluit, quibus tanquam inſtrumentis nos dirigeret in eum finem, quem nobis ipſe conſtituit. Altera ſignificatio eſt, vt vox iſta, *Inſtrumentum*, preſſiùs accipiatur,& iis rebus accommodetur, quibus aliqua ratione inſtruimur : ex quo fit,vt quia Scripturæ ſacræ nos inſtruunt, normam tradendo de Deo, & Chriſto domino rectè ſentiendi, rationémque præſcribendo piè ſanctéque viuendi, inſtrumenti nomen meritò ſortiantur. Quare D.Paulus diſcipulum ſuum Timotheum ad ſacrarum litterarum ſtudium ſedulò capeſſendum cohortatur,
2.Tim.3. 15. *Quæ te*, inquit, *poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*, ac rurſus, *vt perfectus ſit*
Ibid.n.16. *homo Dei,ad omne opus bonum inſtructus*. Quod verò præcipit Paulus Timotheo, hoc Dauid habe-
Pſal.118. 27. bat in votis cum orabat Dominum, *Viam iuſtificationum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis*. Notãdum autem eſt in Græco D.Pauli contextu cum dicitur;*quæ te poſſunt inſtruere*, haberi σοφίσαι, *ſapientem reddere*, quod nimirum nullum ſit ſapientiæ genus, quod à diuina ſcriptura lumen
2.Petr.1. 19. non accipiat. *Habemus*, ait D. Petrus *firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis, attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat*: dum enim caligine huius mortalitatis in-
uolui

uoluimur, Ægyptiorum more palpamus in tenebris, nec quò greſſum debeamus intendere ſatis intelligimus, ſi lucernæ huius, vt illam Dauid appellat, ſplendore deſtituamur. *Lucerna*, inquit, *pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. & alibi. *Præceptum domini lucidum illuminans oculos*; à qua parentis metaphora filius Salomon non diſcedit, cum ait, *Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ*. Cui ergo hæc lampas fulſerit, perfectus erit homo Dei. Græcè ἄρτιος, ita numeris omnibus abſolutus, vt nihil eorum deſit, quibus opus habere poſſit. Is enim à Græcis ἄρτιος dicitur, qui omnibus ſuis partibus ita conſtat, vt nihil deſideretur aut redundet. Cum ergo homini inter alios verſanti, nec ſe à ciuium cætibus ſubducenti multa incidant tempora, ac negotia ambiguitatibus implicata, & perplexa, ſi perfectus futurus eſt in ciuilibus ſuis functionibus, normam habeat neceſſe eſt ac regulam in ſacrarum litterarum cuſam officinis, qua dicta ſua metiatur, & facta, ne à rationis rectitudine ad vitij deflectat prauitatem. Hinc Dominus Ioſue populi ducem futurum inſtituens (quamuis ſeruum ſuum dignaretur alloquio, & per ſe ipſum pleraque doceret) libros Moſis vt ſemper præ oculis haberet imperauit, vt ad eorum præſcriptum, quaſi materiatæ cuiuſdam regulæ vſu, ſuas omnes ciuiles actiones diligenter exigeret. *Non recedat*, inquit, *volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt cuſtodias, & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo, tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Nec aliam inſtituit viam ſanctus Dauid belli artibus clariſſimus, & pacis, cuius illa ſunt verba, *Nam & teſtimonia*

Pſal 118. 104.
Pſal. 18. 9.
Prouerb. 6. 23.
Ioſue 1. 8.
Pſal. 118. 24.

monia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ. Immò non veretur honeſtiſſima quadam iactantia, & quæ in Domini laudem redundaret, de ſe ipſo prædicare,

Pſal.118. 98.

Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo; & ſuper omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt, ſuper ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui.

Cur tam pauci in ſcripturis quærãt politica præcepta.

6 Sed quid cauſæ eſſe dicemus cur tám multi imitentur filios Agar, *qui exquirunt prudentiam quæ de terra eſt, fabulatores, & exquiſitores prudentiæ, & intelligentiæ, vias autem ſapientiæ non intelligunt?*

Baruch 3. 23.

An quia deprauatis, corruptiſque ſunt moribus, qui autem admittendi ſunt ad iſta oraculorum adyta integri ſint vita, probatiſque moribus neceſſe eſt, dicente Salomone,

Sap.1.4.

In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis; & Eccleſiaſtico,

Eccleſ.1. 33.

Fili concupiſcens ſapientiam conſerua iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi, quare Chriſtus Dominus amicis ſuis Apoſtolis multa retexit arcana, & recõdita euoluit myſteria, quæ ſapientes in oculis ſuis, & multum in lectione ſcripturarum volutatos Phariſæos, Scribaſque latebant.

Io.15.15.

Vos autem, inquit, *dixi amicos quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis?* An quia à Domino eximium hoc ſapientiæ donum, ea qua par eſt animi demiſſione poſtulare dedignantur, naturalibus ingenij, & iudicij ſui viribus fidentes, cum tamen dicat D. Iacobus,

Iacob.1.5.

Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei; & Salomon,

Prouerb. 11.2.

Vbi eſt humilitas, ibi & ſapientia? An quia nonnulli politicorum infælicis huius ſæculi in fide nutant, religionémque

Digitized by Google

némque ad ſuas dumtaxat ſpes, quibus velificantur, accommodant, cum tamen dicat Iſaias iuxta Septuaginta interpretationem: *Niſi credideritis, non intelligetis?* An quia non ſolidam, verámque prudentiam, ſed potius aſtutiam quandam ſibi comparare nituntur, qua poſſint ambulantes ſimpliciter, dolis ſuis, & fraudibus innectere, & *in negotio circumuenire fratrem?* Eos verò qui iuſtitiam colunt, & religionem, ipſi ludibrio habent, *Conſilium inopis confundentes*, hoc eſt irridentes, *quoniam Dominus ſpes eius eſt*, vt quodam loco canit Pſaltes: *Spiritus autem ſanctus diſciplinæ*, vt docet Sapiens, *effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.* Iſa.7.9. 1.Theſſal. 4 6. Pſal.13.6. Sap.1.5.

7 Quæcumque autem cauſa ſit, propter quam diuinam hanc lucem auerſantur, & fontis huius aquas haurire detrectant, illos ſinamus, qui culpa ſua *Lumini rebelles* eſſe voluerunt, quibúſque nulla alia fulget lampas, quàm peccatum: nam *Lucerna impiorum peccatum.* Nos cum S. Iob melius ſentiamus, qui pro comperto habuit huiuſmodi homines vehementer errare, & lumen illud quod ipſi tantopere adamarunt, ad certiſſimam perniciem tandem ducere. *Nonne*, inquit, *lux impij extinguetur, neque ſplendebit flamma ignis eius? Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper ipſum eſt*, (conſilium ſcilicet, & prudentia) *extinguetur?* Omittamus illorum puteos erroris, & iurgij, quos deteſtatur D. Ioannes; *Altitudines Sathanæ*, ſiue vt eſt in Græco, *Profunditates*: turpe enim eſt *quærere à pythonibus, & diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis, Numquid non populus à Deo ſuo requiret?* An non turpe eſt reſponſa dubitationum quæ incidunt expectare *pro viuis à mortuis?* Ne,

Adhortatio ad hãc doctrinam ex ſcripturis petendam. Iob 24.13. Prou.21.4. Iob 18.5. Apoc.2.24. Iſa.8.19.20.

 obſe

Digitized by Google

Ibidem. obſecro, tantum dedecus ſuſcipiamus, *Ad legem magis, ad teſtimonium accedamus*, & ad veræ genuinæque prudentiæ ſcaturigines iter intendamus, cum re vera ſit *Torrens redundans fons ſapientiæ*. Imitemur Sanctum Moyſem, eiúſque virga, quæ eſt crux Chriſti, aquas de ſilice eliciamus, ne quadret in nos Prophetæ illa conqueſtio. *Quid eſt Iſraël, quod in terra inimicorum es, inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum deſcendentibus in infernum? Dereliquiſti fontem ſapientiæ. Nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſempiterna. Diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus, vbi ſit lumen oculorum & pax.* Ad aures, & ad mentem parænetica Salomonis verba admittamus, qui in prouerbiis ita compellat vnumquemque noſtrum. *Si quæſieris eam* (ſapientiam) *quaſi pecuniam, & quaſi theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies, quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia, & ſcientia, cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter, ſeruans ſemitas iuſtitiæ, & vias Sanctorum cuſtodiens. Tunc intelliges iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem ſemitam bonam. Si intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris à via mala, & ab homine qui peruerſa loquitur: qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis, quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* Hactenus Salomon, qui tamen tam acri adhortatione non contentus, poſt aliquot prouerbiorum ſuorum capita, illuſtri proſopopæia, Sipario reducto ſapientiam

Prou. 18. 4.

Baruch 3. 10.

Prou. 2. 3.

ipſam

ipſam producit in hæc verba loquentem. *Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam, mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Hęc Sapientia. Cum verò iam multa præcepta bene viuendi, & rectè Rempubl. adminiſtrandi Sapiẽs tradidiſſet, *Ecce,* inquit, *deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus & in ſcientia,* quæ verba ſic verti poſſunt ex Hebræo, vt Rabinis quibuſdam placet, quos Ianſenius & Vatablus probant, *Ecce deſcripſi tibi verba Principalia, aut Ducalia,* ea ſcilicet de quibus dixerat cap. 8. *Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum.* τὸ *De rebus magnis* Chaldæus vertit *Principe digna*, Symmachus ἡγεμονικὰ, *Ducalia*, ſeu *Principalia.* Quare cum Eccleſiaſtico concludamus. *Beatus qui in iſtis verſatur bonis, qui ponit illa in corde ſuo ſapiens erit. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit, quia lux Dei veſtigium eius eſt.* Græcè, ὅτι φῶς κυρίου τὸ ἴχνος αὐτοῦ, quia veſtigium, ingreſſus, actiones illius, qui iſta frequenter meditabitur, diuina luce dirigentur.

Prouer. 8. 14.

Prou. 22. 20.

Prou. 8. 6.

Eccleſ. c. 50. num. vltimo.

De Imperij neceſſitate, & Anarchiæ malis.

CAPVT II.

Nullam Rempublicam gubernatione deſtitutam ſaluã eſſe poſſe.

1 NVlla hominum ſocietas (vt communis eſt hominum ſenſus, ipſaque docet experientia)

Prou.11. 14. rientia) diu ſtare poteſt, rectoribus deſtituta. *Vbi non eſt gubernator*, inquit Sapiens, *populus corruet*, addunt Septuaginta, *velut folia.* Quod nos in vulgata editione habemus *Gubernator*, in Hebræo eſt תחבלות, quæ vox à radice חבל deducitur, quatenus ſignificat nauim gubernare, quamuis deinde recepta linguæ ſanctæ metaphora, transferatur ad quamcumque aliam gubernationem, in qua conſilio, induſtria, experientia opus ſit. Quare ſi vis Hebraicæ vocis expendatur, hic nobis ſenſus à Sapiente exhibetur. Quemadmodum nauim Gubernatore vacantem, medióque iactatam mari ſaluam eſſe impoſſibile eſt; nihilque procliuius quàm eam ad ſcopulum aliquem alliſam naufragium facere, aut ſyrtibus adhæreſcere, aut aquarum vorticibus hauſtam funditus interire; ita Reſpublica ſapienti moderatore carens, incolumis diu perſeuerare non poteſt. Porrò Rempublicam nauis inſtar ſe habere præclarè tractata allegoria oſtendit Ezechiel, cum ciuitatem Tyrum ſic alloquitur.

Ezech. 27.3. *O Tyre, tu dixiſti: Perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita. Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum: abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris, cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum: quercus de Baſan dolauerunt in remos tuos, & tranſtra tua fecerunt ſibi ex ebore Indico, & prætoriola de inſulis Italiæ. Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, vt poneretur in malo hyacinthus, & purpura de inſulis Eliſa facta ſunt operimentum tuum. Habitatores Sidonis, & Aradij remiges tui, ſapientes tui, Tyre, facti ſunt gubernatores tui.* Sed vt ad locum illum Prouerbiorum reuertamur, Septuaginta, vt diximus addunt, *vt folia.* Quemadmodum enim folia

lia ex arboribus facilè defluunt, cum radice vitiata truncus exareſcit, aut cum hyeme ingruente, aut ventis acrius flantibus externa vi decutiuntur; ita reſpublica, quam ſapienti conſilio prudens aliquis gubernator non adminiſtrat, quaſi quodam inteſtino morbo laborans vergit ad interitum; quòd ſi diſcordiarum etiam, & ſeditionum, aut bellicus à finitimis tumultus acceſſerit, reipublicæque ſtatum concuſſerit, iam verò nulla ſalutis ſpes ſupereſſe poteſt, ſed omnia ſurſum, deorſum euerſa præſentiſſimam politiæ illi perniciem afferant neceſſe eſt.

2 Huius autem rei dum cauſam inquiro, ea potiſſimum occurrit, quod homo animal quoddam ſit ſociale, non ſolùm propenſione quadam naturæ, ſed etiam conditionis ſuæ neceſſitate, adeo vt qui ſolus ſit, mutuáque ſociorum ope, qua in multis indiget deſtitutus, ſibi ſatis eſſe non poſſit. vnde Sapiens, *Melius eſt,* inquit, *duos eſſe ſimul quàm vnum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem ſe. Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuo; vnus quomodo caleſiet? & ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtunt ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Quamuis enim rationis vſum nacti ſint homines, & generales quaſdam in mente notiones conſignatas habeant, ex quibus ſi accedat alterius inſtitutio, facilè quid in quaque re faciendum fugiendúmve ſit intelligant; tamen ſi noſtrum vnuſquiſque ſeorſim in manu conſilij ſui relinquatur, nulliúſque magiſterio erudiatur, & ad humanitatem informetur, præſtanti hoc animante nihil rudius, hebetius, tardius reperiri poſſit. Eſt in ipſis pecudibus ratione

Probatur ex mutua ope qua indigemus.

Eccl. 4. 9.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tione carentibus,& ad paſtum proiectis, vis quæ-
dam admirabilis illis à natura tributa, quô vitam
tueri & propagare poſſint, qua ſibi conuenien-
tia inquirunt, & nocitura declinant, noxias her-
bas à ſalutaribus diſtinguunt, regiones etiam
mutant, longos terrarum tractus emenſæ, ſemi-
náque reponunt, quibus hyeme cum pabulatio
fuerit interclusa, in ſuis caueis conditæ ſecuræ
Prou. 30. veſcantur. *Quatuor*, inquit Salomon, *ſunt minima*
24. *terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formicæ po-*
pulus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi. Lepu-
ſculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum.
Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per
turmas ſuas. Stellio manibus nititur, & moratur in
Ierem. 8. *ædibus regis.* Et Ieremias. *Miluus in cælo cognouit tẽ-*
7. *pus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt*
tempus aduentus ſui. Homines autem quamquam
brutis animantibus, vtpote rationis lumine il-
luſtrati, multis partibus præſtent (verum enim
Eccleſ. 17. eſt quod de homine prædicat Eccleſiaſticus. *Con-*
5. *ſilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis*
excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos. Crea-
uit illis ſcientiam Spiritus, ſenſu impleuit cor illorum, &
mala, & bona oſtendit illis.) Et poſteaquam prima
illa ruditas deterſa eſt, & doctrinæ cultura acceſ-
ſit, alia etiam ſolertiſſima animalia longo præ-
Iob. 35. cedunt interuallo, quare dictum eſt à S. Iob. *Qui*
11. *docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cæli eru-*
dit nos. Vt tamen poſſit lampas hæc in humanæ
mentis arce ſplendeſcere, ſuſcitante, & purgan-
te magiſtra manu vehementer indiget. Deteriore
enim in hoc conditione ſumus quàm belluæ,
quæ, nullo præmonſtrante, ſolo naturæ ductu ad
ea feruntur, quæ illis neceſſaria ſunt, quod nos
aſſequi

Digitized by

aſſequi ſine doctore non poſſumus. Cum igitur humanum genus mutua ope indigeat in multis, quoddam quaſi corpus ex varijs membris ad diuerſa miniſteria deſtinatis, inter ſe coagmentatum, ac quaſi conflatum ex multis ciuibus fiat neceſſe eſt, quod vno regatur capite, vt mutuis officijs, auxilióque, nō ſolùm ſibi priuatim vnuſquiſque conſulat, ſed etiam communitati vniuerſæ commodare poſſit. Quemadmodum autem in humano corpore membris diuulſis, aut diſtractis, aut alio ordine quàm naturæ auctor Deus diſpoſuerit collocatis, non incommoda tantum plurima creari, ſed totam etiam præſtantiſſimi animalis fabricam euerti neceſſe eſt: ita in republica ſi illius partes diſcordent, ſi nullius magiſtratus imperio contineatur, ſi publica munera, & honeſtas functiones ambiat vnuſquiſque, manus verò aut pedis officia refugiat, & recuſet, quid aliud expectari poteſt; quam vt diſſoluta ordinis compage tota communitas diſſipetur, & pereat? Præclaram hanc humanorum membrorum ſimilitudinem vrget S. Paulus ad Corinthios ſcribens, cum enim dixiſſet, *Diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*, ſubdit poſt nonnulla. *Nam & corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. Si dixerit pes, quoniam non ſum manus, non ſum de corpore; & ſi dixerit auris, quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: non ideo non eſt de corpore? ſi totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit, quod ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Non poteſt autem oculus di-* 1. Cor. 12.5.

Digitized by Google

cere manus: Opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus; Non eſtis mihi neceſſarij. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circundamus; & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. Honeſta autem noſtra nullius egent, ſed Deus temperauit corpus, ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed id ipſum pro inuicē ſolicita ſint membra, & ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, ſiue glorîatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Hanc verò humani corporis ſimilitudinem video D. Paulo vehementer placuiſſe, nam & illam fuſiùs explicauit, & alibi eandem vſurpauit,

Rom. 12. 4. vt quum ad Romanos ſcribit. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Christo, ſinguli autem alter alterius membra.* Et ad

Epheſ. 4. 2. Epheſios. *Cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, ſolicit i ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.* Sic enim fiet, vt totius multitudinis in

Act. 4. 32. vnam voluntatem cōſpirantis *cor vnum ſit & ani-*

Coloſ. 3. 14. *ma vna. Hocque perfectionis vinculo,* quod in mutua charitate, mutuiſque officiis conſiſtit, conſtricti,

Pſal. 132. 1. ciues experimento diſcant, non ſolum *quàm iucundum ſit habitare fratres in vnum*, ſed etiam *quam bonum*, ac ſalutare. Sanè bonum, ac ſalutare, nam

Prou. 18. 19. vt monet Salomon: *Frater qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma.* Nam verè dicere poſſumus, tūc demum rempublicam hoſtium iniuriis opportuniorem eſſe, propiúſque ab interitu abeſſe,

cum

Digitized by Google

cum inter eius membra diſſidium aliquod exoritur, & in diuerſa ſtudia præclari huius corporis membra diſtracta ſcinduntur. *Diuiſum eſt cor eorum*, inquit propheta, *nunc interibunt*. Nec alius ſancti Pauli ſenſus cum Galatas diſcordes caſtigans ait, *Quod ſi inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini*. Ideóque Romanorum reſpubl. tamdiu ſtetit, quamdiu verè de iis prædicari potuit, *Non eſt inuidia, neque Zelus inter eos*. Hæc autem omnia quæ enumerauimus incommoda per Anarchiam importantur in rempub. principe, & quaſi quodam capite carentem, cuius beneficio totum corpus bene *compactum* ſit, & connexum, vt alicubi loquitur D.Paulus. Sed alibi fortaſſe latior ſe aperiet campus de mutuis ciuium diſſidiis atque diſcordiis diſputandi.

Oſee 10.2.

Galat. 5. 15.

1. Mach. 8.16.

Epheſ 4. 15.

3 Secunda ratio, qua idem confirmetur, ex Angelorum republica peti poteſt. Sunt enim Angeli ita in ſuos ordines, & hierarchias tributi, vt alij ſuperiores ſint, inferiores alij, aſſiſtant alij, alij miniſtrent, rurſus alij doceant, perficiant, & illuminent, alij verò illuminentur, doceantur, perficiantur. Colliguntur iſta ex ſacris litteris, nam D.Paulus ad Epheſios ſcribens ait, *Conſtituit* (Chriſtum) *ad dexteram ſuam in cæleſtibus, ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen*. Et ad Coloſſ. *Quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*. Quibus verbis D. Paulus docet Chriſtum Dominum antecellere dignitate, non ſolùm inferiorum ordinum Angelos, ſed etiam

Idem probatur ex Angelorũ politia.

Epheſ. 1. 20.

Coloſſ. 1. 16.

Digitized by Google

ſuperiorum, eoſque omnes, cuiuſcumque tandem ſint ordinis, aut hierarchiæ, ab eodem creatos eſſe. Hoc ergo, de quo agimus, diſcrimen ordinum, & hierarchiarum, agnoſcit & docet Apoſtolus. Rurſus, Angelorum Aſſiſtentes aliqui ſolent appellari, aliqui Miniſtrantes, quæ diſtinctio ex Danielis colligitur prophetia. *Millia millium,* inquit, *miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Quare meritò propter hunc ordinem, & ſuperiorum inferiorúmque diſcrimen, officiorúmque quà aſſiſtendi, quà miniſtrandi, varietatem, Angelos appellat ſcriptura *Militiam cæli,* quod etiam nomen propter eandem ordinis rationem ſtellis tribuitur. De his ſermo eſt in libris Regum cum dicitur. *Et adorauerunt vniuerſam militiam cæli:* & in Deuter. *Seruiant Diis alienis, & adorent eos, ſolem, & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi.* Angeli verò militia cœli dicuntur etiam ab Iſaia, cum ait, *Educit in eo numero militiam eorum.* & à Iob. *Numquid,* inquit, *eſt numerus militum eius?* Eſt autem hæc Angelorum militia ſui ducis, & Archiſtrategi, Dei ſcilicet omnipotentis, qui Deus eſt exercituum, & à quo gubernantur, planè ſubiecta. Hinc legimus in Pſalmis. *Omnes Angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius,* & alibi, *Circundabo domum meam ex his qui militant mihi euntes, & reuertentes.* Optimè enim quadrat in cæleſtes hoſce milites id quod de ſuis prædicabat Centurio ille Euangelicus. *Habeo ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alij, veni, & venit.* Nec verò ſummo duntaxat Principi Deo cæleſtes iſti ſpiritus obtemperare didicerunt, ſed aliis etiam Angelis ſuperioribus ſubſunt, & obediunt.

Dan. 7. 10. — 4. Reg. 17. 16. — Deut. 17. 3. — Iſa. 40. 26. — Iob. 25. 3. — Pſal. 102. 20. — Zachar. 9. 8. — Matth. 8. 9.

diunt. *Et audiui*, inquit Daniel, *vocem viri inter Vlai* (eſt hoc nomen portæ) *& clamauit, & ait Gabriel; fac intelligere iſtum viſionem, & venit, & ſtetit iuxta vbi ego ſtabam. Cúmque veniſſet, pauens corrui in faciem meam, & ait ad me. Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur viſio* Quis ille fuerit qui imperauit, cuius vocem ſe audiuiſſe teſtatur Daniel, non exprimitur à propheta. Videtur vnus fuiſſe de ſanctis, id eſt, Angelis: dicitur enim eodem capite. *Et audiui vnũ de ſanctis loquentem, & dixit vnus ſanctus alteri neſcio cui.* Putant tamen Hebræi teſte D. Hieronymo, imperantem fuiſſe Michaelem, ſed nullam ſuo more dicti ſui afferunt rationem, ſed ne coniecturam quidem. Illud nobis ſatis eſt, colligi hinc commodè poſſe, diſparem eſſe Angelorum auctoritatem, & potentiam; alióſque aliis imperare: quæ graduum, poteſtatis, imperiique diuerſitas rempubl. Angelorum conſtituit, & conſeruat. Dan. 8. 16. Ibid. n. 13.

4 Tertia ratio peti poteſt ex iis ipſis cœtibus, quos non honeſtatis alicuius ſtudium, ſed potius aliis nocendi cupiditas, & libido conciliauit, cuiuſmodi eſſe videmus latronum manus, qui ſuis ducibus, & legibus, & aſſimilata quadam ad iuſtas rerum publicarum formas imperandi, & parendi ratione reguntur, ſi quando ad patranda facinora coierunt. Cum Iephte paternis laribus eiecto, *Congregati ſunt viri inopes & latrocinantes, illumque quaſi principem ſequebantur.* Rectè dicitur, *quaſi principem*, neque enim legitimus princeps is eſſe poterat, qui ad principatum non legis adminiculo aſpirauerat, ſed prauorum hominum conſpiratione, & voluntate munus illud adeptus fuerat. Similem principatum in diſſimili cauſa (niſi etiam

Idem probatur quod ne ſceleſtorum quidẽ hominum cœtus gubernatore carere poſſint.

Iud. 11. 2.

etiam Iephte cum doctis quibuſdam recentioribus culpa eximere placeat) nactus eſt Dauid, cùm Saulis inuidiam, impotentémque furorem cautè declinaret. Nam *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amarô animô, & factus eſt eorum Princeps, fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri.* Prudenter vt in illa fortuna: quid enim illis factum fuiſſet ſi temerè, & ſine duce palantes in campis, aut montibus vagati fuiſſent? id ſanè contigiſſet, quod votis omnibus optabat Saul, vt nimirum in eos caſſes, quos tandiu, tam multis locis intenderat, aliquando impingeret.

1. Reg. 22. 2.

Idem probatur, quod etiã in ſeditionibus quæ alioqui turbulẽtiſſima ſunt, caput quæratur.

5 Quarta ratio ex ipſiſmet ſeditionibus deſumi poteſt, quæ in ciuitatibus & rebuſpublicis exiſtunt aliquando. Eſt ſanè vulgus imperitum ſeditione aliqua concitatum, inſanum, vecors, & à prudentibus conſiliis planè remotum: quod ſi alibi certè in ſeditione illa Epheſi exorta, Demetrio Argentario cõtra D. Paulum populum concitante, planiſſimè apparuit, nam vt dicitur in Apoſtolorum actis; *Impleta eſt ciuitas confuſione, & alij aliud clamabant, erat enim Eccleſia confuſa, & plures neſciebant, qua ex cauſa conueniſſent, & vox facta vna eſt omnium, quaſi per horas duas clamantium, Magna Diana Epheſiorum.* Inſigne proculdubio ſuperſtitionis, & popularis inſaniæ, furoriſque argumentum. Non tamen ille furor, quo quaſi arbitro hi ſeditionum fluctus concitantur, adeò perturbati vulgi mentem obcæcat, quin intelligat duce aliquo, & rectore opus eſſe, cuius imperiis in rebus agendis dirigatur. Ardebant Iſraelitæ cupiditate Ægyptum repetendi, deſertæ ſolitudinis ſqualorem, cum deliciis vrbium, quas deſer

Act. 20. 29. & 32. & 34.

deſeruerant, componentes; ea cupiditas exarſerat in ſeditionem, dicebant enim: *Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta ſolitudine. Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi noſtri ducantur captiui. Nonne melius eſt reuerti in Ægyptum?* Cúmque hæc obtineret ſententia, iamque de itinere Ægyptum verſus capeſſendo deliberarent, prima eos ſubit cura de Duce aliquo multitudinis conſtituendo (nam Moſes conſilium præceps, & diuinæ contrarium voluntati damnabat) cuius nutu populus vniuerſus regeretur; *Dixerúntque alter ad alterum: Conſtituamus nobis Ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Nec capite caruit, aut capitibus, ſeditio in Moyſem à Core, Dathan, Abiron, & Hon ſuſcitata, hi enim alios poſt ſe quam plurimos traxerunt, eorum in ſcelere Duces effecti. ſic enim habemus in Numeris: *Ecce autem Core filius Iſaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, ſurrexerunt contra Moyſem, aliique filiorum Iſrael ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempore conſilij per nomina vocabantur.* Si ergo ſeditioſum vulgus cùm ad arma, & ignes, quà illum rapit impetus diſcurrit, ſui furoris duces legit; quis putet ſtatum ſuum tenere poſſe rempubl. rectore aliquo, & moderatore deſtitutam?

Ibid. n. 4.

Num. 16. 1.

6 Quinta ratio. Adeò neceſſarius eſt Gubernator aliquis in Regno, aut in Republica, vt ne ipſum quidem perturbatiſſimum Satanæ regnum ſtare poſſit, ſi in duas inter ſe contrarias factiones diſtractum fuerit, ac diuulſum, dicente Domino; *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & do*

Idem probatur quod ne Satanæ quidem regnum ſine capite eſſe poſſit.

Luc. 11. 17.

& domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? Illud ſcilicet regnum quod Dæmones in eos præſertim exercent, quos vario tentationum genere, quâ technis & aſtu, quâ ſuauium, & obiectantium rerum obiectu, decipiunt, & ineſcant, ſuique quodammodo iuris faciunt. Si ergo regnum hoc ita diuidatur in factiones, vt in vexando hominum genere, & ad vitia & corruptelas trahendo, inter ipſos Dæmonas non conueniat; iam regnum hoc alioqui conſtans, & antiquum, proximum erit ruinæ; non minùs quàm alia regna, quæ ſeditionibus, ac factionibus ciuium euertuntur, & pereunt. Et quamuis fieri poſſit vt vnius Dæmonis imperio, qui naturæ ſuæ viribus aliô potentior ſit, alius Dæmon inuitus & repugnans ex corpore aliquô exturbetur, & de illius poſſeſſione depellatur; ſi tamen ipſa Dæmonum vniuerſitas, & multitudo, aut ipſæ, vt in Euangelio appellantur, legiones, quaſi quodam ciuili bello exardeſcente, ſibi mutuo aduerſentur, & confligant; nimirum vetus illud ſatanæ regnum euerſum cadat neceſſe eſt. Dicat hic aliquis non tantum prauos, ſed etiam ſanctos Angelos inter ſe diſſidere, & alterum alteri reſiſtere ac repugnare, ex quo nimirum confici videatur, ſpiritus iſtos diſcordantibus voluntatibus, inter ſe committi aliquando, ac quaſi quodam ciuili bello Rempubl. illam cæleſtem laborare. Quid enim aliud ſibi vult quod legimus apud Danielem? *Noli metuere Daniel, quia ex die primô, quô poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos. Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti*

Dan. 10. 12.

ginti & vnô diebus,& ecce Michaël vnus de principibus primus venit in adiutorium meum, & ego remanſi ibi iuxta regem Perſarum. Sed huic dubitationi facilè occurremus, ſi dicamus ſanctis Angelis non eſſe adeo cognitam atque perſpectam diuinam voluntatem, vt ſemper intelligant quid fieri velit, ac propterea mirum non eſſe,ſi contrariis interdum ſtudiis boni bonis reſiſtant, ac contraria velint, ac repugnantia. Ita hîc accidit. Nam inter Principem Perſarum & Gabrielem erat diſſenſio an Iudæi ex Perſide liberandi eſſent. Negabat Princeps Perſarum, Angelus ſcilicet Perſidis tutelaris ac patronus, vel quod exiſtimaret eum populum necdum admiſſorum peccatorum pænas luiſſe, vel quod Perſas Iudæorum conſuetudine, qui ſcilicet veri Dei cultores erant, proficere cuperet. Contra Gabriel oſtendebat Iudæos libertati reſtituendos eſſe,ne ſi diutius in Perſide hærerent paulatim in Idololatrarum mores tranſcriberentur. Interim vterque pro gente ſibi commiſſa cauſam agebat, in idem conſpiraturi, cum primùm illis diuinæ voluntatis decretum innotuiſſet. Satis igitur ex dictis patet magnum eſſe malum Anarchiam,omniúmque calamitatum atque ærumnarum, quæ Reipubl. accidere poſſunt, ſeminarium. Hinc Iſaias continentibus malis vaſtatam ciuitatem, & ad hanc de qua loquimur Anarchiam, redactam deflet, illiúſque calamitatem mærens ita deſcribit; *Et erit ſicut populus ſic* Iſa.24.2.
ſacerdos, & ſicut ſeruus ſic Dominus eius, ſicut ancilla, ſic domina eius. & non multò poſt, *Attrita eſt ci-* Ibid.n.10.
uitas vanitatis. Vel vt ex Hæbræo verti poteſt, *Ciuitas inordinationis.* Quod tunc propriè accidit, cum is eſt ciuitatis ſtatus, vt nullus ſit in ea imperantium

perantium,& parentiū ordo, ſed confuſa omnia, & perturbata: tunc enim nihil aliud expectari poteſt, quàm vt ciuitas ad eum ſtatum deueniat, in quo nomen ciuitatis ægrè aut ne ægrè quidem retinere poſſit. Talem fore Ægypti ſtatum alicubi per Iſaiam minitatur Dominus cum ait. *Et*
Iſa. 9. 14. *non erit Ægypto opus, quod faciat caput, & caudam, incuruantem, & refrænantem.* Faciliùs intelligitur, quid ſibi velit propheta cum ait, *Caput, & caudam*, quàm cum ſubiicit, *Incuruantem, & refrænantem.* Chaldæus totam ſententiam disertè refert ad Anarchiam, ita enim locum hunc expreſſit. *Et non erit Ægyptiis Rex qui regnet, nec Princeps, nec Satrapa, nec Præfectus, nec Dominator.* Alij antithesim in his membris agnoſcunt, nam Symmachus & Septuaginta verterunt ἀρχὴν καὶ τέλος, *Principium & finem.* quod commodiùs referri poteſt ad conſilia confuſa, & inexpedita, propter ſtoliditatem, aut diuinitùs immiſſam vertiginem, infatuante Deo deliberationes impiorum; quàm ad dignitatem, ordinémue perſonarum; vt ſenſus ſit, In conſultationibus Ægyptiorum omnia fore impedita, & intricata, vt nec caput illis conſtet nec cauda, nec ingreſſum valeant, aut exitum inuenire. Recentiores verterunt, *Ramum, & Iuncum*, & ſenſus eſſe poteſt, ita Rempubl. Ægyptiorum euertendam, vt propter capitum paucitatem non ſit operæpretium in ea ſubditos, Principéſque diſtinguere, fruſtra enim Principes ſunt vbi ſubditi non ſunt. Pariter enim *Ramus* tolletur, & *Iuncus*, fortis ſcilicet, & imbecillus; cordatus & vanus, ſummus & imus. Hancque eandem ſententiam noſtra exhibet verſio. Incuruans enim is eſt, qui ſe iugo, & legum imperio ſubmittit: Refrænans verò is, qui

Digitized by Google

qui regens poteſtate populos, habenas, prout opus fuerit, aut adducit, aut laxat.

7 Verum ſi tam multa ſunt Anarchiæ mala, Gubernatorque aliquis ita eſt neceſſarius, vt hactenus dictum eſt: Quid eſt quod Moſes quandam apud ſuos Anarchiam agnoſcit, cum ait in Deuteronomio: *Non facietis ibi* (id eſt, in terra promiſſionis) *quæ nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectum videtur?* Quod ſanè tãto duci vitio verti poſſet, ſi diuinæ cuſtos legis, populique vniuerſi gubernator, in conſilij ſui manu populares ſuos reliquiſſet, nec ad diuinarum ſanctionum normam vitam inſtituere coegiſſet. Nec minor culpa illis videtur adhæſiſſe qui ad populi gubernacula ſedebant eo tempore, de quo dicitur in Iudicum hiſtoria. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Reſpondeo exiſtimandum non eſſe in ſolitudine, per quam Moſes populum circumduxit (de eo enim Iſraeliticæ reipubl. ſtatu Deuteronomij verba loquuntur) vixiſſe populum legibus planè ſolutum; ſed tantum ſignificari, loci in quo vitam agebant conditionem, illam attuliſſe neceſſitatem, vt ſacrificiorum feſtorúmque dierum ſacras ceremonias à Domino peculiari lege conſtitutas, aliáſque huiuſmodi obſeruationes, rite, & ad vnguem ſeruare non poſſent, ea fortaſſe de cauſa, quod finitimi populi Iſraelitarum hoſtes infenſiſſimi, ea ſuppeditare recuſarent, quæ in peragendis ſacris vt adhiberentur præſcriptum erat in lege; boues, agnos, arietes, ſimilam, vinum. Quare cùm ritum horum ſacrificiorũ conſtituebat Dominus, quo etiam tempore eſſet vſurpandus, ita explicabat. *Cum ingreſſi fueritis ter-*

An olim apud Hebræos fuerit aliquãdo Anarchia.

Deut. 12. 8.

Iud. 17. 6.

Num. 15. 2. & 18.

ram habitationis veſtræ quam ego dabo vobis. Quod & alibi iiſdem ferè verbis repetitur. Sermo igitur tantum eſt de iis præceptis, quæ iuris naturalis non ſunt, in quæ etiam diſpenſatio cadere poteſt. Nam quod attinet ad naturæ legem, & ea quæ pro loci conditione ſeruari poterant, ita legibus tenebantur, vt etiam qui illas fuiſſent tranſgreſſi, à Moyſe, ipſa etiam morte, ſi id delicti grauitas poſtulaſſet, punirentur. Hoc ſatis patet in eorum cæde, qui idololatriæ labe ſe ſe maculauerant, vitulum conflantes, & dicentes, *Hi ſunt Dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti*; nam Leuitarum miniſterio, Moſis verò voluntate, & imperiô viginti tria hominum millia in ſceleris vindictam cœſa ſunt. Quod verò attinet ad locum ex libro Iudicum deſumptum, difficultatis nodum ſoluemus, ſi dicamus, dictum eſſe non fuiſſe eo tempore Regem in Iſrael, vt adderetur ratio, cur Michæ impunè licuerit excitare ædiculam, ſtatuere idolum, veſtemque ſacerdotalem parare. Cum enim hæc acciderint poſt Iudicis populi mortem, Interregni tempore, mirum videri non debet, ſi nullus repertus eſt ſceleris vindex. Idem iudicium de Benjamitarum hiſtoriâ, vxoreque Leuitæ per vim compreſſa, accidit enim per idem tempus, cum ſcilicet poſt Iudicis mortem præeſſent quidem populo ſeniores, accisâ tamen ſeu poteſtate, ſeu auctoritate, vt potius dirigerent populum ad ea quæ factô opus erant, quàm imperio ac pœnis leges ſancirent, aut quæ in eas peccarentur vindicarent. Quare mirum non fuit, ſi incommoda illa quæ hiſce narrantur hiſtoriis ſubſecuta ſunt. Ex quô adeo colligi non poteſt Anarchiã eſſe aliqua ratione tolerabilem, aut

Exod. 32. 4.

Digitized by Google

aut probabilem, vt potius conſiciatur illam eſſe penitus à Republ. exterminandam, ne ſcilicet ſubditi impunitate propoſita nihil non audeant.

Poteſtatem Rerumpublicarum gubernatricem à Deo eſſe, illíque obtemperandum.

CAPVT III.

1 ANtequam ad Reipublicæ formas deſcendamus, hoc nobis quaſi fundamentum ſtatuendum eſt, Poteſtatem rerumpubl. moderatricem ad homines Deo ipſo auctore manaſſe, qui cum hominum conuentibus aſpectabilis non interſit, Principes, & magiſtratus ſubſtituit, qui eius quodammodo locum tueantur, legibuſque & imperiis ita ciuitates temperent, vt quos mutuorum officiorum neceſſitas, morúmque, & ſtudiorum ſimilitudo coniunxit, eos nec ſceleratorum hominum inſolentia, & procacitas, nec rerum ad vitam bene, fæliciterque tranſigendam neceſſariarum penuria diſtrahat, ac diſſociet. Hoc vt verum eſt, ita facili negotio ex ſacris Scripturis probari poteſt, ſiue veterem illum legis naturæ ſtatum, ſiue legis per Moyſen traditæ, ſiue tandem Euangelij per Chriſtum accepti placeat replicare memoriam. Cum enim homines naturali lumine ducti (vt de naturalis legis ſtatu dicere incipiamus) ipſaque experientia magiſtra edocti ſatis intelligerẽt poteſtatem aliquam reipubl. *Poteſtas gubernatrix in ſtatu naturæ, à Deo fuit.*

præficiendam eſſe, qua publicum bonum procurante, cœtus hominum contineretur in officio, & ſuum cuique ius tribueretur; aut Regium dominatum, aut popularem potentiam, aut aliam aliquam Reipubl. formam induxerunt. Id autem, quia ratio ipſa dictabat vt fieret, naturali illo lumine illuſtrata, quod in cuiuſque mente Dominus accendit, de quo loquitur Dauid cum ait,
Pſal.4.7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, non immerito inſtitutionis huius auctorem facimus Deum, qui nimirum luminis illius auctor eſt. Tales fuere Principes Iob, Abraham, & Melchiſedech, aliique quamplurimi, etiam apud barbaras gentes, & prauis de religione dogmatibus imbutas, nimirum quicumque non ipſi in principatum irruperunt, aut malis artibus ad illum obrepſerunt, ſed legitima populorum electione, aut ſucceſſione ad regnum peruenerunt. Itaque audiendi non ſunt, qui primum in orbe imperium à tyrannis inſtitutum putant, eiuſque authorem Nembrotum faciunt, nam multò ante ipſum & ciuitates fuerunt, in quibus congregati homines politicè viuerent, & Principes quorum imperio
Gen.4.17. regerentur. Nam Cain Adami primogenitus vrbem condidit, eamque Enochiam de filij ſui nomine nuncupauit, non latrocinandi ſtudiô, vt quidam dixerunt, cum probabile non ſit eum qui pauore diuinitùs immiſſô ab omnibus ſibi timebat, alios prædis agendis, & latrociniis exercendis violare voluiſſe; præſertim cum nulla adhuc eſſet illecebra, quæ ad facinus ſolicitaret, nam pretioſa metalla nondum è terræ viſceribus eruta erant, quæ tanto poſt effodit Tubalcaim, nec veſtes pelliceæ illius temporis pretium haberent:

ſed

ſed extruxiſſe credendus eſt vrbem, vel vt ſe tutum præſtaret ab hoſtium incurſibus, vel vt iis commodis frueretur, quorum ij participes ſunt, qui cum aliis communiter in ciuitatibus viuunt.

2 Porrò poſt ſcriptam legem clariùs etiā patuit Dei volūtate principes quoſdā ad populi gubernationem, regiamque ipſam poteſtatem, & maieſtatem vocatos eſſe. De Moyſe nullus dubitare poſſit qui diu detrectatus imperium, & multa cauſatus, præſertim linguæ tardioris impedimentum, admotus tamen eſt, Deo ita volente, ad populi ſui tractanda gubernacula. Idem iudicium de illius ſucceſſoribus vſque ad Reges, quos poſt aliquot annorum centurias Samuel inſtituit, poſtulante populo, Deóque annuente, & ipſas ſortes in Saulis electionem dirigente. Poſt lapſum verò Saulis, conſimili diuini fauore numinis, fæliciore euentu, Dauid electus eſt: poſtremus ille quidem ex filiis Iſai, non ætate, non corporis proceritate commendabilis, quem tamen Samuel inſtinctus numine in Iſraelis regem inunxit, Dominúſque *Spiritus Principalis* vnctione ad Regni munera tractanda, & Domini bella depugnanda confirmauit. Sic igitur ille venit ad regnum, & poſt illum longa ſerie Reges Iuda, ſucceſſionis iure regnum idem tenuerunt, multis plerique eorum ſceleribus inquinati, non inficior, regio tamen diademate, ac diuinitus datæ poteſtate verendi. Quamuis enim *dereliquerint filij Dauid legem Domini, & in iudiciis eius non ambulauerint*, quamuis *iuſtitias eius profanauerint, & mandata illius non cuſtodierint*, *miſericordiam ſuam non diſperſit ab eis*, neque profanare ſuſtinuit pactum, ac teſtamētum, quod cum eorum parente Dauid

Idem fuiſſe in lege ſcripta.

1. Reg. 10. 21.

1. Reg 16. 12.

Pſal. 50. 14.

Pſal. 80. 31.

Digitized by Google

pepigerat, nec irrita facere quæ de labiis ſuis tanto ante proceſſerant. Pluribus exemplis rem per ſe claram confirmare, aut illuſtrare ſuperſedeo. Illud addo, ipſâ loquendi conſuetudine apud Hebræos, Principes, aut Iudices quaſi Deo vicariam operam præſtantes, eodem quo Deus ipſe nomine appellari, nã cum Deus ipſe אֱלֹהִים *Elohim* frequenter dicatur in ſacris litteris, eadem Hebræorum lingua Iudices dignata eſt quod ἀντίθεοι, & Dei ipſius viua ſimulacra ſint. Itaque

Exod. 22. 28. præcipitur in Exodo. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* τὸ, Diis, de Iudicibus accipitur, & eſt in Hebræo contextu vox, *Elohim.* Rurſus in Pſalmis dicitur. *Deus ſtetit in Synagoga*

Pſal. 81. 1. *Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Quamuis enim vbi nos legimus, Deus, ſit in Hebraico textu vox אֱלֹהִים. vbi verò, *Deos*, vox אֵל ita vt non Iudicibus, ſed Deo vox *Elohim* tribuatur, ex Hebræo tamen nihil prohibet quin ita vertamus; *Deorum ſtetit in Synagoga, Deus.* Atque ita *Elohim* Iudicibus tribuetur. Huc etiam facit D. Hieronymi tranſlatio, qui ita locum hunc Latinum fecit. *Deus ſtetit in Synagoga Dei*, & ſenſus eſt idem cum ſententia, quam Septuaginta virorum Græca tranſlatio, & noſtra quæ in Pſalmis illi inhæret, nobis exhibent: nihil enim aliud eſt Dei Synagoga, quàm Iudicum conuentus, qui poteſtate Deum referunt, illiúſque in iudicando

Iacob. 4. 12. locum obtinent: nam D. Iacobo teſte, *Vnus eſt Legiſlator, & Iudex*, cæteri verò iudices ſunt quatenus in eos poteſtas eadem deriuatur, illiúſque participes fiunt.

Idem eſſe in lege Euangelica.

3 Sed poſtquam Chriſtus Dominus qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium in terris viſus,*

cum

Digitized by Google

cum hominibus conuerſatus eſt, Euangelium mundo inferens & nouam legem hominibus promulgās; Apoc.19. 16. adeo Principum, & Regum imperia non abrogauit, vt potius illis parendum docuerit. Argumento eſt, quod cum Phariſæi callidum conſilium ſe inueniſſe putarent, quô Chriſtum Dominum eorum ſectæ participem efficerent, qui cenſum à Romanis imperatum pendendum eſſe negabant, Dominus eorum captiunculas eluſit ſapientiſſimo reſponſô, quô vt Deo quæ Dei, ita Cæſari reddenda pronunciauit quæ Cæſaris eſſent. Math.22. Quamuis poſtea per calumniam crimen negati cenſus illi impingere, Cæſariſque poteſtatis inimicum facere, & hoc nomine in inuidiam vocare conati ſint. Poſt Chriſtum verò Apoſtoli eius doctrinæ alumni idem crebrò & luculenter docuerunt; *Subiecti eſtote*, inquit D. Petrus *omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus, tanquam ab eô miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei.* & paulo poſt, *Regem*, inquit, *honorificate.* Huic planè geminam doctrinam D. Petri Collega Paulus tradidit, cùm ait, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtis poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illâ. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſâ gladium portat. Dei enim miniſter eſt. Vindex in iram ei qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote,* id eſt, quia ita neceſſe eſt, *non ſolum propter iram*, id eſt, non ſolum quia

Baruc. 3. 38.

1. Pet. 2. 13.

num. 17.

Rom. 13. 1.

cõtumaces pœnis coërcere poſſunt, *ſed etiã propter conſcientiã*, ne ſcilicet aliquod incurratis peccatũ, cõſcientiæque veſtræ labem aſpergatis. Ad Titum
Tit.3.1. verò ſcribẽs, *Admone*, inquit, *illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe*, dicto obedire, ad omne opus bonũ paratos eſſe. Nec verò tantùm bonis, ſanctiſque vt pareatur, imperant, ſed malis etiam & moroſis, vt cum D. Petrus ſeruos admonet in
1. Pet.2. 18. hæc verba: *Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Quod quamuis de ſeruorum ſubiectione dictum eſt, ad ciuilem tamẽ gubernationem, & obedientiam proportione quadam nõ incommodè transferri poteſt. Hoc autem Apoſtoli Chriſto ipſô Doctore didicerant, qui à Phariſæorum moribus & vitâ auocandos oculos docuerat; tenendam
Matth.23. 2. verò doctrinam, & implenda præcepta; *Super Cathedram*, inquit, *Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite; ſecundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.*

An Apoſtoli obediendum præceperint principibus qui tyrannicè regna occupauerant.

4 Sed quærat hic aliquis quamobrem Apoſtoli, quorum verba citauimus, principibus illis, qui tunc imperium obtinebant, Romanis ſcilicet, parendum dixerint: Satis enim conſtare videtur ex veterum hiſtoriarum monumentis eos per iniuriam in aliorum ditiones irrupiſſe, belliſque iniuſtis imperium amplius feciſſe. Quam fortè ob cauſam Romanorum Imperium, vt etiam Aſſy-
Dan.7.3. riorum, Medorum, Græcorum Danieli oſtenſum eſt, typô immanium quarundam beſtiarum, quæ cum magnis viribus inſtructæ ſint, non tamen ratione reguntur, ſed impetu cœcô rapiuntur. Reſpondendum cenſeo Apoſtolos de ſubli-

mioribus

Digitized by Google

mioribus poteſtatibus generatim dũtaxat diſputaſſe: An verò hic aut ille principatus iure ac legitimè fundatus eſſet, quærere noluiſſe. Neque enim tunc id agebant, nec vt agerent expediebat: cúmque paſſim Imperia illa iuſtè parta cenſerentur, ſatis hoc illis fuiſſe, vt fideles admonerent, vt dicto audientes eſſent: quanquam iuſta etiam bella à Romanis ſuſcepta fuiſſe plerumque æquum eſt exiſtimare, & ſi non omnes prouincias, certè multas aut pleraſque iure belli in eorum veniſſe poteſtatem credendũ eſt. Adde quòd licet aliquot fortaſſe regna tyrannicè occupauerint, ac proinde nullum in ea ius nanciſci potuerint, tamen temporis decurſu populi volentes & libentes eos admiſerunt, & vt legitimè gubernantes agnouerunt. Atque ita iuſtam dominandi poteſtatem nouo Reipub. conſenſu conſequuti ſunt.

5 Nec verò illorum error admittendus eſt, qui putauerunt principatus legitimi ius in infidelibus idolorum cultoribus, aut quacunque aliâ ratione peccatoribus eſſe non poſſe. Nam ſacræ Scripturæ teſtimonia hunc errorem planè iugulant & conficiunt. Sanè veræ fidei expertes erãt, & verò etiam alijs peccatis obnoxij illi, quibus dicitur in libro Sapientiæ; *A Domino data eſt poteſtas vobis, & cum eſſetis miniſtri Regni illius, non rectè iudicaſtis.* Vt etiam Cyrus de quo dicitur apud Iſaiam, *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro.* Nabuchodonoſor verò multo fortaſſe deterior his omnibus, audit tamen à Daniele; *Tu es Rex Regum, & Deus cæli dedit regnum tibi.* Quod etiam confirmat Hieremias cum ait, *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis.* Quod ſi

An infidelibus, aut peccatoribus Principibus parendum.

Sap. 6. 4.

Iſa. 45. 1.

Dan. 2. 37.

aſperitate morum atque ſæuitiam Reges aliqui populos vexant, duriſque exercent imperijs, diuinô id permiſſu fieri putandum eſt, cui populorum cura cordi eſt, quique Regna malis Principibus aſſerendo illud conſequi conatur, vt ad mentis ſobrietatem, à qua per luxuriam ſecundámque fortunam exciderant, malis erudita reuertantur, aut certè ſi nulla ſuperſit ſanitatis ſpes, pro peccatorum modo puniantur. Quare legi-
Iſa. 10. 5. mus apud Iſaiam; *Aſſur virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei, mandabo illi vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponam illum in conculcationem quaſi lutum platearum, ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ſic exiſtimabit.* Loquitur S. Propheta de Salmanaſar, & Sennacherib Aſſyriorum Regibus, quorum opera quaſi flagello vſus eſt Dominus, ad Iſraëlitas veri numinis deſertores cædendos, & puniendos, quamuis ſuperbiſſimi illi Reges potentiam, opes, reportataſque victorias non Deo acceptas referrent, ſed quaſi propria virtute partas, ſuo conſilio, ac viribus aſcriberent. In quo & ipſi, & qui eorum ſimiles ſunt, elati ac præfidentes egregiè falluntur: nam commune eſt cum Principibus omnibus quod de Cyro apud eundem Iſaiam
Iſa. 45. 1. dictum eſt. *Subyciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo iannas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, vt ſcias quia ego Dominus.* Iſaiæ ve-
Ierem. 27. 6. rò conuenit Ieremias cum ait. *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonozor Regis Babylonis ſerui*

ſerui mei, & beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi, & ſeruiant ei omnes gentes, & filio eius & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius, & ipſius, & ſeruient ei terræ multæ, & Reges magni: gens autem, & regnum quod non ſeruierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & quicumque non curuauerit collum ſuum ſub iugo Regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus omnipotens. Vocat Dominus Nabuchodonoſor ſeruũ ſuum, non quòd deuotæ mentis obſequio ſe diuino numini ſubiectũ agnoſceret, eamque quam debuiſſet exhiberet ſeruitutem; ſed quod illô Dominus, vt miniſtrô aut carnifice ad puniendos noxios vteretur. Quam etiam ob cauſam vt ſeruo, aut carnifici ſuam Dominus mercedẽ conſtituit. vt pulchrè Ezechiel quodam loco. *Fili* Ezech. 29. 18.
hominis, inquit, *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum, omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt* (geſtatione ſcilicet galearum, & geſtatione ponderum, vt fit in bello) *& merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius, de Tyro, pro ſeruitute, quâ ſeruiuit mihi aduerſus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego dabo Nabuchodonoſor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi quo ſeruiuit aduerſus eam. Dedi ei terram Ægypti pro eo quod laborauerit mihi, ait Dominus Deus.* Ex his autem quæ diximus hactenus, ſatis apparet arroganter, impiè, & ſuo more, mendaciter dixiſſe Dæmonem, *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuer-* Luc. 4. 6.
ſam, & gloriam eorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea. Quamuis enim Dæmon appelletur à

Chriſto

Ioan. 12. 31. Chriſto Princeps huius mundi cum dicit. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras:* non tamen cenſendum eſt arbitrum illum eſſe diſpenſatoremque regnorum, ſed quandam quaſi regni ſpeciem exercere in eos qui cum peccato, & Dæmoni militent, ad regnum etiam peccati, quod Dæmonis eſt, pertinere dicuntur. Epheſ. 6. 12. Quare D. Paulus cum dixiſſet quodam loco. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi Rectores*, conſulto addidit ſtatim, *tenebrarum harum.* In Pſalm. 54. ad primum verſum. Ita notauit S. Auguſtinus. *Ne forte*, inquit, *cum dixiſſet, Mundi, intelligeres Dæmones eſſe Rectores cæli, & terræ; mundi dixit, tenebrarum harum; mundi dixit, amatorum mundi; mundi dixit, impiorum, & iniquorum; mundi dixit, de quo in Euangelio* Ioan. 1. 10. *dicit. Et mundus eum non cognouit.*

Principibus in iis duntaxat parendum eſſe, quæ diuinæ legi non aduerſantur.

6 Quando igitur, vt hactenus demonſtratum eſt, per Deum *Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*, par eſt vnumquemque ita Principum iuſſis obedientiam accommodare, vt quodam loco Coloſſenſes monet D. Paulus. *Quodcumque*, inquit, *facitis, ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Chriſto ſeruite.* Et Epheſios, cum ait: *Obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus.* Meminerimus tamen ita Principibus obtemperandum, vt nihil admittamus, aut faciamus, quod Diuinæ legi, quod rationi, quod propriæ conſcientiæ, vno verbo, quod Deo,

Prou. 8. 15. Coloſ. c. 3. verſ. 23. Epheſ. 6. 5.

Digitized by Google

Deo, qui ſummus Princeps eſt, & Rex Regum, eiúſque voluntati aduerſetur, aut etiam minus conſentaneum ſit. Cum enim *Nemo poſſit duobus Dominis ſeruire*, cum ea præcipiunt quæ ſimul conſiſtere non poſſunt, aut pugnantia ſunt inter ſe, ſupereſt vt, ſi ſapimus, illius potiorem habeamus rationem, qui maior eſt, & à quo iuſta duntaxat, nobiſque ſalutaria præcepta promanant. Concionabantur Ieroſolymis Apoſtoli, initio naſcentis Eccleſiæ, multóſque ad Chriſti gregem nouæ legis promulgatione aggregabant. Tulit hoc ægrius Princeps totúſque ſacerdotum conuentus, quare *cum adduxiſſent illos, ſtatuerunt in concilio: & interrogauit eos Princeps ſacerdotum dicens. Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto, & ecce repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.* Quid hic Petrus, & Apoſtoli? *Obedire*, inquiunt, *oportet Deo magis quàm hominibus.* Quale etiam reſponſum tulerat non multo pridem à Petro, & Ioanne, idem magiſtratus. *Si iuſtum eſt*, aiebant, *in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim poſſumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui.* Similis in pari vitæ diſcrimine loquendi libertas, atque conſtantia Mathathiæ ſacerdotis: nam cum veniſſent *Qui miſſi erant à Rege Antiocho, vt cogerent eos qui confugerant in ciuitatem Modin immolare, & accendere thura, & à Deo diſcedere: multi de populo Iſraël conſentientes acceſſerunt ad eos, ſed Mathathias & filij eius conſtanter ſteterunt. Et reſpondentes qui miſſi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ. Princeps, & clariſſimus, & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filijs, & fratribus; ergo accede precor, & fac iuſſum Regis, ſicut fecerunt omnes gentes, & viri Iudæ,*

Matth. 6. 24.

Act. 5. 27.

Act. 4. 19.

1. Machab. 2. 15.

Iuda, & qui remanſerunt in Ieruſalem, & eris tu, & Filij tui inter amicos Regis, & amplificatus aurô, & argentô, & muneribus multis. Et reſpondit Mathathias, & dixit magna voce: Et ſi omnes gentes Regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnuſquiſque à ſeruitute legis Patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius: Ego & filij mei, & fratres mei, obediemus legi Patrum noſtrorum. Propitius ſit nobis Deus, non eſt nobis vtile relinquere legem & iuſtitias Dei, non audiemus verba Regis Antiochi, nec ſacrificabimus tranſgredientes legis noſtræ mandata, vt eamus altera via. Digna ſanè tanto ſa-

2. Machab. 6. cerdote vox, atque conſtantia. Cui, libertate ac fortitudine planè geminus Eleazarus ille à quo nec tyranni minis aut ferro, nec amici precibus, aut blanditiis quod tetenderant, vt ſcilicet porcina carne veſceretur, obtinere potuerunt: indignum enim exiſtimabat, ſi veterem gloriam nonaginta annorum ſpatio collectam, recenti flagitio aboleret, exemplumque triſte poſteris relinqueret diuinæ legis, viuendi deſiderio poſthabitæ. Itaque non illum preces amicorum, non denunciatio mortis, non acerbiſſimorum cruciatuum incurſus, non liberorum conſpectus ac miſeratio, non ſalutis, libertatis, vitæve cupiditas permouerunt, vt ſe ipſum reſpiceret, ac viuere vellet. Cum ergo tale aliquod tempus nobis inciderit, in quo Principis imperio, aut leges cum diuinis præceptis pugnare animaduerterimus, ne quid peccemus, caueamus, & ſi quid lapſi fuerimus, quæ noſtra eſt ignorãtia, & recti inconſtan-

Num. 23. 34. tia, vſurpemus illud Balaã, *Domine Peccaui, neſciens quod tu ſtares contra me, & nunc ſi diſplicet tibi vt vadam, reuertar.* Si negotium quod ſuſcepi, ſi iter quod inſtitui, tuo honori, aut voluntati, ſi religioni,

gioni, aut virtuti aduerſatur, planè reuertar, aliámque viam inſiſtam, quæ ſit iuxta legem, & iuſtificationes tuas. Et ſi nobis minæ, cruciatus, mors ipſa intentatur, putemus ab Eccleſia matre noſtra auribus noſtris verba illa inſonare, quibus olim ſeptem filios ſuos virili pectore mulier ad certamen accēdens vtebatur. *Peto, Nate, vt aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Ita fiet vt non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus particeps* (martyrum ſcilicet ſanctorum, quorum multæ myriades pro Chriſto ſanguinem, & vitam conſtanter profuderunt) *Suſcipe mortem, vt in illa miſeratione* (extremo ſcilicet illo die cum Chriſtus Dominus eos pro ſuis agnoſcet, qui ſe confeſſi fuerint) *cum fratribus tuis te recipiam.* Sic fiet vt magno noſtro bono *Audiamus diſciplinam Patris noſtri, & matris noſtræ legem non dimittamus, & addatur gratia capiti noſtro, & torques collo noſtro.*

2. Mach. 7.28.

Math. 10. 32.

Prou. 1.8.

De reipublicæ formis, Democratia, Ariſtocratia, Monarchia; hancq́ue cæteris præſtare.

CAPVT IV.

Quot ſint Imperij formæ.

1 IMperij formæ ſimplices tres tantùm numerantur, Democratia, Ariſtocratia, atque Monarchia. Prima eſt populi dominatus, altera Optimatium, tertia vnius. Eſt tamen, cum miſcentur inter

inter ſe formæ iſtæ, & Monarchiæ adiungitur Ariſtocratia, aut Democratia, aut hæ duæ in vnam coaleſcunt, aut tandem ex his tribus vna dumtaxat Reipub. forma conflatur. Porrò ex his formis nobiliſſimam & optimam eſſe Monarchiam nonnullæ ſuadent rationes, quas ordine ſubiiciam.

Monarchiã cæteris præſtare probatur, ex ipſa natura, cælu, elementis, &c.

Deut. 10. 14.

2. Cor. 12. 2.

2 Ac primò quidem libet ab ipſa natura argumẽtum petere. illius enim partes optimo, ac præſtantiſſimo ordine deſcriptæ, quandam quaſi politiam videntur conſtituere, hæc autem Monarchia eſt. Cæli plures ſunt, Moſes enim ait, *Domini Dei tui cœlum eſt, & cœlum cæli.* Et D. Paulus *Raptus eſt vſque ad tertium cœlum.* Hi autem omnes cœlorum orbes, primi mobilis, vt appellant, curſum ita ſequuntur, vt quamuis ipſi ſuopte nutu, & inclinatione ab occaſu ferantur in ortum, aſſidua tamen conuerſione eius cœli cui parent, aduerſo motu ab oriente rapiantur ad occaſum, admirabili prorſus curſus pernicitate, & ciuilis obedientiæ ſingulari quodam exemplo. Quemadmodũ enim par eſt eum qui ſubditus eſt, ſuas actiones ita temperare, vt primùm quæ ab lege, vel Principe publici boni cauſa imperantur, ad vnguem exequatur, deinde verò cum hæc effecta dederit, priuatas ſuas res curet: Ita cæleſtes iſti orbes curſum à primo mobili impreſſum celerrimè, hoc eſt viginti quatuor horis conficiunt, proprium autem temporis ſpatiô longiore decurrunt; vt cum S. Iob ſubeat admirari, *Quis enarrabit cœlorum rationẽ, & concentum cœli?* (id eſt, curſum illius ordinatiſſimum) *quis dormire faciet?* Porro ſol, quem non temporum modo, terrarumque, ſed ſyderum etiam ipſorum, cœlique rectorem

Iob. 38. 37.

Digitized by Google

rem appellare poſſumus, nónne Monarchā agit, cum cætera ſydera, ſe per diem lucente, quodammodo ſubmouet, ac faceſſere iubet, noctu verò de ſuo illis lumine, vt apparere poſſint, impertitur? Hoc enim imperium à Domino nactus eſt, qui, vt ſanctus vates canit, *Fecit luminaria magna, ſolem in poteſtatem diei, lunam & ſtellas in poteſtatem noctis*, & quia, *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum*; ſed claritas ſolis prima claritas eſt, & quaſi quidem perennis fons luminis vniuerſi, propterea omnia alia minutiora lumina, maximæ huic cæli faci famulantur, & obediunt; ipſe verò ſuo pulcherrimô ornatu *Tanquam ſponſus procedit de thalamo ſuo, exultat vt gigas ad currendam viam, à ſummô cælô* (tanquam à Regiô domiciliô) *egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius*, Principis in morem omnes regni ſui prouincias percurrens, & legibus, imperiiſque ſuis componens, *Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius*. Quemadmodum enim Princeps bonos ciues, & de Republica bene meritos muneribus auget, & ornat laudibus; ſontes verò, & publicæ quietis perturbatores, verbis caſtigat, & pœnarum metu continet in officiô, & ſi opus fuerit vltimô etiam ſuppliciô coercet, ita vt nullus ſit, qui illius potentiæ vim declinare poſſit. Ita ſol omnia colluſtrat, & perambulat, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius, elementis mixtiſque corporibus, & animalibus vniuerſis, ſi bene ſint diſpoſita iucundo, & ſalutari; ſi verò ad illum excipiendum præparata non ſint, noxiô, & ipſius etiam interitus conciliatore. Quid de aquis dicam, quæ licet pluribus diſcretæ locis, ſtagna, fluuios, & paludes, aut ampliori conceptæ alueô,

Pſal. 135. 7.
1. Cor. 15. 41.
Pſal. 18. 6.
Ibid n. 7.

Digitized by Google

maria efficiant, ita tamen inter ſe communicant, vt de mõtibus & ſpecubus, in quibus fontes ſuos hebent, agmine factô ad mare ſemper decurrant, cui tanquam principi tributũ pendant vndarum, à quo rurſus accipiant vt fluere poſſint. *Omnia enim flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Vt meritò S. Ioannes, ſiue is, qui illum alloquebatur Angelus, hanc aquarum politiã prævidens dixerit, *Aquæ populi ſunt, & gentes, & linguæ.* Idem verò in cæteris elementis apparebit, quamuis non ita luculenter, mentis oculos adiicienti.

Eccleſ. 1. 7.

Apoc. 17. 15.

Idem probatur ex Angelorũ politia.

3 Alterum argumentum ab Angelorum politia deſumi poteſt. quamuis enim ex ſupra dictis cùm probauimus eorum tempub. gubernatione aliqua contineri, colligi poſſit eandem Monarchiam eſſe, placet tamen eundem locum breuiter retractare, vt res fiat plenior, & illuſtrior. *Huius rei gratia* (inquit D. Paulus) *flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quô omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.* Qui locus vt intelligatur, & ad probandum quod volumus accommodari poſſit, ſciendum eſt Principes & dominos à ſubditis, & ſeruis ſuis, ſcripturarũ phraſi, Patres appellari ſolitos. Sic *Machir* dicitur *Pater Galaad*, *& Phanuel pater Gedor*, & *Ezer pater Hoſa*, & *Ioab pater vallis artificum*, & *Theinna pater vrbis Naas.* Hac de cauſa ſerui Naaman Syri, cum Dominum ſuum alloquerentur, Patrem appellabant. Detractanti enim lauari aquis Iordanis, quod præceperat Eliſæus, *Pater*, inquiunt, *& ſi rẽ grandem tibi dixiſſet propheta, certè facere debueras.* Ex hoc autem vocabulô Patris hac ſignificatione vſur

Epheſ. 3. 14.

1. Paral. 2. 21.

1. Paral. 4. 4.

Ibid. num. 14.

Ibid. num. 12.

4. Reg. 5. 13.

Digitized by Google

vſurpatô, vox *Paternitas* apud latinum interpretem, & Græca πατριὰ apud D. Paulum deducta eſt; idemque ſignificat quod φυλή, familia, tribus, gens aliqua, quæ vel ab vno capite manauit, vel vni capiti obedit. Hinc etiam veteres illi præcipuarum familiarum Iſraëliticarũ Principes, *Patriarchæ* dicti ſunt, hoc eſt πατριῶν ἄρχοντες, vel πατριῶν ἀρχαί. Cum igitur dicit S. Paulus. *A quo omnis Paternitas.* Græcè πατριὰ, ſignificat teſte D. Hieronymo, Angelos in cælis ſuos habere, & agnoſcere Principes, & vt ſcripturæ phraſi loquamur, *Patres*, qui claſſibus illis, atque ordinibus immortalium ſpirituum præſint, & imperent. *Quæritur verò*, inquit D. Hieronym. *quam ob cauſam, & in cœlis ab eô omnis paternitas appelletur. quomodo nos qui non ſumus de genere Abraham; Patriarchas quoque & Prophetas (ſi tamen nos ab eis peccata non ſeparent) noſtros Patres dicamus: ita puto Angelos, cæteraſque virtutes habere principes ſui generis in cæleſtibus, quos Patres gaudent appellare. Archangelus enim niſi Angelorum dici non poteſt, & Dominatio, & Principatus, & Poteſtas, niſi inferiores habeant ſubditos, non vocantur.* Porrò vnus ex huiuſmodi Angelorum Principibus fuit perditus ille Angelus, de quo dicitur apud Iob. *Ipſe eſt principium viarum Dei*, quaſi dicat *Primogenitus*, vt quadraret in illum benedictio illa Ruben, *Prior in donis, maior in Imperio.* Prior ſanè in donis, nam ipſe eſt de quo dicitur. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in delicijs paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* & cætera, quæ ibi S. Propheta per pretioſorum lapidum allegoriam latè perſequitur. Sed etiam *Maior in imperio*, quod ex eô confici videtur, quod

D.Hier. 1. aduerſus Heluidiũ & in c. 3. ad Epheſ.

Iob. 40. 14.

Geneſ. 49. 3.

Ezech. 28. 12.

ab Ezechiele dicitur *Cherub extentus, & protegens.* Quemadmodum enim duo Cherubim alas ſuas expandebant, & arcam obumbrabant; ita tu nobilitate & præſtantia tuæ naturæ ad Principatum factus, minorum Angelorum ordines ſub tuæ protectionis vmbra latentes imperio regere, ſapientia illuminare potuiſſes, niſi quæ tua fuit ſu-
Apoc. 12. 4. perbia, *In draconem magnum, rufum*, Deo inimicum mutatus, ſeptenóque diademate redimitus, decémque cornibus armatus, cum Deo pugnare maluiſſes, donec potentioribus armis oppreſſus comitem te malè fultæ ruinæ dare coactus es. Nec verò tibi quies poſt tantam cladem ſed libidine vindictæ ſuccinctus, & humani generis odio inflammatus bellum redintegrare, & regnum debilitatum & fractum propugnare non deſinis, factus Princeps eorum qui in Dominũ amarô ſunt
Iob. 10. 21. animô, quique licet incolant *Terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*; ordinẽ tamen in hoc tuentur, & Monarchiam, quo ad nocendum hominibus totum Diaboli regnum promptius eſſe poſſit, & expeditius. Quare S. Dauid magis ab his hoſtibus ſibi timens, à quibus fuerat aliquando fœdè proſtratus, quàm ab iis qui mortem illi intentabant, quorum magnum numerum Deô be-
Pſal. 7. 1. ne iuuante deuicerat, ita precatur: *Domine Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me. Ne quando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.* Numero priùs loquitur multitudinis, ſentiens multas cõtra ſe perditorum Angelorum phalangas ſtare, ſed quia ſub vno militant capite; qui

qui *Tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuo-* 1. Petr. 5. 8.
ret, vt de vnô loquitur, *Nequando*, inquit, *rapiat vt leo*: ſermonem verò eſſe de Diabolo, capere poſſumus ex eo valde probabilem cõiecturam, quod cum inſcriptio in hæc verba concepta ſit: *Pſalmus Dauid, quem cantauit Domino, pro verbis Chuſi filij Iemini*, Aquila D. Hieronymo teſte vertit, *pro verbis Æthiopis*, Diaboli autem facies ſuper carbones denigrata eſt, peccati teterrima fuligine, quâ qui infecti ſunt, meritò Æthiopes audiunt, vt filij Iſraël apud Amos. *Nunquid non vt* Amos 9. 9.
filij Æthiopum vos eſtis mihi, filij Iſraël ait Dominus? Quò etiã videri poteſt reſpexiſſe alius propheta cum populũ caſtigans ait, *Si mutare poteſt Æthiops* Ierem. 13. 23.
pellem ſuam. Omnibus ergo peccatoribus Æthiopis nomen non malè conuenit, ſed præ cæteris Dæmoni, qui etiam ſuper cæteros peccati ſordibus & atrore deturpatus eſt.

Idem probatur ex Eccleſiæ gubernatione.

4 Cæterùm quemadmodum cæleſtis illa Ieruſalem, cuius ſupremus Rex & ipſe Deus, *Rex Regum & Dominus dominantium*, ſuos habet ordines, vt diximus, Angelorum, ſuóſque Principes, qui Monarchicô more dominantur: ita Eccleſiã ſuam Apoc. 19. 16.
Chriſtus quæ etiam regnum cælorum frequenter appellatur in ſcripturis, in ſuos ordines digeſſit, vt tota adminiſtratio ab vnô dũtaxat capite penderet. Eſt enim cæleſtis illa Ieruſalem typus quidam, & expreſſio Eccleſiæ, ad cuius exemplar hæc à Chriſto Domino fundata eſt, & in ſuas diſtincta Hierarchias, quæ tamen omnes vni ſummo Paſtori, ac Hierarchiæ Chriſti in terris vicario, aſpectabilíque Eccleſiæ vniuerſæ capiti ſubiiciũtur. Quare S. Ioan. in Apocalypſi. *Vidi*, inquit, Apoc. 21. 2.
ciuitatem ſanctam Ieruſalem, nouam deſcendentem de

cælo, à Deo paratam. quem locum explicans ſanctus Bernardus, ita ſcribit. *Ego enim propter ſimilitudinem dictum reor, quod ſicut illic Seraphim, & Cherubim, ac cæteri quique vſque ad Angelos & Archangelos ordinãtur ſub vno capite Deo, ita hic quoque ſub vno ſummo Pontifice Primates vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Quodſi dicat Epiſcopus nolo eſſe ſub Archiepiſcopo, aut Abbas nolo obedire ego, hoc de cœlo non eſt. Niſi tu fortè Angelorum quempiã audiſti dicentem: Nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorũ ordinum aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam niſi Deo.* Hactenus Bernardus. Porrò Eccleſiam ſub vno capite gubernari, figuræ ſcripturarum quæ de illa ſunt, Chriſtique Domini expreſſa verba declarãt.

Lib. 3. de conſid. paulò ante finem.

Cant. 6.3. In canticis de Eccleſia dicitur. *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* De eadem Daniel ita vaticinatur. *In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Apud Ioannẽ etiam Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam ouile quoddam eſſe dicit, & D. Petrus ſimilem naui, ſeu Arcæ illi Noëticæ eandem facit Eccleſiam. Certum autem eſt nec exercitum ſine Imperatore, nec regnum ſine Principe, nec ouium gregem ſine Paſtore, nec tandem nauim aliquam ſine Nauiculario, qui illius curſum dirigat gubernari poſſe; ac proinde etiã Eccleſiæ vniuerſæ vnũ aliquem præfici debuiſſe, cui illius procuratio & regimen demandaretur. Chriſti autem teſtimonia quibus hoc idem confirmatur, adeò ſunt aperta, vt nullus, qui fidem nõ deſeruerit, negare audeat. Vnum & alterum duntaxat proferam, ne longum faciam, in re præſertim eruditè, & ſolidè, ab

Dan. 2. 44. Ioan. 10. 16. 1. Petr. 3. 20.

aliis

aliis contra Eccleſiæ ac fidei perduelles diſputata. Primum eſt apud S. Mathæum, cum Chriſtus Petrum alloquens poſt illuſtrem illam confeſſionem qua Petrus illum prædicauerat, & agnouerat Deum, ait. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Eſt autem adeo illuſtre hoc Chriſti Domini teſtimonium, vt ſcripſerit Gregorius. *Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominica ſancto & omnium Apoſtolorum Principi Petro, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Alterum Chriſti teſtimonium eſt apud S. Ioannem, cum enim ex Petro Dominus trina percontatione quæſiuiſſet an ſe diligeret, ad extremum addidit. *Paſce oues meas.* Vox autem paſcendi non modo apud ſcriptores ſacros, ſed etiam apud profanos, adhibetur ad ſignificandum in ſubditos Imperiũ, ita enim Poëta Græcorum Regem appellauit ποιμένα λαῶν, Paſtorem populorum, & vox Hebraica, רעה & paſcere ſignificat & regere. Propterea in Pſalmo legere poſſis, *Dominus regit me*, vel *Dominus paſcit me*, vel vt vertit D. Hieronymus: *Dominus Pater meus.* Rurſus quod eſt in Pſalmis, & Apocalypſi, *Et ipſe reget eos in virga ferrea*, Græcè eſt. καὶ αὐτὸς ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, hoc eſt, *& ipſe paſcet eos.* Quare S. Leo, *De toto*, inquit, *mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſq; Eccleſiæ Patribus præponatur: & quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique*

Matth. 16. 18.

Lib 4. epiſtola 32.

Ioan. 21. 17.

Pſal. 22. 1.

Pſal. 2. 9. Apoc. 19. 15.

Serm. de aſſumpt. ſua ad Põtificatum.

Digitized by Google

multiq; paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Si ergo Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ Monarchã præfecit, hancque Imperij formam præ aliis probauit, conſequitur vt cæteris præſtantior ſit, & ad regendos populos, & reſpublicas accommodatior.

Idem probatur ex Hebræorũ antiqua politia.

5 Quartum ſequitur argumentum ductum ex Hebræorum politia, quæ pariter Monarchia fuit. Principes porrò fuerunt apud Hebræos Patriarchæ, vt Abraham, Iacob, Iudas. Nomen autem ipſum, & res geſtæ poſitionem noſtram ſtatuunt. Nomen quidem, quia Patriarchæ πατριῶν ἄρχοντες fuerunt, vt dictum eſt. Res verò geſtæ, & domi & militiæ idem ſuadent. Nam & bella geſſerunt

Geneſ. 14. 14.

vt Abraham, qui *Numerauit expeditos vernaculos ſuos trecẽtos decem & octo, & perſecutus eſt vſque Dan, & diuiſis ſocijs irruit ſuper eos nocte, percuſſitq; eos.* Et domi tanquam Phylarchę & populi principes capitalia exercuerunt iudicia, vt Iudas, apud quem accuſata nurus Thamar quod fornicata eſſet, vterumque geſtaret, eam rogo addixit. *Producite*, inquit, *eam vt comburatur.* Poſt Patriarchas rempub. Hebræorum gubernauerunt Duces, & Iudices, vt Moſes, Ioſuë, Samuel, Gedeon, & alij, qui etiam Monarchicum imperium tenuerunt in populum, nam Moſes ad vindicandum publica poteſtate piaculum quod in vitulo adorando contraxerant, multa Hebræorum millia per Leuitas cecidit. Gedeon verò, vt legimus in libro Iudicum. *Tulit ſeniores ciuitatis, & ſpinas deſerti, ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Sochoth. Turrim quoque Phanuel ſubuertit, occiſis habitatoribus ciuitatis.* Interim verò non videmus aut populi rogationem vllam expectatam, aut ſenatuſcon

Geneſ. 38. 24.

Exod. 32. 27.

Iud. 8. 16.

Digitized by Google

tuſconſultum, vt iſta fierent, ſed ad Ducum imperantium nutum (quod Monarchiæ argumentum eſt) facta fuiſſe in Scriptura narrantur. Quod verò attinet ad Reges, quia res eſt exploratiſſima, nec vllus inficiatur, ab eorum duntaxat voluntate rempubl. aptam fuiſſe, ab afferendis exemplis ſuperſedebimus. Nec verò regiam poteſtatem improbauit Dominus, quaſi minus perfectam reipub. gubernandæ formam; imo cum populus Regem ſibi à Samuele flagitaret, iuſſit Dominus Prophetam illorum poſtulatis acquieſcere, quamquam ſibi ab illis illatam iniuriam eſt conqueſtus, quod Regem optaſſent, quaſi Domini Dei, quem tantum ad eam diem Regem agnouerant, ſatietas illos inceſſiſſet. Dixit enim ad Samuelem. *Audi vocem populi in omnibus quæ lo-* 1. Reg. 8.
quuntur tibi, non enim te abiecerunt ſed me, ne regnem 7.
ſuper eos. Illum enim populum peculiari cura regendum ſibi Dominus reſeruauerat, & cum regna terræ, quaſi menſorio funiculo, Principibus diſtribueret, illum quaſi hæreditatem ſuam eſſe voluit, quem ipſe regeret, & peculiari cura tueretur, coleret faceretque meliorem. *Quando di-* Deut. 32.
uidebat Altiſſimus gentes (dicitur in Deuter.) *quando* 8.
ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Iſrael. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Et pau- num. 12.
lò poſt, *Dominus ſolus Dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus: Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Et tamen populus hic tam multis auctus beneficiis, *Incraſſatus eſt* num. 15.
dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à

Deo ſalutari ſuo; Dixitque vt eſt apud Oſeam. *Non*
Oſee 10. 3. *eſt Rex nobis, non enim timemus Dominum, & Rex quid faciet nobis?* Hæc igitur querimoniæ Domini, & expoſtulationis cauſa fuit. Quamquam aliter etiam peccatum eſt ab Iſraelitis, cum Regem ſibi præfici petierunt. Non enim Regem ſimpliciter
1. Reg. 8. 5. poſtularunt, ſed *ſicut vniuerſæ habent nationes*, Perſæ nimirum, Ægyptij, Syri, Chaldæi, finitimique populi, apud quos Reges tyrannidi proximam poteſtatem obtinebant. Cum enim duplex ſit Regiæ poteſtatis modus, finitus alter certiſque legum, & conuentorum vinculis aſtrictus, alter verò nullis circumſcriptus finibus, cum ſcilicet Reges quid libet poſſunt in leges, in ſubditos, eórúmque fortunas, quod dominandi genus ſanè barbaricum, eo tempore apud multas obtinebat nationes, & tot poſtea ſæculis pauculis verbis expreſſit Dominus cum dixit Zebedæi filiis pri-
Marc. 10. 42. matum affectantibus. *Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum poteſtatem habent ipſorum.* Græcè οἴδατε ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. Vbi voces κατακυριεύουσιν, & κατεξουσιάζουσιν, abuſum ſignificant Regiæ poteſtatis, cum ſcilicet Princeps, non publicum, aut ſubditorum bonum, ſed commodum ſuum, ſuaſque libidines reſpicit; hanc inquam dominandi formam, nondum ſuo malo docti Iſraelitæ poſtularunt, quare votum illorum damnauit meritóque ſuccenſuit Dominus, quod regiæ maieſtatis ſplendore, quam in vicinis populis admirabantur, illecti, genus illud gubernationis præ aliis optaſſent. Adde Samueli tanto viro, tamque de republ. diu & ſanctè temperata bene merito,

grauem

Digitized by Google

grauem ſanè irrogatam fuiſſe iniuriam, poſtulatione, ac præpropera illa Regis creandi feſtinatione, qua nimiùm prouecti non refugerunt patriæ parentem, ſenio confectum in ordinem redigere, Rege ſuperinducto. Hæc igitur peccata ab Iſraelitis.

6 Quintum ſequitur argumentũ depromptum ex proprietatibus optimi regiminis. Hæ autem in Monarchia magis elucent, quam in aliis gubernationis formis. Prima autem proprietas ſit, Ordo; illa enim meliùs inſtituta reſpubl. cenſenda eſt, in qua vt quodam loco præcipit D. Paulus, *Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiunt*, quæ verò reſpubl. ordinem deſiderat, ea *Ciuitas vanitatis* appellatur ab Iſaia, ita enim vertit noſter interpres, quod ex Hebræo vertere potuiſſet, *Ciuitas inordinationis.* Porrò inter ſuperiores & inferiores ordo conſiſtit, cum ſcilicet ſubiiciuntur aliqui, aliqui rurſus imperant, quod in Monarchia perfectius locũ habet, in qua nullus planè eſt, qui maiori non ſubdatur, Principi nimirùm: cum interim in Democratia pares ſint omnes, quamuis ſint de fæce populi; in Ariſtocratia autem ſi non plebs optimatibus, ſaltem optimates inter ſe ita ſint pares, vt inter eos ſuperiorum, & inferiorum nullus ſit ordo conſtitutus; in vnius autem dominatu illud Eccleſiaſtæ locum habeat, *Excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ Rex imperat ſeruienti.* Secunda proprietas eſt concordia, quo quaſi glutino ita continentur inter ſe Reipublicæ partes, vt ſi hæc deſit, ſtatim in diuerſa diſtractæ, & diuiſæ funditus intereant. Quare S. Paulus tam frequenter, tam ſeriò Chriſtianos admonet vt idem ſentiant, idem velint,

Idem probatur ex proprietatibus bonæ gubernationis.

1. Cor. 14. 40.

Iſa. 24. 10.

Eccleſ. 5. 7.

velint, idem loquantur, ne ſi concordiæ iacturam fecerint, omnia in rempubl. mala, & incom-
1.Cor.1. 10. moda impetum faciant. *Obſecro,* inquit, *vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti vt idipſum dicatis omnes, & nõ ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodẽ ſenſu, & in eadẽ ſententia.* & alibi vult eos eſſe
Rom. 15. 6. *Vnanimes, & idipſum inuicem ſentientes,* non ignorás illud Eccleſiaſt. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ*
Rom. 12. 16. *ſunt probata coram Deo, & hominibus. Concordia fra-*
Eccleſ. 25. 1. *trum, & amor proximorũ, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.* Porro in Democratia, aut Ariſtocratia, diſcordiæ frequentes exiſtunt, dum in contraria ſtudia alij ab aliis ſcinduntur, ſeditiones etiam nonunquam excitantur, quæ corpus vniuerſitatis lacerant, imò ſæpenumerò tot ſunt ſententiæ quot capita, vt illis euenire videatur quod tre-
Iud. 15. 4. centis illis Sampſonis vulpeculis, quæ caudis quidem inter ſe colligabantur, capitibus interim aliò ſpectantibus & tendentibus. Quamuis enim in ſenatu aliquo, verbi gratiâ, conſilio experientiaque valeant ſenatores aliqui, quorum ſententia ſi obtineret ſaluam rempubl. facere poſſet, quia tamen ſuffragia non appenduntur, ſed numerantur, aliique aliud volunt, ſuis quique animi perturbationibus, & cupiditatibus incitati, fit, vt diſcordiarum ciuilium incendium exiſtat, quod poſtquam eas abſumpſit reſpubl. in quibus primùm exarſit, finitimos etiam corripiat, ac deuaſtet, ad eum planè modum quo Philiſtinorum ſegetes, & maturæ fruges flammis ab illis vulpibus importatis conflagrarunt. Tertia proprietas, quæ ex ſecunda conſequitur, eſt, quod in vnum collecta virtus fortior ſit quàm diſſipata: in Ariſtocratia autem, & Democratia in multas quaſi partes

Digitized by Google

partes virtus diſtrahitur, ac propterea minus habet ad agendum potentiæ, & efficacitatis: adeoque cum ſuas exercere vult vires ad aliquid perficiendum, in vnum ciues omnes conſpirent neceſſe eſt: Alioqui diremptis diductíſque viribus, conatus omnis caſſus erit, & in irritum cadens. Ad eum planè modum quo multi in ingentis molis ſaxo funibus attrahendo ita vires communicant, vt ſumma conſpiratione ſimul nitantur oporteat, ſi opus inceptum promouere velint. Quod cùm in Democratia, aut Ariſtocratia contingit, tunc ciues Reipubl. ſeruiunt *humero vno*, Sophon. 3.
vel vt habẽt Septuaginta *ſub iugo vno*. Hoc autem, 9.
quod rarum admodum eſt in aliis Reipubl. formis, perpetuum eſt in Monarchia; cum enim vnius duntaxat expectatur imperium, faciliùs vires expediuntur, adhibentúrque conſtantiùs. Quarta proprietas eſt, facilitas gubernationis: eſt autem multo facilius Principem vnum bonum nanciſci, quàm centum, aut eo amplius probos, integroſque Senatores, qui rem familiarem ſuam præ republica ampliorem facere non ſtudeant, qui cum aliis æqualibus contentiones non exerceant, qui, dum propriis commodis, aut cupiditatibus ſeruiunt, rei bene gerendæ occaſiones non corrumpant. *Beatus enim diues, qui inuentus eſt* Eccleſ. 31.
ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in 8.
pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Optandumque magis quàm ſperandum eſt, vt D. Pauli admonitioni pareatur, vt ſcilicet, *Nihil* (fiat) *per contentionem,* Philipp. 2.
neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores 3.
ſibi inuicem arbitrantes. Bonoque publico propoſito ſua quiſque compendia negligat, *Non quæ ſua* Ibid. n. 4.
ſunt

ſunt ſinguli conſiderantes,ſed ea quæ aliorum; ſed illud
Ibid.n.21. frequentiùs locũ habet,*Omnes quæ ſua ſunt quærũt*,
& laus illa Timothei cum paucis communicari
Philipp.2. 21. poteſt, quem S. Paulus *Vnanimem*, & *ſincera affectione pro omnibus ſolicitum* fuiſſe teſtatur.

Vnius dominatum in ſcripturis promitti vt magnum bonum.

7 Tandem vt huic capiti clauſulam imponamus, vnius dominatus ita proponitur in ſcripturis, vt de illo ſermo ſit quaſi de ingenti aliquo bono. Itaque Abimelech nouis rebus ſtudens apud Sichimitas, regnumque affectans apud populares ſuos, cognatis, & ſuffragatoribus ſuis hanc rationem ſuggerit, qua potiſſimum animos conciuium ſuorum pelliciant, vt ſe eligant in
Iud.9.2. Principem. *Loquimini*,inquit,*ad omnes viros Sichem, quid vobis eſt melius vt dominentur veſtri Septuaginta viri, aut vt dominetur vnus?* quaſi dubium eſſe non poſſit; hac machina ex communi hominum ſenſu deprompta, Septuaginta filiorum Ierobaal Oligarchiam euerti poſſe,quod etiam conſecutus eſt. Verum, quod majus habet pondus, ipſe Dominus per Prophetas ſuos non ſemel Monarchiã pollicetur quaſi excellens quoddam bonum, &
Ezech 34. 23. ipſis vehementer optabile. *Et ſuſcitabo*, inquit, *ſuper eas Paſtorem vnum*, cui ſimilis eſt illa pollicita-
Oſee.1.11. tio, quæ eſt apud Oſeam. *Et congregabuntur filij Iuda & ponent ſibi caput vnum.* & apud Ieremiam,
Ierem. 30. 8. *Non dominabuntur eis amplius alieni, ſed ſeruient Domino Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis*, & idem Salomonis ſenſus fuiſſe videtur cum ait;
Prouerb. 28 2. *Propter peccata terræ multi Principes eius*, quod in Ariſtocratia, & Democratia præcipuè verum eſt, ſed aliquo etiam modo in Monarchia, cum ſcilicet frequentatis Principum funeribus, crebra Regum ſucceſſione multi eodem ferè tempore ad

reipu

Digitized by Google

reipubl. gubernacula ſedent, & Monarchia in quamdam quaſi Ariſtocratiæ formam degenerat, certè eadem fere ſentit incommoda. Veriſſimum enim eſt effatum illud Ieremiæ; *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam.* Quod etiam euenit cum iuſtum aliquod regnum inter ſe aliqui, vel ſucceſſionis iure, vel etiam gladiis partiuntur. Tunc enim nihilominus Paſtores multi populis inducuntur, qui maiores quàm pro ditionis anguſtiis concipientes ſpiritus, ſubiectos populos deglubunt potiùs quàm tondent. Hinc S. Lucas, cadens ac pene proſtratum Iudæorum regnum deſcribens in quatuor tetrarchias diuiſum narrat, vt ex eo ſatis intelligere liceat proximè ab interitu abfuiſſe, cum in tot fruſta diſtractum eſſet ac prope dixerim laceratum. Nam iuxta dictum Domini. *Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur.*

Ierem. 12. 10.

Luc. 3. 1.

Luc. 11. 17.

Mulieres Imperiis regendis vt plurimùm aptas non eſſe.

CAPVT V.

RArò admodum contingit fœminam adeò excellenti pudentiâ, conſtantiâ, conſilióque præditam eſſe, vt Reipubl. gubernandæ par eſſe poſſit. Ea cauſa eſt quamobrem, ſi ius ſinat (interdum enim ſucceſſionis iure veniunt ad Principatum) à gubernandi munere ſunt, vel remouendæ, vel certè ad illud non adhibendæ.

1 Ac primò quidem id perſuadet ipſa naturalis earum conditio, factæ enim ſunt à Deo ad parendum

Probatur ex naturali earum conditione, quia factæ magis ad parendum.

dum magis quàm ad regendum, totáque imperandi prouincia viris demandata, fœminæ verò planiſſimè, & diſertiſſimè à Domino dictum;

Gen.3.16. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Qua ratione vtitur D. Paulus, vt docendi munus mulieribus minimè conuenire oſtendat, quippe quæ aliis præeſſe non debent, ſed potius obedire, & à

1.Tim.2.11. viris docentibus diſcere: *Mulier,* inquit, *in ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio, Adam enim primò formatus eſt, deinde Eua,* (ac proinde ſub poteſtate viri eſſe debet, & illius dominari) *& Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.* Huc etiam reſpexit,

1.Cor.14.34. idem Apoſtolus cum ait; *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe,*

Epheſ.5.22. *ſicut & lex dicit.* Et rurſus, *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris.* Huius autem viri in mulierem poteſtatis inſigne eſt, velamen illud, quo S. Paulus mulieres iubet

1.Cor. 11.7. nubere capita, cum ait. *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Ideò debet mulier poteſtatem habere ſuper caput.* τὸ *Poteſtatem,* Græcè ἐξουσίαν, ſunt qui vertunt *velamen,* ſenſum potius Apoſtoli ſecuti, quàm vim vocis. Significat autem Poteſtas hoc locô auctoritatem, ius, imperium, principatum viri in mulierem, cuius nota velamen eſt, quod capitibus fœminæ iniiciunt, quaſi profeſſæ virum earum capiti inſidere, & dominari. Huius etiam poteſtatis virorum in mulieres argumentum eſt, quod vxores maritos ſuos

Domi-

Dominos appellare conſueuerant apud Hebræos. *Sic enim aliquando* (inquit D. Petrus) *& ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubiectæ propriis viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* Is locus eſt in Geneſi. Cum enim Angelus Abrahamo filium ex Sara illi naſciturum fuiſſet pollicitus; *Riſit occultè* (Sara) *dicens. Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Iudicum etiam libro de vxore Leuitæ tota nocte vim paſſa dicitur. *At mulier recedentibus tenebris venit ad oſtium domus, vbi manebat Dominus ſuus, & ibi corruit.* Et Berſabee eâdem ratione Dauid Dominum ſuum appellauit. *Nonne,* inquit, *tu Domine mi Rex iuraſti mihi?*

1.Petr.3.5.

Geneſ.18.12.

Iud.19.26.

3.Reg.1.13.

2 Altera cauſa eſt muliebris imbecillitas animi æquè ac corporis, ſexui illi innata, quæ pondus Imperij, ſane grauiſſimum, ſuſtinere non poteſt. *Ecce hoc inueni*, inquit Eccleſiaſtes, *vnum & alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. τὸ vnum, & alterum.* Caietanus Italicæ linguæ proprietatem ſecutus vt melius rem exprimeret vertit. *Vnam per vnam*, id eſt, diligenter, & minutim omnium mulierum naturas, propenſiones, ſtudia, conſideraui. Quid verò tam diligentem tam ſapientis viri inueſtigationem conſecutum eſt? *Virum de mille reperi vnum, mulierem ex omnibus non inueni.* Paucos ſanè viros reperi, qui viri nomen, factis, & virtute tuerentur; at verò mulieres prorſus nullas, quæ à prudentia, conſilio, fortitudine ciuili laudari poſſent. Itaque egregiè idem Salomon ſapientis mulieris characteres deſcripturus, exorditur ab earum raritate, præſertim ſi fortitudinem requiras, & cum iis mercibus comparat quæ ab vltimis vſque terræ

Idem probatur quia deſtituta animi, & corporis vigore; qui ad gubernandũ neceſſarius eſt.

Ecclеſ.7.28.

 finibus

Digitized by Google

finibus ad nos aduehuntur, ac propterea ſunt in
Prou.31. 10. pretio. *Mulierem*, inquit, *fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Nec tamen Salomon mulierem hanc cuius ideam quamdam egregiis coloribus deſcribit, & à prudentia potiſſimùm & ſolertia commendat, continuò ad Reipubl. gubernacula ſedere iubet, ſed eam tantùm domeſticæ diſciplinæ Præſidem conſtituit, familiæque moderatricem, cui præſit imperando, exemplis præeundo, lanam faciendo, colum tenendo, ponendo in gremio calathum, fuſum ro-
Ibid.n.13. tando, ſtamina pollice ducendo. *Quæſiuit*, inquit, *lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. De nocte ſurrexit, deditque prædam* (id eſt cibum) *domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Conſiderauit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Guſtauit, & vidit quia bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum ſuam miſit ad fortia,* vel vt habent Septuaginta, ad vtilia, *& digiti eius apprehenderunt fuſum. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. Stragulatam veſtem fecit ſibi. byſſus, & purpura indumentum eius.* Cum tamen hæc, aliaque nonnulla in tam præſtantis fœminæ laudem ore pleno dixiſſet Sapiens; omnes tamen publicas functiones illius marito reſeruauit, eamque à tractanda
Ibid.n.23. Republ. penitus remouit. *Nobilis*, inquit, *in porta* (id eſt in ſenatu, in curia) *vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ*, ipſa interim portas non frequentet aut forum, ſed domi ſe contineat, eo
Ibid.n.31. contenta quod *laudent eam in portis opera eius*, vel

vt

Digitized by Google

vt habet Aquila, Symmachus, Thodotio. *Laudetur in portis vir eius.* hoc ſenſu, ipſa ſatis habeat rem domeſticam labore, induſtria, œconomicámque diſciplinam continendo facere ampliorem: vir autem eius ad Rempubl. accedat, & magiſtratibus, publiciſque muneribus gerendis gloriam conſequatur. Facit etiam ad eandem, de qua agimus, mulierum imbecillitatem oſtendendam, id quod à Propheta de Ægyptiis, qui ſibi aliquid ſapere, & nonnihil poſſe videbantur. *In die illa,* Iſa.19.16.
inquit, *erit Ægyptus quaſi mulieres, & ſtupebunt, & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipſe mouebit ſuper terram.* In omnes enim fere mulieres illud quadrat, quod dicitur in Deuteronomio. *Tenera mulier, & delicata, quæ ſuper* Deut.28.
terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter mollitiem, & teneritudinem nimiam: quæ mollities ab habitu corporis tranſit ad animum, & cum illo communicatur. Hic mihi aliquis Deboram obiiciat, quæ *Iudicabat populum, & ſedebat* Iud.4.4.
ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel, in monte Ephraim, aſcendebantque ad eam filij Iſrael in omne iudicium. Sed qui hæc obiiciunt, animaduertant eam ibidem Prophetidem vocari, vt mirum non ſit fœminam populo præeſſe potuiſſe, quam Domini Spiritus agebat. Quamquam etiam video in bellica expeditione contra Siſaram, ducem fuiſſe renunciatum Barac, Dei ipſius iuſſu, ne tanti facti fœmina dux foret, dicitur enim ibidem. *Quæ miſit, & vocauit Barac filium* Ibid.n.6.
Abinoem de Cedes Nephtali, & de filiis Zabulon, dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael, vade, & duc exercitum in montem Thabor, &c. Qui fortiſſimi ſunt, ij in Scripturis ſacris vtraque

Digitized by Google

manu ita ſcienter vti dicuntur, ac ſi eſſet dextera. *Inuentique ſunt,* dicitur in libro Iudicum, *viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa, qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra vt dextra prœliantes.* & de Aod dicitur eodem libro, *Suſcitauit eis,* Dominus (ſcilicet Iſraelitis) *ſaluatorem vocabulo Aod, filium Gera, filium Iemini, qui vtraque mauu pro dextera vtebatur.* Hoc autem natura mulieribus denegauit, ſi enim curioſis harum rerum exploratoribus credimus, nulla prorſus mulier inuenitur, quæ vtraque manu pro dextera vti poſſit, ſoliſque viris naturæ quadam facultate donatum eſt, vt id longa aſſuetudine conſequi poſſint, quaſi mulieribus, natura refragante, in numerum, ac cenſum fortium, adſcribi non liceat. Itaque Dominus cum iubet duces ſuos populi vniuerſi cenſum inire. *Quidquid,* inquit, *ſexus eſt maſculini à vigeſimo anno & ſupra, omnium virorum fortium ex Iſrael,* muliebri imbecillitati teſtimonium dans quod ſcilicet ad difficilia capeſſenda vires, & animus illis non ſuppetant. Quod ad ſpiritualem ſenſum ſuo more transferēs Origenes. *Donec,* inquit, *ineſt alicui noſtrũ vel puerilis, & lubricus ſenſus, vel fœminea & reſoluta ſegnities, haberi apud Deũ in ſancto, & conſecrato numero nõ meremur.* Hinc Pharao licet Hebræorũ genti infenſiſſimus, quã ſi poſſet, radicitus cupiebat exſcindere, aut certè adeo atterere, vt ab eis nihil ſibi timere poſſet Ægyptus, non vetuit fœminas educari, à virili tantũ ſexu, ſibi, regnóque timēs. Viros enim fortes quales poſtea experta eſt Ægyptus, Moſen, & Aaron, malũ aliquod imperio ſuo creare poſſe intelligebat, fœminas verò tãtos in pectore ſpiritus concipere nõ poſſe ſentiebat, vt ab eis incommodum

Margin notes: Iud. 20. 15. — Iud. 3. 15. — Hipocr. Aphoriſ. ſect. 7. cap. 44. — Plin. lib 7. c. 17. — num. 1. 2. — Initio Cõment. in Numer. — Exod. 1. 15.

modum aliquod in Ægyptum importari poſſet.

3 Hæc verò de qua hactenus dictum eſt mulie-bris imbecillitas, & mollitudo, agnatam habet inopiam quamdam conſilij, & prudentiæ. Quare quod Euę accidit, quæ blandientis pomi pulchritudine capta, ſerpentiſque venenatis verbis, ſed dulcibus pellecta, ſeipſam, & virum, nóſque omnes in ingens malorum barathrum præcipites dedit, id aliis etiam frequenter vſu venire ſolet. *Sexus enim mulierum*, inquit Chryſoſtomus, *incautus & mollis eſt*: incautus, quia non omnia quæ videt, aut audit, *cum ſapientia, aut ratione conſiderat: mollis autem, quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum*. Imo idem Chryſoſtomus alibi docet mulierum proprium eſſe, decipi. Quæ etiam cauſa eſt, propter quam illas Apoſtolus à docendo ſubmouet. *Adam enim*, inquit, *non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prauaricatione fuit*. Quaſi diceret. Mulieres magis patent erroribus, ſeducuntur faciliùs, deceptionibus magis obnoxiæ ſunt, periculoſum igitur illis eſt, aut dogmata fidei tradere, aut fidelium moribus regendis præſidere, ne fortè quos ipſæ per imprudentiam hauſerint errores, cum aliis communicẽt, morbóque vulgato ingens aliquod detrimentum Reſp. patiatur. Enumeret hic mihi aliquis inſignes aliquot mulieres ex Scripturæ ſacræ monumentis, quorum prudentia aut inimicorum conſilia Patriæ noxia diſcuſſa ſunt, & euerſa, aut ſolerti iudicio prouiſum eſt, ne impendens aliquod malum, aut familiam, aut gentem Hebræorũ vniuerſam corriperet. Talis ſancta Iudith, quæ ciues ſuos deditionem meditantes in officio continuit; talis Eſther quę populũ ſuũ ab Amani fauore, Rege Aſſuero Iudæis, placato, & veritatẽ edocto liberauit; talis

Idem probatur quod illarũ conſilium imbecillũ ſit, facileq́; decipiantur.

Hom. 23. in Matth.

Hom. 23. in epiſt. 2. ad Cor.

1. Tim. 2. 14.

Digitized by Google

talis Abigail quæ Dauidis gladium à Nabalis mariti ſui ceruicibus auertit. Sed Iudith quamuis ad ſe vocatis presbyteris Chabri, & Charmi, illiſque clementer increpitis effeciſſet ne de facienda hoſtibus intra tot dies deditione cogitarent, ſi auxilia à ſuis non ſuppeterent; ipſa tamen non prodiuit in publicum, non habuit concionem ad populum, ſed quidquid hoc erat honoris, & oneris, ſenioribus reliquit. *Et nunc fratres*, inquit, *quoniam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite*, ab illa etiam, de qua dixi, increpatione temperatura, niſi id Reipubl. tempora, diuinique nominis gloria poſtulaſſent, ipſáque peculiari inſtinctu, ad id faciendum fuiſſet impulſa, quod & ipſa teſtatur, cum ait. *Quod potui loqui, Dei eſſe cognoſcitis*. Porrò Eſther magnum ſanè attulit momentum ad res Hebræorum pene deploratas, ac depoſitas reſtituendas, populúmque à cæde ad condictum diem decreta, liberandum. Sed nec inficiari quiſquam poſſit magnum ei ad rem bene gerendam attuliſſe adiumentum ipſum Mardochæum patruum, inſignis prudentiæ virum, & in Aſſueri aula diuturno tempore verſatum, cuius ipſa ſapiens conſilium, etiam poſtquam in locum Vaſthi renuntiata eſt Regina, ita excipiebat, vt ab eius præſcripto, ne latum quidem vnguem diſcederet; id enim ſacra hiſtoria narrante diſcimus. *Quidquid enim*, inquit, *ille præcipiebat* (Mardochæus ſcilicet) *obſeruabat Eſther, & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat*. Prudentia verò Abigail de qua dicitur in libro Regum, *Eratque mulier illa prudentiſſima*, œconomica potiùs fuiſſe videtur quàm politica;

Iudith 8. 10.

Ibid. n. 21.

Ibid. n. 30.

Eſther 2. 20.

1. Reg. 25. 3.

litica; quæ etiam in domus incolumitate tuenda, & ſernanda Nabalis mariti ſui re familiari, & etiam vita, luculenter apparuit, vt Nabali illud accidere potuerit (niſi Dominus illum ſuſtuliſſet) quod dicitur in Eccleſiaſtico. *Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex*, ereptus enim ab imminenti cæde beneficio vxoris, vitam quam ſtultitia ſua ipſe ſibi accerſierat, longius produxiſſet. Eccleſ. 26. 1.

4 Quamquam autem ſi illud tantum eſſet incommodum in muliere Principe, quod prudentia conſilioque deſtituta minus quàm viri Reipubl. commodare poſſit, eſſet quidem etiam per ſe ſumptum grande malum, & toto niſu à Repub. amoliendum: verùm illud ſæpenumero accidit, quod deterius eſt, vt muliebres cupiditates potentia armatæ magis furant, & tanquam immanes beſtiæ effractis clathris erumpant è caueis, diuina, humanaque omnia permiſceant, perturbẽt, euertant. *Non* enim *eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris*. Exemplo ſit Iezabel, quæ Prophetas Domini interfecit, Eliam capitali odio perſecuta eſt, Naboth virum innocentiſſimum bonis paternis & auitis per ſummam iniuriam ſpoliauit, mariti ſui ſimplicitatem irridens, quod regali poteſtate ad ſua commoda vti neſciret, & quaſi precario regnaret, honeſta dumtaxat ſibi licere ratus. *Dixit ergo ad eum Iezabel vxor eius: Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Iſrael, ſurge, & comede panem, & æquo animo eſto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ*, & conſecutus eſt quidem Achab vineam Naboth, quam optauerat, liberauitque Iezabel fidem ſuam, quam ſcelerata pollicitatione viro ſuo obſtrinxerat, interim

Idem probatur, quia vehementibus animi perturbationibus commoueri ſolent.

Eccleſ. 25. 18.

3. Reg. 18. 4. & 19. 2.

3. Reg. 21. 7.

terim ſe multis grauiſſimiſque ſcelerbus obligans, quæ omnibus perſpectiſſima ſunt, quibus hiſtoria illa nota eſt. Nec multum diſſimiles Herodiadis mores, quæ Regem acuit in S. Ioannem Baptiſtã, quem alioqui reuerebatur, & eo tandem impulit, vt capite truncare non vereretur. Quid de Athalia dicam, quæ ſui regni exordium cæde Regalis ſtirpis funeſtauit? quam cum Ioiadas Sacerdos de medio ſuſtuliſſet; *Lætatus eſt omnis populus, & ciuitas conquieuit.* Minus igitur mirum videtur ſi Tharſenſes, & Mallotæ ſeditionem concitarunt, quod mulieri dono dati eſſent (quamquam illud etiam ægrè ferre potuerunt quod diobolare ſcortum, turpitudinis infamia notatum, illos cum Imperio eſſet gubernaturũ.) Nam cum caput mulieris ſit vir, vt ſupra oſtenſum eſt, non ita æquo animo ferunt populi mulierem habere pro capite. Si enim turpe eſſe videtur, ac periculoſum, fœminam veſte virili amictam, aut virum ſtola, cultúve muliebri in publicum prodire, quod vetatur in Deuteronomio. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir vtetur veſte fœminea, abominabilis enim apud Deum eſt qui facit hac.* Ita etiam abſurdum eſt, & incommodum ſi mulier Imperij thronum occupet, aut viri muliebribus imperiis ſubiaceant.

Matth. 14. 8. 4. Reg. 11. Ibid. n. 20. 2. Mach. 4. 30. Deut. 22. 5.

5 Ex his autem quæ hactenus dicta ſunt, colligi poteſt ſapiens eſſe conſilium, mulieres etiam coniunctiſſimas cuiuſmodi vxores ſunt, regni arcana celare. *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo*, ait Propheta, *cuſtodi clauſtra oris tui.* Formulâ autem illâ loquendi, *quæ dormit in ſinu tuo*, vxor deſcribitur, vt cum dicitur in Deuteronomio, *ſiue vxor quæ eſt in ſinu tuo*, & alibi. *Et vxori quæ cubat in ſinu tuo.* Eſt

An cum mulieribus Imperij arcana communicãda ſint. Mich. 7. 5. Deut. 13. 6. Ibid. 28. 56.

Eſt autem mira quædam vis in mulieribus ad id quod voluerint à maritis ſuis eblandiendum. Imminebant Sampſoni Philiſtiim, eum ad necem quærentes. Dalilam ergo, quam mulierem Sampſon è Philiſtæorum gente adamauerat, mille, & centum argenteorum pollicitatione corrūpunt, vt ex ipſo Sampſone arcanum eliciat, diſcátque in quo tandem ſita eſſet admirabilis illius fortitudo. Vide quibus illum artibus, qualibuſque verbis aggrediatur. *Dic mihi obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit quo ligatus erumpere nequeas.* Sed Sampſon cum fortaſſe mulieris ingenium ſuſpectum haberet, quæ ſuis gratificandi ſtudio teneretur, ac propterea vnam, & alteram, imò etiam tertiam petitionem obſtinato ſilentio expuliſſet, illius tamen blanditiis, & importunitate fractus eſt. *Dixit enim ad eum Dalila. Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere in quo ſit maxima fortitudo tua. Cúmque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam. Ferrum numquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt conſecratus Deo ſum, de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri homines.* Hæc autem Sampſonis inconſtantia, & oculos illi, poſtmodum verò etiam vitam ademit; Aliis mentis oculos aperire poteſt, & vitam dare, ſi obfirmato ad muliebria blandimenta animo, quæ tacenda eſſe ſtatuerint, cum vxoribus non communicauerint.

Iud. 16.6.

Ibid. num. 15.

Digitized by Google

De legitima ratione Principatus capiendi, quæ eſt electio, & ſucceſſio.

CAPVT VI.

Duplex ratio ineũdi Principatus electio, & ſucceſſio.

1 DVplex tantum reperitur ratio ineundi Principatum (ſi tyrannicam occupationem excludas) eæ ſunt electio, & ſucceſſio, de quibus meritò quis poſſit ambigere quænam potior ſit, & Reipub. ſtatui vtilior. Nos rationum, atque exemplorum momenta pro vtraque parte in medium afferemus, ex quibus ſapiens lector de tota re iudicium ferre poſſit.

Argumenta quibus videtur probari electionem præſtare ſucceſſioni.

2 Ac primò quidem pro electione illud facit, quod ſi animis perturbatione vacuis ad illam veniatur, optimus eligi poteſt in Principem, taleſque fermè ij fuerunt, quos electio euexit ad regnum. Nam (vt de Moyſe, Ioſuë, aliiſque populi ducibus quos ipſemet Deus Iſraëlis gubernatores conſtituit, nihil dicam, quos ſanctiſſimos fuiſſe ſatis conſtat) optimus & ſtrenuiſſimus fuit Gedeon, de quo in libro Iudicum.
Iud. 8. 22. *Dixerunt omnes viri Iſraël ad Gedeon: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian.* Talis Iephte, qui cum Ammonitæ Iſraëlitas opprimerent, Principum Galaaditarum ſuffragio electus eſt, vt bella Domini depugnaret. Interpoſita enim iuramenti religione Principatus tradendi formulam in hæc
Iud. 11. 10. verba Galaaditæ conceperunt. *Dominus qui hæc audit ipſe mediator, ac teſtis eſt, quod noſtra promiſſa facia*

faciamus (vt ſcilicet tu Princeps noſter ſis.) *Abijt itaque Iephte cum Principibus Galaad, fecitque eum omnis populus Principem ſui.* Talis Saül egregia iuuenis indole, & ad virtutem propenſa, niſi poſtea impotens ambitio, & regnandi cupiditas eam corrupuiſſet, qui in Regem à Samuële inunctus eſt, Domino iubente, & poſtea populis volentibus, & Regem acclamantibus, & ſalutantibus ad Imperium eſt admotus. Talis Dauid, qui (1. Reg. 9. 24.) cum extincto Saül, diuino conſilio, & iuſſu ab eodem Samuële Rex inauguratus eſſet, à viris Iuda in Hebron eſt ad Regnum admiſſus, & deinde ab vniuerſo Iſraële, Iſboſeth ex humanis ſublato, honorifica rerum ab eo geſtarum commemoratione in Regem ſuper omnes tribus eſt receptus. *Venerunt enim vniuerſæ tribus Iſraël ad* (2. Reg. 2. 4.) *Dauid in Hebron dicentes, Ecce nos os tuum & caro tua ſumus.* (2. Reg. 5. 1.) *Sed heri & nudiuſtertius, cum eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens & reducens Iſraël. Dixit autem Dominus ad te, Tu paſces populum meum in Iſraël, & tu eris Dux ſuper Iſraël. Venerunt quoque & ſeniores in Iſraël ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino, vnxeruntque Dauid in Regem ſuper Iſraël.* Talis Ionathas, qui in Iudæ fratris locum, qui in bello fortiter ceciderat, ſubrogatus eſt electione amicorum Iudæ, vt ſacra Machabæorum narrat hiſtoria. *Et congregati ſunt*, inquit, *omnes amici Iudæ,* (1. Machab. 9. 28.) *& dixerunt Ionathæ. Ex quo frater tuus Iudas defunctus eſt, vir ſimilis illi non eſt, qui exeat contra inimicos, Bacchidem, & eos qui inimici ſunt gentis noſtræ. Nunc itaque te hodie eligimus eſſe pro nobis in Principem, & Ducem ad bellandum bellum noſtrum. Et ſuſcepit Ionathas tempore illo Principatum, & ſurrexit lo-*

eo Iudæ fratris ſui. Talis etiam videtur fuiſſe S. Iob, de quo dicitur in libro Geneſeos, *Mortuus eſt autem Bala, & regnauit pro eo Iobab.* (is eſt Iob iuxta veriorem ſententiam) *filius Zare de Boſra.* Accepit ergo regnum electione, non ſucceſſione, cum enim filius eſſet Zare, non tamen parentis ſui Zare, ſed Balæ Principatum dicitur obtinuiſſe. Tandem electione etiam regnum adepti ſunt Melchiſedech, & Adoniſedech Reges Ieruſalem, ſi vera eſt quorundam ſententia, qui ex nominis originatione, quod Regem aut Dominum Iuſtitiæ ſignificat, ſuſpicantur non illud proprium Principum illorum nomen fuiſſe, ſed appellationem potius muneris alicuius publici, quod ſuſtinerent, quodque ſuffragatione circuniectorum Regum conſequerentur, inter quos etiam ius dicerent, litéſque componerent, ſi quando aliqua vt vſuuenire ſolet, contentio extitiſſet. Quam ſententiam quod ad Melchiſedech attinet, probabiliorem facit, quod illum binominem, & eundem cum Sem filio Noë multi faciunt. Quod autem pertinet ad Adoniſedech, ex illius in vicinos Reges Imperio id ſatis quod diximus videtur confici. Ita enim dicitur in Libro Ioſuë.

Geneſ. 36. 33.

Quæ cum audiſſet Adoniſedech Rex Ieruſalem, miſit ad Obam Regem Hebron, & ad Pharam Regem Ierimoth, ad Iaphia quoque Regem Lachis, & ad Dabir Regem Eglon dicens. Ad me aſcendite, & ferte præſidium vt expugnemus Gabaon. Nec ſolum illi duo Reges, aut cæteri qui Ieroſolymis illis temporibus regnarunt, ſed alij etiam aliqui orientis populi, Principes, aut Reges ſibi electione optabant, quippe qui Magis hoc eſt ſapientioribus, quoſque naturæ bonitas, & diligens ſtudium longius

Ioſ. 10. 1. & 3.

longiùs à vulgo, & plebe prouexerat, Imperij habenas credebant. Quam conſuetudinem fortè reſpexit Ieremias cum ait. *Quis non timebit te ô Rex gentium? tuum eſt enim decus, inter cunctos ſapientes terræ* (quibus ſcilicet recepto more ad Regnum licet aſpirare) *& in vniuerſis regnis eorum nullus eſt ſimilis tui.* Sunt etiam (vt hoc obiter attingamus, quando de gentium conſuetudine in Regibus eligendis mentio incidit) qui putent Ægyptios Pharaones eligi ſolitos fuiſſe in Principes, capiuntque coniecturam, ex eo quod dixit Dominus. *Media nocte ingrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio eius*, &c. Cùm enim ipſe Rex Pharao tantæ calamitati ſuperſtes fuerit, colligunt eum primogenitum non fuiſſe, nec ſucceſſione per quam Regnum in primogenitos traducebatur, cepiſſe Principatum, ſed potius electione. Cæterùm argumentum hoc, vt probabile forte ſit, certè non eſt neceſſarium, nam nec alij primogeniti videntur occiſi quàm ij, qui parentes viuentes haberent, vt filiorum chariſſimorum cædis dolor in parentes redundaret, eſſétque parentum ac nominatim Pharaonis ipſius pœna. Et vt concedamus ab Angelo etiam eos interfectos qui primogeniti fuiſſent, licet parentibus iam eſſent orbati, nulla tamen ratio nos affirmare cogit, electione potius quàm ſucceſſione ad regnum perueniſſe Pharaonem; cum nonnumquam accidat, vt primogenito abſque liberis extincto, ſucceſſionis iure capiat principatum frater demortui Principis, ſecundo loco in lucem editus. Porrò quemadmodum electione optimus quiſque

Ierem. 10. 7.

Exod. 11. 5.

quiſque ad regnum vocari poteſt, ita ſucceſſione frequenter ad Principis inſipientis, tardi, ſtupidi, aut etiam crudelibus tyrannicisque moribus imbuti manus, habenæ Principatus deueniunt. Ideo Salomon ſe tam graui incómodo obnoxium animaduertens, parumque idoneum Regni ſucceſſorem ſe relicturum timens, *Rurſus*, inquit, *deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, quâ ſub ſole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui, & ſolicitus fui, & eſt quidquam tam vanum? Vnde ceſſaui, renunciauítque cor meum vltra laborare ſub ſole. Nam cum alius laboret in ſapientia, & doctrina, & ſolicitudine homini otioſo quæſita dimittit, & hoc ergo vanitas, & magnum malum.* Nec verò ſolum ita accidere poſſe aliquando, ſed frequenter euenire vſus ipſe docuit, & prudentiæ magiſtra experientia. Quam longa fuerit ſeries Regum Iuda, ex hiſtoria librorum Regum & Paralipomenon cognoſcere facili negotio quilibet potuerit. Quam verò multi ſe integros ſeruauerint, & à Iuſtitiæ, orthodoxǽque religionis tramite, veróque Dei cultu non declinauerint, Ioſiam laudans docet Eccleſiaſticus his verbis. *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij.* & paulò poſt additur. *Præter Dauid, & Ezechiam, & Ioſiam, omnes peccatum commiſerunt. Nam reliquerunt legem Altiſſimi reges Iuda, & contempſerunt timorem Dei. Dederunt enim regnum ſuum alijs, & gloriam ſuam alienigenæ genti* (quia nimirum vt ita fieret commeriti ſunt.) *incenderunt electam ſanctitatis ciuitatem*, &c. Tandem, vt concedamus eximio quodam Dei beneficio Principes Regni ſucceſſores optimam nactos

Eccleſ. 2. 18.

Eccleſ. 49. 1.

ctos eſſe indolem ad virtutem capeſſendam, planéque tales, quales eos votis noſtris ſi daretur effingeremus; accidit nihilominus vt parentibus orbati, dum adhuc puerilem agunt ætatem, nec dum negotiis tractandis apti ſunt, Reſpublica illud experiatur incommodum de quo ſapiens. *Væ tibi terra cuius Rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt.* Et quamuis non deſint multi Regij curatores, Præfecti, Magiſtratus, Conſiliarij, rerumque gerendarum adminiſtri, illud tamen meritò timendum eſt, ne vel oſcitanter cuncta procurent, quippe mercenarij, non Paſtores; vel certè auaritiæ ſtudeant in omnem rei faciendæ occaſionem intenti, illud potiſſimum curantes, qua ratione filios aut propinquos locupletent, & honorum inſignibus augeant, poſthabita interim eâ curâ, quæ potior eſſe debuiſſet boni nimirum communis, & publicæ vtilitatis, vt in eos quadret conqueſtio illa Ezechielis. *Væ paſtoribus Iſraël qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auctoritate imperabatis eis, & cum potentia.* Hæc Ezechiel, quæ mirum quantum mercenariis quibuſdam Rerumpublicarum, & iudiciorum adminiſtris, cum Dei, hominumque timorem poſthabuerunt, ad vnguem conueniant.

Eccleſ. 10. 16.

Ezech. 34. 2.

Argumenta pro ſucceſſione, contra electionem.

3 Hactenus pro electione diſputatum eſt. Nunc ad ſucceſſionem veniamus, pro qua multa afferri poſſunt. Ac primò quidem nobilitas Patrum, & Auorum

Auorum longa ſerie in clariſſimos,ac potentiſſimos Reges genus ſuum referentium, magnum habet momentum ad ingenerandam in populis de Principe exiſtimationem,virtutis opinionem, maieſtatémque conciliandam; & quia ex Aquilis columbæ,ex Leonibus cerui, aut lepores non naſcuntur, expectationem quamdam excitant,vt quemadmodum Principis parentes, aui, maiores, politica prudentia, & bellica virtute floruerunt, ita qui ex illis prognati ſunt, & in Regno adminiſtrando ſucceſſerunt, earundem virtutum exhibeant actiones. Quare Salomon eos beatos prædicat qui huiuſmodi nacti ſunt Principem,
Eccleſ.10. 18. cum ait,*Beata terra cuius Rex nobilis eſt.*vel vt Hebræo verti poteſt, *filius candidorum*, vel *candidatorum*.quæ dicēdi formula in idem recidit, éſtque periphraſis nobilium, qui claræ illuſtriſque ſtirpis ſunt germina. Itaque Patricios appellat Iſaias
Iſa.24.4. *altitudinem populi terræ*, & vt eſt in Prouerbiorum
Prou.17.6. libro; *Gloria filiorum Patres eorum*. Ideo in ſcripturis, qui egregium aliquid facinus perpetrarunt, quamquam propria virtute ſatis illuſtres videri poterant,maiorum tamen enumeratione nobilitantur. Phinees ſacerdos, cum vidiſſet vnum de filiis Iſraël intraſſe ad meretricē Madianitidem, zelo legis animo incenſus,& efferueſcens, virum ſimul & mulierem pugione confodit. Cum factum hoc ſcriptura commemorat,Phinees genus
Numer. 25.7. illuſtre nō tacuit.*Quod cum vidiſſet*,inquit, *Phinees filius Eleazari,filius Aaron ſacerdotis,ſurrexit*.Mathathiæ etiam cuius virtus in aſſerenda Iſraël tamen libertate nobilitata eſt,genus,& Patria recenſetur
1.Machab. 2.1. in Machabæorum libro, vt inde aliqua tanto viro accederet commendatio. *In diebus illis*,inquit,*ſurrexit*

rexit Mathathias, filius Ioannis, filij Simeonis, ſacerdos ex filijs Ioarib, ab Ieruſalē, & conſedit in monte Modin. Magnū ergo Principi decus accedit ex nobilitate, quæ ex maioribus exiſtit, magnum ad tractandum regnum adiumentum. Hoc autem ſpectatur in Principatus initiis. Illud enim eſt in electionibus incommodum, quod non ita pacatæ ſint, & quietæ, ſed plerumque ſeditionum turbinibus obnoxiæ, cum is ferè contemnatur, qui à priuatâ fortunâ obrepſit ad Principatus inſignia, nec caret inuidia, qui ex æquali repente cæteris omnibus tanto ſuperior factus eſt, quantùm Regium faſtigium inter priuatos ciues eminet. Quod Saül tantis animi & corporis dotibus ornatus, tamque luculenta numinis voluntate ad regnum euocatus, vitare non potuit. Nam cum primùm populo acclamante Regni poſſeſſionem adiuit; *Filij* 1. Reg. 10. *Belial dixerunt, Num ſaluare nos poterit iſte? & de-* 17. *ſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Et ſanctus Dauid canit in Pſalmo. *In circuitu impij ambulant, ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominū.* Vel vt ex Hebræo verti poteſt. *Cum exaltati* Pſalm. 11. *fuerint viliſſimi hominum*, vt ſenſus ſit. Cum ad 9. Principatum infimæ fortunæ homines, nulláque, aut certè non adeo clara maiorum commendatione illuſtres, euehuntur (quod in electione contingere poteſt) tunc in circuitu impij ambulant, id eſt, omnia facinoroſis & impiis hominibus infeſta ſunt, circuniectámque regionem per ſeditiones, perduelliones, popularéſque tumultus obſident, certi tam obſcuro capiti obſequium non præſtare. Huc accedit omnium fere gentium conſenſus, quarum legibus ſancitum eſt, vſuque receptum, vt regni ſucceſſores non ſuffragiis in

optimatium, aut populi comitiis eligantur, ſed filij parentibus, aut propinquis propinqui iure ſanguinis ſuccedāt. Quæ etiam conſuetudo apud Hebræos obtinuit, apud quos parentum imperium traducebatur ad filios iure ſucceſſionis, vt Regum Iuda longā ſeriem conſideranti liquidò patebit. quamquam ad conſtituendos primos illos Reges, ſiue decem tribuum, ſiue Iuda, ſiue Iſraëlis vniuerſi, videtur populi acceſſiſſe ſuffragium, vel ad regnum conferendum, vt aliqui putant, vel ad Reges in adepti Regni poſſeſſionem mittendos. Nam primo Regum deſcribuntur comitia populi in Galgalis celebrata ad Saulem Regem conſtituendum, à Samuele conuoca-
1.Reg.11. ta. *Dixit autem Samuel ad populum. Venite, vt ea-*
14. *mus in Galgala & innouemus ibi Regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino in Galgala.* Hanc autem populi electionem reſpiciens Samuël, cum eumdem popu-
1.Reg 12. lum alloqueretur, ait. *Nunc ergo præſto eſt Rex ve-*
13. *ſter, quem elegiſtis.* Dauid etiam populi conſpiratione, & electione Rex primò in Hebron electus eſt, deinde vt dicitur ſecundo Regum, venerunt vniuerſæ tribus Iſraël ad Dauid in Hebron di-
2.Reg.5. centes. *Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus, ſed &*
1. *heri, & nudiuſtertius cum eſſet Saül Rex ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſraël. Venerunt quoque ſeniores Iſraël ad Regem in Hebron, & percuſſit cum eis Dauid fœdus in Hebron coram Domino, vnxeruntque Dauid in Regem ſuper Iſraël.* Isboſeth etiam populi ſuffragiis electus eſt, vel certè vt Saulis filius in Regem receptus, populo tamen, vt videtur,
2.Reg 2.8. ſuffragante. *Nam Abner filius, Princeps exercitus Saül, tulit Iſboſeth filium Saül, & circunduxit eum*
per

Digitized by Google

per caſtra, Regémque conſtituit. Illa autem Isboſethi per caſtra circumductio ad captandas populi voluntates videtur inſtituta, vt cum poſtea in ſuffragia iuiſſent, Rex Isboſeth declararetur. Rurſus tribus duodecim ante ſciſſum ſub Roboamo imperium in Sichem congregatæ ad Regem conſtituendum Roboamo ſuffragari renuerunt, quod tributa quæ à Salomonis tempore pendebant, minuere noluiſſet. Quamquam autem in horum Regum inauguratione aliquam habitam fuiſſe apparet populi rationem, illúmque admiſſum fuiſſe ad electionem faciendam, vel ſaltem calculo ſuo comprobandam, credibile tamen eſt procedente tempore, conſentiente populo, & de ſuo iure decedente, ita hoc ius in Reges fuiſſe tranſlatum, vt eum admitterent Regem, quem legitimæ ſucceſſionis iure ad Principatum veniſſe, ſibique Regem ſubſtituiſſe conſtitiſſet. Hoc enim ius penes antiquos Hebræos obtinuit, vt integrum eſſet Regi quem maximè ipſe probaſſet, & aliis præferendum cenſuiſſet futurũ Regem deſignare, nulla Primogeniorum habita ratione; eo fortè cõſilio vt ſucceſſionis & electionis incommoda vitarentur, vtilitates verò quæ vtrique ineſſent, accerſerentur. Hanc ob cauſam expectabat Iſraël vniuerſus, quem ex multis filiis quos ſuſceperat Dauid, Regni faceret hæredem. *Verumtamen Domine mi Rex*, ait Bethſabee ad Dauid, *in te oculi reſpiciunt totius Iſraël, vt indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo Domine mi Rex poſt te.* Quod Dauidi licere, etiam ſenſit Nathan Propheta, nam ad Dauidem ingreſſus, ita eum interrogat. *Domine mi Rex, tu dixiſti: Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum?* Quaſi dicat, ſi tuum

4.Reg. 12.

3.Reg.1. 20.

Ibid.num. 24.

eſt hoc decretum,tuæ vt par eſt voluntati aquieſcimus; alioqui caue ne alius aliquis temere irrũpat in regni poſſeſſionem. Roboam etiam ex viginti octo filiis maſculis quos ex variis vxoribus, quas duxerat, ſuſcepit; *Conſtituit in capite Abiã filium Maacha, ducem ſuper omnes fratres ſuos, ipſum enim Regem facere cogitabat, quia ſapientior fuit & potentior ſuper omnes filios eius.* Hæc autem parentum in eligendis filiis ad regnum poteſtas ſuis incommodis non caret, in primiſque ſuſcitat inter fratres diſcordias, odiiſque fomentum miniſtrat, vnde poſtea alter frater alterius vitæ inſidias ſtruat, parétque perniciem, vt eius ad regnum ſpes poſſit intercipi. Exemplum habemus in Geneſi, nam *Iſraël diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, eo quod in ſenectute genuiſſet eum, fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius, quod à Patre plus cunctis filiys amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.* Adeò autem conceptum odium cepit incrementum, eóque proceſſit, vt fratrem ſuum in ſeruitutem tradere non dubitauerint, quamuis parentis ſui luctum mente præciperent, & quanto ſe crimine obſtringerent, non ignorarent. Multos genuerat filios Rex Dauid, nec magis vni, quàm alteri regnum debebatur. Futurũ hoc erat Regis iudicium, vt dictum eſt. Hinc ſtatim Abſalonis extitit ambitio adeo violenta & impotens, vt non blanditiis tantum, & officiis Iſraëlitas ſtuduerit demereri, ſed violato publicè per ſummam impudentiam parentis thoro, copiiſque contractis, ſancto Dauid vitæ periculum creare non dubitauerit. Huius exemplum ſecutus Adonias triſtẽ fratris ſui exitum non reformidans, *Eleuatus eſt dicens. Ego regnabo,*

2. Paral. 11. 22.

Geneſ. 37. 3.

2. Reg. 1. 5. 1.

3. Reg 1. 5.

gnabo. nec deerant ex Regni Magnatibus qui illi fauerent, nam *Sermo ei cum Ioab. filio Saruiæ, & cum Abiathar ſacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ,* adeo vt pro Dauidis ſucceſſore ſemel conſtituendo, non ſemel turbæ extiterint, regnum in contraria ſtudia diſtrahentes, & ad cædes etiam maximáque regni damna erumpentes. Præterea electioni ſucceſſio hoc etiam præſtat, quod qui ex abiecta fortuna, aut certè non adeo celſa in regale faſtigium recepti ſunt, ſuperbiam facile, ac contumaciam, morúmque aſperitatẽ induunt, neſcis ſecundas res moderatè ferre ſéque à ſubditis, qui priſtinæ conditionis memores ſunt, ſperni metuentes. Vidit Salomon hanc morum inæqualitatem, cum ſcripſit in Prouerbiis; *Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere per ſeruum cum regnauerit, per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo, & per odioſam mulierem, cum in matrimonium fuerit aſſumpta, & per ancillam cum fuerit hæres Dominæ ſuæ.* Et forte Eccleſiaſticus eoſdem notat, cum ait, *Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum.* primo autem loco *Pauperem ſuperbum* collocat, qui cum demiſsè de ſe ſentire, & loqui debeat, aut ſuæ paupertatis qua premitur oblitus, aut ſtatus illius immemor, vnde paulò ante emerſerat, typho faſtidioſè tumidus, omnium in ſe odia, & inuidiam concitat. Adde ſucceſſionem hoc habere commodi quod cum Reipubl. ſtatus perpetuus ſit, & ſtabilis; ſi parentibus filij ſubrogentur, ſtabilis etiam quodammodo perpetuuſque princeps aulam tenet, publicíſque negotiis præſidet, parẽtéque ex humanis ſublato, vix iactura ſentitur, nam vt ait Eccleſiaſticus, *Mortuus eſt Pater eius, & quaſi non eſt mortuus,*

Ibid num. 7.
Prou. 30. 21.
Eccl. 25. 3.
Eccl. 30. 4.

ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo, in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis, reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Contra verò in electionibus crebræ mutationes Rempubl. perturbant, & in incolumitatis diſcrimen adducunt. Non eſt autem prætereundum quod dicitur; *Reliquit defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Nam & qui Regno alicui imminent, aut aliqua ratione infeſti ſunt, etſi ſenio confectum Regem ſciant, ac propterea negotiis gerendis imparem, non tamen quidquam mouere audent, propterea quod mox regnaturi Principis offenſionem reformidant, & amici, Magiſtratus, Præfecti, ſtrenuè regni commoda procurant, ſiue domi in ciuilibus negotiis, ſiue foris in militaribus expeditionibus. Nam extincto Rege nihilominus expectat à filio induſtriæ, fidelitatis, impenſique laboris mercedem ſibi reddendam. Omnes verò regni partes diligentius curantur ab eo, qui ſe ſtirpis ſuæ ſucceſſoribus imperium relicturum non ignorat, quàm ab eo qui extraneum aliquem, ſibi fortaſſe ſuiſque rebus infenſum, cum mori contigerit, ſuc-
Eccl. 2. 21. ceſſurum ſuſpicatur. *Nam cum alius*, inquit Eccleſiaſtes, *laboret in ſapientia & doctrina, & ſolicitudine, homini otioſo quæſita dimittit, & hoc ergo vanitas, & magnum malum.* Aliud etiam reperio in electionibus incommodum, quod eorum qui paulo ante rerum potiebantur, miſerabilis quodammodo conditio eſſe videtur, ſi qui prius Regum filij primas in Republ. tenebant, in quos omnium oculi & ſtudia erant conuerſa, poſtea paſſim ſi non contemnantur, certè non magnifiant, & ab

ab iis à quibus primùm fuerant colti; prætereantur, imperio ad alios, cum faſcibus, & maieſtatis inſignibus tranſlato. Itáque Eccleſiaſticus cum Aaronis ornamenta commemoraſſet, illud tanquam egregium addidit priuilegium, quod non eſſet *Indutus illis alienigena aliquis, ſed tantum filÿ ipſius ſoli, & nepotes eius per omne tempus.* & fieri etiam poſſit vt de violandis legibus, & in ſua gente retinendo Principatu quà iure quà iniuria deliberent, qui illius ſemel compotes facti fuerint. Neque enim eſt omnium ea animi moderatio, qua præditum fuiſſe ſcimus ſanctum virum Moyſem, qui etiam propoſito Aaronis fratris exemplo, cui ſacerdotium ad filios & nepotes tranſiturum creditum erat, de filiis tamen ſuis ad Principatũ vocandis, ſibique in ſummo Magiſtratu ſubrogandis nunquã egiſſe reperitur. Tandem qui electione venerunt ad Imperium, ſi veterem hiſtoriarum memoriam replicemus, non multò meliores, imò aliquando non paulò deteriores iis fuerunt, qui ſucceſſionis beneficio Reges facti ſunt, vt animum adiicienti, ex ſcripturis etiam ſacris conſtare poterit. Præſtat ergo, me quidem iudice, electioni ſucceſſio. Quare Deo bonorum omnium largitori ſupplicare debent Principes, qui filios nondũ ſuſceperunt, vt proles illis contingat Imperio digna, quam ſuo loco Reipubl. relinquant, non enim deſunt exempla in ſcripturis diuinis principum virorum, quos paternæ, aut maternæ preces mundo, ſuiſque Rebuſpubl. pepererunt. Talis Samuël & Sampſon par illud Heroum, quorum alter omnis probitatis, & ſapientiæ in iudicando; alter bellicæ fortitudinis egregium exemplar omnibus eſſe poteſt.

Eccleſ. 45. 16.

Cur ſummi Pontifices eligantur.

4 Quærat hic aliquis, quid ergo cauſæ eſt quã-obrem ſummus ſacrorum Princeps Pontifex maximus non ſucceſſione propagetur, ſed electione ad Pontificatum euehatur? Reſponderi poteſt multiplicem cauſam, cur ita fieri debuerit, afferri poſſe. Nam primò id ſuadet vetus figura Melchiſedechi ſacerdotis, iuxta cuius ordinem Chriſtus, & Chriſtiani ſacerdotes eſſe dicuntur. Is autem à D. Paulo deſcribitur eſſe. *Sine Patre,* Hebr. 7.3. *ſine matre, ſine genealogia,* vt nimirum hinc intelligeremus ſacerdotes Chriſtianos, nominatimque ſummum ſacerdotum Antiſtitem, nõ debere naſci, ſed fieri. Deinde ex Iſaiæ verbis hoc idem colligitur, cum de futuris olim in Eccleſia ſacerdotibus vaticinãs ait, *Aſſumam ex ijs Sacerdotes, & Leuitas,* Iſa. 66. 21. ſatis indicans vt D. Hieronymus adnotauit, non ex vna aliqua familia naſcituros, ſed ex omnibus gentibus quæ ad Eccleſiam confluxiſſent, eligendos, & aſſumendos eſſe. Tertiò idem probatur ex diſcrimine quod inter nouum, ac vetus teſtamentum intercedit. Nam quemadmodum vetus naturali generatione ex Iacob, ita nouum ſpirituali per Chriſtum regeneratione propagatum eſt: par ergo erat Aaronicum ſacerdotium carnale, mactandíſque pecudibus occupatum, & intentum, carnali etiam generatione ad ſucceſſores tranſmitti: Eccleſiæ autem ſpirituale, & ſpirituali ac diuinæ hoſtiæ ſacrificandæ deſtinatum, electione potiùs quàm generatione ad ſacerdotium peruenire. Tandem in ſacerdotibus Eccleſiæ qui propter vitæ integritatem, & morum puritatem, quam tam ſanctum miniſterium exercentes profiteri par eſt, cælibem vitam agunt, ſucceſſio locum habere non poteſt,

Digitized by Google

teſt, ac proinde, quod ſupereſt electione Pontifex, aliique Antiſtites, & Sacerdotes quærendi ſunt.

5 Rurſus autem quod ad electionem pertinet, alia dubitatio exiſtit: nam ſi alicui Reipubl. magis arriſerit Principis electio quàm ſucceſſio, ſtatim vocari poteſt in dubium; vtrum præſtet Indigenas, an peregrinos ad Regnum promouere. Qua in re video Iſraelitis imperaſſe Dominum, vt ne alterius nationis Principem ſibi deligerent, ita enim legimus in Deuteronomio. *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaueriſque in illa, & dixeris. Conſtituam ſuper me Regem ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* Adeo nõ voluit Dominus aduenas, & peregrinos Regno Iſraelitico potiri, vt etiam eos excluſerit, qui cum eadem ſacra ſuſcepiſſent, & Hebræorum Religioni nomẽ dediſſent, Proſelyti appellabantur; hi enim fratrum nomine, aut filiorum Iſrael non cenſebantur, vt docet Abulenſis. Cur autem aduenæ repellerentur, ea potiſſimum ratio eſſe potuit, ne veri Dei religio, quam puram, & incontaminatam ab omni errorum, & idololatriæ labe ſeruabant Hebræi, ab externis Regibus pollueretur, ritus enim exoticos vulgus ignarum facilè recepiſſet, Principis ſui imitatione ductum, Deorúmque profanam multitudinem, quæ à gentibus colebatur, inuexiſſet: Proſelyti verò reiiciebantur, nam hoc hominum genus non ita eſt in ſuſcepta fide conſtans, cum enim ab ineunte ætate aliis Religionibus imbuti fuerint, aliáſque ſa-

An peregrini ad regnũ eligendi.

Deut. 17. 14.

Matth. 23. quæſt. 90. Et Exod. 12. quæſt. 58.

crorum ceremonias diuturno tempore vſurpauerint, fit nonnunquam vt animus identidem cum quadam ad eadem propenſione, & inclinatione referatur. Deinde vt ſint in ſuſcepto propoſito conſtantiſſimi, fieri tamen poteſt vt propinquos ſuos, quos naturali beneuolentia complectuntur, Principatus participes faciant, honeſtioribus quibuſque muneribus eis demandatis, qua in re vel eadem, vel paulo minora incommoda ſentiret Reſpubl. ac ſi Rex ipſe alienæ Religionis cultor

1. Tim. 3.6. eſſet. Quare S. Paulus vetat Neophytum eligi in Epiſcopum, quamquam cum dicti ſui rationem affert, periculum potius priuatum Neophyti, quàm publicum Eccleſiæ timere videtur: *Ne in ſuperbiam*, inquit, *elatus in iudicium incidat Diaboli:* ſibi enim facilè placeret, ſi cum vix è fonte baptiſmatis emerſiſſet, in Paſtoris ſolio conſtitueretur: Eccleſiámque cui præficeretur, præ ſe deſpiceret, quaſi illius opera indiguiſſet, nec ſine eo ſalua eſſe potuiſſet. Tandem ita Dominum in Deuteronomio mandaſſe crediderim, quia Regali poteſtate, quæ præcipuus eſt honoris gradus in Republica populum ſuum, quem elegerat à principio, malebat ornare, quàm extraneos; cum præſertim hoc plurimum valeret ad mutuam beneuolentiam inter Principem, & ſubiectos populos alendam, & augendam. Affectabat Abimelech Sichimitarum imperium, ſubmiſſiſque ſuffragatoribus ſuis, hoc præſertim argumento conabatur ſibi populares ſuos adiungere, quod ſanguinis coniunctione illos attingeret, ac proinde potiùs ſe eligere deberent, quàm quemuis alium de

Iud. 9.2. filiis Ierobaal. *Abiit autem Abimelech*, inquit ſcriptura, *filius Ierobaal in Sichem, ad fratres matris ſuæ,*

&

& locutus eſt ad eos, & ad omnem cognationem domus Patris & matris ſuæ dicens. Loquimini ad omnes viros Sichem. Quid vobis eſt melius vt dominentur veſtri Septuaginta viri, omnes filij Ierobaal, an vt dominetur vir? Simulque conſiderate quod os veſtrum, & caro veſtra ſum. Locutique ſunt fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem vniuerſos ſermones iſtos, & inclinauerunt cor eorum poſt Abimelech, dicentes, frater noſter eſt. Sepoſuerat ſibi Dominus Iſraelitarum populum quem *Vineam ſuam electam*, quodam loco apud Prophetam, appellauit. Huic vineæ vt melius proſpectum eſſet per Oſeam pollicetur, *Et dabo ei vinitores ex eodem loco.* Apud quem Prophetam etiam legimus, *Dies multos ſedebunt filij Iſrael* (id eſt mœſti erunt, & dolentes, ſeſſio enim dolentis habitus eſt) *ſine Rege, ſine Principe*, ſed Kaldæa paraphraſis locum aptè ad id quod intendimus probandum; explicat. *Abſque Rege*, inquit, *de domo Dauid.* Et Iſaias populi ſui calamitatem deplorans. *Regionem*, inquit, *veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili*, quod malum deprecatur Dauid in Pſalmis, cum ait. *Erue me de manu filiorum alienorum*, & alibi, *Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me.* Et Ieremias nuntium, quo omnium animi mœſtitia contracti ſunt, commemorans. *Ecce*, inquit, *auditum eſt in Ieruſalem, cuſtodes venire de terra longinqua.* Cui contrarium, & lætitia perfundens eos ad-quorum aures accidiſſet, eſt apud Ioel, cum ait, *Erit Ieruſalem ſancta, & non tranſibunt alieni* (Kaldæus, extranei) *per eam amplius, & erit in die illa, ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ. Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.* quæ allegoria floren

Ierem. 2. 21.
Oſee 2. 15.
Oſee. 3. 4.
Iſa. 1. 7.
Pſal. 143. 7.
Pſal. 53. 5.
Ierem. 4. 16.
Ioel. 3. 17.

Digitized by Google

florentem ciuitatis ſtatum exhibet,quem ſua benignitate pollicebatur Deus populo ſuo. His verò allatis ex Scriptura teſtimoniis illud conficitur. Extrema mala, & totius Reipubl. euerſionem illis impendere Rebuſp. quibus Principes alieni dominantur, idolis cultum diuinum impendentes, aut de orthodoxa fide malè ſentientes. Nam de his Pſaltes prophetæque loquuntur. Hos enim cum parum Deo fidi ſint, procliue eſt credere in ſeruandis fœderibus, ac conuentis, quæ cum ſubditis ſuis pepigerunt, nihilo magis fideles fore, cumque Deum non reuereantur, nec hominum offenſionem reformident, grauiſſima Reipubl.incommoda allaturos. Quod ſi contingat alterius nationis Reges, aut voluntaria deditione populos aliquos in ſuam recepiſſe fidem, & tutelam; aut iuſto bello ſubegiſſe: ſi veri Dei cultores ſint, & puram ſeruent, & incorruptam fidei integritatem, eximij cuiuſdam diuinitus accepti beneficij loco numerari debet, ſub huiuſmodi Principis imperio æuum agere, qui non fortunarum modò,& vitæ,ſed etiam probatorum morum, & dogmatum cuſtos ſit, & vindex; quo protegente Remp. nec luporum rabies ouiculas Chriſti lacerare,nec hæreſum vulgata contagio, Paſtoribus in pace excubantibus, gregem corripere, aut corrumpere poſſit.

***

Regna,

Regna, quæ ſucceſſione ineuntur, Primogenitis deberi.

CAPVT VII.

DIctum eſt ſuperiori capite de Electione, & Succeſſione, ſtatuimúſque hanc illi præſtare, ex hoc alia exiſtit dubitatio, cui potiſſimùm ex filiis debeatur Regnum, ſi contigerit Principem decedentem multiplicem ſobolem ſibi ſuperſtitem relinquere.

1 Huic autem quæſtioni reſpondendum cenſeo Primogenito principatum deberi, quod vſus gentium, ratioque confirmat. Atque, vt de vſu dicere incipiamus, reperio apud antiquos Hebræos Primogenitos ſemper, in honore habitos, melioremque eorum fuiſſe conditionem, quàm cæterorum fratrum: quare Deuteronomij lege cautum erat, vt parentes primogenitos filios largiori hæreditatis portione donarent, nec quidquam odio darent, vel amori; ſed lex iſta perpetuo ſancta eſſet, & firma. *Si habuerit*, inquit, *homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odioſam, genueritque ex ea liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiã inter filios ſuos diuidere, non poterit filium dilectæ facere primogenitũ, & præferre filio odioſæ, ſed filiũ odioſæ agnoſcet primogenitũ, dabitque de his quæ habuerit cuncta duplicia, iſte enim eſt principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.* Porrò vt in hereiſcunda hæreditate præferebantur primogeniti reliquis fratribus, ita in optione loci tribuebatur honeſtior, cuiuſmodi eſt, qui eſt ad dexteram.

Ita vſum gentiũ obtinuiſſe.

Deut. 21. 15.

raim. Ideo Ioſeph cum ad dexteram parentis ſui Iacob Manaſſem Primogenitū ſtatuiſſet, ad ſiniſtram verò Ephraim iſque decuſſatis brachiis dexteram impoſuiſſet Ephraim, Manaſſi verò ſiniſtram, cum latens myſterium non aſſequeretur, conatus eſt Patris dexteram transferre in caput

Geneſ. 48. 17. Primogeniti. *Videns enim Ioſeph quod poſuiſſet Pater ſuus dexteram manum ſuper caput Ephraim, grauiter accepit, & apprehenſam manum Patris, leuare conatus eſt de capite Ephraim, & transferre ſuper caput Manaſſe, dixitque ad Patrem; Non ita conuenit Pater, quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.* Propter eamdem loci dignitatem Chri-

Rom. 8. 29. Epheſ. 1. 20. ſtus Dominus, qui *Primogenitus eſt in multis fratribus, conſtitutus eſt ad dexteram Patris in cæleſtibus.* Ruſuſque quicumque diuino beneficio cæleſtis regni participes erunt, dexteram tenebunt in extremi Iudicij die: Dominus enim quas oues in beatas illas cæli caulas erit inducturus, à dextris

Matth. 25. 33. D. Hieronymus in epiſt. ad Onagriū. & in cap. 49. Geneſ. & alij. ſtatuet, ipſo dicente, *Statuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Nec loci tantum dignioris prærogatiua tribuebatur Primogenitis, ſed cultu etiam honeſtiore, & pulchriore amiciebantur: ſunt enim qui putent veſtes illas, quibus Rebecca filiuum ſuum Iacob induit, cum ad Patrem Iſaac, Eſau ſupplantaturus, & benedictionem precepturus, ingreſſus eſt, fuiſſe Eſau quâ Primogenitus erat, atque adeo fuiſſe veſtes Sacerdotales, quibus ille inter ſacrificandum vteretur. Putant enim Primogenitos in legis naturalis ſtatu fuiſſe Sacerdotes, quod verum ſit an ſecus, non diſputo. Quod verò ad Principatum attinet, illum etiam illius æui conſuetudo, & eorum quæ ſecuta ſunt, ſæculorum vſus, primogenitis attribuit.

Quare

Quare bonus ille ſenex Iſaac dierum plenus, benedicens filio ſuo Iacob, de quo paulò ante dicebamus, qui non quidem ætate, ſed diuinæ decreto voluntatis pro maiore, & primogenito habendus erat, *Seruiant*, inquit, *tibi populi, & adorent te* Geneſ. 27.
tribus, eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur 29.
ante te filij matris tuæ; & Paralipomenon lib. 2. narratur factum Ioſaphat Regis Iuda, qui cum multos filios procreaſſet, Principem tamen conſtituit natu grãdiorem, cæteris enim *dedit Pater ſuus* 2. Paral.
multa munera argenti, & auri, & penſitationes, cum 21.3.
ciuitatibus munitiſſimis in Iuda. Regnum autem tradidit Ioram eo quod eſſet Primogenitus. Similis elicitur probatio ex diſſimilis facti narratione, quæ habetur in Regum hiſtoria. *Quod cum vidiſſet*, inquit, *Rex Moab*, præualuiſſe ſcilicet hoſtes, *tulit ſecum* 4. Reg. 3.
ſeptingentos viros educentes gladios, & irruperunt ad 26.
Regem Edom, & non potuerunt. Arripienſque filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum. Ex his autem ad rem noſtram, explicari poteſt D. Paulus, qui virum mulieri præeſſe vult quodam quaſi iure Primigeniorum, ita enim ſcribit ad Timotheum; *Docere au-* 1. Tim. 2.
tem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed 13.
eſſe in ſilentio. Cur autem dominari in virum non permittat, ſubiicit rationem. *Adam enim primus formatus eſt, deinde Eua*, quaſi diceret, hoc illi deberi, quod priùs in hanc lucem editus, Primogenituræ iura conſecutus eſſet. Hinc ſanctus Dauid Deum alloquentem Chriſtum Dominum inducens, quem, vtpote primogenitum à dextris ſuis ſedere iubet (*Sede à dextris meis*) *Tecum Principium*, Pſal. 109.
inquit, vel *tecum Principatus*, Græcè enim eſt ἀρχὴ, 1.
quod vtrumque ſignificat, quæ gemina eiuſdem

vocis

vocis ſignificatio id quod volumus quodammodo probat, quaſi eidem debeatur Principatus, qui, vt pote Primogenitus, eſt etiam naſcendi principium. Satis ergo ex his conſtat, Primogenitis potius quàm cæteris minoribus fratribus Imperium tradi conſueuiſſe, ſed cur ita fiat, rationes aliquas ſubiiciamus.

Ita factum propter amorem, quo Parentes primogenitos filios proſequuntur.

2 Ac prima quidem ſit amoris vis vehementior, quo parentes filios ſuos, quos primo locò ſuſceperunt, complectuntur. Inceſtauerat Amnon ſororem ſuam Thamar, idque per vim: eam iniuriam Abſalon, Thamaris frater moleſtiſſimè tulerat. Dauidi etiam vtriuſque parēti indignum facinus viſum fuerat, de eo tamen ita legimus in

2. Reg. 13. 21. Reg. hiſtoria. *Cum autem audiſſet Rex Dauid verba hæc, contriſtatus eſt valde, & noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum, quia Primogenitus erat ei.* Itaque tantum ſcelus inultum tranſmiſit, quamquam non impunè abiit Amnon, eſt enim à fratre in vindictam iniuria trucidatus, quæ cædes cum ad Parentis aures perlata eſt, eius animum mirum quantum perculit!

Ibid. n. 31. *Nam ſurrexit Rex & ſcidit veſtimenta ſua, & cecidit ſuper terram, & omnes ſerui illius qui aſſiſtebant ei, ſciderunt veſtimenta ſua.* Significationibus hiſce mœroris oſtendens quam grauiter ferret cædem Amnonis Primogeniti, quod etiam Abſalonis proſcriptio ad multum tempus, planè confirmat. Huius etiam amoris vehementiam ex dolore quem parit, ſi primogenitus moriatur, expreſſit Zacha-

Zachar. 12. 10. rias illis verbis. *Et plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte Primogeniti.* Ægyptij verò etiã experti ſunt, nam cum ad frequentes plagas, quibus illos cædebat

Digitized by Google

debat Dominus, callum obduxiſſent, grauiore percuſſione excitandi fuerant, vt doloris ſenſu acerbiore commoti, tandem populum Dei permitterent capeſſere iter in deſertum, iuxta decretum Domini, nec ampliùs ſe æquis illorum poſtulatis opponerent. Moyſes ergo minas intentans, & mala quæ erant experturi prædicens, denuntiabat. *Hæc dicit Dominus: Media nocte ingrediar in Ægyptum, & morietur omne Primogenitum in terra Ægyptiorum, à Primogenito Pharaonis qui ſedet in ſolio eius, vſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam, & omnia primogenita iumentorum.* Et quidem Pharao minis commotus non eſt, vt populum miſſum faceret, ſed cum tandem Primogenitum ſuum percutientis Angeli mucrone proſtratum vidiſſet, ſuo malo doctus, Diuinæ ceſſit potentiæ, & Iſraëlitis abeundi fecit poteſtatem, quique Iſraëli, Dei *Primogenito* (ſic enim beneuolentiæ cauſa appellatur in Scripturis) reſtitit, ne quo vocabatur, iter poſſet intendere, Primogeniti ſui morte, & ingenti populi, iumentorumque ſtrage cognouit, quàm ſint infirmæ vires humanæ, ſi cum Diuina potentia componantur. Quærenti autem rationem, cur parentes tanto amore primogenitos filios proſequantur, ea reddi poteſt, vel quod diuturniore tempore confirmata beneuolentia etiam maior euadat quotidianis auctibus, vel quod multùm ea amemus, quæ magno labore nobis comparauimus; Primogenitorum verò partus matri laborioſior eſt, maiorisque periculi quàm cæterorum filiorum, & vtrique parenti plures affert moleſtias, curas, & ſolicitudines dum educantur, cum primogeniti ſint etiam aliquo temporis ſpatio vnigeniti, ac proin-

Exod. 11. 4.

Exod. 4. 22.

Eccleſ. 36. 14.

Digitized by Google

de vnica parentum cura, orbitatiſque ſolatium quam parentes maximè timent, & refugiunt. Eaque cauſa eſt, cur in ſcripturis Primogeniti appellentur primitiæ laborum parentum ſuorum, vt

Pſal 77. 56. cum dicitur in Pſalmo; *Et percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum.*

Gen. 49. 3. Et in Geneſi. *Ruben Primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei.*

Idem probatur ex maiori Primogenitorũ excellẽtia.

3 Sed ne cæca quadam animi propenſione, cuiuſmodi amor eſt, credamus homines ductos fuiſſe, cum Primogenitos paterni Principatus hæredes conſtituerunt, facti huius probabilis ratio duplex afferri poteſt. Prima eſt, quod maior quædam excellentia in illis eluceat, & in ſuo genere, quæcumque primogenita ſunt, eadem etiam perfectiora, & abſolutiora eſſe videantur, ideo dici-

Gen. 4. 4. tur de Abelis ſacrificio; *Abel quoque obtulit de Primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Studuit autem Abel ea Domino offerre, quæ ſelectiora

Ibid. eſſent, & meliora, vnde commeritus eſt, vt *Reſpiceret Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Hinc

Deut. 33. 17. Moyſes Ioſeph benedicens ait, *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Et Dominus iuſſit Primoge-

Exod. 13. 2. nita omnia animalium, & frugum primitias ſibi

Exod. 34. 26. offerri, ac ſanctificari. Imò inter res alioqui malas, & auerſandas, illa dicitur primogenita, quæ peior, truculentior, feralior. Sic apud Iob. Baldad Suhites, diris neſcio quem deuouens, & gra-

Iob. 18. 13. uiſſima quæque mala imprecans ait: *Deuoret pulchritudinem cutis illius, conſumat brachia illius primogenita mors*, funeſtiſſima ſcilicet, quæ meritò inter luctuoſas mortes obtinere poſſit principatum. Altera ratio eſt, quod Primogeniti ætatis prolixioris beneficio pluribus experimentis edocti,

Digitized by Google

cti, ſolidiorem prudentiam collegiſſe credantur. Idcirco Sapientia, quæ *Gyrum cæli circuiuit ſola, & profundum Abyſſi penetrauit, in fluctibus maris ambulauit, & in omni terra ſtetit, & in omni populo, & in omni gente primatum habuit*, Primogenitam ſe eſſe gloriatur, cum ait; *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, Primogenita ante omnem creaturam.* Et Iob. *In antiquis*, inquit, *eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* & eodem libro, Eliu ſe reliquos amicos reueritum fuiſſe teſtatur, quod cum eſſent natu grandiores, plus etiam ſapientiæ illis ineſſe ſibi perſuaſiſſet, ait enim: *Iunior ſum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demiſſo capite veritus ſum vobis indicare meam ſententiam, ſperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam.* Et Eliphaz Themanites Iobi eleuans prudentiam, ſuamque, & ſuorum commendans, eodem argumento vtitur ab antiquitate, & experientia petito. *Nunquid*, ait, *primus homo tu natus es, & ante colles firmatus? Numquid conſilium Dei audiſti, & inferior te erit omnis ſapientia? quid noſti quod ignoremus? quid intelligis quod neſciamus? & ſenes & antiqui ſunt in nobis, multò vetuſtiores quàm Patres tui.* Huc etiam Dominus reſpexit, ſi D. Hieronymo credimus, cum Petro potiùs ſeniori, quàm Ioanni, dilecto quidem, ſed iuniori dixit. *Paſce oues meas. At dices*, inquit D. Hieronymus, *Super Petrum fundatur Eccleſia, licet idipſum alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni calorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur. Tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio, ſed cur non Ioannes electus eſt virgo? Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat.*

Eccleſ. 24. 8.

Ibid. n. 5.

Iob. 12. 12.

Iob. 32. 6.

Iob. 15. 7.

Lib. primo in Iouin.

Ioan. 21. 17.

Cur ſecũdo loco nati Primogenitis aliquãdo antelati.

4 Sed obiiciat hic aliquis, ſi quæ de Primogenitis hactenus diſputata ſunt, ita ſe habent, vt diximus, quid eſt quod in Scripturis ſanctis non rarò reperimus minores natu grandioribus eſſe prælatos, idque Dei ipſius iudicio, quem tamen in his iudiciis falli non poſſe certius eſt, quàm vt de eo dubitari poſſit? Dilexit enim Abel magis quàm Cain, Iſaac quàm Iſmael, Iacob quàm Eſau, Phares quàm Zaram, Ephraim quàm Manaſſem, Iudam quàm Ruben, Dauid quàm fratres eius, Moyſem quàm Aaron. Sed hoc ipſum quod obiicitur, id quod nos de Primogenitorum prærogatiuis attulimus confirmat: quamuis enim Primogeniti aliis præſtarent, voluit tamen non ſemel Dominus minores maioribus anteferri, vt maiorum typhum, ſuperbiámque comprimeret, vtque intelligerent homines verum illud eſſe

1. Cor. 1. 27. quod D. Paulus teſtatur: *Infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis carò in conſpectu eius:* verumque eſſe appareat quod Dominus dixit,

Matth. 19. 30. *Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.* Deinde præcipuum quoddam myſterium ea prælatione tegitur: ita enim factum eſt, vt intelligeremus Synagogam ex Iſraele collectam, de qua

Eccleſ. 36. 14. Eccleſiaſticus loquitur cum ait: *Miſerere plebi tuæ ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum, & Iſrael quem coæquaſti Primogenito tuo,* id eſt quem vt Primogenitum carum habuiſti; iam contentione Eccleſiæ ſecundas tuliſſe, illique fuiſſe poſtpoſitam.

An expediat fœmineam prolem Regni hæredẽ eſſe.

5 Ex his igitur quæ hactenus diximus, confici videtur, in Primogenitum debere tranſmitti Principatum ab eo qui multiplicem prolem maſculam

ſuſce

ſuſcepit. Quod ſi filio parens ſuperſtes fuerit, in illius ius, & locum more gentium ſufficiendum eſſe fratrem qui ab illo proximus eſt, cæteroſque deinceps, ſi natu grandiores contigerit adeo immatura morte ſubduci, vt nec filios procreare, nec ad Principatum venire potuerint. Sed quærat aliquis ſi fœminæ tantùm ex Principe naſcantur, quid ſit è Reipubl. re, an nimirum commodius putandum ſit eas Regni hæredes eſſe, ita vt cum nuptæ procreauerint filios, his non paterni tantùm, ſed materni etiam principatus iura cedant, an ſatius ſit illas ab hoc de quo agimus ſucceſſionis iure ſubmouere? Et ſubmouendas quidem eſſe ratio videtur ſuadere, nam fœmina regni alicuius hæres ſiquidem nubere recuſauerit, ac proinde nullam ſuſceperit prolem, Rempubl. in magnum turbarum diſcrimen adducit, potentiſſimo quoque imperio imminente,& inſidiante. Si verò nupſerit, aut peregrino Principi nubit, aut ciui, ſubditóque ſuò. Si peregrino,iam Regnum tranſit ad cæteros, ciuibus frementibus, Principiſque ſuæ coniugium damnantibus, ne dicam peregrino parere recuſantibus. Si ciui, ſubditoque ſuo, quomodo erit in tanta conditionis diſparitate æqualitas illa voluntatum conciliatrix, conſeruatrixque beneuolentiæ, ſine qua matrimonia ſuſpicionibus, rixis,& mutuis odiis, ac quotidianis fere conuitiis plena ſunt? Pro altera verò parte ſummi legiſlatoris Dei decretum afferri poteſt quo in veteri Hebræorum lege filiabus Salphaad, qui abſque maſcula prole deceſſerat,hæreditaté deberi ſtatutum eſt. Quamnis enim lex illa iudicialis fuerit, ac proinde cum Hebræorum Republ. extincta ſit, naturali tamen

Num. 27. 1.

æquitate niti videtur, & multarum gentium moribus recepta conſuetudine, vt ne filiæ paternæ hæreditatis iure excludantur. Itaque pro illis pronuntiatum eſt, & filiæ Salphaad viſæ ſunt omnibus æqua poſtulaſſe. Fauet etiam naturalis illa parentum propenſio, qui liberis ſuis ſiue fœminæ ſint, ſiue mares, theſaurizare ſtudent vt lo-
2.Cor. 12. 14. quitur D.Paulus. Quæ ſanè inclinatio animi, cum ab ipſa natura pectoribus noſtris ingenita ſit, damnanda non videtur, imò potius illi quatenus licuerit obſecundandum. Tandem exemplo eſſe poteſt S. Iob, inter Orientis Principes non poſtremus, qui ſuis bonis euerſus, ac poſtea diuino beneficio in ampliorem fortunam reſtitutus, filiabus ſuis non minus quàm liberis virilis ſexus hæreditatem partitus eſt, vt legimus in eius hi-
Iob.42.15. ſtoria cum ait. *Deditque eis Pater ſuus hæreditatem inter fratres earum.* Cæterùm, quia aliæ in aliis regnis conſuetudines obtinuerunt, aut etiam leges ſancitæ ſunt; quod in illis conſtitutum fuerit, iuri, æquitati, & Reipubl. bono conſentaneum cenſendum eſt, & à Principibus, iiſque quorum intereſt tanquam publicis commodis opportuniùs vſurpandum.

Quid de illegitimis. 6 Tandem dubitari poteſt, an qui ex legitimis nuptiis nati non ſunt, à Principatu ſemper excludendi ſint. Reſpondeo duplicem eſſe rationem Principatus adipiſcendi, vt ſupradictum eſt, electionem ſcilicet, & ſucceſſionem. Si de electione agatur, fieri aliquando poterit, vt ea ſit ſpurij virtus ciuilis, aut militaris, dexteritas in negotiis tractandis, morum integritas, iuſtitiæ tenacitas, aliæque dotes animi, & corporis, vt quandoquidem hoc ſpectat electio vt optimus eligatur,

tur, meritò euehi poſſit ad Principatum. Talis fuit Iephte, quem ſcriptura *filium mulieris meretricis* appellat, qui tamen prudenter & opportunè à Galaaditis electus eſt Princeps, cum bello Ammonitico premerentur. Si verò ad ſummum magiſtratum ſucceſſione veniatur, videndum erit quid Regni legibus ſanctionibuſque decretum ſit, nam vulgo concepti ferè vbilibet gentium arcentur ab Imperio, nec iniuria. Nam ſi licuit Abrahamo filios concubinarum, hoc eſt vxorum quæ legitimæ quidem erant, ſed ſecundariæ, & minori in pretio habitæ, ab omni hæreditate excludere, datis tantum muneribus, auro videlicet, argento, veſtibus, pecoribus, quibus ſe ſuoſque alerent, omnium verò reliquorum bonorum ſuorum hæredem dicere Iſaacum ex Sara primaria coniuge progenitum; multò magis licebit nothos ex vago concubitu ſuſceptos, patriorum bonorum aut Principatus exortes facere. Illud tamen ſemper Parentibus curandum eſt vt proli quomodocumque ſuſcepta ſit, bona contingat educatio, eaque ſuppetant quæ ad vitam propagandam neceſſaria ſunt. In veteri Hebræorum Republ. è ſcortis nati, qui Mamzeres apud illos dicebantur, in Eccleſiam Dei venire non poterant, hoc eſt ad ſocietatem politicam, & iurium communionem, quibus alij gaudebant, non admittebantur. Putant aliqui eos in populo Dei hereditatis capaces non fuiſſe, alij à dignitatibus tantum publiciſque muneribus ſubmotos exiſtimant, ſicque interpretantur illud Deuteronomij, *Non ingredietur Mamzer in Eccleſiam Domini.* quò reſpexiſſe videri poſſit Sapiens cum ait, *Filij adulterorum in inconſummatione erunt,*

Iud. 11. 1.

Deut. 23. 2.

Sap. 3. 16.

Digitized by Google

Græcè τέκνα μοιχῶν ἀτέλεςα, nam apud Græcos ἀτέλεςος quamquam alia ſignificat, accipitur etiam pro eo, qui ἐν τέλει non eſt, aut eſſe non poteſt, hoc eſt qui à publicis muneribus, & functionibus arcetur. Id autem fiebat in Hebræorum politia, quia communi gentium omnium ſenſu huiuſmodi homines propter pudendos natales infamia notantur: quare cum Chriſtus Dominus Iudæis, qui Patre Abrahamo gloriabantur, diceret;
Io.8.41. *Hoc Abraham non fecit*, quod ſcilicet vos facitis, adderetque: *Vos facitis opera Patris veſtri*, quaſi eos ſemen Abrahæ eſſe negaret, vt Origenes interpretatur, ac proinde opinione, aut errore illorum contumeliam impingeret; eos Nothos faciendo, cõmoti vociferebantur, *Nos ex fornicatione non ſumus nati.* Adde non infrequenter accidere, vt qui parentum ſcelere geniti ſunt, etiam parentum prauos mores ad quos ediſcendos plus æquo dociles ſumus, imitentur, & referant, cum præſertim eorum qui præ legitimis liberis non multum diliguntur à parentibus, ferè negligatur educatio, liberalique homine digna inſtitutione deſtituti, ad vitia capeſſenda fiant proniores.
Hebr. 12. 8. *Quod ſi eſtis extra diſciplinam*, inquit D. Paulus ad Hebræos ſcribens, *cuius participes facti ſumus omnes, ergo adulteri & non filij eſtis.* τὸ *Adulteri* Græcè eſt νόθοι, indicans eos qui ſunt huiuſmodi extra diſciplinam ferme eſſe, χωρὶς παιδείας, hoc eſt honeſtam & ingenuo homine dignam educationem minimè nanciſci. Non tamen propterea negauerim multos reperiri, qui cum nothi ſint, & vt S. Ioan-
Io.1.13. nes quodam loco eos appellat. *Nati ex voluntate carnis*, concupiſcentia ſcilicet carniſque voluptate, non autem amore prolis parentes ad con-

cubitum

cubitum incitante, videri tamen poſſint nati *Ex voluntate viri*, hoc eſt ex legitimo iuſtoque congreſſu, cuiuſmodi ille eſt qui honeſtum finem ſpectat procreandæ ſobolis, qualem ſibi finem virum proponere æquum eſt: nam & virtutem colunt, & vtilem Reipubl. nauant operam, aut ſtudiis doctrinarum, aut armorum tractatione bellicáque virtute, vt ſupra de Iephte dictum eſt.

Quibus diſciplinis, & magiſtris inſtituendi ſint ij, qui in ſpem Imperij educantur.

CAPVT VIII.

1 QVi educantur in ſpem Principatus, vt alios vitæ ſtatu antecellunt, ita inſtrumentis bene Rempubl. gubernandi præſtare debent, eáque quantum licet ſibi comparare, tenerioris ætatis inſtitutione, vt cum adminiſtrationem Principatus capeſſere opus habuerint, earum doctrinarum fructibus vtantur, in quibus elaborauerint. Quamquam enim ſunt aliqui ipſius naturæ habitu ita formati ad virtutem, tantaque docilitate ingenij, vt accedente experientia rerum magiſtra, ad omne decus ipſi per ſe poſſint eniti; negari tamen non poteſt, doctrinam munus quoddam eſſe diuino beneficio hominibus datum, quo qui præditi ſunt, longè à vulgi ſimilitudine abducuntur, & in arce prudentiæ atque ſapientiæ conſtituuntur. *Poſtquam ingreſſi ſunt filij*

Aliqua de diſciplina, doctrinaq; neceſſitate.

Geneſ. 6. 4.

G 5 *Dei*

Dei ad filias hominum, illaq́ genuerunt (exorti ſunt gigantes) *iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Liceat improbum hoc factum ad rem bonam ſignificandam transferre. Si duo iſta, magnum ſcilicet aliquod & excellens ingenium, cui accedant doctrinæ præſidia, miſceantur, tunc viri potentes exiſtunt, Principes rerum in pace, & bello geſtarum fama illuſtres, quorum tanta eſt virtutis magnitudo, vt cum communem hominum modum ſupergrediantur, gigantes meritò appellari poſſint, quorum humeris orbis inſideat, vt quo-
Iob. 26.5. dam loco S. Iob poëtico ſchemate nobis expreſſit, qui illos gigantes eſſe ſub aquis gemẽtes pronunciauit, magnos proculdubiò viros, & pares ferendo tanto ponderi, quod tamen vt hoc obiter dicamus, gemitum ab illis nonnunquam exprimit, dum populorum multitudine, immenſáque negotiorum ſarcina, quaſi aquarum multarum mole premuntur, ac pene obruuntur. Quare
17. Mor. cap. 12. D. Gregorius locum hunc S. Iob explicans, ait, *Si autem gigantum nomine potentes huius ſæculi deſignantur, in aquis poſſunt populi figurari, Ioanne atteſtante, qui ait, Aquæ enim ſunt populi.* & paulo poſt.
Apoc. 17. 15. *Quantò quis hic altius erigitur, tanto curis grauioribus oneratur, eiſque ipſis populis mente, & cogitatione ſupponitur, quibus ſuperponitur dignitate.* Et ſanè doctrina fax quædam eſt illuſtriſſima, quæ in vitæ huius implicatiſſima varietate, in qua multis, ac periculo pleniſſimis erroribus obnoxij ſumus, nobis prælucet, ac viam demonſtrat, qua gradiendum ſit, vt non immeritò in ſacris literis lucis nomen
Iſa. 24. 15. inuenerit. *Propter hoc*, inquit Iſaias, *in doctrinis glorificate Dominum.* Tò *Doctrinis*, in Hebræo eſt אורים, quæ vox lucem etiam ſignificat, & in

Exodo

Exodo occurrit, cum de luce ſermo eſt, quam in ſacerdotis Principis pectore ſplendeſcere voluit Dominus: quod enim habemus in editione vulgata, *Pones in rationali, iudicij Doctrinam, & veritatem*, ex Hebræo vertere poſſis, *Illuminationes, & Perfectiones*. Hos autem doctrinæ radios Principi ab ipſa pueritia affulgere plurimum intereſt: tenaciùs enim adhæreſcunt, quæ teneræ illi ætatulæ, tamquam molliori ceræ imprimuntur, & quo ſemel imbuti ſunt colorem ſeruant, & saporem doctrinæ, nec annis creſcentibus, ab ea, quam inſtituerunt, via deflectunt, aut diuertunt. *Adoleſcens enim iuxta viam ſuam ambulans, & dum ſenuerit, non recedet ab ea,* ſiue bona ſit, ſiue mala. Quare S. Iob de iis verba faciens, qui ab ineunte ætate vitiis aſſueuerunt, *Oſſa eius*, inquit, *implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*. Quas enim labes, & vitia quis in adoleſcentia contraxerit, ea vix exuit in ſenectute, ſed perpetuos habet vitæ ſuæ comites, donec ſepulchro condatur. Ideo Salomon adoleſcentem hortatur, vt continenti ſtudio, & pertinaci, doctrinam capeſſere non deſiſtat, cum ait, *Non ceſſes fili audire doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ.* Quod cùm omnibus conueniat, in Principes etiam aptiùs quadrat, qui Rempubl. ad rectæ rationis præſcriptum regere debent. Itaque de Ieroboamo filio Nabath Ephrataæô, qui in Principem peſſimum euaſit, fortaſſis commemorat conſulto ſcriptura illud adiunctum. *Cuius mater erat nominè Sarua mulier vidua*, quòd viduarum filij liberiùs nullo inſtituente educati, faciliùs vitiorum iter ingrediantur, quàm ij quorum Parentes, & magiſtri ſeueriore diſciplina, vt loquitur ſcriptura, *Cer-*

Exod. 28. 30.

Prou. 22. 6.

Iob. 20. 18.

Prou. 19. 27.

3. Reg. 11. 26.

Digitized by Google

Eccleſ. 30. 12. *uicem curuant.* Cum ergo primum per ætatem licuerit, futurus aliquando Princeps ſub magiſtro probæ ætatis, vitæ, atque eruditionis militare incipiat, & quemadmodum Saül ſub regni initium

1. Reg. 19. 23. *In Naioth* profectus eſt, vel vt Kaldæus reddit *In domum doctrinæ*, ſic Princeps noſter limen muſarum maturè terere non detrectet. De Moyſe qui à Pharaone Ægypti Rege loco filij habebatur, ita in Apoſtolorum actis loquitur S. Stephanus.

Act. 7. 22. *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus ſuis.* Qui locus ex iis quæ Philo in Moſis vita conſignata reliquit, lucem accipit, ait enim.

Philo lib. 1. de vita Moſ. *Moyſe iam facto grandiuſculo, confeſtim acceſſerunt aliunde præceptores quidam vltrò venientes è præfecturis Ægypti proximis; alij magnis præmijs inuitati à Græcia. At ille eos intra modicum tempus ſuperauit, natiua docilitate inſtitutionem præcurrens, vt reminiſci videretur non diſcere, in rebus difficilioribus de ſuo comminiſcens aliquid. Itaque numeros, & geometriam, vniuerſamque muſicam, rythmicam, harmonicam, metricam ſiue contemplatiuam, ſiue per inſtrumenta vocéſque promentem ſe modis varijs, accepit ab Ægyptijs doctoribus, & inſuper occultam philoſophiam deſcriptam litteris vt vocant hieroglyphicis, hoc eſt notis animalium, quæ ipſi venerantur pro numinibus: reliquas liberales artes Græci docebant. Ex propinquis autem regionibus euocati Aſſyrij ſuas litteras, Kaldæi ſyderalē, hanc & ab Ægyptijs didicit, Mathematicæ cum primis deditis.* Hæc Philo, ex quibus, aliiſque ſupra commemoratis apparet puerilem ætatem in Principe litteris imbuendam eſſe.

Deū ipſum magiſtrum Principum agere.

2 Porrò ſi quis quærat quem potiſſimùm vitæ bene inſtituendæ, morúmque ad virtutis præſcriptum

ptum componendorum Magiſtrum, Princeps futurus habere debeat; antequam de alijs magiſtris diſſerã, Reſpondeo à teneris cõdocefaciendũ eſſe, & hac ſalutari opinione imbuendum Principem, optimum eſſe eum ſibi doctorem eligere, quem ſibi olim Dauid tantus Rex, vt iuſtitiam addiſceret, omnéque genus prudentiæ, tantò ante delegerat, qui de ſe ipſo teſtatur in Pſalmo. *Manè aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es:* quaſi diceret, ex matutinis hiſce ſcholis, quibus à te Domino meo erudior, illud præſertim conſtat operæpretium, quod magis perſpicuè intelligo quãtopere peccati genus omne, iniuſtitiámque nominatim deteſteris, quæ omnes quidem dedecet, ſed potiſſimùm Principes, qui æquitatis aſſertores, & propugnatores eſſe debẽt. Talem Doctorem vbi euigilauerimus matutino tempore vt adeamus nobis auctor eſt Eccleſiaſticus, cum ait. *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius, & qui vigilauerint ad illum, inuenient benedictionem.* Nam cum, D. Iacobo teſte, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum ſit, deſcendens à Patre luminum:* dubitari non poteſt quin genus omne doctrinarũ, ac præſertim ciuilis illa ſapientia, qua Reges indigent, deſurſum ſit, *à regalibus illis ſedibus* deſcendens, à quibus, ſi fortè cunctetur, precibus ad Deum fuſis ſit deuocanda, quod Moyſem feciſſe, & illius miniſtrum, ac poſtea in populi gubernatione ſucceſſorem, Ioſuë, cognoſcimus ex ſacris litteris. Nam moſis quidẽ facies ex diuini ſermonis conſortio, longáque ac familiari conſuetudine ſplendorem quemdam contraxit, vt de monte deſcendens capite radiato ſuis apparuerit. Ioſuë verò

Pſal. 5. 5.
Eccleſ. 32. 18.
Iacob. 1. 17.
Sap. 18. 15.
Exod 34. 24.

intro

Deut. 31. 15. Pſalm. 103. 3. introductore Moyſe eiuſdem gymnaſij limen terere inſtituit, Dominúſque magiſtralem cathedram conſcendere non detrectauit, vt illum inſtitueret, columnam ſcilicet illam in nube, quam, iuxta Pſaltem Dominus *ponit aſcenſum ſuum*, primóque à fortitudine, Imperatoria virtute, ſuas ſcholas, quas poſtea ſæpius erat habiturus, auſpicatur, cùm dixit. *Confortare, & eſto robuſtus.* Deut. 31. 23. Tantúmque hoc magiſtro ſub quo fortitudinem præſertim didicerat, profecit, vt de illo dixerit Eccleſiaſticus; *Fortis in bello Ieſus Naue, expugnauit inſurgentes hoſtes, vt conſequeretur hæreditatem Iſraël.* Eccleſ. 41. 1. Eiuſdem magiſtri doctrina, & ſololis ſe eruditum eſſe gloriatur Iſaias Propheta, eodémque matutino tempore monita, ac documenta illa excepiſſe teſtatur, cum ait: *Dominus erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.* Iſa. 50. 4. Quorum verborum ſenſus eſſe poteſt. Dominus excitat me ad audiendum, & dicendi ardorem iniicit, doctrinámque illam cæleſtem ſine inuidia communicat: nam ſingulis diebus matutino præſertim tempore, cum illi adſto, erudit me in iuſtificationibus ſuis. Illa autem repetitio *manè, manè*, idem ſignificat ac quotidie, ſingulis diebus tempore matutino, vt ſit dicendi formula illi ſimilis quæ eſt in Pſalmo, *Illuc aſcenderũt tribus, tribus,* omnes ſcilicet tribus, & illi quæ in libro Pſalm. 121. 4. Geneſis eſt, vbi habemus. *Vallis autem ſylueſtris habebat puteos multos bituminis,* in Hebræo enim eſt, Geneſ. 14. 10. *Puteos Puteos.* Iis autem qui doctrinæ huius ſtudioſi fuerint, laboris ac diligentiæ fructus conſtat non pœnitendus, eos enim Dominus ad interiora quædam arcana cognoſcenda admittit, quæ cum aliis vulgò communicare non ſolet. *Firma-* Pſal. 24. 14.

mentum

mentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis. D. Hieron. vertit *Secretum Domini timentibus eum.* Quod cum experimento didiciſſet Eliſæus, quaſi nouum quiddam & inſolitum miratur, quod mors filij hoſpitæ ſuæ ſibi diuinitùs patefacta non eſſet. *Et Dominus,* inquit, *celauit à me, & non indicauit mihi.* Salomon etiam in Prouerbiis, *Cuſtodiet*, inquit, *Dominus, rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter.* Ex Hebræo bene vertere poſſis, *Abſcondet rectis ſalutem*, vel *ſapientiam.* Quod autem dicitur *Abſcondet,* ſignificat Dominum quaſi theſaurum ſapientiæ ſe poſiturum in commodum, vſumque iuſtorum, ſicut conſimili phraſi dicitur in pſalmo. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Poſtea verò quàm vt dixit Apoſtolus, *Apparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos,* ipſum etiam Chriſtum in peculiarem magiſtrum Principes adoptare debent. *Et nunc Reges intelligite,* inquit S. Dauid, *Erudimini qui iudicatis terrã.* Et paulò poſt magiſtrum indicans quem audiant. *Apprehendite,* inquit, *diſciplinam,* vel vt ex Hebræo vertere poſſumus. *Oſculamini filium*, hoc eſt Chriſtum Dominum, magno reuerentiæ ac pietatis affectu, tamquam magiſtrum cœlo delapſum admittite, ipſe enim eſt de quo legimus apud Ioël. *Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ*; ac proinde præcipuus, vnuſque magiſter veſter eſſe debet, cum reliquos omnes ſapientes infinito poſt ſe interuallo relinquat, vt de ſe ipſo verè teſtatus eſt, cum ait: *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus,* quem à vobis auferre nemo poteſt, ſed quantum volueritis, & quandiu ex

4. Reg. 4. 27. — Prou. 2. 7. — Pſalm. 30. 20. — Tit. 2. 11. — Pſalm. 2. 10. — Ibid. num. 12. — Ioel. 2. 23. — Matth. 23. 8.

illius

illius fontibus, qui omnibus ſemper recluſi ſunt,
Iſa.30.20. haurire poteritis. *Non enim faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes Praeceptorem tuum.* Quanti verò doctrina hæc de cœlo veniens fieri debeat, ex eo perſpici poteſt, quod hominum ſapientia vniuerſa quaſi guttæ cuiuſdam tenuiſſimæ inſtar habet, vnde nec eos qui eam collegerint penitus imbuere poteſt, ſed leuiter tantùm aſpergere; doctrina verò quæ *de fontibus* manat *Saluatoris* perennibus, & vberibus, largiùs pectus noſtrum infundere, mollire, prudentiæque germinibus fæcundum facere poteſt. Hinc Iſaias diuinam ſapientiam cum humana prudentia componens:
Iſa 40.13. *Quis adiuuit*, inquit, *ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi? Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ.* Quaſi dicat, quemadmodum ſtilla vnica nihil ferè eſt, ſi cum aquis quas complexu ſuo ſitula continet, comparetur: nec qui aquam baiulat, de vnica ſtilla ſolicitus eſt, quæ de madefacto cantharo aut ſitula inter eundum decidat: ita planè humana prudentia nihil propemodum eſt, ſi cum vaſtiſſimo diuinæ ſapientiæ Oceano in contentionem venerit.

Ipſos Principes in quibuſdam liberos ſuos erudire debere.

3 Sed præter hunc Magiſtrum de quo diximus, ipſis parentibus qui Principem genuerũt, magna cura incumbit, non tantum illum educandi vt corpus mole, & viribus adoleſcat, ſed multò magis vt virtutum incrementis augeatur, doctrinarúmque præſidiis magis ſemper magiſque confirmetur. Hinc frequenter in ſcripturis ſanctis reperio filios & filias à parentibus eruditas fuiſſe, vt de

de Suſanna primaria fœmina dicitur apud Danielem. *Parentes enim illius*, inquit, *cum eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi.* Et ſenior Tobias filium ſuum multis egregiíſque præceptis imbuit, quæ litteris ſacris conſignata etiam non multis proſunt, ea verò vt non ſolùm ad aures admitteret, ſed etiam in pectus altè demitteret bonus ſenex poſtulabat. *Audi filj mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quaſi fundamentum, conſtitue.* Et Salomon de ſe ipſo teſtatur ſe ſub parentum ſuorum diſciplina profeciſſe, ſic enim ſcribit in prouerbiis. *Audite filij diſciplinam Patris, & attendite vt ſciatis prudentiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. Nam & ego filius fui Patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea, & docebat me, atque dicebat. Suſcipiat verba mea cor tuum, cuſtodi præcepta mea, & viues. Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam, ne obliuiſcaris, neque declines à verbis oris mei.* Et Dominus miranda opera quæ patrauit, vt ex hoſtibus ſuis Iſraëliticum populum eriperet, ea voluit ita ad poſteros tranſmitti, vt parentes ipſi filios ea docerent; ac proinde paterna hac inſtitutione cognoſcerent, quàm diligenter, & ſedulò, quàm ſanctè & piè Dominum tantorum beneficiorum auctoré colere deberent, ac venerari. *Quanta*, inquit, S. Dauid, *mandauit Patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera: filij qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filijs ſuis, vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* Voluiſſe autem Dominum, vt per parentes filij nepotéſque iſta cognoſcerent, tum alibi habemus in ſcriptura, tum in libro Exodi. *Et dixit*, inquit, *Dominus ad Moyſem; ingredere*

Tob. 4. 2.

Prou. 4. 1.

Pſal. 77. 6.

Exod. 10. 1.

ad Pharaonem, ego enim induraui cor eius, & ſeruorum illius, vt faciam ſigna mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum quoties contriuerim Ægyptios, & ſigna mea fecerim in eis, & ſciatis quia ego Dominus. Adeò verò proprium eſt parentum munus filios inſtituere, & bonis artibus perpolire, vt Patris nomen in ſcripturis ſacris idem

Geneſ. 45. 8. ſignificet quod Magiſtri. *Non veſtro conſilio*, inquit Ioſeph fratres ſuos alloquens, *ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi Patrem Pharaonis, & dominum vniuerſæ domus eius.* Et eodem

Geneſ. 41. 43. libro Geneſis dicitur. *Præco clamabat vt omnes coram eo genua flecterent*, in Hebræo eſt, *Clamauerunt coram eo, Abrech*, de qua voce non ſatis conſtat Ægyptia ne ſit an Hebræa, nec omnino quid ſignificet, certò cognoſci poteſt. D. tamen Hieronymus in traditionibus Hebraicis interpretatur *Pater tener*, Ionathas, quod ad rem noſtram facit, *Pater Regis*, Thargum verò Hieroſolymitanum, ita per paraphraſim locum totum expreſſit. *Præconizabant coram eo, & dicebant. Viuat Pater Regis,*

4 Reg 6. 21. & cap. 13. 14. *qui eſt Princeps in ſapientia, & tener in annis.* Sic Rex Iſraël Eliſæum parentem ſuũ vocabat, ſacræque ſcripturæ recepta phraſis eſt, vt qui artis alicuius inuentores fuerũt, verbi gratia, muſices, aut artis fabrilis, ij muſicorum Patres, aut ferrariam exercentium appellentur, quia nimirum alios docendo, artificij illius præcepta propagabant. ſic Tu-

Geneſ. 4. 22. bal dicitur in Geneſi *Pater canentium cithara, & organa.* Decet ergo parentes magiſterium hoc, vt per eoſdem filij ſint, & boni ſint, doctriníſque bene culti.

Alios etiã magiſtros addendos.

4 Verùm quia plurimis grauiſſimíſque negotiis publicis occupantur Principes; vir aliquis probus

probus ſeligatur, & doctùs, qui etiam ipſa pri- *qualéſque*
ma elementa puero tradat; non enim ſunt con- *eſſe debeãt.*
temnenda quaſi parua, ſine quibus magna con-
ſtare non poſſunt. Ipſe elementorum ſonus, &
prima inſtitutio præceptorum aliter de erudito,
aliter de ruſtico ore profertur. Ex Bethſabee ſuſ-
ceperat Dauid filium Salomonem, eum, cum pri-
mum creſcens ætas parenti de magiſtro cogitare
ſuaſit, Nathan credidit, viro, non tantùm ſan-
ctitate morum inſigni, quippe qui propheta Do-
mini erat, ſed etiam ciuilis prudentiæ laude cla-
riſſimo, Regioque conſiliario. *Quæ genuit* (Beth- 2.Reg.12.
ſabee) *filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Do-* 25.
*minus dilexit eum, miſitq; in manu Nathan prophetæ,
& vocauit nomen eius Amabilis Domino, eò quod dili-
geret eum Dominus.* Τὸ *Miſit in manu Nathã*, quam-
uis alij ad nomen tantum imponendum referant,
vt ſcilicet Dominus Nathan iuſſerit infanti no-
men imponere, alij tamen putant ad erudiendum
traditum eſſe, vt magni magiſtri nobilis alum-
nus magnos ſub tanto Doctore progreſſus face-
ret. *Fecit Ioas rectum coram Domino cunctis diebus* 4.Reg.12.
quibus docuit eum Ioiada ſacerdos; vt dicitur in Re- 2.
gum hiſtoria; ita enim fere accidit vt magiſtris
ſuis quàm ſimillimi euadant eorum alumni, mo-
ribus probabilibus, & ſanctis ſi boni, malis con-
tra & tyrannicis ſi improbi. De Ioſeph dicitur in
Pſalmis; *Conſtituit eum* (Pharao) *dominum domus* Pſal.104.
ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret 21.
*Principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius pruden-
tiam doceret.* Τὸ *ſicut ſemetipſum*, in Hebræo vt nunc
legimus eſt בְּנַפְשׁוֹ *in anima ſua*, ſed paulò aliter
legiſſe videntur Septuaginta, modicã vnius litte-
rulæ, quę alteri perſimilis eſt, immutatione כְּנַפְשׁוֹ

ſecundum animam ſuam, & ſenſus eſt, optauit Pharao vt quam ipſe Ioſeph doctrinam ſiue diuino munere, ſiue ingenij bonitate, ſtudiique aſſiduitate fuerat conſecutus, eam cum aulæ Primoribus communicaret, eóſque ſibi ſimiles efficeret (hoc enim ſignificat *ſicut ſemetipſum*, & *ſecundum animam ſuam*) multóſque quaſi Ioſephos, ſi fieri poſſet, exhiberet Ægypto. Qui ergo huiuſmodi pædagogum, quem filiis ſuis præficiat, nactus fuerit, non minùs habeat in pretio quàm theſauros ſuos, nam *Pretioſi ſpiritus vir eruditus*, inquit Salomon, vniuſque nonnunquam hominis induſtria, ſolertia, doctrina, conſilium plus reipublicæ proſunt, aut Principi, quàm aliorum plurimorum; maiórque multò iactura eſt, ſi huiuſmodi hominem aut ad alios Principes tranſire contingat, aut mortem oppetere, quàm ſi ex aliis gregariis multæ decades, aut etiam centuriæ, ne dicam chiliades cadant. Primo Regum libro dicitur, *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eo quod vidiſſent arcã Domini, & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Videtur totius loci ſenſus eſſe, percuſſiſſe Deum in populo illo ſeptuaginta ſupra quinquaginta virorum millia, ſed Hebræi (ſi tamen illis credendum eſt) aptè ad rem noſtram putant ſentẽtiam eſſe ſeptuaginta quidem ſolos interfectos fuiſſe, ſed adeo excellentes, & eximios, vt pro quinquaginta millibus computari poſſent. Porrò ſub huiuſmodi magiſtro lectiſſimi & alij pueri legantur, qui cum futuro Principe militent in hoc litterario puluere, vt nimirum aſſueſcat iam à tenero non reformidare homines, neque ſolitaria & veluti vmbratili vita palleſcat. Peruidit hoc ſapienter Salomon,

Prou. 17. 27.

1. Reg. 6. 19.

Digitized by Google

lomon, qui Roboamo, quem ſibi ſucceſſorem erat relicturus, ſtudiorũ ſocios videtur adiunxiſſe, vt capere licet conicturam ex narratione eius conſultationis, quam Roboam inſtituit de remittendis tributis. *Qui dereliquit*, inquit, *conſilium ſenum, quod dederant ei, & adhibuit adoleſcentes qui nutriti fuerant cum eo, & aſſiſtebant illi.* Cum enim dicitur *qui nutriti fuerant cum eo*, ſatis innuitur honorarios quoſdam Ephebos fuiſſe, quibuſcum, & ſtudiis daret operam, domeſticæque & vmbratili armorum exercitationi, vt mores, & ſpiritus Principe dignos conciperet. Cæterùm qui puerum ſuſceperit inſtituendum, non nimium vrgere debet, nec plenam exigere operam, ne qui ſtudia aut Præceptorem amare nondum poteſt, oderit, & amaritudinem difficultatémque diſciplinarum ſemel præceptam, etiam vltra rudes annos reformidet. Cum viris etiam, ne dum cum pueris maximè opportuna eſt iſta dexteritas, nõ enim facilè Principis animus Philoſophi, aut Magiſtri medicas manus patitur, præſertim ſi reſecanda ſint vitia, quibus inſueuerit. Iuſſus fuerat Nathan Propheta à Domino ad Dauidem adire, ſcelus quo ſe maculauerat illi ante oculos ponere, verbis caſtigare, & ad ſanitatem reducere. Hic propheta Regiorum morùm bene gnarus, quaſi medicus aut pharmacopola ſapiens, bolum quem ægroto Principi erat oblaturus, apologo quodam conueſtit, animumque Regis tantiſper abducit à ſceleris admiſſi cogitatione, quaſique priuati cuiuſpiam flagitium narrans. *Duo*, inquit, *viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oues, & boues plurimos valde, pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnam paruulam, quam*

3. Reg. 12. 8.

2. Reg. 12. 1.

emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum, cum filiys eius ſimul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu eius dormiens, eratque illi ſicut filia. Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini illi qui venerat ad ſe. Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan. Viuit Dominus, quoniã filius mortis eſt vir qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum, eò quòd fecerit verbum iſtud, & non pepercerit. Dixit autem Nathan ad Dauid, Tu es ille vir. Reiectíſque ambagibus poſtquam ab ipſo fonte ſententiam elicuerat, liberiori oratione in peccatum inuectus eſt, tantúmque Diuina gratia iuuante profecit, vt dolore patrati ſceleris concepto clamauerit *Peccaui Domino*, parum fortaſſe aut nihil profecturus ſi propheta ab acriori obiurgatione fuiſſet exorſus. Cõſimili ſolertia vſus eſt Ioab in Dauide Abſaloni reconciliando, ſubmiſſa ſapiente illa muliere Thecuitide, quæ habitu corporis ad luctum cõpoſito, admirabili illa, & paulatim progrediẽte inſinuatione vſa, quod volebat obtinuit, & decretum de exule reducendo extorſit: quod fortaſſe minus Ioab conſequi potuiſſet, ſi animam Regis palam expugnare ag-
2.Reg.14. 1. greſſus eſſet. Par Achimelechi ſacerdotis dexteritas, & in Principem ſuum reuerentia, nam cum ad illum Dauid diuertiſſet cum ſuorum manu, itineris labore fractus, & fame propemodũ enectus, panéſque ſanctos propoſitionis poſtulaſſet, quos niſi à mulierum conſuetudine aliquo tempore abſtinuiſſent, illis tribuere ſacerdos ſibi integrum per religionem non putabat, de Comiti-

bus

bus interrogat Achimelech non de ipſo Dauid, *Non habeo*, inquit, *laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum, ſi mundi ſunt pueri maximè à mulieribus.* Dauid verò ſentiens ſe etiam peti ſapienti illa ſacerdotis interrogatione, pro ſe etiam, non tantùm pro pueris ſuis reſpondit, & Achimelech omni religione liberauit. *Equidem*, inquit, *ſi de mulieribus agitur, continuimus ab heri & nudiuſtertiùs, quādo egrediebamur & fuerunt vaſa puerorum ſancta.* Quòd ſi cum ſancto Dauid, cuius manſuetudini teſtimonium dant Sacræ litteræ, tam cautè agendum putauerunt viri ſapientes, vt nudam, & rectam veritatem illi obiicere non auderent, ne fortè quod illam conſequi ſolet odium excitarent; quid cum aliis faciendum putabimus, pueris præſertim, aut adoleſcentibus, qui non facilè ſe premi patiuntur, qua dexteritate cohibendi erunt, retinendi, ſufflaminandi, ne regni licentia ferantur per abrupta vitiorum? Nec tamen dum dexteritatem iſtam commendo, hoc ago, vt illam ſeueritate quadam aſperſam, atque conditam nolim. Memini Sapientis ita monentis. *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadet præceps. Lacta filium, & pauentem te faciet, lude cum eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi ne doleas, & in nouiſſimo obſtupeſcant dentes tui. Non des illi poteſtatem in iuuentute, & ne deſpicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans eſt, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Memini Heli remiſſam indulgentiam grauiſſimis caſtigatam verbis, & pœnis ſeueriſſimis vindicatam. Illud ergo tantum contendo Magiſtri hoc munus eſſe, vt cum blandis verbis Principem in officio continere

Ibid. n. 4.

Eccleſ. 30. 8.

1. Reg. 2. 23.

Digitized by Google

poteſt, ab aſperiore abſtineat increpatione, quam ſibi interdictam putare non debet, ſi eam vtilem fore crediderit ad curuandam nimis erectam pueri ceruicem, vt diſcat *Portare iugum ab adoleſcentia ſua.*

Thren. 3. 27.

Eloquẽtia ſtudium Principe dignum.

5 Sed iam videamus quibus ſtudiis Princeps futurus operam ſuam debeat impendere. Ac primùm exiſtimo cum ex Grammaticorum dumetis euaſerit, per eloquentiæ campos excurrere debere, hæc enim facultas illi & pacis temporibus, & belli vſui futura eſt, illiúſque beneficio conſequetur, vt liberi homines quibus præfuerit, legum decretis, aut Principum iuſſis æquo animo ſe adſtringi patiantur; & ſi quando ſeditiones, turbæue populares publicam quietem turbauerint, eas componere poſſit, & ſedare animos mulcendo, & noxia conſilia in melius oratione conuertendo. Rurſus ſi bellandum fuerit vt conſternatos militum animos à metu reuocare facultate dicendi, & tot pericula adeuntibus, laudem vita potiorem, & antiquiorem eſſe debere perſuadere poſſit. Hinc olim aliqui ex iis qui ad gubernandum populum à Domino deſtinabantur, ſi ſe infacundiores, & lingua impromptos ſentiebant, defugiebant munus hoc publicum, & quantum poterant deprecabantur, vt Ieremias, qui etiam poſtquam à Domino audiuerat, *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te,* ſuam tamen opponit ineloquentiam, detrectátque munus demandatum. *Et dixi,* inquit, *A A A. Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Similem excuſationem Moſes prætendit, qui mittendus in Ægyptum, vt populo

Ierem. 1. 5.

Ierem. 1. 5.

lo ſuo ſalutem afferret, quod linguæ eſſet impeditioris, & ad eloquendum parum expeditæ cauſabatur. *Obſecro Domine*, inquit, *non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Exod. 4. 10.
Hanc autem excuſationem Dominus non ita amolitur, vt dicat eloquentia eum opus non habere, quod patrandorum miraculorum poteſtatem accepiſſet, ſed potiùs ſe illi adfuturum pollicetur, & in os verba poſiturum promittit, vt quæ, & quomodo opus eſſet dicere poſſet. *Dixit enim Dominus ad eum: Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum? Nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóque te quid loquaris.* Ibid. n. 11.
Apud Ecclesiam etiam ſimilem Dominus anteuertere videtur excuſationem, cum ait. *Fili hominis vade ad domũ Iſrael, & loqueris verba mea ad eos*, ſtatímque aditũ excuſationi præcludit. Ezech 3. 4.
Non enim, inquit, *ad populũ profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, ad domum Iſraël, neque ad populos multos profundi ſermonis, & ignotæ linguæ, quorum non poſſis audire ſermones, & ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te.* Quemadmodum autem ij, qui ſe minùs ab eloquentia inſtructos arbitrabantur, publica munera reformidabant; ita qui paratam, & promptam haberent facultatem dicendi, tanto Dei munere non diſſimulanter lætantur, vt Salomon, cuius illud eſt. *Mihi dedit dicere ex ſententia*, id eſt ita dicere, vt quæ mentis agitatione priùs conceperim, ornatè etiam eloqui poſſim, ſententiámque meam efferre oratione luculenta, quam non libenter tantùm admittant auditores, ſed etiam ſuſpiciant. Nam vt idem inquit; *In conſpectu potentium admirabilis ero, & facies Princi-* Sap. 7. 17. Sap. 8. 12.

 pum

pum mirabuntur me, tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent. Nec vana hæc Salomonis iactatio, ſed ſolida eſt & vera laus, vt enim teſta-
Ecclesſ.47.16. tur Eccleſiaſticus *Impletus eſt, quaſi flumen, Sapientia*, vt non tam copia rerum, quàm verborum etiam ornatiſſimorum flumine redundaret. San-
Iſa.6.6. ctus etiam Iſaias, ad quem *volauit vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os illius:* ſibi propter eamdem
Iſa.50.4. cauſam gratulatur cum ait: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo.* vel vt Forerius vertit ex Hebræo, *Vt ſciam tempeſtiuè miſcere cum defatigato colloquium*, eorum ſcilicet mitigando dolorem, ac leniendo, qui curis preſſi, aliquo indigent leuamento, quique
Prou.25.20. vt dicitur in Prouerbiis *Corde peſſimo* ſunt, id eſt afflicto, & malis, ærumniſque fracto, quibus ſi ſermone medicinam facere velis (quod non vulgaris artis eſt) ita verba componas ac moduleris neceſſe eſt, vt nec nimius ſis, nec tamen ea quæ dicenda ſunt prætermittas, eam quaſi ſuſcipiens dicendi neceſſitatem, ad quam ij ſe aſtringunt, qui carmina conſcribunt, in quibus omnia ad certam quamdam pedum ſyllabarúmque menſuram exiguntur, cui quidquam addere, vel demere non liceat, niſi totam carminis concinnitatem, artificioſámque ſtructurã corrumpere velis. Qui ſenſus Sapientis eſſe videtur cum ait: *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* Importunè enim & ad faſtidium carmen conſolatorium alicui inculcare, adeo non ſedat animum, vt potiùs illum exaſperet, quaſi acetum nitro ſuperinfuſum. Paret ergo ſibi Princeps futurus facultatem
elo

eloquendi, quæ mente conceperit, quæ enim cultiùs efferuntur, gratiam quamdam rebus ipſis conciliant, quæ ſermoni ſubiectæ ſunt, quod docuit Salomó cum ait: *Lingua ſapientium ornat ſcientiam*, vel vt ex Hebræo verti poteſt, *Bonam reddit*: Prou. 15. 2. quæ enim bona ſunt ipſa per ſe ſe, ſi etiam bene dicantur, & aptè, bonitatem quamdam ab ipſa dicendi forma mutuantur, vt non ſolùm qui ita loquitur (quod de Nephthali dicitur in Geneſi) *det eloquia pulchritudinis*, pulchra ſcilicet & ornata, ſed etiam vacillantem ſententiam confirmare, & meliorem facere poſſit.

6 Alterum futuri Principis ſtudium in hiſtoriæ cognitione verſari debet. Cum enim quæ vitæ noſtræ breuitas eſt, non ita facilè colligere poſſimus experientiam, ex iis quæ noſtro æuo gignuntur, annalium lectione incommodum hoc facilè compenſatur: qui enim diligenter in eorum peruolutatione verſati ſunt, non ita multi temporis lectione, multorum ſæculorum illuſtria facta cognoſcunt, vitæ humanæ commutationes varias, rerum omnis generis inſtabilitatem, & conuerſiones, Imperiorum ortus, & occaſus, ſontium pœnas, præmia fortium virorum, vt qui hiſtorias legerint, præteritis etiam ſæculis vixiſſe videantur. Hinc de ſapiente dicitur in Eccleſiaſtico: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & narrationem virorum nominatorum conſeruabit.* Quod qui faciunt domi reſidentes in ſuo muſæo vaſtiſſimas regiones tranſmittunt, cõſiliis ac deliberationibus regum interſunt, certaminum ac triumphorum ſpectatores ſunt, magnáque animi voluptate, vitæ humanæ theatrum ingreſſi, quam quiſque perſonam, & quam decorè egerit con-

Hiſtoriam cognoſcat Princeps.

Eccleſ. 39. 1.

tem

templantur. Ex hac autem hiſtoriæ cognitione, quæ res præteritas repræſentat, veterem memoriam replicans, licet etiam de futuris facere coniecturam: nam eiuſdem gentis ferè mores iidem perpetuo ſunt, propterea quod ſub eodem cælo viuunt in quo etiam nati ſunt, iiſdem cibis aluntur, eaſdem hauriunt aquas, & auras, ex quo fit vt ſimilia ſint corporum temperamenta, & craſes & propenſiones etiam animorum. Quare locum
Eccleſ.1. 9.10. hîc habet illud Sapientis. *Nihil eſt ſub ſole nouum, & quid eſt quod erit? id quod fuit.* Et forte Epimenides Cretenſium Propheta appellatus eſt à D. Paulo,
Tit.1. 12. quia mores eorum deſcribens carmine illo *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*, non tam quales fuerint illo æuo, quo Epimenides vixit, ſed etiam quales tantò poſt futuri eſſent, hoc eſt D. Pauli tempore, verè & ad viuum expreſſit: quare illud etiam ſuo ſuffragio confirmauit Apo-
Ibid. ſtolus cum addidit, *Teſtimonium hoc verum eſt.* Capiebat autem Aſſuerum voluptas illa, de qua dicebamus, hiſtoriæ cognoſcendæ, quem legimus earum recitatione delectatum, adeo vt cum nocte quadam ſomnum capere non poſſet, afferri
Eſther.6. 1. iuſſerit Regni annales, vt honeſta illa animi oblectatione, moleſtum illud tempus iucundiùs falleret. Cuius lectionis extitit ſanè operæpretium, nam Mardochæus ſuæ in Regem fidei præmium tulit, & ad ampliora promerita Regi, & Regno ſalutaria ſibi aditum patefecit. Et ſanè multùm Reipubl. intereſt publica extare monumenta hiſtoriarum, & annalium, quibus inſignium virorum facta, dicta, conſilia ab obliuione vindicantur, earúmque rerum memoria conſeruatur, quæ alioqui diuturnitate temporis ob-
rutæ

Digitized by Google

rutæ funditus interirent. Itaque iubet Dominus Moyſen quædam ſcriptis mandare, ad facti memoriam conſeruandam, cum ait: *Scribe hoc ob monumentum in libro.* Nam accidit nonnumquam, vt ad capiendum prudens aliqua de re ancipiti conſilium, veteres memorias conſulere multùm expediat; quod Dario contigit, qui Bibliothecæ Regiæ monumentis edoctus, Cyro poteſtatem faciente, inſtituiſſe Iudæos moliri templum, adeo eos non prohibuit, vt etiam ex Regio ærario ſumptus ſuppeditarit. *Tunc enim Darius Rex præcepit, & recenſuerunt in bibliotheca librorum qui erant repoſiti in Babylone, & inuentum eſt in Ecbathanis, quod eſt caſtrum in Medena prouincia volumen vnum, taliſque ſcriptus erat in eo commentarius.* Valet etiam plurimùm hiſtoria ad accendendos virtutis amore animos, nam multi rerum præclarè geſtarum commemoratione ita excitantur, vt paribus cedere turpe ducant, interdum verò etiam maiores honeſtiſſima virtutis æmulatione ſuperare conentur. Idcircò in ſacra Regum hiſtoria tam enucleata, tam diligens fortium Dauid enumeratio, de quibus multa minutim toto capite bene longo dicuntur, quæ vt cognitu ſunt iucunda, ita militarem fortitudinem cote æmulationis vehementer exacuunt. Verſet igitur adoleſcentulus futurus aliquando Princeps veterem, recentémque hiſtoriam, & in ea quæ lux eſt veritatis, & magiſtra vitæ omnis exempli documenta in illuſtri poſita contempletur, vt inde ſibi & Reipubl. capiat quod viſum fuerit imitandum, aliorúmque malis, ipſe interim periculi exors, erudiatur.

Exod. 17. 14.

1. Eſdr. 6. 1.

2. Reg. 23. 8.

Præcipuũ ſtudium Principis.

7 Venio ad ciuilis prudentiæ doctrinam, quam præ cæteris omnibus colere Principes debent, huiúſ

Prudentia ciuilis.

huiúſque argumenti libros nocturna verſare manu, verſare diurna. Inſtituta enim ſunt huiuſmodi ſcripta *Ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, vt detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia, & intellectus.* Quæ præcepta *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.* Itaque Sapiens alio quodam loco prudentiæ huius laudes exquiſitiſſimis Rhetorum pigmentis, elegantiſſimiſque metaphoris exequitur, & inter cætera Sapientiam inducit egregia quædam dona, & quæ plurimùm à mortalibus expetuntur ſuis tenentem manibus, oſtentantem, aſſectatoribuſque ſuis largientem, eamque inter cætera lignum vitæ appellat, cuius illa vis erat, vt vitam hominum qui ex illius fructu deguſtaſſent abſque morborum ægritudinúmque moleſtiis, imò vigentem hilaréinque ad plurimas ſæculorum longinquitates extenderet. *Beatus homo,* inquit, *qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia, melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi, & puriſſimi fructus eius, pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ. Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus. Dominus ſapientiâ fundauit terram, ſtabiliuit cælos prudentiâ, ſapientiâ illius eruperunt abyſſi, & nubes rore concreſcunt. Fili mi ne effluant hæc ab oculis tuis. Cuſtodi legem atque conſiliũ, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget, ſi dormieris non timebis, quieſces, & ſuauis erit ſom*

Prou. 1, 2.

Prou. 3. 13.

ſomnus tuus. Hactenus Salomon. Capeſſat ergo Princeps hanc bene gubernandi doctrinam, diligentíque ſtudio in ea tanquam ſibi maximè propria ſe exerceat, ne quod pueris accidit, qui ſub tutoribus ſunt, *Nihil differat à ſeruo cum ſit omnium Dominus,* cogaturque miniſtris ſuis aut Conſiliariis omnia credere, illiſque quodammodo ſubeſſe, nec audeat ab eorum præſcripto ne latum quidem vnguem diſcedere, quod genus ſeruitutis eſt ſanè miſerum, periculique pleniſſimum. Quantùm enim præſtaret ipſum Principem res ſuas noſſe, & in deliberationibus, mentis agitatione, & conſilio expedire poſſe, quid agendum ſit, mox manus operi admoliri, & virtute ſua effecta dare, Præfectorum, Magiſtratuumque ſuorum operam adhibentem, quàm ſub vnius, aut alterius Satrapæ poteſtate ignobilem & inertem vitam agere, illámque dominationem pati de qua loquitur Salomon in Prouerbiis. *Seruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis, & inter fratres hæreditatem diuidet.* Et Eccleſiaſticus. *Seruo ſenſato liberi ſeruient.* Exemplo eſſe poteſt Aman ille, quo rerum potiente non Iudæorum tantùm res, ſed Aſſueri ipſius regnum, in maximum diſcrimen adductum eſt. Pauci enim ſunt qui cum Ioſepho homine peregrino, & fratrum iniuria, ſeruo, conferri poſſint, cui ſalutem tota Ægyptus acceptam retulit, cùm eum Terræ Saluatoris titulo honeſtauit. Prudentiæ ergo ciuilis ſtudium plurimum vrgeat Princeps, eamque cum Salomone poſtulet à Domino, cuius vota, & preces vſurpare vtiliter poterit; dicebat enim: *Domine Deus tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid Patre meo, ego autem ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum & introitũ meum,*

Galat. 4. 1.

Prou. 17. 2.

Eccleſ. 10. 28.

3. Reg. 3. 7.

&

& ſeruus tuus in medio eſt populi quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari, & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile (vel vt Kaldæus habet, *Intelligens*, vel vt Septuaginta vertunt, *Sapiens*) *vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum. Quis enim poterit iudicare populum tuum hunc multum? Placuit ergo ſermo coram Domino, quod Salomon poſtulaſſet huiuſmodi rem. Et dixit Dominus Salomoni. Quia populaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi Sapientiam ad diſcernendum iudicium, ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in Regibus, cunctis retro diebus.* Hanc verò prudentiam ex ſacræ Scripturæ oraculis & hiſtoriis potiſſimùm petendam cenſeo, quamquam à lectione profanorum ſcriptorum, qui tamen orthodoxi ſint, nouerintque tribuere *Quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, Principem non arceo; cenſeo enim ex iis multa vtiliter peti poſſe ad formandam augendamque prudentiam; nec vero Ethnicorum ſcripta cognoſcere, hoc enim eſt, vt D. Hieronymus docet, Ægyptum diuitiis ſuis ſpoliare, & extorquere de manibus hoſtiũ gladium, Goliæque caput proprio mucrone truncare, hoc eſt captiuæ mulieris radere caput, ſupercilia, pilos & vngues amputare, & ſic habere in coniugio, hoc eſt ex vxore fornicaria generare filium Iezrahel qui vocatur ſemen Dei, hoc eſt nouacula acuta barbam, & crura radere peccantium, hoc tandem eſt fornicantis tondere cæſariem. Et

Epiſt. 84. & 86.
Exod. 12. 36.
1. Reg. 17. 51.
Deut. 21. 12.
Oſee 1. 4.
Iſa. 7. 20.
Ezech. 5. 1.

Et video Moyſen, quod ſupra tetigimus, eruditũ fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum, quæ quamuis profana eſſet, & multa falſa contineret, eam tamen cognoſcere illi fuit vtiliſſimum, vel vt eſſet maiori in pretio apud Ægyptios, apud quos qui illa ignorabat, doctus haberi non poterat, quod & conſecutus eſt, de eo enim dicitur. *Fuit Moyſes vir magnus valde in terra Ægypti, coram ſeruis Pharaonis, & omni populo*; vel quia pertinet ad ſapientiæ conſummationem omnia noſſe, propria & aliena, vera & falſa, vtilia & noxia, hæc vt cauere poſſis, illa verò ſequi: ideóque Salomon vt numeris omnibus abſolutam ſapientiam nanciſceretur; *Dedit cor ſuum vt ſciret prudentiam atque doctrinam, erroréſque ac ſtultitiam.* Et Eccleſiaſticus ſapientiæ ſectatorem deſcribens ait. *In terram alienigenarum gentium pertranſiet, bona enim & mala in hominibus tentabit.* Quod tamen ita cautè fieri debet, vt tanquam explorator caſtra inimicorum ingrediaris, non vt transfuga, nec damnatorum opinionum auctores Eccleſiaſticis legibus proſcriptos, de quibus hîc ſermo non eſt, coneris attingere.

Exod. 11. 3. Eccleſ. 1. 17. Eccleſ. 39.

8 Verùm quia quædam eſſe poteſt ſtudij litterarum intemperantia, quæ eo magis in Principe damnanda eſt, quo publica negotia crebriorem, & diuturniorem eius præſentiam deſiderant, curandum eſt, vt moderatè ſe ſtudiis bonarum artium impendere Princeps aſſueſcat, ne cognitionis dulcedine nimiùm prouectus, aut Reipubl. functiones negligat, aut remiſſiùs curet. Neque enim tantum temporis Philoſophiæ v. g. contemplatrici dandum eſt, aut Mathematicis diſciplinis, quantum publicus aliquis harum ſcientia-

Moderatè Principi ſtudendũ.

rum profeſſor, aut quiuis alius otio abundans tribuere poteſt; ſed parciùs ſunt iſta delibanda, manuque ſuſpenſiore tractanda, ne philoſophum potius agere in lycæo aut academia, quàm Principem in aula, aut curia voluiſſe videatur. *Mel inueniſti*, inquit Sapiens, *comede quantum ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud.* Huc etiam facit commendatio illa ſobrietatis ſapiendi, quæ eſt apud D. Paulum, (quamuis alio etiam fortaſſe ſpectans) vt ſcilicet intelligamus modum eſſe quemdam in diſciplinarum ſtudiis, ac litteris, quem deceat vnumquemque tenere, ſtatus conditioniſque ſuæ prudenter æſtimata ratione. *Ego Eccleſiaſtes*, inquit Salomon, *fui Rex Iſrael in Ieruſalem, & propoſui in animo meo quærere, & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſſimã dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.* Meritò *occupatio peſſima dicitur*, hoc eſt laboris pleniſſima, quia multis, arduis, & vix explicabilibus quæſtionibus omnia implicata ſunt, quas extricare, aut euoluere, operoſiſſimum eſt. *Vidi*, inquit idem Salomon, *afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, vt diſtendantur in ea.* id eſt affligantur, macerentur in ea. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum.* Rurſus Eccleſiaſtes hanc eandem ſciendi difficultatem magis exaggerans ait. *Et appoſui cor meum vt ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtentionem, quæ verſatur in terra. Eſt homo qui diebus & noctibus ſomnum non capit oculis, & intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt ſub ſole. & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minùs inueniet: etiam ſi dixerit Sapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Cum ergo litterarum ſtudia animi vires

Prou. 25. 16.

Rom. 12. 3.

Eccl. 1. 12.

Eccl. 3. 10.

Eccl. 8. 16.

vires in diuerſa rapiant, & Principem à publicis negotiis auocare poſſint; ita attingenda ſunt, vt imbuatur quidem animus doctrinis quantum fieri poteſt, ſed intra modum, ne cum publicam perſonam ſuſtineat, otium auidè conſectans, turbaſque deuitans, à publico ſe ſubducat, quod idem ferme eſſet atque ſi Principis nomine retento, Principem tamen exueret, quod quàm noxium ſit, & indecorum nemo non videt.

Finem boni publici Principi propoſitum eſſe debere.

CAPVT IX.

PRæcipua boni Principis cura eſſet debet in publicis commodis curandis, promouendis, amplificandiſque. Imò hanc vnam illi curam incumbere, quà Princeps eſt, meritò affirmare poſſumus. Vt autem hoc illius munus explicemus, allegorias quaſdam hoc capite euoluemus, quæ hoc in ſacris litteris ſignificare videntur, vt, dum eas explicamus, animum adiicienti ſatis conſtabit.

1 De Principibus ergo in Scripturis ita aliquando ſermo eſt, ac de *Baſibus*, ac *Fundamentis*, quibus totius politiæ ſtructura innitatur. Hinc Moyſes Iſraelitici populi totius Baſis ſub grauiſſimo pondere molis illius gemens conquerebatur apud Dominum, quod ſupra vires impoſitæ gubernationis ſarcina grauaretur. *Sed & Moyſi*, inquit, *intoleranda res viſa eſt, & ait ad Dominum:*

Baſis. Fundamentum.

Num. 11. 10.

cur afflixiſti ſeruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te, & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius
Ibid. n.14. *ſuper me?* Et paulo poſt. *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi. Sin aliter tibi videtur, obſecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Cui Dominus iam ex parte exoratus, ſeniores adiunxit, qui venirent in partem laboris oneris fulciendi. *Vt*
Ibid. n.17. inquit, *ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.* Quod etiam faciendum monuerat Iethro, cum ad generum ſuum Moyſem venit in deſerto. *Vltra vires*, inquit, *tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere.* Quamobrem etiam illi auctor fuit, vt aliquos ſibi aſciſceret laboris ſocios, ſicque ſublatum humeris pondus minueret,
Ibid. n.22. *Leuiuſque ſit tibi,* inquit, *partito in alios onere.* Hinc S.Iob Principes, quaſi quoſdam Atlantes facit,
Iob.9.13. mundum humeris fulcientes, cum ait, *Sub quo curuantur qui portant orbem*; Reges nimirum ac Principes quorum humeris vniuerſa gubernationis machina inſedit. Eodem etiam tendit altera
Iſa.16.7. metaphora, *Fundamenti*, quæ eſt apud Iſaiam; vbi enim legimus: *His qui lætantur ſuper muros cocti lateris, loquimini plagas ſuas.* Ex Hebræo verti poteſt, *Propter fundamenta ciuitatis fictilis, cogitabitis vos claudi qui ſolum euaſiſtis*, hoc ſenſu. Vos obſcuri, & inermes prælij infelicis triſtes reliquiæ, propter fundamenta ciuitatis, id eſt, propter Principes, ſoliciti eritis. Sed clariùs etiam Principes fundamenta dicuntur apud alium Prophetam
Micheas 6.2. cum ait. *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ.* Et apud S. Dauid in Pſalmo.
Pſal.81.5. *Mouebuntur*, inquit, *omnia fundamenta terræ*; de quibus autem loquatur, ex ſequentibus patet cum ait:

ait: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* huiuſmodi autem ſunt Principes, qui Dei locum tuentur in terris, eiuſque vices implent.

2 Ab illa autem Baſis, & Fundamenti metaphora parum recedit alia (vt pote à domorum ſtructura deſumpta) qua Principes *muri* appellantur, ac præſertim murorum *anguli*, vt ſcilicet intelligatur non minus Rempubl. Principibus ſuis inniti, quàm tectum ipſum, & tabulata muris & angulis domus incumbant. Aut ſi à mœnibus ducta ſit ſimilitudo, propterea dicemus Principes muros eſſe, quod quemadmodum murorum munitione tuti ciues ſunt ab hoſtium excurſionibus, & violentia, ita vt publica quies ab illis nihil timeat; ita Principe publicum bonum procurante Reſpubl. vniuerſa, Præfectorum iniuſtitiam, aut auaritiam, cæteraſque labes quæ Rempub. vaſtare ſolent, Principe ſe illis tanquam murum opponente, non reformidat. Hinc Ieremias conqueritur, Principes ſui temporis parietes eſſe inclinatos, & ruinæ proximos, qui nec ſtare ipſi, nec alios ſuo obiectu defendere poſſint. *Omnes iſti Principes*, inquit, *declinantes*, Græcè διεφθαρμένοι, *corrupti, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum vniuerſi corrupti ſunt*, vt iam populis non minus periculum immineat, quàm ſi murus æreus perfoſſus eſſet, aut ſubrutus, aut ſuo vitio tam grandes egiſſet rimas, vt in vrbem, aut domum hoſtes admitteret. Contra quam facit Deus, ſub cuius tutela omnis periculi expertibus, omnique ſolicitudine vacuis, viuere licet: *Super hoc*, inquit Iſaias, *laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum timebit te, quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum*

Murus. Angulus.

Ierem. 6. 28.

Iſa. 25. 3.

Digitized by Google

culum ab æſtu, ſpiritus enim robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem. Sed paries hic cedere neſcius eſt, & quantaſuis venti procellas excitarint, ſtat, tegitque ſuos, & ab omni diſcrimine immunes, ac ſecuros præſtat. Sunt ergo Principes muri, ſed ſunt etiam murorum anguli, ita enim illos appellat Iſaias, apud quem legimus, *Deceperunt Ægyptum angulum populorum eius*, vel vt alij vertunt, *Errare fecerunt Ægyptum anguli familiarum eius.* Et ſenſus eſt, Principes familiarum Ægyptiarum populos in errorem induxerunt, à fabricis ducta metaphora, vt dictum eſt. Quemadmodum enim in angulis firmiores collocantur lapides, *Vt faciant vtraque vnum*, ſolidiúſque tota moles conſurgat, ita Principes quibus innititur Reſpubl. inſtar habent angulorum, cùm ipſam conſilio, prudentiâ imperióque ſuffulciant. Sic in libro Iudicum dicitur. *Egreſſi itaque ſunt omnes filij Iſrael, & pariter congregati quaſi vir vnus de Dan vſque Berſabee, & terra Galaad ad Dominum in Maſpha, omneſque anguli populorum, & cuncta tribus Iſrael in Eccleſiam populi Dei conuenerunt.* Et primo Regum habetur: *Dixitque Saul, applicate huc vniuerſos angulos populi.* Principes ſcilicet & Phylarchos.

Iſa. 19. 13. Iud. 20. 1. 1. Reg. 14. 38.

Paſtor. Ioan. 10. 11.

3 Sed frequentiſſimè in Scripturis ſacris Principes *Paſtores* appellantur; Nam quemadmodum *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, illudque potiſſimùm curat, vt toti gregi ſeruiat, & ab ouilibus lupos, aut leones arceat, qui perniciem pecoribus afferre ſolent; ita Princeps aut externos hoſtes, aut ſceleratos ciues, quibus haud ſecus quàm lupis Reſpubl. laceratur, de medio tollit, magnóque ſtudio, & vigilantia ſubiectis populis parat ſecuritatem. Itaque Paſtoris munus

Regni

Digitized by Google

Regni quoddam rudimentum aliquibus fuit, vt S. Dauid, qui cum parentis ſui oues paſceret in deſerto, factus eſt Paſtor populorum, vt ipſe canit in Pſalmo. *Et elegit*, inquit, *Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.* Imo paſtor Dauid, Paſtorem non ſemel facit Dominum, cui Iſraelis caulæ cordi ſint, vt cum ait: *Qui regis Iſrael intende, qui deducis velut ouem Ioſeph*, Et alibi: *Dominus regit me, nihil mihi deerit.* Et *Reges eos in virga ferrea.* Vtrobique enim regendi verbum Paſtoris officium exprimit, idque clariùs in Græco contextu, in quo τὸ ποιμαίνειν ſumptam à Paſtoribus metaphoram luculenter oſtendit. Sunt ergo Principes Paſtores, quo etiam allegoriæ integumento frequenter à Prophetis arguuntur, cùm accepta ad bonum gregis poteſtate, ad ſuas explendas libidines abuntur. *Paſtores multi*, inquit Ieremias, *demoliti ſunt vineam.* Kaldæus habet, *Reges multi.* & infra. *Væ Paſtoribus qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad Paſtores qui paſcunt populum meum. Vos diſperſiſtis gregem meum, & eieciſtis eos, & non viſitaſtis eos.* Et poſt pauca; *Suſcitabo*, inquit, *ſuper eos Paſtores, & paſcent eos; non formidabunt vltra, & non pauebunt, & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus.* Quam eamdem ſententiam pluribus proſequitur Ezechiel toto cap. 34. copioſè ſanè, & eleganter, aliique Prophetæ nonnulli, vt Micheas, & Zacharias. Sanctus verò Iob, quem alibi Principem fuiſſe diximus, munus etiam Paſtoris egregiè ſuſtinuit, vt de ſe ipſe teſtari videtur, qui à grege abſtractas ouiculas è beſtiarum dentibus

Pſal. 77. 70.
Pſal. 79. 1.
Pſal. 2. 9.
Ierem. 12. 10.
Ierem. 23. 1.
Ibid. n. 4.
Micheas. 3. 3
Zachar. 11. 5.

Iob.29.17. eripiebat. Sic enim ait: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*; periculo etiam ſuo, gregi ſuo, cui eximia ſedulitate ſeruiebat, proſpicere ſatagens. Sed inuenio etiam aliquid amplius in Scripturis, quod ad Paſtores iſtos populorum pertineat, vt ſcilicet non more vulgari tantum greges ad læta paſcua adducant, domúmque reducant tanquam pecudes ratione carentes, ſed ita Paſtores ſint, vt etiam *nutrices* appellari poſſint, eam ſcilicet paſcendi rationem adhibendo, quæ hominum naturæ accõmodata eſt, quod

Iſa.49.21. eſt apud Iſaiam. *Ecce*, inquit, *leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt, & erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices*

Iſa.60.16. *tuæ*. Et alibi. *Et ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.* Quod nutricis munus ſibi impoſitum ſentiebat; & querebatur Moſes, cum Dominum

Num.11.12. ita appellat: *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iuraſti Patribus eorum?* & Iſaias po-

Iſa.46.3. pulum ſibi à Domino creditum inſtituens, *Audite me*, inquit, *Domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua, vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo, & ſaluabo.* Illi planè ſimilis qui de ſe ipſo

Galat.4.19. dicebat: *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* Ipſe verò Dominus populi ſui ingratitudinem accuſat, quod ne nutricem quidem ſuam (quod tamen infantuli faciunt) Deum agnoſcerent, qui tanquam Princeps, & nutrix

Oſee 11.3. peculiarem illorum curam ſuſceperat. *Et ego*, inquit, *quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis,*

Digitized by Google

meis , & neſciunt quod curarem eos.

4 Tandem *capitis* etiam nomine Principes ſignificantur in ſcriptura vt ex hoc intelligant, propterea in arce corporis huius, quod eſt Reſpubl. collocatos eſſe, vt quemadmodum caput, ſentiendíque facultates, quæ in eo præcipuè ſedem habent, pro totius corporis ſalute excubant, illud in ſuis functionibus officiiſque dirigendo; ita Princeps totius Reipubl. incolumitati præſidere debet, réſque noxias omni conatu à reliquo corpore amoliri. Adeo verò frequẽter Principes *Capita* appellantur à ſacris ſcriptoribus, vt neceſſe non ſit operoſè multa huius rei teſtimonia conquirere. Paucula quædam de multis afferam, quæ rem plenam faciant. In libris Regum ait Samuël ad Saül; *Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, Caput in tribubus Iſraël factus es? vnxítque te Dominus in Regem ſuper Iſraël?* Et Iſaias, *Diſperdet*, inquit, *Dominus ab Iſraël caput, & caudam, incuruantem, & refrænantem die vna*; & ne ſchematis inuolucrum ſententiam redderet obſcuriorem, ſtatim ſubdit dicti ſui interpretationem, *Longæuus*, inquit, *& honorabilis ipſe eſt caput.* Nec diſſimiles minæ apud Oſeam. *Cœpit*, inquit, *gladius in ciuitatibus eius, & conſumet electos eius, & comedet capita eorum*, Id eſt Principes eorum, quæ metaphora etiã alibi apud eundem Prophetam occurrit, vt cum ait. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël pariter, & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra.* Quod in vulgata legimus in Pſalmo. *Herodij domus dux eſt eorum*, in Hebræo eſt. *Herodij domus eſt in capite eorum.* Id eſt caput, Dux, ac Princeps eorum. Et Amos Caput ſextum ſuæ prophetiæ his verbis exorditur. *Væ qui opulenti eſtis, & confiditis in monte*

CAPVT.

1. Reg. 15. 17.

Iſa. 9. 14.

Oſee 11. 6.

Pſal. 103. 20.

Amoſ. 6. 1.

Digitized by Google

te Samariæ: optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël. Quando ergo Principes *Baſes* ſunt ac *Fundamenta* populorum, *Paſtores,* & *Capita*, diligenter curent ne ſuo vitio ſtructura quam fulciunt labet, aut ruat; néve greges creditos lupis prodant; tandémque ne corporis totius membrorúmque incolumitatem negligant. Sed omnes cogitationes ſuas eò dirigant, vt quoniam Reip. præſunt, illi etiam pro virili prodeſſe contendant.

Principem virtutem colere debere, vt exemplo ſubditis proſit.

CAPVT X.

Quantum poſſit Principis exēplum in vtramque partem.

1 QVamquam ſua ſpōte Princeps virtutem colere debet, vt melior fiat, alia tamen ratio de qua hoc capite agemus, idem ſuadet, vt ſcilicet exemplo ſuo, quod in vtramque partem plurimum poteſt, ſubditos ad omne genus honeſtatis extimulet. Hanc autem habere vim vitam moréſque Principis, vt vel proſint plurimum, vel noceant, facilè intelliget qui animaduerterit eos eſſe *Ciuitatem ſupra montem poſitam, & Lucernam ſuper candelabrum*, ita locatam, vt nulla poſſit ratione velari, quo minus in omnium oculos incurrat, ingenitámque ſubditis inclinationem quamdam animi ad æmulandos Principis ſui mores & ſtudia, ſiue quod præclarum videatur ſe ſuáque ad excellentioris imaginē exemplúmque componere; ſiue quod illius volunta-

Matth. 5. 14.

ti obſequendo compendium aliquod ſperetur diuitiarum, honoris, aut rerum earum, quas à Principibus conſequi ſolent homines ad adulandum proiecti: ſiue tandem cæco quodam (quod multis accidit) impetu ferantur, vt quod à primoribus vſurpari vident, & ipſi ſequantur, honeſta ſint an turpia; vtilia, an noxia, non diſquirant. Suſcepturus Abraham ſignaculum illud à Domino inſtitutum, quo à cæteris gentibus ipſe cum ſuis diſtingueretur, & carnem præputij ſui, vt ſcriptura loquitur, circumciſurus, quo vulnere acerbus in primis dolor afferebatur, voluit primus ipſe vulnus pati, ſatis gnarus nec filios nec vernas ſi exemplo ipſe præiſſet, imperium detrectaturos. Nec ſanè mirum domum vniuerſam heri ſui exemplum ſecutam, nam *Oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum*, quorum illud ingenium eſt, nihil obſeruare attentiùs quàm eorum actiones, ſtudia, propenſiones, vt in quamcumque partem inclinauerint, ipſi etiam eo ſe conferant. *Tulit Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractiſque corticibus in his quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit, illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt, atque in hunc modum color effectus eſt varius. Factumque eſt vt oues in ipſo calore coitus intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa.* Eodem planè modo ſubditi, qui ſub Paſtoribus populorum Principibus viuunt, quæ illis obiiciuntur, & oſtentantur exempla, ita contemplantur, vt ſuarum actionum fætus concipiant, & in lucem edant eiuſdem coloris, quem in virgis ſceptríſque Regalibus ineſſe animaduerterint. Ac quemadmodum agmina Iſraëlitarum

Geneſ. 17. 26.

Pſal. 122. 2.

Geneſ. 30. 37.

Exod. 13. 21.

rum in deſerto nube ſtante conſiſtebant, progrediente caſtra mouebant, illiúſque ductum in omnibus ſequebantur; ita populi pro volũtate Principum, aut exemplo actiones omnes ſuas moderari ac regere conſueuerunt. Eſt autem id Principibus adeo facile, vt vel digito vno admoto ea moliri poſſint, quæ priuati quamtumuis toto conatu adnitantur, loco mouere non poſſunt. Hinc fortè illa reprehenſio. Scribarum, & Phariſæorum; *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt; Alligant enim onera grauia, & importabilia in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere*, cum tamen, vt diximus, ſi vel digitum vnũ applicent, facilè poſſint, quippe cathedram Moyſi vt populi Capita, & Paſtores occupantes. Quanto ardore animi Ieroboam impium Regem ſecuti ſunt populi, Regis noui exemplum, in veteri religione, quam cum lacte ſuxerant, deſerenda? Teſtis Oſee propheta, qui, eos *lætificaſſe Principes*, qui nimium id optabant, *Omnes adulteraſſe*, hoc eſt ad Idola, à veri Dei cultu defeciſſe, idque non remiſsè aut languidè, ſed magno animi ardore feciſſe conqueritur, *Omnes enim calefacti ſunt quaſi clibanus*, calore ab ipſo Principe, qui priùs exarſerat contracto, nec eos aut veritatis præcones, aut mille conſcientiæ teſtes, aut eorum qui ſteterant, nec genua ſua ante Baal curuare ſuſtinuerant exempla, in officio continere potuerunt. Tantus enim aliquando eſt ardor, quo ſubditi dicta, aut facta Principum ſuorum æmulantur, vt à rebus difficilioribus, & quas alioqui refugerent, adeò non abhorreãt, vt etiam ſtudioſè

Matth. 23. 2.

Oſee 7. 3.

Digitized by Google

ſtudioſè conſectentur. Re in bello infœliciter geſta; *Arripuit Saül gladium & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saül, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo*, funeſtam mortis faciem, qua nihil terribilius obiici poteſt hominibus, non reformidans, Principis ſui exemplum ſecuturus. Verbis pœníſque grauiſſimis ſanxerat Dominus, ne quis profana illa & execranda ſacra faceret, quæ Ammonitæ exercebant, liberos ſuos idolo Moloch concremantes. *De ſemine tuo*, dicitur in Leuitico, *non dabis vt conſecretur Idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui*. Et rurſus. *Homo de filijs Iſraël, & de aduenis qui habitant in Iſraël, ſi quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum. Et ego ponam faciem meam contra illum, ſuccidámque eum de medio populi ſui, eo quod dederit de ſemine ſuo Moloch, & contaminauerit ſanctuarium meum, ac polluerit nomen ſanctum meum. Quod ſi negligens populus terræ, & quaſi parui pendens imperium meum, dimiſerit hominem qui dedit de ſemine ſuo Moloch, nec voluerit eum occidere, ponam faciem meam ſuper hominem illum, & ſuper cognationem eius, ſuccidámque & ipſum, & omnes qui conſenſerunt ei, vt fornicaretur cum Moloch de medio populi ſui*. Quem à ſcelere non deterreat tam diſerta, & enucleata, tam ſeuera & grauis malorum denuntiatio? & tamen cum genus hoc impietatis ſuo tempore Achaz inſtaurauit (nam *ipſe eſt qui adoleuit incenſum in valle Ben-ennon, & luſtrauit filios ſuos in igne iuxta ritum gentium*) morbus repente vulgatus plurimos corripuit, & quod Hieroſolymis Rex faciebat, in aliis etiam Regni ciuitatibus paſſim vſurpari cæptum eſt, plúſque apud ſubdi

1.Reg.31.4.

Leuit.18.21.

Leuit.20.2.

2.Paral.28.3.

ſubditos ſuperſtitione inſana furentes Principis exempla valuerunt, quàm filiorum cariſſimorum amor, quorum eiulatus triſtiſſimos, ne auribus perciperent, commiſerationéque tam ſæuæ mortis commouerentur, tympanis ciebant ſtrepitus, corúmque voces penitus obruebant. Sed ecce tibi illo extincto, excitat Dominus pium Regem Ezechiam, qui Sacerdotum Leuitarúmque cætu
2. Paral. 29. 5. conuocato, *Audite me*, inquit, *Leuitæ, & ſanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum veſtrorum, & auferte omnem immunditiam de ſanctuario.* Nec mora, omnis impietatis veſtigia continuo abolita ſunt, cæſæ victimæ, purgatum templum, antiqui mores reſtituti, & quod ad rem noſtram facit, cùm populus priùs contagione impietatis non tantùm afflatus eſſet, ſed planè corruptus, rediit tamen ad priſtinam Religionem Principe præeunte, & adhortante, idque volens ac libens,
Ibid.num. 55. nam eodem capite dicitur: *Et completus eſt cultus domus Domini, lætatuſque eſt Ezechias, & omnis populus, eo quod miniſterium eſſet expletum; de repente quippe hoc fieri placuerat*, id eſt adeò verbis, & exemplo boni Principis incenſi ſunt omnes, vt quod ipſe fieri cupiebat, placuerit etiam cito effectum dare, nulláque temporis mora interpoſita, vt magis Regi ſuo gratificarentur. Similis Ioſiæ zelus deſcribitur in libris Regũ, parque ſucceſſus, vt vel ex his duabus hiſtoriis ſatis pateat
Pſalm. 2. 1. quanta ſit exempli vis in vtramque partem. *Quare fremuerunt gentes*, inquit S. Dauid, *& populi meditati ſunt inania?* & ſtatim cauſam quam habebat in promptu, à prauo Regum, & Principum exemplo petitam, ſubdit. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduer*

aduerſus Chriſtum eius. Quis enim credat populum tantis, tam crebris, tam inſignibus ornatum beneficiis à Chriſto Domino, qui *Pertranſiit cunctis benefaciendo*, ægritudines pellendo, oculis captos illuminando, debiles pedibus erigendo, mortuos ipſos iam conditoriis incluſos ad vitam excitando, tam ſæuis cruciatibus, tam acerba, ac turpi morte necaturum fuiſſe, ſi Herodes & Pilatus, Annas & Caiphas cæterique populi, ac ſacerdotum præſides, tam immanis facinoris auctores non fuiſſent? Quare Pſalmum ſuũ Dauid ita concludit, vt ad Reges ſolos orationẽ ſuam conuertat, ac ſi ipſi duntaxat perpetrati ſceleris labem contraxiſſent; eóſque ad Filium Dei debito reuerentiæ, & honoris cultu colendum adhortatur. *Et nunc Reges*, inquit, *intelligite, erudimini qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite diſciplinam*, ſeu vt alij ex Hebræo vertunt; *Oſculamini filium, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Et meritò nititur capita ſanitati reſtituere, hæc enim ſi morbus aliquis corripuerit, ad reliquas etiam corporis partes lues facilè proſerpit: *Omne caput languidum*, inquit Iſaias, *& omne cor mærens*. & ſtatim quis effectus exiſtat ſubiicit, *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Nam, vt eſt in Eccleſiaſtico, *ſecundum iudicem populi, ſic & miniſtri eius, & qualis rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea; Rex inſipiens perdet populum ſuum.* Et in Prouerbiis dicitur, *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.* Talis domus Ieroboam, cuius filius, qui nondum per ætatem capax erat impietatis, propterea *ſolus in ſepulchrum illatus eſt* ex vniuerſa Regis illius familia,

Ibid. num. 10.

Iſa. 1. 5.

Eccleſ. 10. 2.

Prou. 29. 12.

3. Reg. 14. 13.

lia, quod prauam parentum ſuorum inſtitutionem, & noxia exempla mortis beneficio anteuertiſſet, fortè nihilo melior cæteris futurus, ſi diutiùs viuere licuiſſet. *Balthaſſar Rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille, & vnuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem. Tunc allata ſunt vaſa aurea, quæ apportauerat de templo quod fuerat in Ieruſalem, & biberunt in eis Rex, & optimates eius, vxores & concubinæ illius.* Nec ex tanto numero repertus eſt quiſquam, qui tam immane ſacrilegium Rege præeunte, & inſaniam illam cum vino propinante, reformidaret. Contra ſi Rex ad honeſtatem, & virtutem præiuiſſet, affirmare auſim, compoſuiſſet ſe ſe turba illa concubinarum, & aulicorum, ad Religionem, & modeſtiam, vt Niniuitis videmus accidiſſe, qui cum eſſent plurimis grauiſſimiſque ſceleribus cooperti, Rege tamen, Ionæ prædicatione concuſſo, & ad pœnitentiam commoto, doloris, & ſcelerum ſuorum deteſtationis ſignificationes ediderũt, quantas qui legunt, vehementer non admirari non poſſunt. Nam ſordidatus Rex ſaccóque pro Regali paludamento indutus, cum ſediſſet in cinere, ſubditiſque exemplo ſuo quid in eo diſcrimine facto opus eſſet oſtendiſſet: repente ciues vniuerſi cum Principe veſtem mutarunt, imò ipſas pecudes inſtrauerunt ſaccis, ſibi cibum, beſtiis ſolitum pabuli demenſum detrahentes, vt imminentem auerterent calamitatem, vt ſatis appareat quàm verè dictum ſit in Pſalmo. *Adorabunt eum omnes Reges terræ*, ſtatímque ſubdatur quid Regum, & Principum exemplum poſſit: *Omnes gentes ſeruient ei*, quaſi ſit hoc perpetuum, ac neceſſarium cõſectarium, vt per Regis veſtigia populus

Dan 5.1. Ionæ 3.6. Pſalm.71.11.

pulus incedat, ſicut etiam apud D. Ioannem habemus; *Credidit Regulus, & domus eius tota.* Ex hactenus autem diſputatis apparet quid timuerit Aſſueri conſiliarius, qui à Rege conſultus, quid cum Regina Vaſthi videretur agendum, quæ ab Aſſuero ad conuiuium accerſita venire contempſerat, in eam dixit animaduertendum videri, ne ſi ipſa impunè abiiſſet, ad reliquas manaret exemplum, totiuſque Regni mulieres viros ſuos parui penderent, obſequiúmque detrectarent. Quod conſilium omnibus viſum eſt ſapiens, & Rex ipſe ſecutus eſt. Mirum profectò videtur, ſapientiſſimos viros credere potuiſſe Reginæ cõtumaciam tantùm apud reliquas mulieres valituram, vt merito timeri poſſet, ne vxores maritis impoſterum parere recuſarent. Sed nimirum quæ vis eſſet exempli in principe fæmina perpendebant, quod mulieres in re ſibi grata arripere potuiſſent.

Ioan. 4. 53.

Eſther 1.

Grauiter peccare Principes, qui ſuo exemplo ſubditis nocẽt, ſubditorumq; peccata illis adſcribi.

2 Cum ergo tantum habeat momentum Principis exemplum in vtramque partem, vt hactenus dictum eſt, nemini mirum videri debet, ſi peccata Magiſtratuum & Regũ, qui aliis facem ad delinquendum præferunt in ſcripturæ hiſtoriis, & apud Prophetas, grauium verborum apparatu, & tanquam ſeueriſſimè à Domino vltore vindicanda, proponuntur. Cum incidit mentio Ieroboam primi Regis Iſrael ſuper decem tribus, illa nota ferè ſemper inuritur. *Qui peccare fecit Iſraël*, vt non citiùs Regis illius memoria quàm piaculum tanti ſceleris recurreret. *Adhuc modicum*, inquit Oſee, *& viſitabo ſanguinem Iezrabel ſuper domum Iehu.* Senſus eſt. Paulò poſt vlciſcar ſcelera (quæ ſanguinis nomine in ſacris litteris deſignantur, quòd animæ peccatis quaſi lethalibus quibuſdam

3. Reg 15. 26.

Oſee 1. 4.

Digitized by Google

vulneribus cruententur) in Iezrahel ciuitate Regni metropoli perpetrata, peſtifero exemplo regiæ domus Iehu, quæ populis illis peccata peccatis cumulandi cauſa fuit, nam *Et ipſi receſſerunt de via*, vt eſt apud Prophetam. *Et ſcandalizauerunt plurimos in lege*, quare commeriti ſunt, vt *diſperdat Dominus virum qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum de tabernaculis Iacob.* Eodémque infortunio inuoluuntur, & qui ſe diſcipulos præbent, & qui Magiſterium hoc improbitatis ſuſcipiunt, nec verentur ſedere *In cathedra peſtilentiæ* Hos autem Dominus apud Ieremiam inexcuſabiles eſſe pronuntiat, cum ait, *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas, & in alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum?* Sentẽtia eſt. Quid fruſtra contendis gratiam meam inire quaſi non peccaueris, cùm maculatus ſis in iniquitate tua, nec multa nitri, ſmigmatis, aut herbæ fullonum pondera, tantas ſordes poſſint abſtergere, nominatímque ſcelus illud admiſeris, quòd alios exemplo, doctrináque tua corruperis. Alas enim tuas quibus ſcelera perpetrantes defenderes expanderas, vt iam non latenter in angulis, receſſibus, & *foſſis*, vt paulo poſt dicitur, ſed palam, & in omnium oculis magnáque cum impudentia, ad omne peccati genus tuo magiſterio inſtituti, proiecti eſſent. Deteſtatus fuerat Dauid peccatum ſuum, & à Propheta audiuerat; *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Verùm quia Principis adulterium clam populo eſſe non poterat, ipſéque palam Bethſabee in Regiam traducta nuptias celebrauerat, crimen hoc praui exempli, peculiari quodam vindictæ

Malach. 2.8.

Ibid. num. 12.

Pſalm. 1. 1.

Ierem. 2. 33.

Ibid. num. 34.

2. Reg. 12. 13.

Digitized by Google

genere expiandum fuit. *Verumtamen*, inquit Nathan, *quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* nec pœnam hanc, puerique periculum oratione, ieiunio, humi cubatione, animique dolore, ac contractione deprecatus auertere potuit. nam *Percuſſit Dominus paruulũ quem pepererat vxor Vriæ, Dauid, deprecatúſque eſt Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit ieiunio, & ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terram.* Tanta verò doloris pertinacia ſe ipſum macerauit, vt omnibus ſummotis continẽti fletu, ac lacrymis indulgeret. Sic enim legimus. *Venerũt ſeniores domus eius cogentes eum vt ſurgeret de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibum. Accidit autem die ſeptima vt moreretur infans.* Hinc ſubditorũ peccata Principibus imputantur. Sic Aarõ propter vitulum conflatilem reprehenditur à Moyſe: *Quid tibi*, inquit, *fecit hic populus vt induceres ſuper eum peccatum maximũ*: cęteriſque diſcipulis ſomno ſepultis Petrus arguitur quòd non vigilaret: *Et ait Petro, Simon dormis*? vt futurus aliquando Eccleſiæ Rector intelligeret ſubditorum peccata ad Principes ipſos aliqua ratione pertinere.

Ibid. num. 14.

Ibid. num. 15.

Exod. 32. 21.

Marc. 14. 37.

Initio Principatuum Principes ferme eſſe meliores, quàm ſint poſtea: & quænam huius mutationis ſint cauſæ.

CAPVT XI.

Probatur exemplo Saulis & Salomonis.

1 ACcidit nonnunquam, ſiue humanæ imbecillitatis vitio, ſiue Imperij ipſius con-

 ditione,

ditione, vt aliqui cum primùm Principatum adipiſcuntur, clementia, animi moderatione, cum omnium ordinum hominibus æquitate, cæteriſque virtutibus Principum propriis, ſe populis egregiè probent, qui poſtmodum in ſæuitiam, tyrãnicos mores aliáque omnis generis vitia ſenſim inclinant. Ac quemadmodũ ſtatuæ quæ per quietem Nabuchodonoſori Chaldæorum Regi viſa
Dan. 2. 32. eſt, *Caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & fæmora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* vt tam præclarum opus tandem in lutum deſineret: ita Regum aliquot initia principatus aurea planè ſunt, ſed tamen paulatim ita degenerant in vitia, vt luto deſpicabiliori exitu concludantur. Cuius illuſtrior modeſtia, Regni initio, quàm Saül, qui Samueli Prophetæ neſcio quæ ad regnum ſpectantia prenuntianti, quaſi exitiabilis alicuius mali denuntiatione cohorruit, omnîque niſu amoliri conatus eſt, generis
1. Reg. 9. 21. obſcuritatem prætexens cum ait; *Numquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſraël, & cognatio mea nouiſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum?* Nec modeſtiùs locutus eſt quàm fecit, nam cum ſortibus eductis per tribus, cognationes, & capita, ad ipſum Saül ventum eſſet, quæſitus non apparuit, ſe quippe ſubduxerat, ne Regio faſtigio ad-
1. Reg. 10. 21. moueretur. *Quæſierunt ergo eum & non eſt inuentus, & conſuluerunt poſt hæc Dominum vtrum nam venturus eſſet illuc. Reſponditq́; Dominus: Ecce abſconditus eſt domi.* vel vt eſt in Hebræo, Kaldæo, & Septuaginta, *Inter vaſa,* hoc eſt inter domeſticam ſupellectilem, intra quam vt ab eo diſcrimine ſecurus
eſſe

Digitized by Google

eſſe poſſet,latebras quæſierat. Hic tamen tam bonus Princeps, moribus tam candidis,tam ab omni faſtu, regnandíque libidine alienus, quàm à ſe ipſo deſciuit, aliuſque factus eſt? quàm ſuperbus & contumax, quàm regnandi, & Principatum ad filios tranſmittendi cupidus; quàm ſolers in iis amoliendis quæ rerum ſuarum curſum poſſent intercipere,quàm in Dauidem ingratus,& ſæuus, quàm in alios etiam ſuos truculentus, & barbarus? ſtatim ſimulandi, ac diſſimulandi gnarus factus eſt, nam ab ipſa ſtatim inauguratione, cum perditi quidam dixiſſent; *Num ſaluare nos poterit* 1.Reg.10.
iſte? nec eum muneribus coluiſſent, *Ille diſſimu-* 27.
labat ſe audire. Sed laudabilis fortè iſta diſſimulatio; non enim in illos, initio recentis Principatus, nondum diuturnitate firmati ſæuiendum fuit, ſed tantiſper eorum turbæ tolerandæ, dum compoſitis rebus,& ſeditioſorum pacatis animis, tempeſtatem excitatam ſerenitas optata ſequeretur. Illa nulla ratione excuſabilis, qua peccatum ſuum velare potiùs quàm abſtergere pœnitentiâ ſatagens, & de regno tantùm ſolicitus, Samuelem ita rogauit. *Sed nunc porta quæſo peccatũ meum,* 1.Reg.15.
&, *Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenioribus po-* 25.
puli, & coram Iſraël, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum. Hoc quippe ſummopere illi curæ erat,ne ſi Samuële recedente populus intellexiſſet Saulem Regio iure excidiſſe, etiam de Regni poſſeſſione, quam tenebat, deturbaretur; itaque eum retinere niſus eſt, ne à ſacerdote deſtitutus, tamquam Deo inimicus, à ſuis ipſe deſereretur. Vſſit eumdem Saül pſallentium mulierum chorus, cum Dauidis facinora patrio car- 1.Reg.18.
mine decantantes ingeminabant; *Percuſſit Saül* 7.

 mille,

Digitized by Google

mille, & Dauid decem millia. Quid hoc cauſæ fuit? Regno timuit. Itaque Dauidem tantæ ſpei imminentem, crebrò mortis periculis obiiciebat, finiſque alterius diſcriminis gradus erat futuri, nam protinus reduci nouum parabatur certamen, quo ſi fieri poſſet è medio tolleretur, dicebat enim.
1. Reg. 18. 13. *Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.* Sic filiam Michol ei deſpondit, ſi centum cæſorum Philiſtæorum præputia numeraret, quod nimirum eodem conſilio factum eſt, vt hoſtium telis obiectus caderet. *Dabo eam,* dicebat, *illi, vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.* Tandémque cum fraudes nõ ſuccederent, ad apertam inimicitiam, & ſimultatem malè ad eum diem diſſimulatum odium erupit.
Ibid. num. 29. *Nam factus eſt Saül inimicus Dauid cunctis diebus,* illúmque quâ aperta vi, quâ dolis, & aſtu, ſemper tamen conatu in irritum cadente, ſublatum voluit. Huius autem tam diuturni támque vehementis furoris cauſa fuit, quòd filium Ionatham, quem nequiquam ſui ſceleris participem facere conatus eſt, in Regno ſtabilire, Dauide ſummo-
1. Reg. 20. 31. to, cupiebat: ita enim eum alloquebatur. *Omnibus diebus quibus filius Iſai vixerit, non ſtabilieris tu, neque Regnum tuum.* Nec priùs deſiit in Dauidem, & in eos quos partes eius fouere ſuſpicabatur debacchari, quàm vitam exuit: præclarum nobis mutationis illius de qua agimus, relinquens documentum. Quid Salomon? cuius tanta fuit ſa-
Eccleſ. 47. 17. pientia, vt *Ad inſulas longè diuulgatum ſit nomen eius,* Reginámque Sabam euocauerit, quæ illius
2. Paral. 9. 4. ſapientiam, & in Deum pietatem admirata. *Non erat præ ſtupore vltra in ea ſpiritus, dixitque ad Regem. Verus eſt ſermo quem audieram in terra mea de virtutibus, & ſapientia tua. Non credebam narrantibus*

Digitized by Google

bus donec ipſa veniſſem, & vidiſſent oculi mei, & probaſſem vix medietatem ſapientiæ tuæ mihi fuiſſe narratam. Viciſti famam virtutibus tuis. Tantus tamen Princeps, tantis, & tam multis naturæ præſidiis ornatus, tam præclaris diuinitus acceptis muneribus cumulatus, inclinata iam ætate, qua ætate adeò homines à recto virtutis tramite deflectere non conſueuerunt, vt etiam ij qui virtutis iter per adoleſcentiam non tenuerunt, maturitatem annorum adepti, multóque magis ætate iam ad ſenium vergente, ab erroribus reuocent ſeſe: inſanis mulierum cæterarum amoribus implicatus, diuino numini debitum honorẽ, vt mulierculis blandientibus gratificaretur, idolis tribuere non dubitauit. Nam Idumæas, & Sidonias, Moabitidas, & Ammonitidas vxores duxit ex Ægypto, etiam filiam Pharaonis, tanta intemperantia, vt ſeptingentis vxoribus, trecentas adhuc concubinas ſuperinduceret, quarum tandem mollitus blanditiis, fana idolis excitauit, in quibus vxores profanis gentium ſimulacris adolerent thura, tandiúque hæc inſania tenuit, vt de Salomonis ſalute adhuc ſoliciti ſimus, & in ſapientiſſimum mortalium illa Diui Pauli quadret reprehenſio. *Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu caperitis, carne conſummemini.*

3. Reg. 11. 1.

Galat. 3. 3.

2 Huius autem rei ſi quis cauſas inquirat, non erit difficile inuenire. Ac prima quidem ſit luxus, opulentia, regiæque deliciæ, quarum proprium eſt rigorem virtutis frangere & ad omne genus corruptelæ viam ſternere. Quis autem neſciat Principum eſſe delicias illas, de quibus Amos quodam loco: *Væ*, inquit, *qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, Optimates,*

Luxum, & delicias Regias hãc mutationẽ afferre.

Amos 6. 1.

Digitized by Google

capita popu..rum, ingredientes prompaticè domum Iſ-
Ibid.num. 4. *raël.*& paulò poſt. *Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem pſalterij, ſicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici.* Exemplum ſcilicet Dauid pſalterio canentis ſuæ luxuriæ prætexentes, quæ tamen defenſio illos nihil iuuabat cũ diſpar eſſet cauſa. Sanctus enim Pſaltes diuinas laudes exequens muſica pulſauit inſtrumenta, ipſi verò vt aurium dumtaxat voluptatem captarent. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Sed hæ fortaſſe delitiæ intra priuatæ fortunæ modum ſe continere facilè videri poſſunt, illæ planè Regiæ quas enumerat Sa-
Eccl. 2.4. lomon, in Eccleſiaſte cum ait. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium; poſſedi ſeruos, & ancillas, multámque familiam habui, armenta quoque & magnos ouium greges, vltra omnes qui fuerunt ante me in Ieruſalem; coaceruaui mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias Regum, ac prouinciarum; feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos & vrceos in miniſterio ad vina fundenda, & ſupergreſſus ſum opibus omnes qui ante me fuerunt in Ieruſalem:* tandémque concludit, *ſapientia quoque perſeuerauit mecũ* (quod fortè conſilio Salomon expreſſit, quaſi rem alioqui difficilem conſecutus ſit, nam ſa-
Iob. 28.13. pientia vt eſt apud S. Iob. *Non inuenitur in terra ſuauiter viuentium*) *& omnia quæ deſiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meũ, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaueram.* Hunc autem tam profuſum luxũ peccata quæ

ſupra

Digitized by Google

ſupra memorauimus ſecuta ſunt, anguſto enim admodum limite luxus & luxuria ſeparantur, faciléque ex illo iſta progignitur. *Ecce*, inquit Ezechiel, *hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ ſuperbia*, ea ſcilicet, quæ in cultu eſt corporis, purpura, auro, acu pictis veſtibus, gemmis etiam interlucentibus diſtinctis, hoc enim exhibet vox Hebraica גאון quæ decorum, & ſpeciem ſignificat, vt cum dicitur apud Iob; *Circunda tibi decorem*, vbi eadem vox occurrit. Pergit Ezechiel; *Saturitas panis, & abundantia*, ciborum ſcilicet omnis generis quæ palatum intemperantium irritare ſolent, quare Septuaginta verterunt, *& delitiis affluebat*. Nec ſe malum intra mænia ciuitatis continuit, ſed à metropoli ad circumiectos pagos manauit, nam pergit Ezechiel, *Et otium ipſius, & filiorum eius*, eorum ſcilicet, qui circumiectos pagos, & villas incolebant: nam agreſtes etiam homines, qui victu alioqui tenui vitam tolerare cōſueuerant, ciuium tamen elegantiorúmque hominum delitias æmulabantur, ex quo tandem extremam calamitatem ſibi accerſiuerunt. Itaque Salomon cibi præſertim & potus intemperantiam ab aulis Principum conatur amoliri, cum beatos eos prædicat qui ſub Regibus viuunt, qui ſuis temporibus ad vires corporis inſtaurandas, non ad noxiam ventris voluptatem cibum capiunt. *Beata*, inquit terra, *cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Et in Prouerbiis cum per omne genus præceptorum, quibus ad honeſtatem informemur, vagatus eſſet, paucula quædam quaſi aureolam appendicem addere voluit, quæ librum quaſi ſigillo clauderent, altiúſque legentium mentibus inhærerent.

Ezech. 16. 49.

Iob. 40. 5.

Eccleſ. 10. 17.

Digitized by Google

Prou.31. 1. num.4. *Viſio*, inquit, *qua erudiuit eum mater ſua.* Et paulo poſt. *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas, & ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.* Cum enim vt præclarè Oſeas

Oſee 4. 11. pronuntiauit; *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferant cor* omnibus, qui gubernationis clauum tenent, ſaluberrimum erit conſilium, ita potum deliciaſque omnes ciborum moderari, vt bene

Leuit.10. 9. ſobrij ad ius dicendum accedant. Quare Dominus in Leuitico Sacerdotibus vini vſum certis temporibus interdixit, in Sacerdotalis miniſterij reuerentiam: & verò etiam quia iudicaturos inter ſanctum & profanum, pollutum & mundum, integros ſenſibus, non torpentes temulentia, ac madidos eſſe oportebat. Deliciæ ergo quibus Principes abundant pretioſę veſtes, cibi accerſiti, ac ſuaues, multorúmque manibus miniſtrati, domus ipſæ ac pauimenta quæ calcantur pretioſa, aſſectatorum famulorúmque ſerico, auroque nitentium agmina, reliqua tandem ſenſuum blandimenta, tranſuerſos illos agunt, & mores ad virtutem propenſos deflectunt ad vitia, penituſque corrumpunt.

Negotiorũ etiã multitudinẽ qua mentis culturam impedit.

3 Altera cauſa quæ afferri poteſt, eſt negotiorum multitudo, quibus ita Principes obruuntur, vt niſi intentâ curâ malum auertant, virtutum ſemina ex quibus lætæ fruges, ſi ſe effunderent, poſſent exiſtere, mole negotiorum depreſſa vim ſuam exercere non valeant. Eſt enim virtutis, diuturnitate temporis, repetitiſque honeſtis actionibus, confirmatæ, ita ſe publico nogotiiſque per-

Nahum 3. 16. mittere, vt de priorum integritate morum nihil deteri patiatur. In aulis autem Principum *Plures*

ſunt

Digitized by Google

ſunt negotiationes eorum quàm ſtellæ ſint cœli. Quare mirum non eſt, ſi *Solicitudinibus, diuitiis, & voluptatibus vitæ ſuffocantur.* Principiſque animus, licet fortaſſe olim virtutis cultura ſubactus, paulatim ſylueſcit, & pro floribus ac frugibus dumos ac ſentes procreat, fitque ager illius cum ſtulti viri agro planè geminus, de quo Salomon ait. *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Hanc ob cauſam S.Dauid ſtatum mentis ita tueri conabatur, vt licet pluribus diſtraheretur negotiis pro Regij muneris neceſſitate, ſe tamen illis commodaret potiùs quàm traderet, ne fortè eorum raperetur impetu, & *Turbaretur, circa plurima* occupatus, quod tamen perpetuò tenere non potuit, Regni curis illum incurſantibus, vocémque illam exprimentibus, *Cor meum conturbatum eſt*; vel vt D.Hieronymus legit, *Cor meum fluctuabat*; vel vt ex Hebræo verti poteſt, *Cor meum circumuagatur*, vel *Circumcurſat.* Licet alio poſtea tempore maiorem adeptus conſtantiam dicere non dubitauerit: *Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua.* Ita nimirum virtutis tenax, vt militari honeſtatis viæ inſiſtens ad nulla vitiorum diuerticula ſe rapi pateretur.

Luc. 8. 15.

Prou. 24. 30.

Luc. 10. 41.

Pſal. 37. 11.

Pſal. 118. 60.

Idem efficit adulatorum corruptela.

4 Tertia cauſa duabus hactenus explicatis addi poteſt, quòd Principes viros adulatorum agmina ſemper circumſiſtant, (*Multi enim colunt perſonam potentis*) veritatiſque facem ſubmoueant, *Ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* De quibus Iſaias quodam loco. *Popule meus*, inquit, *qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Hi ergo

Prou. 19. 6.

Iſa. 5. 20.

Iſa. 3. 12.

ergo ſolita vanitate ſpes Principum inflant, ſuauitérque blandiendo præſentiſſimam perniciem deceptis parant, quos tantò cautiùs vitare debemus, quantò ab amicitia quam mentitur, propiùs abeſt adulatio, quæ ſubmiſſa, & humana quadam ſpecie, vbi ad aures obrepſit, *faſcinatione nugacitatis*, abducit à virtutibus, & in turpes vitæ ſcopulos non aduertentes illidit. Itaque Salomon. *Meliora ſunt*, inquit, *vulnera amici, quàm fraudulenta oſcula inimici*, &, *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* Hinc Dauidis ſanus, & ab initio bene fundatus animus, corripientis ſermonis auſteritatem optabat præ laudantis blanda oratione, cum dicebat. *Corripiet me Iuſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Tò *Peccatoris*, in Hebræo eſt ראש, quod caput, aut venenum capite ſerpentum latens ſignificat, vt commodiſſimè ſenſus hic elici poſſit; oleum autem peccatoris, cuius venenata verba, ſi apertis & propitiis auribus recipiuntur, veneni inſtar habent, non impinguet caput meum, blandimentis demulcendo, ac demerendo. *Babylonem illam glorioſam in Regnis, inclytámque ſuperbia Chaldæorum*, docet Iſaias ſirenes incolere, cum ait. *Et ſirenes in delubris voluptatis.* Quid autem aliud ſunt ſirenes, quàm aſſentatores, qui ventoſa mendacíque vanitate ſuauiter blandiendo, ita loquuntur, vt ſtuporem quemdam ac ſomnum audientibus concilient, quo merſos miſerrimè conficiant? Hi autem habitant *In domibus voluptatis*, vt Chaldæus & Septuaginta vertunt; meliùs autem & ad ſignificandum aptiùs vulgatæ editionis author, *In delubris voluptatis*, quod Principũ ædes, opulẽtorúmque palatia, hoc adula

Prou. 27. 6.
Eccleſ. 7. 6.
Pſal. 140. 5.
Iſa. 13. 22.

adulatorũ conſenſu concentúque circumſonent, meritoque delubra quædã cenſeri poſſint idolo voluptatis conſecrata, quorum antiſtites, & myſtæ *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi, dum ducunt in bonis dies ſuos.* Iob.21.12. Cum tamen ſi ſirenibus hiſce faciem ſuam reddere velimus, nihil aliud ſint quàm *Dracones*, vt Chaldæus vertit, quorum habitu peſtifero Principes afflati, vitiorum hauriunt corruptelam. Hos ergo Dracones, quia multi Principes amant, & dicunt; *Frater fui draconum*, &, *Vadam poſt amatores meos, qui dant mihi oleum meum,* Iob.30.29. in peiora ſemper, & turpiora vitia deuoluuntur.

5 Vltima tandem mutationis huius in deterius cauſa ſit, quod latens vitium, virtutis tectum inuolucris, paulatim ſe aperiente naturâ retegitur, poſitâque laruâ, dira ſcelerum facies quæ latuerat, tandem apparet. Multi enim dum in priuata viuunt fortuna moderationem ſimulant, altóque pectore perturbationes animi premunt, ne ſi fortè aliquo indicio eruperint, ſpes quibus velificantur interceptæ, in irritum cadant. Non fugit hæc hominũ aſtutorum nequitia Sapientem, qui eam conſummatam, omnibuſque numeris abſolutam malitiã appellauit. *Eſt*, inquit, *ſolertia certa, & ipſa* Eccleſ.19.22. *iniqua*, Septuaginta vertũt πανουργία ἀκριβὴς, *exacta, perfecta malitia. Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo.* Et paulo poſt. *Et ſi ab imbecil-* Ibid.n.25. *litate viriũ vetetur peccare. ſi inuenerit tempus malefaciendi, malefaciet.* cum ſcilicet nactus fuerit potentiam, eoſque ſubmouerit, quos reuerebatur, tunc enim liberè ſcelus erumpit, *Peccatumque ſuũ* (tanta Iſa.3.9. eſt impudẽtia) *quaſi Sodoma prædicant, nec abſcõdunt.* Quia verò multùm Reip. intereſt huiuſmodi homines

mines noſſe, docet Sapiens rationem eorum mo-
res explorandi, & tentandi: vix enim fieri poſſe
quin ex habitu corporis, ac motu, ex riſu, &
amictu, ac præſertim ex ſermonibus quos miſcet,
quæ ſit natura, quæ ſtudia conicere aliquan-
Eccleſ. 19. do poſſimus. *Ex viſu*, inquit, *cognoſcitur vir, & *
26. *ab occurſu facie cognoſcitur ſenſatus, amictus corporis,*
& riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.
Prou. 17. Quemadmodum enim vt dicitur in Prouerbiis,
24. *In facie prudentis lucet ſapientia*, ita in deceptoris
vultu, ac moribus notas quaſdam ſapientes ho-
mines, qui oculos eruditos habent, quibus mini-
mè falluntur deprehendunt. Quare Apoſtatam,
Prou. 6. 12. cuiuſmodi planè is eſt, de quo loquimur deſcri-
bens Salomon, ſuiſque notis diſtinguens; *Homo*,
inquit, *Apoſtata, vir inutilis graditur ore peruerſo,*
annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde
machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat.
Hæc ergo ſigna perſecutus Sapiens facilè pene-
Prou. 10. trat ſe ie ad cubilia receſſuſque animi, illíque
10. *Qui deprauat vias ſuas, manifeſtus eſt*; vel vt habent
Iſa. 3. 9. Hebræa, & Græca exemplaria, & vulgatæ editio-
nis ſententia eſt, *Deprehendetur*, quippe *Agnitio*
vultus eorum reſpondet eis, vt loquitur S. Iſaias, ex
vultu enim, inceſſu, amictúque vt dicebat Salo-
Prou. 54. mon, quinam ſint haud difficilè cognoſcuntur,
16. *Et nequitiæ in habitaculis eorum in medio eorum,*
id eſt vt D. Auguſtinus interpretatur, in corde
eorum, educuntur in lucem, quantumuis
Prou. 21. agnoſci nolint, aliíſque fucum facere per
29. ſummam diſſimulationem ſtudeant;
Procaciter obfirmantes vultum ſuum,
vt alicubi locutus eſt
Sapiens.

HIERO

HIEROPOLITICΩN LIBER SECVNDVS,

Qui eſt de

VIRTVTIBVS PRINCIPIS.

Religionem Principi colendam eſſe,& de externo eius cultu.

CAPVT PRIMVM.

1 PRINCIPIO illud tanquam certiſſimum ſtatuendum eſt,nullam eſſe gentem adeo barbarã, quæ, vel ipſo naturæ lumine dictante, non ſentiat aliquod eſſe numen, quod humanis rebus interſit, illiſque ſua prouidentia præſit,& pro arbitratu cuncta moderetur. Hinc vera extitit Religio, quæ præcellenti huic naturæ,& de humano genere optimè meritæ,cultum debitæ ſeruitutis impendit.Hinc etiam variæ ſuperſtitiones exortæ ſunt eorum, qui vt loquitur D. Paulus, *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum,& quadrupedum, & ſerpentium,qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & ſeruierunt creaturæ potius quàm Creatori,qui eſt benedictus in ſæcula*, in eo diſſidentes à legitimis veri numinis cultoribus,

Omnibus gentibus inſitum eſſe religionis ſenſum, & amorem.

Rom.1. 23.

toribus, quod ea pro numinibus habuerunt, quæ diuinitatis erant prorſus expertia; illis verò conſentientes, quod naturæ ductu aliquẽ eſſe Deum ſenſerunt, qui ſacris, religioſiſque ceremoniis colendus eſſet. Eſt autem ſenſus hic mentibus humanis adeò altè inſitus, vt tunc demum exiſtiment homines ſe in maximas incidiſſe calamitates, cum euersâ religione contigerit, diuinum in ciuitatibus cultum intermitti, & populum ab vſurpandis ſacris ceremoniis prorſus arceri. Hinc

Hoſee 3. 4. grauis illa comminatio apud Hoſeam. *Quia dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod & ſine theraphim.* Seſſuri autem dicuntur filij Iſrael, quia habitus ille corporis abiectorum eſt, & mæſtorum.

Tren. 1. 1. Sic Ieremias, *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena*

Ierem. 13. 13. *populo?* & alibi, *Dic Regi, & dominatrici, humiliamini, & ſedete, quoniam deſcendit de capite veſtro corona*

Pſal. 136. 1. *gloriæ.* & Dauid: *Super flumina*, inquit, *Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, cum recordaremur Sion.* Sedebunt ergo filij Iſrael cum ſacrificio, altari, religioniſque cultu caruerint; hoc eſt maximo conficientur mærore, vt vitam planè ingratam, & acerbam putent. Fecerat ſibi Michas, vt Iudicum narrat hiſtoria, ædiculam quandam, & in ea ſtatuerat idolum, ſacerdotiſque operas conduxerat, cui etiam, ne quid deſiderari poſſet, inſtrumentum ad rem ſacram faciendam parauerat. Sed ecce tibi ſexcenti viri de tribu Dan, cum in montem Ephraim veniſſent, fanum Michæ compilarunt, idolum, ac ſacerdotalem omnem apparatum aſ-

Iud. 18. 21. portantes, *qui cum pergerent, & ante ſe ire feciſſent paruulos, & iumenta, & omne quod erat pretioſum, & iam à domo Michæ eſſent procul, viri qui habitabant in*

ædibus

Digitized by Google

ædibus Micha conclamantes ſecuti ſunt & poſt tergum clamare cæperunt. Qui cum reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas? Qui reſpondit, Deos meos quos mihi feci tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis, quid tibi eſt? Putabat Michas omni ſe poſſeſſione ſpoliatum, quia quæ ad ſui numinis cultum pertinebant, milites abſtulerant, nec clamoris ſui cauſam edendam, cenſebat, cum res ipſa loqueretur, nec atrociorem iniuriam, aut damnum grauius, quodque iniquius ferendum eſſet, arbitrabatur, quàm ſi ſuis ſacris, venerationeque eius Dei, quem ſibi ipſe fecerat prohiberetur. Hic ergo Michæ, hic humani generis vniuerſi ſenſus eſt.

2 Eſt porrò Religio duplex, vel potius vna cum ſit, duplici ratione functiones ſuas exercet, vel corporis adminiculo, vt cum ſacrificiis, ſupplicationibus, cantu, cæteriſque huiuſmodi externis actibus, ab interna pietate prodeuntibus, diuinum numen honoramus: vel cum intra nos taciti diuinæ illi maieſtati nos ipſos ſubmittimus, nullum interea exercentes externum actum, quo prodamus, quid mente, & cogitatione voluamus. Atque vt de externa dicere incipiam, maximè decet Principem optimè affectum eſſe ad Eccleſiaſticos ritus & ceremonias, ſacræque ſupellectilis nitorem, & maieſtatem amare, & verò etiam ſuis pecuniis templorum fabricas excitare, augere vaſorum ſacrorum numerum, veſtiúmque ſacerdotalium, vt omnia decorè tractentur, & vt diuinam maieſtatem decet, magnificè exerceantur, quod proculdubio multum facit ad reuerentiæ affectum in fidelium animis excitãdum. Sanè Dauid, vir alioqui militaris, multiſque bellis exercitus,

Exemplis oſtenditur Principem cultũ externũ religionis cordi habere debere.

Digitized by Google

hoc nihilominus meditabatur aſſiduè, hancque animo curam coquebat, qua ratione poſſet templum Deo ſuo excitare, quod verba illa Pſalmi docent, *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Τὸ *Manſuetudinis*, cum D. Hieronymo
Pſal. 131. 1. verti poteſt, *Afflictionis*. (eam vocat Aquila κακουχίαν, Symmachus κάκωσιν codẽ ſenſu) ſignificaturque Dauidis animo mordacem quandam & ſubinde reuertentem curam, ac ſolicitudinem inſediſſe, quæ illum malè habebat, reputantem, ſe magnificas ædes, regiumque planè domicilium incolere, cum interim Dei arca ſtabilem ſedem nondum eſſet nacta. *Sicut*, inquit, *iurauit Domino,*
Ibid. n. 2. *votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei, ſi dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum*
2. Reg. 7. 2. *Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Hoc ergo Dauidis votum, qui cum cedrinam habitaret domum, Dei verò arca ſub hirſuto, ac vili pellium tegumento lateret, de magnificentiſſimo templo diuino nomini excitando cogitauit, vt ipſe de ſe
1. Paral. 22. 7. filium Salomonem alloquens, teſtatur; effectumque dediſſet, niſi diuinitus fuiſſet prohibitus, neque enim Domino placuit tot cæſorum hominum millibus ſanguine imbutas manus habentem, quamuis alioqui ſanctum Regem, ſed eius potiùs filium Salomonem, iuxta nominis etymon Pacificum, tam ſancto operi manus admoliri, quanquam Dauid plurimum contulit ad templi fabricam, qui & materiei plurimum congeſſit, auri, argenti, marmoris; præſtantiſſimoſque artifices parauit, quibus deinde Salomon ad deſtinatum opus perficiendum vſus eſt, vt merito de

ſe

Digitized by Google

ſe dicere potuerit ſanctus Vates, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Pſal. 25. 8.
Quid de Salomone dicemus, qui parentis ſui mandatorum memor templum excitauit, cuius, vt de inquilinis ipſis nihil dicam, tanta fuit apud exteras etiam gentes vel admiratio vel religio, vt loci illius ſanctitate, exciti, eius viſendi & in eo numen adorandi cauſa, ethnici etiam homines Hieroſolymam ſe conferrent, aut certè loci ſanctitatem, ſi ipſi adeſſe non poſſent, deſtinatis eo muneribus cultam vellent, quare in hiſtoria Machabæorum, *Famoſiſſimum in toto orbe templum &, quod in vniuerſum mundum honoratur,* appellatur. Machab. 2. 23. & cap. 3. 12.

3 Et ſanè eorum quæ ad externum religionis cultum ſpectant, cur tam diligens, diſtincta, ac penè curioſa deſcriptio Deo ipſo dictante, ac præcipiente, in ſacris litteris habetur, niſi quia docere mortales voluit, *domum eam quam decet ſanctitudo,* etiam decere nitorem, cultum, & ornatum externum? Infinitus ſim ſi ea velim hic attexere, quæ in Exodo de Tabernaculo, arca, altari, ſacrificiis, ſacerdotalibus indumentis, & aliis huiuſmodi locutus eſt Dominus, excipiente Moſe, quæ deinde Exodi libro, aliiſque ſacræ legis voluminibus complexus eſt. Tanti verò fecit externum hunc religionis cultum, qui in ſacris ceremoniis conſiſtit, ſapiens ille Iethro ſocer Moſis, qui multa prudenter generum ſuum docuit ad Reipubl. conſtitutionem pertinentia, vt iudicia quidem aliis permitti poſſe cenſuerit, ſacras verò religionis ceremonias, Moſi auctor fuerit, vt traderet ipſe per ſeſe. *Eſto,* inquit, *tu populo in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum, oſtendaſque populo ceremonias, & ritum colendi,* *viamque*

Scripturis & rationibus probatur externum hunc cultū retinendū eſſe.

Pſal. 92. 7.

Vide Exod. à cap. 25. ad 31. & à cap. 35. ad 39.

Exod. 18. 19.

Digitized by Google

viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Putabat itaque Iethro facturum Moſen operæpretium ſi ritus ceremoniaſque ipſe doceret. Et ſanè meritò, nam plurimum refert in Republ. vt id exactè, & ad vnguem ſeruetur, quod Corinthiis commendat D.Paulus, cum ait,
1.Cor.14. 40. *Omnia autem honeſtè & ſecundum ordinem fiat.* Quod dicit, honeſtè, Græcè eſt εὐσχημόνως quod ſignificare videtur, cum honeſta, ac decenti corporis conformatione, quod ſpectat ad cultum hunc externum, de quo verba facimus. Nec verò iſtæ ceremoniæ tantum faciunt ad tuendum decorum, ſed præterea multiplex vtilitas ex illis exiſtit; nam fidei quæ in animo noſtro latet, exterior quædam
Matth.10. 32. profeſſio illis continetur, & eas vſurando *Confitemur coram hominibus eum, qui confitebitur nos coram Patre ſuo.* Rudium verò intelligentia & memoria iuuatur, qui nuda fortaſſe myſteria non caperent, niſi hoc ceremoniarum apparatu, qui in ſenſus incurrit, proponerentur; & vt perciperent citius audita dilaberentur, niſi externæ illius actionis ſpecies, cui interfuerunt, memoriam renouaret & harum rerum gnaros percontandi occaſionem non præberet. Præceperat Dominus Moyſi, & Aaroni plurima ad Agni eſum ſpectantia, & azymorum panum, quibus explicatis ait, *Cum introieritis terram quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis ceremonias iſtas, & cum dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio? dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt.* Adde quod affectum excitant

volun

voluntatis,qui magis exardeſcit,cum feruor conceptus in pectore, etiam exeritur actionibus corporis, non enim parum profuiſſe credendum eſt publicano pectoris illam tunſionem, qui in imo templo preces fundebat ad Dominum; nec fruſtra manus ad cælum tendebat Moſes, ſed illis in altum ſublatis haud paulo plus ardoris concipiens, fortius ipſe precibus in monte, quàm in campo milites, contra populi ſui hoſtes depugnabat. Tandem ſacris hiſce ceremoniis Chriſtianæ religionis ſectatores ab iis diſtinguuntur qui aut Ethnici ſunt, aut Iudæi, aut cum Chriſtiana ſacra ſuſceperint, opinionum tamen peruerſitate ab Eccleſia deficientes ad hæreticorum caſtra transfugerunt. Hos autem noſſe plurimum Reipubl. intereſt, vt vitari poſſint, ne peſtilentium doctrinarum vulgato morbo, etiam ſana Reipub. membra inficiantur, iuxta D. Pauli præceptum, *Qui hæreticum hominem poſt vnam. & ſecundam correptionem deuitandum monet, quia ſubuerſus eſt.*

Luc. 18. 13.

Exod. 17. 11.

Tit. 3 10.

Principem non ſimulato animo, ſed ſerio religioſum eſſe debere.

CAPVT II.

Magnũ eſſe Rẽpub. malũ Principem hypocritam.

Iob 34. 30.

VEre de Deo dicitur in libro Iob, qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi, vix enim maius inuenias Reipubl. malum, quàm Principem hypocritam, qui omnia diuina & humana iura ſubuertit, vt regnum tueatur; religionem verò, non integro, & fideli ani-

Digitized by Google

mo amplectitur, ſed ſuis libidinibus ſeruire cogit ficte & ſimulate eam colens, quatenus nimirum conſiliis fore vtilem crediderit, tunc deſerturus, & perſonam abiecturus, cum ſibi noxiam fore perſuaſerit, aut minus vtilem, quaſi præſtigiis quibuſdam religione abutens ad regnum, aut priuata commoda, cum ingenti numinis iniuria, & Reipubl. totius pernicie. Si qua regio huiuſmodi Principem nacta eſt, exiſtimet licet ſe grauitate ac multitudine ſcelerum diuinum numen offendiſſe, vnde factum ſit, vt quod Dominus olim
Oſee 13. 11. comminatus eſt, *Dabo tibi Regem in furore meo*, populorum noxis irritatus impleuerit. Hi ſunt enim illuſores illi qui ſimpliciores homines per ſpeciem quandam falſæ aſſimulatæque virtutis circumuenire, & in fraudem inducere, veteratoria, & malitioſa peruerſitate conantur, de quibus
Iſa. 28. 14. Iſaias, *Audite*, inquit, *verbum Domini illuſores, qui*
Iſa. 3. 4. *dominamini ſuper populum meum*. Et alibi, *Dabo pueros Principes eorum, & effæminati dominabuntur eis.* Tò *effæminati*, Septuaginta verterunt ἐμπαῖκται, quæ vox illuſores, aut irriſores ſignificat: & conſentit vox Hebraica תַעֲלוּלִים quæ eandem cum Græca ſignificationem habere poteſt, vt ſcilicet grauis Domini comminatio illis verbis contineatur, qua ſe permiſſurum aſſeueret, vt Principes illuſores, & qui populis imponant ſubdola fallacique pietatis, & religionis ſimulatione, apud eos dominatum obtineant. Sed antequam explico incommoda quæ ab huiuſmodi hominibus Reſp. patitur, veteratoriam illorum agendi rationem, exemplis ex ſacris Scripturis petitis ponam ob oculos.

Quales ſint huiuſmodi Principes, explicatur exemplis.

Nullum autem illuſtrius meo quidem animo, inueniri

inueniri poteſt, quàm impij illius Ieroboami, qui religionem apud Iſraelitas penitus euertit, & idololatriam in decem tribus inuexit, non alio conſilio, quàm vt regnum, cui ſibi à Roboamo timebat, retineret. Vt autem planiùs agendi ratio Principis huius intelligatur, & in eo quaſi in imagine cæterorum pſeudopoliticorum ingenium quale ſit appareat, res paulo altius repetenda eſt, & quàm bene fundatas haberet ſpes regnandi, & quomodo ad regnum venerit, recolendum, vt impia illius conſilia certiùs deprehendere, & damnare poſſimus. Rem totam ſacra narrat hiſtoria tertio libro Regum. Ac primò Ahiæ Prophetæ regni prædictionem his verbis. *Factum eſt igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inueniret eum Ahias Silonites propheta in via opertus pallio nouo, erant autem duo in agro. Apprehendenſque Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Ieroboam. Tolle tibi decem ſciſſuras, hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis & dabo tibi decem tribus.* Et poſt nonnulla. *Te autem aſſumam: & regnabis ſuper omnia, quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex ſuper Iſrael. Si igitur audiueris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaueris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea, & præcepta mea, ſicut fecit Dauid ſeruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quo modo ædificaui Dauid domum, & tradam tibi Iſrael.* Hæc fuit Regni per Ahiam pollicitatio. Salomone autem è viuis erepto, cum populus tributorum penſitationem ſibi minui poſtulaſſet à Roboamo, & repulſam paſſus eſſet, Regem dixit Ieroboam, quod ita narratur in libris Regum. *Factum eſt au-*

[Margin notes: 3. Reg. 11. 29. — Ibid. n. 37. — 3. Reg. 12. 20.]

tem cum audiſſet omnis Iſrael, quod reuerſus eſſet Ieroboam, miſerunt, & vocauerunt eum congregato cœtu, & conſtituerunt eum Regem ſuper omnem Iſrael, nec ſecutus eſt quiſquam domum Dauid, præter tribum Iuda ſolam. Sed ecce tibi praua Ieroboami conſilia, qui cum primùm Regnum adeptus eſt, quaſi ſuo conſilio & induſtria ad illud faſtigium euaſiſſet, non diuinæ prouidentiæ beneficio, de illo ſtabiliendo ſolicitus, eas adhibuit artes, per quas adeo Regni poſſeſſionem firmiorem non fecit, vt per eaſdem & ſummum ſibi parauerit dedecus, & ſeipſum,
Ibid. n. 28. regnúmque perdiderit. *Dixitque Ieroboam in corde ſuo. Nunc reuertetur Regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem, & ſcrutetur cor populi huius, ad Dominum ſuum Roboam Regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra aſcendere in Ieruſalem, ecce Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Poſuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan: & factum eſt verbum hoc in peccatum, ibat enim populus ad adorandum vitulum, vſque in Dan. Et fecit fana in excelſis. & Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de tribu Leui. Conſtituitque diem ſolemnem in menſe octauo quintadecima die menſis in ſimilitudinem ſolemnitatis, quæ celebrabatur in Iuda. Et aſcendens altare ſimiliter fecit in Bethel, vt immolaret vitulis quos fabricatus fuerat. Conſtituitq; in Bethel Sacerdotes excelſorum, quæ fecerat, & aſcendit ſuper altare quod extruxerat in Bethel quinta decima die menſis octaui, quem finxerat de corde ſuo; & fecit ſolemnitatem filiis Iſrael, & aſcendit ſuper altare vt adoleret incenſum.* Vt autem meliùs intelligamus quid timuerit Ieroboam, recolendum eſt Domini præceptum, quo

quo Iſraëlitis mandatum fuerat, vt ter quotannis ſe Domino ſiſterent in Ieruſalem, in feſto Exod. 23. ſcilicet Azymorũ Pentecoſtes, & Tabernaculo- 14. & 17. rum, vt non vno loco habetur in Exodo, & Deu- Exod. 34. 23. teronomio. Cum ergo Ieruſalem, quò diebus iſtis Deut. 16. feſtis aſcendendum erat, eſſet in regno Roboam 12. Regis Iuda, timuit impius Rex, ne ſi populus eò ſe conferret adorandi cauſa, auctoritate ſacerdotum templi, qui ſtarent à Roboamo, ſolicitarentur ad defectionem, quam non ita difficili negotio perſuadere poſſent populis, ſi promiſſionem Dauidi à Domino factam illis in memoriam reuocarent, dixerat enim Dominus per Nathan prophetam, *Cum completi fuerint dies tui, & dormieris* 2. Reg. 7. *cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod* 12. *egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.* Et paulò poſt. *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum* Ibid. num. *vſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus* 16. *erit firmus iugiter.* cuius etiam promiſſionis meminit in Pſalmis S. Dauid cum ait: *Semel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* Augebatur Ieroboami ſuſpicio quod impetu quodam non conſilio populus à Roboamo defecerat, cum quo facili negotio reconciliari poſſe videbatur, poſtquam repulſæ illius dolor reſediſſet; præſertim ſi Roboam illorum animum verbis lenire, & indulgendis poſtulatis mitigare ſtuduiſſet. Illud forte etiam veniebat in mentem quod Roboamus parentis Salomonis ſapientiſſimi, & Dauidis aui ſanctitate & virtute bellicâ maximè inſignis, commendatione, à quibus regnum iure hæreditario acceperat ipſe natus in purpurâ gra-

Digitized by Google

tior foret, quàm Ieroboam qui floruerat quidem laude prudentiæ, & fortitudinis, ſed tamen à priuata fortuna ad regnum venerat per ſeditionem & tumultum. Et fortè etiam vim ſubditis ſuis à Roboamo inferendum pertimuit, qui intra fines ſuos deprehenſos Iſraëlitas, tanquam fidei datę deſertores, regíſque ſui proditores, vel ſupremo ſupplicio mulctaret, vel ad prętandum rurſus obſequiũ, quod denegauerant, adigeret. Sed nimirum à carnis prudentia conſilia hæc omnia proficiſcebãtur, *qui enim ſecundum carnem ſunt qua carnis*
Dan.8.5. *ſunt ſapiunt, qui verò ſecundum ſpiriũ ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritus vita, & pax, quoniã ſapientia carnis inimica eſt Deo.* Sanè inimica, quippe quæ horrendam peccati faciem, quo ſolo cum Deo contrahimus inimicitiam, non exhorret, aut refugit, vt accidit Ieroboã cuius graue in primis, ac multiplex peccatum fuit. Nam nouos Deos inuexit, duos ſcilicet aureos vitulos, alterum in Bethel, alterum in Dan collocando: nouas arcas & templa in editis locis extruxit: nouos veteribus eiectis ſacerdotes conſtituit, eoſque ex plebe extrema, & vulgi fæce, quo eos ad nutum obſequentiores haberet: nouum Pontificem creauit, ſe ipſum ſcilicet, cum ipſe altare aſcenderet, & ſacrificandi munus ſibi arrogaret: cum tamen, ſi ſaperet, nullã ita agendi cauſam haberet, ſed poſſet citra periculũ regni veterem religionem non minus colere, quàm antea coluiſſet. *Nam ſi non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur*, quæ probabilis cauſa timoris poterat ſupereſſe cum dixiſſet Dominus. *Te autem aſſumam, & regnabis ſuper omnia quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex*

Num.23.19.
3.Reg.11.37.

Rex ſuper Iſraël. An non *cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud?* ac proinde ſperare debuit Roboamum, ſacerdotes, Iudæóſque vniuerſos æquo animo laturos Ieroboami regnum, cum cognouiſſent ad illud faſtigium diuini numinis voluntate euectum eſſe, & Dominus ſe diuiſionis illius regnorum authoré profeſſus eſſet, & Regi Iuda populóque denuntiaſſet, vt à capiendis armis contra reliquum Iſraël abſtinerét. *Factus eſt enim ſermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens. Loquere ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Benjamin, & reliquos de populo, dicens: Hæc dicit Dominus. Non aſcendetis, neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſraël, reuertatur vir in domum ſuam, à me enim factum eſt verbum hoc. Audierunt ſermonem Domini, & reuerſi ſunt de itinere ſicut præceperat ei Dominus.* Cui præcepto cum tam promptè paruiſſent, quæ rogo cauſa ſuadebat iura omnia humana & diuina, euertere niſi furor quidam inſanus, quo actus Ieroboam, ne illud quidem peruidere potuit, quod ciuilis prudentia præſcribebat? Nam ſi ſacerdotum Ieroſolymitanorum ſuaſiones timebat, habebat inpromptu grauiſſimam Ahiæ prophetæ auctoritatem quam opponeret, ordinémque Leuiticum vniuerſum, quem ſi vt par erat coluiſſet, nec eos vt loquitur ſcriptura *abieciſſet,* magnum ſanè nactus fuiſſet regni firmamentum, cum eorum auctoritas plurimum apud populares poſſet. Tandem quod caput eſt, quàm inanis erat ille timor, cum regnum diuina promiſſione niteretur, cuius etiam prouidentia in poſterum fuiſſet effectum, vt quod regnum diuino beneficio acceperat, eiuſdem numinis ope retineret.

Prou. 21. 1.

3. Reg. 12. 22.

Digitized by Google

tineret. Quanto prudentius dixiſſet cum Daui-
Pſalm.26. de, *Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? ſi con-*
26.1. *ſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum; ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Non
Ioſ.5.3. ita ſanè ſibi ſuęque Reipub. timuit Ioſuë, qui cum Iericho obſidione prope iam cingeret, à Domino iuſſus eſt ſacram circumciſionis ceremoniā tanto tempore intermiſſam reuocare, & populum omnem ritu illo initiatum ad Paſchalia feſta, quæ celebranda erant, præparare. Nec veritus eſt, ne ſicut olim Sichimitæ tunc oppreſſi ſunt, cum recrudeſcente vulneris dolore per circuncisionem inflicto ad arma tradenda minus idonei eſſe poterant; ita ipſi à Ierichuntinis in omnem occaſionem intentis, & qui quid in hoſtium caſtris ageretur facile cognoſcere poterant, cladem aliquam acciperent, ſed inſigne poſteris documentum reliquit, pericula quædam interdum negligenda eſſe, vt diuinæ gloriæ ſanctiſſimíſque legibus ſeruiatur. Quāquam vt dixi nec Ieroboā bellum expectare debuit ab ijs quos diuina auctoritas, iuſſióque pacauerat, nec ſi illud excitare perrexiſſent, cladem timere debuit pro quo pugnaſſet Dominus exercituum. Videant infelicis huius ſæculi politici, hoc nomine ſanè indigni, cuius veſtigiis inſiſtant, cum chariſtiana ſacra, ſanctiſſimámque religionem ridiculo habent; eáque ad ſuas regnorum aucupandorum, aut ſtabiliendorum nundinationes, impiè, & verò etiam (quod ſibi perſuaderi non ſinunt) imprudenter abuntuntur. quippe ſub Ieroboamo magiſtro militant, cuius cum facta imitentur, & mores, exitus non diſſimiles expectare poſſunt. Ieroboamo autem planè euenit, quod Deo plenus Ahias

tanto

tanto ante illi prædixerat, cuius verba legimus in regum hiſtoria. *Quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſraël, & ſcidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo, ſed operatus es mala ſuper omnes qui fuerunt ante te, & feciſti tibi Deos alienos & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proieciſti poſt corpus tuum, idcirco ecce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, id eſt* maſculum iam grandiuſculum *& clauſum*, loco ſcilicet tuo, intra domum tuam, *& nouiſſimum*, vel vt habent 70. *derelictũ*, poſteros ſcilicet quos reliquerit, *in Iſraël, & mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet fimus vſque ad purum, qui mortui fuerint de Ieroboam in Ciuitate comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt aues cœli: quia Dominus locutus eſt.* Terribiles profecto minæ, de quibus dicere poſſumus, *fecit Dominus verbum in Iſraël, quod quicumq; audierit, tinnient ambæ aures eius.* Quantopere autem regno ſuo incommodarit, ex eo perſpicere licet quod habemus in ſcriptura, regnum Ieroboami firmius factum eſſe plurimorum acceſſione incolarum, qui fugientes impietatem, ſedibus mutatis ad regnum Iudæ tranſibant, vt in ea qua nati, & alti fuerant religione æuum traducere liceret. Hactenus oſtendimus quanta fuerit Ieroboami impietas, & imprudentia, cuius exemplum ſatis eſſe poſſet ad rem de qua diſputamus illuſtrandam: quia tamen hodiéque Ieroboami errorum ſectatores non deſunt, qui ſuam impietatem honeſto politicorum conſiliorũ pallio

3.Reg. 14. 7.

1.Reg. 3. 11.

lio

lio velare ſatagunt, duo adhuc exempla ſubnectam, iam allato planè gemina, ſiue cæca conſilia ſpectes, ſiue exitum votis planè contrarium. Primum ſit Iaſonis de quo ita ſcribitur in
2. Machab. 4. 7. Machabæorum hiſtoria. *Poſt Seleuci vitæ exceſſum, cum ſuſcepiſſet regnum Antiochus qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iaſon frater Oniæ ſummũ ſacerdotium, adito rege promittens ei argenti talenta trecenta ſexaginta, & ex redditibus alijs talenta octoginta.* Et paulò poſt. *Quod cum Rex annuiſſet, & obtinuiſſet Principatum, ſtatim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cœpit, & amotis his quæ humanitatis cauſa Iudæis à Regibus fuerant conſtituta, ciuium iura deſtituens, praua inſtituta ſanciebat. Etenim auſus eſt ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium ſed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alinigenæ conuerſationis, propter impij, & non ſacerdotis Iaſonis nefarium & inauditum ſcelus, ita vt ſacerdotes iam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo, & ſacrificijs neglectis feſtinarent participes fieri paleſtræ & præbitionis eius iniuſtæ, & in exercitijs diſci, & patrios quidem honores nihili habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur, quarum gratia periculoſa eos contentio habebat, & eorũ inſtituta æmulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos*
Ioſeph. antiq. Iud. l. 12. c. 4. *hoſtes & peremptores habuerant.* Proiecta ſane adulatio, quæ hominum impulit ad patria ſacra ſanctiſſima deſerenda, nomenque mutandum: nam cum prius Ioſepho teſte Ieſus diceretur, Iaſonis nomen cum gentilium ſuperſtitione ſuſcepit, vtque Regi gratificaretur magis, irrita fecit Iudæorum priuilegia à Syriæ ſuperioribus Regibus
2. Mach. 4. 11. conſtituta per inſignem virum Ioannem Eupolemi

Digitized by Google

mi patrem impetrata, hoc enim eſt quod dicitur, *& amotis his quæ humanitatis cauſa Iudæis à Regibus fuerant conſtituta per Ioannem patrem Eupolemi*, auſus etiam eſt Gymnaſium extruere, impuræ libidinis officinam, in quo adoleſcentuli auerſæ veneri mancipati proſtituerentur, hoc enim apertè ſignificat quod S. Hieronymus vertit, *optimos quoſque epheborum in lupanaribus* ponere, & Lyranus interpretatur *Proſtibulum pulcherrimorum poſuit*, quale ſcortorum maſculorum domicilium ſolo æquauit Ioſias Rex de quo dicitur quarto Regũ. *Deſtruxit quoque ædiculas effæminatorum, quæ erant in domo Domini.* Et quamuis quod S. Hieronymus vertit *in lupanaribus ponere*, in Græco textu dicatur ὑπὸ τὸν πέτασον ἦγε *ſub petaſum egit*, ſenſus tamen idem eſt, nam vel petaſus erat epheborum iſtorum exoletorum inſigne, vel petaſus, quæ vox à Græco verbo πετάννυμι id eſt extendo, deducitur, cortinam ſignificat in fornicibus illis prætenſam, poſt quam libidini darent operam. Ad hunc ergo modum corruptis moribus facilè fuit religionis etiã mutationem inducere, quod etiam impius Iaſon cõſecutus eſt. *Nam ſacerdotes iam non circa altaris officium dediti erant, ſed contempto templo, & ſacrificijs neglectis*, hoc vnum agebant, vt Græcorum gentilium ritus planè ſuſciperent, illiſque quantum poſſent ſimiles fierent, de hoc enim apud eos erat contentio, *& eorum*, inquit, *inſtituta æmulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos hoſtes ac peremptores habuerant.* Verbis etiam, & ſuaſionibus iam plus ſatis ad ſuam perniciem concitatos populos extimulabat Iaſon, vnus proculdubio ex iniquorum illorum numero, de quibus in eodem Machabæorum hiſtoria narratur

Ibid. num. 12.

4. Reg. 23. 7.

2. Mach. 4. 14.

Ibid n. 16.

Digitized by Google

1.Machab. 1. 12. narratur cum dicitur. *In diebus illis exierunt ex Iſraël filij iniqui,& ſuaſerunt multis,dicentes. Eamus & diſponamus teſtamentum cum gentibus, quæ circa nos ſunt, quia ex quo receſſimus ab eis, inuenerunt nos multa mala*; quod quamuis mendaciſſimè dictum eſſet, tamen *bonus viſus eſt ſermo in oculis eorum*, incommoda, ſi quæ paſſi fuerant, religioni imputantes, cum tamen ea verius impietati, ac peccatis quibus Deum irrritauerant, accepta ferre deberent: non diſſimili errore decepti, atque cultores illi ſimulacrorum, quos fruſtra Ieremias reuocare conabatur à ſcelere,dicebant enim:*Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, ſed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos, & Patres noſtri,Reges noſtri, & Principes noſtri, in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem, & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, malúmque non vidimus. Ex eo autem tempore quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.* Sed eos acriter increpat Ieremias, ſimúlque errorem conatur eximere, verámque malorum cauſam oſtendere, ait enim.

Ierem.44. 16.

Ibid.num. 22. *Propter malitiam ſtudiorum veſtrorum, & propter abominationes quas feciſtis, facta eſt terra veſtra in deſolationem, & in ſtuporem, & in maledictum, eo quod non ſit habitator ſicut eſt dies hæc, propterea quod ſacrificaueritis idolis,& peccaueritis Domino, & non audieritis vocem Domini,& in lege,& in præceptis, & in teſtimonijs eius non ambulaueritis,idcirco euenerunt vobis mala hæc,ſicut eſt dies hæc.*Cæterum Iaſoni malè omnino ceſſit impietas,& ambitio,& cōſilia à carnis prudentia profecta, nā quæ putauit adminicula fore

ad

ad ſtabiliendum ſibi Principatum ſacerdotum iis numine irritato, ſacerdotio caruit, & patria, exúlque *ipſe deceptus, profugus, in Ammanitem expulſus eſt regionem*, ex quo apparuit excogitatum conſilium (quod frequenter accidit) ipſi qui excogitauerat perniciem attuliſſe. Tertium tandē exemplum ex ea conſultatione petitur, quam Scribę, & Phariſæi contra Chriſtum Dominum poſt Lazarum à mortuis excitatum inſtituerunt. Rem ita narrat S. Ioannes. *Quidam autem ex ipſis (Iudæis) abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus. Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi concilium, & dicebant. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius dixit eis. Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Hæc prudentes illi conſiliarij, vt ſibi quidē videbantur, quorum tamen conſilia & ſtulta fuerunt, & impia; & decreta, iuxta ratiocinandi artē vitioſè collecta. Nam primò hoc pacto melius fuiſſent ratiocinati, Hic homo multa ſigna facit, ſigna autem hæc eius ſunt generis, vt non niſi Deo auctore fieri poſſint, hæc enim illa erant de quibus prædixerat Iſaias. *Confortamini & nolite timere, Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum.* Quæ omnia cum viderent cumulatiſſimè impleri, aliáque etiam maiora, cuiuſmodi eſt mortuorum ſuſcitatio, potius de Chriſto eiuſque doctrina recipiēda, quàm de illo è medio tollendo, conſultare; ſaltémque

2. Mach. 4.26.

Ioan. 11. 46.

Iſa. 35.4.

Digitized by Google

operibus, quæ in oculos incurrebant, credere debuiſſent, ſi verbis docentis fidem accommodare non audebant: quod vt facerent, Christus ipſe
Ioan.10. 38. eos fuerat adhortatus cum dixit, *Si mihi non creditis, operibus credite.* Altera eorumdem deceptio illis verbis continetur. *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum:* nam cõtra planè accidit, vt granum hoc ſinapis morte crucis comminutum, & contuſum, vires exereret, & frumentum cadens in terram, mortuúmque, plurimum fructum afferret. quod multo ante Iſaias fuerat vaticinatus cũ
Iſa.53.10. dixit. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*, & Christus etiam affirmauerat di-
Ioan. 12. 32. cens, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Tertius error eſt, quod putauerint fore vt Romani venirent, & tollerent gentem & locum, ſi omnes in Chriſtum credidiſſent. Cum potius ſperandũ eſſet Romanos agnita per Chriſtum veritate ſeſe illi adiuncturos, accedente præſertim tot, támque illuſtrium miraculorum teſtimonio, quibus nihil ſimile turba illa reorũ, quos colebant, patrare poterat. Nec vt falſam hanc ſectam crederent Romani, continuo probabile erat illam ita impugnaturos, vt quos illius aſſertores eſſe comperiſſent, perſequi, & regno euertere vellent; nam ſatis notum erat eos, qui omnibus dominabantur gẽtibus, omnibus etiam illorum erroribus ſeruire ſuſtinuiſſe, ad ius diuinitatis, quantum in ipſis erat, admiſſis falſis victorum populorum numinibus illorúmque cultores effectos eſſe. Et ſi fidem Chriſti impugnare inſtituerent, diuino freti auxilio, optima quæquæ ſperare debebant, ſibíque certiſſimè perſuadere, eius ope capturam incrementum, quo auctore
ſum

Digitized by Google

ſumpſiſſet exordium, oppugnatorum audacia, & viribus compreſſis. Nam ſi Iudith Holophernis caput amputauit, Eliſæus latrones cæcitate percuſſit, Elias igne de cœlo deuocato quinquagenarios illos duces abſumpſit, non minus tantorum miraculorũ patratori fuiſſet procliue, externam Romanorum vim auertere vel frangere. Sed vt dixi, meliora ſperare debuerant, nam de Chriſto vaticinatus fuerat Iſaias: *Fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi.* Et alibi; *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.* Quod verò timuerant Chriſto abire permiſſo, illis accidit occiſo. Nam hoc ſcelere prouocatus Domini furor, poſt aliquot annos eorundem Romanorum miniſterio, Templum, Ciuitatem, Regnum euertit, & peſſundedit, iuxta Chriſti oraculum dicentis, *Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* quod etiam prophetarum ſcriptis conſignatum erat Danielis & Iſaiæ, hoc dicente, *Numerabo vos in gladio, & omnes cæde corruetis, pro eo quod vocaui, & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiſtis, & faciebatis malum in oculis meis:* illo verò his verbis, quod futurum erat prænuntiante, *Occidetur Chriſtus & ciuitatem cum ſanctuario diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Quàm verò magna peruerſio eſt dum ſpiritale bonum temporariis commodis, & regno poſtponunt? ita enim ſtatuunt. Ne temporarium hoc regnum amittamus, hominem hunc quantumuis iuſtum, & ſalutaria ſuadentem, de medio tollamus; atque ita iuſtitiam, religionémque dominandi cupiditati poſthabuerunt, quod conſilium quàm imprudens, &

Iudith 13. 10.
4. Reg. 6. 18
4. Reg. 1. 10.
Iſa. 2. 2.
Idem 60. 3.
Luc. 19. 44.
Iſa. 65. 12.
Dan. 9. 26.

noxiũ eſſet, facile cognoſcere potuiſſent, ſi ſacrarum ſcripturarum veteres hiſtorias replicare voſent, ex quibus ſatis apparere poterat gentẽ illam ſemper Domino protegente ab hoſtibus ſecuram fuiſſe, quamdiu à vera religione diuinóque cultu non deſciuit, quod Achiori ethnico homini notũ fuit, ne dum Hebræis, quorum aures frequentiſſimè geſtis maiorum ſuorum Sacris litteris comprehenſis circumſonabant. *Si non eſt offenſio* (inquit Achior) *populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuerſæ terræ.* Quod quia Holophernes credere noluit, quam id verum eſſet, ſuo malo expertus eſt. Caiphæ verò conſilium ſuadentis vt vnum occidant hominem, ne tota gens pereat, eodem laborat vitio. nam ibi trepidauit trepidatione vbi timor non erat, & innocentem morti adiudicandum cenſuit, vt hac ratione ſalus vniuerſæ Reipub. pararetur, cum tamen ex iniuſta illa, impiáque cæde, regni illius calamitates & euerſio natæ ſint. Tale ergo eſt pſeudopoliticorũ ingenium, vt ſcilicet Religionem, aut iuſtitiam deſerant, cum eas ſuis commodis minus opportunas eſſe crediderint.

Iudith 5. 25.

Principes hypocritas ſimulatione religionis vti ad conſequendum id quòd cupiunt.

3 Verùm, quia impiis iſtis hominibus religio ludibrio eſt, qua facilitate illam deſerunt, cum ea retenta malum ſibi timent; ita cum ſimulatione illius ſe ad ea quæ optant facilius aſpirare poſſe confidunt, egregiè religioſos ſe faciunt, mentita morum honeſtate, & loquendi religioſa ſanctitate ad tempus ita compoſiti, vt adeo quod ſunt non videantur, vt qui eos non nouerint, aſſimulatæ ſanctitatis actionibus in errorem inducãtur. Exemplo ſit Achaz rex Iuda, impietatis infamia

ſamia notatiſſimus, *Nam ambulauit in via regum* 4.Reg. 16.
Iſraël, inſuper & filium ſuum conſecrauit, transfe- 3.
rens per ignem, ſecundum idola gentium, quæ diſſipauit Dominus coram filijs Iſraël, immolabat quoque victimas, & adolebat incenſum in excelſis, & in collibus, & ſub omni ligno frondoſo. Altare etiam extrui iuſſit Hieroſolymis iuxta formam altaris, quod viderat Damaſci apud Regem Aſſyriorum, ipſéque victimas ei impoſuit, & altare æreum quod erat coram Domino tranſtulit; vt narratur 4. Regum 4.Reg. 16.
libro, quod in Regis Aſſyriorum gratiam factum 18.
eſſe, capere licet coniecturam ex eo, quod iſta ab eo facta ſunt cum Regis illius indigebat auxilio, opémque aduerſus Iſraëlis Regem implorabat, qui cum Rege Syriæ cõtra Acham conſpirauerat: quodque *propter Regem Aſſyriorũ*, vt ſcilicet Ibid. num.
ei rem gratam præſtaret dicatur *Muſach Sabbathi* 18.
quod ædificauerat in templo, & ingreſſum Regis exterius conuertiſſe in templum Domini. Quæ verba alij aliter interpretantur. Nobis ſatis eſt, Regis Aſſyriorum metu commotum, eíque placendi ſtudio ductum circa ea quæ in templo iuxta veterem religionem ſeruabantur, immutaſſe aliquid aut ſuſtuliſſe, ſiue Muſach tentorium ſit ſacerdotum, ſiue regum ſolium, ſiue quid aliud, quod nunc non diſquiro. Hic ergo Achaz tam vile Idololatriæ adulationiſque mancipium, poſt tot ſcelera quibus ſe maculauerat adhuc religionẽ pietatémque ſimulare nõ eſt veritus. Nam cum eum Dominus ad ſaniora cõſilia traducere per Iſaiam prophetam niteretur, hicque animum eius confirmaret, vt locata in Deum ſpe contra hoſtiles copias ſtaret intrepidus, dicebat enim; *Vide vt* Iſa. 7. 4.
ſileas, æquo animo ſis, *noli timere, & cor tuum ne*

 formidet

Digitized by Google

formidet a duabus caudis titionum fumigantium iſtorum, à quibus nihil tibi timendum eſt, nam ipſi aliquam forte moleſtiam qualem fumus oculis affert, creare poterunt, vrendo nocere, me impediente, non poterunt. Et paulo poſt vt facilius
Ibid. n. 11. Regi perſuaderet ita fore adderet, *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum.* Quaſi diceret. Iubes me ſecuro, & ſoluto animo eſſe, quaſi nihil mali ab hoſtibus iſtis mihi timere debeam, qui tantis inſtructi copijs in regnum meum impetum faciunt. Non ego tibi parebo Iſaia, nam numinis offenſionem reformido, noxámque aliquam contrahere refugio, cum hoc quod ſuades ad Dei tentationem pertinere videatur, nam in aliquo diſcrimine conſtitutos iubet Dominus ad illud auertendum auxilia omnia atque adiumenta conquirere, quibus incolumitati ſuæ proſpiciant. Abundo ego diuitijs, & pecunia, cur non potius ærarium reſero, theſauros meos depromo, Aſſyriorum exercitum aduoco, quem mihi adfuturum confido, ne forte ſi aliam agendi rationem inſtituamus, Domini furorem in nos eum tentando prouocemus? Sed Religio iſta commouebat Achaz, ſcilicet: imo verò vt hominem prudentia carnis imbutum par erat, qui nihil niſi humana ſapere didicerat, in ſubſidiariis Aſſyriorum copijs duntaxat ſpẽ ſuam locauerat, Domini verò promiſſa per Iſaiã, quaſi aniles fabulas, & malè ſani capitis deliramenta aſpernabatur. Vt tamen conſilium quod afferebat Iſaias, cuius magna apud omnes ordines erat auctoritas, honeſto aliquo prætextu repudiaret, religionem prætendit, tantiſpérque ſe religioſum

Digitized by Google

ſum facit, dum prophetam amoliatur, quem aliquam fortaſſe moram conſilijs ſuis afferre poſſe animaduertebat. Sed illius retegit impoſturam ſanctus vates cum ait: *Audite ergo domus Dauid, Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus?* Kaldæus habet, *prophetis*, eos, ſcilicet, contemnendo, *quia moleſti eſtis & Deo meo*, ſcilicet, non credendo, non fidendo, eorum ſuaſionibus repugnādo. Satis his verbis indicans non religione motum fuiſſe Achaz, ſed potius eam contemnere, quamuis ſimulatione pietatis, & in Deum reuerentiæ ſcelus ſuum velare niteretur. Non abſimilem ſimulatæ religionis, & pietatis abuſum cernere eſt in Iudæorum hoſtibus, qui templi ſtructuram ſub Zorobabel duce bellè procedere animaduertentes, vt qua ratione poſſent ſurgentis operis molitionem impedirent, zelum ſimulant, & pietatem operámque ſuam prolixè pollicentur, ſignificationem hanc religioſæ voluntatis, ad nocendum gradum facientes. *Audierunt autem*, dicitur in hiſtoria Eſdræ, *hoſtes Iudæ, & Benjamin, quia filij captiuitatis ædificarent templum Domino Deo Iſraël, & accedentes ad Zorobabel, & ad Principes Patrum dixerunt eis. Ædificemus vobiſcum, quia ita & nos quærimus Deum veſtrum. Ecce nos immolauimus victimas à diebus Aſor Haddan Regis Aſſur, qui adduxit nos huc. Et dixit eis Zorobabel, & Ioſuë, & reliqui Principes Patrum Iſraël. Non eſt vobis, & nobis vt ædificemus domum Deo noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis Cyrus Rex Perſarum.* Cum ergo illis ſubdolum conſiliū non procederet, intelligeréntque thecnas, Iudęorum ſolertia retectas, apparere; inchoatum opus, quâ vi aperta, quâ calumniis apud Perſarum Re-

Ibid. n. 13.

1. Eſdræ 4. 1.

gem impedire aggreſſi ſunt, quanquam inito conatu, Deo ſeruis ſuis, pro diuina gloria ſolicitis, opem ferente, nam licet Artaxerxes ad aliquod tempus fabricã procedere vetuiſſet, anno tamen ſecundo Darij, intermiſſa ædificatio iterum promoueri cœpta eſt.

Quantopere Deus deteſtetur modũ hũc agendi.

4 Satis opinor oſtendimus, quo modo praui iſti Politici, religione abutantur: quantopere autem eorum mores agendique rationem deteſtetur Deus, facile erit ex ſcripturis cognoſcere. Dici-
Prouerb. 3.31. tur in Prouerbiis. *Abominatio Domini eſt omnis il-*
Eccleſ. 2. 14. *luſor*, & in Eccleſiaſtico, *væ duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus malefaciẽtibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Ecce enim, inquit Dauid, *veritatem dilexiſti*, quem verſiculum ex Hebræo ita vertunt aliqui. *Ecce veritatem voluiſti in renibus.* non enim exteriori tantùm cultu, aut compoſitis ad pietatem verbis, contentus eſt Dominus, ſed poſtulat animi, & cordis ſenſum cum externa ſpecie conſentientem. qui autem mali cum ſint, probi tamen viri perſonam tantiſper aſſumunt, donec ſuis cupiditatibus ſatisfaciant, gentis illius
Iſa. 10.6. *Fallacis* nomine cenſentur, de qua Iſaias. *Ad gentem fallacem mittam eum*. Chaldæus habet *hypocritã*, & Hebraicæ vocis vis eos ſignificat, qui tecti ſunt & obſcuri, quique aliud verbis præſeferunt, aliud corde premũt, quos Dominus lupos appellat ouilla pelle contectos, quibus tamen perſo-
Matth. 7. 15. nam detrahet magno illorum malo. *Aut placebit, inquit Iob. ei quem celare nihil poteſt? aut decipietur vt homo veſtris fraudulentijs?* Ex Hebræo ad verbum.
Iob. 13. 9. *Num bonum erit vobis ſi explorauerit vos*, Deus, ſcilicet, *aut ſi deceperitis hominem, decipietis eum?* Quaſi dicat, ſi retruſa cordium veſtrorum perueſtigauerit

uerit Dominus, qui cordiū ſcrutator eſt, quomodo ſcelera, quæ animo concipitis, & fronte perfricta celatis, diſſimulare poteritis? An putatis poſſe vos Deo fucū facere, ſicut homines decipitis, qui externo oris habitu falli poſſunt? Poſtea verò ſubdit. *Statim vt ſe commouerit turbabit vos, & terror eius irruet ſuper vos, memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices veſtræ,* tanto odio proſequitur Dominus fictos & duplici corde. *Ne fueris hypocrita,* ait Eccleſiaſticus, *in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labijs tuis. Attende in illis ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus abſconſa tua, & in medio ſynagogæ elidat te, quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo, & fallacia.* Et ſanè mirum eſt Chriſtianum Principem, cui diuinæ ſcripturæ oracula, quibus credit, propoſita ſunt, adeo cæcum in re tanti momenti, eſſe poſſe, vt ſibi perſuadeat aliquid proſperè, & ex animi ſententia ſibi ſuccedere poſſe, ſi à vera religione deflexerit ad impietatem. Quàm enim frequenter in ſacris illis hiſtoriis & prophetis repetitur, tunc demum Reges longo tempore Imperio pacato potituros, hoſtium victores futuros, gloriam nomenque clarum conſecuturos, ſi religioſi fuerint? Contra verò ſi religionem neglexerint, ſe imperiumque omne, quamtumuis firmum alioqui, ac ſtabile perdituros? Audiamus Dominum, futurum aliquando Principem ſuper Iſrael in religionis ſtudio inſtituentem. *Poſtquàm autem,* inquit, *ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomiū legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere*

Ibid. n. 11. Eccl. 1. 37. Deut. 17. 18.

Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & filius eius ſuper Iſrael. Vult ergo Dominus primam noui Regis curam eſſe in lege cognoſcenda, eâque ſincerâ, non errorum corruptelis adulteratâ, ſed purâ, qualem à Sacerdotibus Leuitici generis accipere poterat, eumque iubet in ea bene verſatum eſſe, *& in ea meditari die, ac nocte*, vt floreat ipſe *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, ſobolemque relinquat regni, & paternarum virtutum hæredem. Nec diſſimilia Domini monita ad Ioſue, cui inter cætera, *Non recedat*, inquit, *volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt cuſtodias & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo, tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Et Dauidis, cum iam proximè abeſſet à morte ad filium Salomonem, *Ego ingredior*, inquit, *viam vniuerſæ carnis, confortare & eſto vir, & obſerua vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, & præcepta eius, & iudicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, vt intelligas vniuerſa quæ facis, & quocumque te verteris. Vt cõfirmet Dominus ſermones tuos quos locutus eſt ad me, dicens. Si cuſtodierint filij tui vias meas, & ambulauerint corã me in veritate, in omni corde ſuo, & in anima ſua, nõ auferetur tibi vir de ſolio Iſrael.* De victoriis autẽ aduerſus hoſtes, quid eſt opus hic aliquid attexere, cum infinita propemodum exempla ex Scripturis ſacris depromi poſſint, quibus planum fiat religioſos duces quamuis modica militum manu ingentes aduerſariorum copias fudiſſe? Quis neſcit Machabęorum aut Gedeonis, vt de cęteris ſileam, de

Pſal. 1. 2. 3.

Ioſ. 1. 0.

de idolorum cultoribus inſignes reportatas victorias? Sed nobis vnum Ioſue teſtimonium ſufficiat, qui plurimis locis contra bellicoſiſſimas, ferociſſimaſque nationes, præſentiſſimum numinis auxilium expertus erat. Huius ergo iam morti proximi hæc verba ſunt ad maiores natu Principes, ac Duces Iſrael. *Confortamini & eſtote ſoliciti vt cuſtodiatis cuncta quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi, & non declinetis ab eis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ne poſtquam intraueritis ad gentes quæ inter vos futuræ ſunt, iuretis in nomine Deorum earum, & ſeruiatis eis & adoretis illos, ſed adhæreatis Domino Deo veſtro, quod feciſtis vſque in diem hanc. Et tunc auferet Dominus Deus in conſpectu veſtro gentes magnas, & robuſtiſſimas, & nullus vobis reſiſtere poterit. Vnus è vobis perſequetur hoſtiũ mille viros, quia Dominus Deus veſter pro vobis pugnabit, ſicut pollicitus eſt. Hoc tantũ diligentiſſimè præcauete, vt diligatis Dominũ Deum veſtrum.* Contra verò Dominum contemnentibus, religionémque aſpernantibus iſta denunciat. *Quod ſi volueritis gentium harum quæ inter vos habitant erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc ſcitote, quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed ſint vobis in foueam, ac laqueum & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat, atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.* Et paulo poſt. *Sicut ergo impleuit opere quod promiſit, & proſperè cuncta venerunt, ſic adducet ſuper vos quidquid malorum comminatus eſt, donec vos auferat, atque diſperdat de terra hac optima quam tradidit vobis, eo quod præterieritis pactum Domini Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum, & ſerueritis Diis alienis, & adoraueritis eos: citò atque velociter conſurget in vos furor*

Ioſue 23. 6.

Ibid. n. 12.

Ibid. n. 15.

furor Domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis. Mirum igitur eſt tantum apud Prin-
Sap.4.12. cipes aliquos poſſe *faſcinationem nugacitatis ſenſum tranſuertentem*, quæ illis à pſeudopoliticis neſcio quibus propinatur, vt illa hauſta, quaſi temulenti palpent in meridie, imo velut cœci per abrupta vitiorum deuoluantur, nec tamen ſentiant, niſi malis eruditi, (ſi tamen vel tunc ſentiunt)
Ierem.2.19. *Quia malum, & amarum eſt reliquiſſe Dominũ Deum, & non eſſe timorem Dei apud eos.* Quàm multi enim ſunt, qui Deo percutiente attriti, non tamen malorum ſuorum veras cauſas intelligunt, ſed aut fati neceſſitati, aut caſui neſcio cui calamitates adſcribunt, minus miſerandi quod mali aliquid paſſi ſint, quàm quod ſtupore quodam mentis affecti non ſentiant vnde infortunia illa cladeſque proficiſcantur. Rex Syriæ Benadad cum exercitu ſuo fuſus ab Iſraelitis fuerat, plurimóſque in prælio deſiderauerat ex ſuis. Non Rex, non conſiliarij veram tantorum malorum cauſam intellexerunt, ſed anili quadam ſuperſtitione ducti cum de bello inſtaurando conſultarent, ſtatuunt in poſterum à montibus quantum poſſunt recedere, & in explicata aliqua planitie depugnare.
3.Reg.20.23. Quid ita? *Dij montium*, inquiunt, *ſunt Dij eorum, ideo ſuperauerunt nos, ſed melius eſt vt pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos.* Sed nimi-
Pſal.26.12. tum cauſam planè inanem comminiſcebãtur, ideo *mentita eſt iniquitas ſibi.* Deúſque cui idem eſt in multis vincere, aut in paucis, in montibus, aut in
3.Reg.20.29. campis altera clade vires Syrorum afflixit, *nam ſeptima die commiſſum eſt bellum, percuſſerúntque filij Iſrael de Syris centum millia peditum in die vna. Fugerunt autem qui remanſerant in Aphec, in Ciuitatem, & cecidit*

cecidit murus ſuper viginti ſeptem millia hominum, qui remanſerant. Hac verò clade Dominus tantas Syrorum copias deleuit, vt ſcirent omnes quàm procul à vero aberrarent Syriæ Regis conſiliarij, *nam accedens vnus vir Dei dixit ad Regem Iſrael. Hac dicit Dominus, quia dixerunt Syri, Deus montium eſt Dominus, & non eſt Deus vallium, dabo omnem multitudinem hic grandem in manu tua, & ſcietis quia ego ſum Dominus. Nunc ergo Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram*, & ſcitote quod ſi cuſtodierit Dominus Ciuitatem aut Regnum veſtrum vobis bene erit, nam vt inquit Dauid *Deus in medio eius, non cõmouebitur, adiuuabit eam Deus manè dilaculo.* id eſt, cum primũ diuina indiguerit ope, feret auxilium, hancque Ciuitatem, aut Rempubl. *fluminis impetus lætificabit*, vel vt Chaldæus vertit, *Populi conuentus.* Nam florebit ciuium multitudine, fruetur pacatiſſima tranquillitate, opibusq; affluet, ita vt nihil deſit ad cumulatam, quæ in hac vita haberi poteſt, fælicitatem, ſed ſe ipſa contenta, finitimis etiam hoſtibus inuidenda ſit. Si verò ad praua ſtudia, falſámque religionem conuerſi fueritis, nullas non calamitates, & vobis & Reipubl. vniuerſæ timere poteritis, Deo iniurias ſuas immiſſis malis ſeueriſſimè vindicante.

Ibid. n. 28.

Pſal. 2. 10.

Pſal. 45. 6.

Ibid. n. 5.

Nec

Digitized by Google

Nec hæreticos in Republica aut eorum doctrinam, nec eam quam vocant libertatem conſcientiæ, ſine graui cauſa permitti debere.

CAPVT III.

Hæreticos extremo etiã mortis ſupplicio puniendos eſſe.

Deut. 13. 1.

1 SAcrarum Scripturarum teſtimoniis facilè probari poteſt, hæreticos, qui erroribus ſuis pertinaciter adhærent, nec ad ſanam mentẽ Catholicorum monitis & νουθεσίᾳ, rediro volunt, è Republ. exterminari; & ſi opus fuerit extremo ſupplicio puniri poſſe. Dicitur in Deuter. *Si ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnum ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum, atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, Eamus, & ſequamur Deos alienos quos ignorás, & ſeruiamus eis: non audies verba prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter vt palam fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem eius, ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebitis. Propheta autem ille aut fictor ſomniorum interficietur, quia locutus eſt vt vos auerteret à Domino Deo veſtro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo ſeruitutis, vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus, & auferes malum de medio tui.* Nulli magis

Digitized by Google

gis falſi prophetæ ſunt quàm hæretici, *Qui veniunt* Matth.7.
ad nos pellibus ouium tecti, intrinſecus autem ſunt lupi 15.
rapaces. Hi etiam ſomniorum fictores appellari poſſunt, nam ſomnia ſua nobis, quaſi res geſtas obtrudunt, eáque quamuis abſurda ſint, qualia ægrotantium eſſe ſolent, tamen pro veris hiſtoriis venditare conantur. Hos ergo lege illa iubebat Dominus interfici, quia à Domino Deo auertunt, illiúſque legitimo cultu & ad falſarum opinionum idola traducere ſatagunt. Nec tamen lex Domini illis parcit, qui alios prauis dogmatibus non corrumpunt, ſed vt morte plectantur ſatis habet, ſi adoraſſe idola deprehenſi fuerint, aut militiam cœli, ſic enim eodem libro dicitur. *Cum* Deut.17.
reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum, 2.
quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & tranſgrediantur pactum illius, vt vadant & ſeruiant Diis alienis, & adorent eos, ſolem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ non præcepi, & hoc tibi fuerit nuntiatum, audienſque inquiſieris diligenter, & verum eſſe repereris, & abominatio facta eſt in Iſrael: educes virum ac mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur. Quibus ſimilia capite etiam ſequenti præcipiuntur. Quod autem à Domino præceptum acceperat Moſes, opere etiam compleuit cum multa idolo- Deut.18.
latrarum millia, quæ vitulum aureum adorauerant, à Leuitis concedi iuſſit, adeóque noxam aliquam ſe tanta cæde contraxiſſe non putauit, vt quos ad patrandam cædem illam immiſit, eos manus ſuas tanto facinore conſecraſſe, confirmarit. *Conſecraſtis,* inquit, *manus veſtras hodie Domino,* Exod.32.
vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis be- 29.
nedi

nedictio, ad conſecrationis Sacerdotalis ritum fortaſſe reſpiciens. Nam quemadmodum in Sacerdotum veteris illius legis conſecratione auris dextra, pollicéſque manus & pedis dextri ſanguine immolatæ victimæ imbuebantur, ita Leuitæ iſti dexteras ſuas cæſorum idololatrarum ſanguine reſperſas non inquinarunt, ſed potius conſecrarunt Domino, nec aures pedeſque conſecratione ſua caruerunt, illæ dum ad obediendum ſe promptas accommodarunt, quamuis ij forent obtruncandi quos filios & fratres ſacra appellauit hiſtoria. Hi verò dum eunt, & redeunt de porta vſque ad portam iuxta Moſis præceptum, qui dixerat, *Ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem & amicum, & proximum ſuum.* Vel etiam dicuntur manus ſuas conſecraſſe, quod Dominus Leuiticæ tribui propterea conceſſerit Sacerdotium templíque miniſteria tradiderit, quod in gentem ſuam pro zelo Dei gladium ſtrinxiſſent in vindictam. Itaque in benedictione Leui quæ eſt in Deuter. dicitur. *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam ô Iſrael*, ac deinde quodnam inde præmium reportarint, ſubdit. *Ponent thymiama in furore tuo*(vel vt ex Hebræo clarius verti poteſt, *in naſo tuo*) & *holocauſtum ſuper altare tuum.* Quale etiam præmiũ tulit Phinees Eleazari filius, qui zelo diuinæ legis efferueſcens Iſraelitam cum ſcorto allophylo contra quam Deus præceperat concumbentem pugione confodit. Dixitque Dominus ad Moyſen: *Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis auertit*

Leuit. 8. 24.

Exod. 32. 27.

Deut. 33. 9.

Num. 25. 10.

auertit iram meam à filiis Iſrael, quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Idcirco loquere ad eum. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi quàm ſemini eius pactum Sacerdotij ſempiternum; quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael. Quid de Eliæ zelo dicam, qui quadringintos quinquaginta pſeudoprophetas cultores idolorum, à populo iuſſit interfici, monens ita agerent, *vt ne vnus quidem effugeret ex eis*? Quid de Iehu Iſraelis Rege, qui quotquot ſacrificulos Baal cogere potuit, quaſi decipula irretitos militibus ſuis trucidandos obiecit? Quid de Ioſia, *qui deleuit aruſpices quos poſuerant Reges Iuda ad ſacrificandum in excelſis per ciuitates Iuda, & in circuitu Ieruſalem, & eos qui adolebant incenſum Baal, & ſoli & lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ cœli*? Quid tandem de Mathathia, qui cum ciuem ſuum vidiſſet omnibus inſpectantibus ad aram accedere vt idolis ſacrificaret, *Doluit, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius, ſecundum iudicium legis, & inſiliens trucidauit eum ſuper aram*, imo cædem eius, alterius, qui ad idololatriam iuſſu Antiochi Iudæum ſtimulauerat, cæde cumulauit, arámque demolitus eſt? Sed poſſumus etiam ab idololatris argumentum petere ad id quod volumus confirmandum. Nam Rex ipſe Nabuchodonoſor, cum tres illos adoleſcentulos fornacis incendium euaſiſſe diuino miraculo animaduertiſſet, pœnam mortis in eos ſtatuit, qui contra Deum quem tres illi pueri colebant, blaſphemando ora ſoluiſſent. Quo exẽplo ad rem de qua agimus comprobandam quodam loco vſus eſt D. Auguſt. *Nabuchodonoſor*, inquit, *miraculo ſalutis trium puerorum commotus atque*

3. Reg. 18. 40.
4. Reg. 10. 25.
4. Reg. 23. 5.
1. Machab. 2. 24.
Epiſt. 146. ad Donatiſtas.

mutatus pro veritate contra errorem edictum propoſuit,
Dan.3.96. *vt quicunque blaſphemarent Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, in interitum irent, & domus eorum in diſperſionem, & non vultis vt tale aliquid contra vos ſubeant Imperatores Christiani?* Hactenus Auguſt. Et hoc quidem præclarè Nabuchodonoſor; regia enim interpoſita auctoritate, quidquid in Repub. exiſtit malorum facilè diſcutitur, ac diſſipatur;
Prou.20.8. nam vt eſt à Sapiente dictum, *Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Et eodem capite, *Diſſipat impios Rex ſapiens, & incuruat ſuper eos*
Ibid.n.28. *fornicem*, vel vt eſt in Græco contextu καὶ ἐπιβαλεῖ αὐτοῖς τροχόν, *immittet eis rotam.* Quæ verſio ad rem noſtram facit, nam ſenſus eſt pœnis à Rege ſapiente ita coërcendos impios, vt extremo etiam ſupplicio tollantur è medio, & reſpexiſſe videtur Salomon parentis ſui factum, de quo dicitur in
2.Reg.12.31. Regum hiſtoria. *Populum quoque eius* (regis ſcilicet Ammonitarum) *adductus ſerrauit,* (id eſt ſerris ſecuit) *& circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitque cultus, & traduxit in typo laterum, ſic fecit vniuerſis Ciuitatibus filiorum Ammon.* Hoc vltimum quod dicitur, *Et traduxit eos in typo laterum,* difficile ſatis eſt, ac propterea ſi inueſtigauerimus quodnam pœnæ genus verbis illis ſignificetur, operæpretium fortaſſe fecerimus, nec à re de qua agimus, vt paulo poſt patebit, hac breui excurſiuncula, multum diuertemus. Ac primò ſi Septuaginta dumtaxat interpretationem conſideremus, διήγαγεν αὐτοὺς διὰ τοῦ πλινθίου, *traduxit eos per laterem,* non eſſet improbabile exiſtimare pœnam hanc in aliquos ex Ammonitis eſſe ſtatutam, vt per ordinatam militum aciem tranſirent, eoſque milites in ordinem diſpoſiti, dum tranſeunt, telis impeterent,

rent,& occiderent. Genus hoc mortis pœna quædam militaris eſt, in Caſtris vſitata, quam Itali appellant, *Paſſar per le picche.* Lateris autem nomine, aciem in lateris formam quadratam intelligi poſſe patet ex auctore libelli De antiquis ordinibus,& Suida apud quos πλινθεῖα, & πλινθίον, quadratum agmen in lateris formam ſignificant. Quod etiam ex Ioſepho diſcere poſſumus, in libris de Iudaicis antiquit. qui ita alicubi loquitur. ἐν πλινθίῳ τάξας τὴν ϛρατιὰν, quæ verba Interpres vertit, *In lateris formam.* Quod ſi vulgatæ editionis lectionem ſolam ſpectemus, *Traduxit eos in typo laterum*, cum typus laterum ſit inſtrumentum illud quo lateres formantur, & omnes ad eandem menſuram, & modulum exiguntur, ſignificari videtur ita curruum rotis, & equorum calcantium vngulis contritos, & comminutos fuiſſe Ammonitas, vt quaſi ex luto ſubacto lateres ex illis formari, ac fingi poſſent. Verùm vt lectio Septuaginta virorum, & vulgatæ editionis melius intelligantur, oſtendamuſque vtramque cum Hebraico textu conſentire, videndum eſt quid vox Hebræa מַלְבֵּן *Maluen* quæ hic habetur, ſignificet. Nahum tertio dicitur: *Aquam propter obſidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas, intra in lutum, & calca, ſubigens tene laterem.* vbi Tò *laterem* in Hebr. eſt מַלְבֵּן Kaldæus, *Multiplica cæmenta, ſubige lutum, fortifica ædificia tua.* Ad verbum ex Hebræo vertere poſſis. *Tene, vel apprehende, robora fornacem,* vt Pagninus interpretatus eſt, & conſentit Rabbi Abraham in Commentario huius loci, qui מַלְבֵּן interpretatur locum in quo fiunt lateres, nam iuxta fornaces, aut in ipſo fornacis conceptu, nondum flammis ſuccenſæ, laterum formatores,

Nahum 3. 14.

N 2 tores,

tores, lutum ſubigunt, & admotis typis figuram imprimunt: eſt ergo ſenſus traduxiſſe eos per fornacē, hoc eſt ignibus fornacis abſumpſiſſe, idémque typum laterum ſignificare in vulgata, & πλινθίον, apud Septuaginta. Verùm aduertendum adhuc eſt in Hebraico textu, de quo nunc agimus, variam eſſe lectionem propter vnius litterulæ cum alia perſimili, mutationem, vel enim legitur מלבן vt eſt in Hebraicorum bibliorum contextu, vel vt ad marginem adnotatur, pro littera ב ſubſtituitur littera כ, & legitur מלכן. Quam lectionem ſi ſequamur ſenſus eſſe poteſt, & traduxit eos per ignem, quemadmodum iis fieri ſolebat, qui Molochi idolò ſacrificabantur. Nam Moloch idolum, etiam Melchon, & Malchen appellabatur, pro varietate punctorum, quæ voci מלכן ſubiiciebantur. Æquiſſimum autem erat, vt per quæ Ammonitæ peccauerant, per eadem etiam plecterentur. Nemo autem eſt qui neſciat fuiſſe Moloch idolum Ammonitarum, ritumque ſacrificandi eum fuiſſe, vt victima igne cremaretur, & holocauſtorum more penitus abſumeretur, vel certè per flammas ita traduceretur, vt aliqua ratione, ſed tamen citra vitæ periculum, ambureretur. Digna ſanè pœna quæ ſtatueretur in impios illos Ammonitas; noſtrique temporis hæreticis, vt vſus habet Eccleſiæ, accõmodatiſſima: quã qui vſurpant Principes, impios ita coërcendo, vt propoſita etiã mortis pœnâ à ſcelere perpetrando detereant, tunc Domino ſeruiũt iuxta Dauidis præceptum, qui Reges vt Domino ſeruiant, adhortatur Pſal. ſecundo. Quomodo verò hoc præſtent exemplis è ſcriptura conglobatis oſtendit D. Auguſtinus, cuius verba quidni adhibeamus? *Aliter ſeruit,*

Digitized by

ſeruit, inquit, *Rex Deo, quia homo eſt, aliter quia Rex eſt; quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter, quia verò etiam Rex, ſeruit leges iuſta præcipientes, & cõtraria prohibentes conuenienti vigore ſanciendo, ſicut ſeruiuit Ezechias, lucos, & templa idolorũ deſtruẽdo; ſicut ſeruiuit Ionas, talia & ipſe faciẽdo; ſicut ſeruiuit Rex Niniuitarũ, vniuerſam ciuitatẽ ad placandũ Dominũ cõpellendo; ſicut ſeruiuit Darius, idolũ frangendũ in poteſtatẽ Danieli dando; ſicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo.* Hæc ille.

Epiſt. 50. 4.Reg.18. 4. 4 Reg. 23. 4. Ionæ 3. 6. Daniel. 4. 21. Daniel. 3. 96.

2 Sed iam veniamus ad cauſas cur ita faciendum ſit. Ac prima quidẽ eſt, quòd niſi ita fiat etiam pars illa Reip. quæ ſincera eſt, inficietur: nam vna oue facta morbida reliquũ etiam ouile corrumpitur. *Nec peruerſi* iſti, aut vt D. Paulus vocat, *ſubuerſi, facilè corriguntur*, imo alios etiã ſubuertere nituntur, & luporũ inſtar plenis ouilibus inſidiãtur, irrepere ſatagẽtes oratione blanda in animos fidelium, vt mactent & perdant, quare etiã à Domino lupi appellantur, cum cauendũ monet *à falſis prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ouiũ.* Quod vt oſtenderet Dominus in veteri lege, paſſus non eſt in acerrã Sacerdotum prophanum ignem immitti, nec arcam Dei in eodẽ templo cum idolo Dagon commorari, & Iebuſæos, aliáſque gentes Chananæorum, intra Iſraelitarum fines vetuit habitare, *nam qui tangit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Quam ob cauſam Iacob Eſau, fratrem alioqui ſuum, fugiebat, & Loth è Sodomis diuino beneficio eductus eſt. Egregiè verò D. Paulus duplici ſimilitudine fermenti ſcilicet & cancri, rem totam ponit ob oculos. Ac prima quidem vſus eſt ad Galatas ſcribẽs, cum eos monet vt à Iudaizantium fermento ab-

Hæretici in Republ. tolerandi non ſunt quia alios prauitate doctrina inficiunt.

Eccl. 1. 15. Tit. 3. 11. Matth. 7. 15. Leuit. 10. 1. 1. Reg. 5. 4. Deut. 7. 1. Eccleſ. 13. 1. Geneſ. 24. 43. Geneſ. 19. 17.

ſtinerent, qui legalia præcepta ſeruanda contendebant. *Modicum*, inquit, *fermentum totam maſſam corrumpit.* Quod dictum paræmiæ cuiuſdam vim habet, qua etiam vſus eſt ſcribens ad Corinthios, de fornicario illo agens, quem ipſe abſens corpore, ſed ſpiritu præſens iudicauerat, Satanæque tradiderat, cuius impura in Eccleſia Corinthiorum conuerſatio, quia alios poterat inficere, & ſuis moribus & exemplo cæteros maculare, vt caueatur monet, adagioque iſto vtitur, *Modicum formentum*, &c. Cum ergo ſcribit ad Galatas, cuius loci prius meminimus, fermenti hanc ſimilitudinem Iudaizantibus aptat, eorumque doctrinæ, vt oſtēdat modicum fermentum paucorum quorumdam prauis opinionibus imbutorum, poſſe totam corrumpere multitudinem fidelium; idque quod modicum, & exiguum videtur, vnum ſcilicet dumtaxat errorem in fide, totam fidei ſubſtantiam, ipſamque religionem, ac Chriſtianiſmum euertere. Hæc D. Pauli ſententia eſt. Nec verò iſta, quaſi parua contemnenda ſunt, quia à paruis initiis ſenſim progrediendo, ſe vitium ſemper vlterius porrigit, & ſero ingenti malo paratur medicina, cum morbus longa mora confirmatus eſt. Itaque locum hunc Apoſtoli ad Galatas explicans D. Hieronymus. *Doctrina*, inquit, *peruerſa ab vno incipiens vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores, ſed paulatim vt cancer ſerpit in corpore. & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim vbi apparuerit, extinguenda eſt, & fermentum à maſſa vicina ſemouendum; ſecanda putridæ carnes, & ſcabioſum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat,*

Galat. 5. 9.
1. Cor. 5. 6.

Digitized by Google

putreſcat, intereat. Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt. Hæc Hieronymus. Altera D. Pauli ſimilitudo eſt Cancri, ea vtitur cum ad Timotheum ſcribit, epiſtolarum ſecunda. *Profana autem,* inquit, *& vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit, ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus qui à veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubuerterunt quorumdam fidem.* Apertè ſermo eſt de hæreticis. Quod autem habemus in vulgata editione, *Vaniloquia,* & in Græco textu eſt κενοφωνίας; D. Ambroſius, & D. Chryſoſt. paulo aliter legerunt καινοφωνίας, quæ vox ſignificat *vocum nouitates;* vt vulgatus interpres vertit prima ad Timoth. legens καινοφωνίας, cum tamen in Græcis exemplaribus nunc habeamus κενοφωνίας, id eſt, *Inanitates vocum,* ſeu *Vaniloquia.* Vt vt legamus parū refert ad id de quo agimus: nam hæretici inania loquuntur, & noua affectant, quibus Eccleſiam perturbent: ſemper autem vitandi ſunt, *quia ſermo eorum ſerpit vt cancer.* Docent autem medici (vt vim ſimilitudinis melius aſſequamur) Cancri obſcura eſſe rudimenta, ac plerumque tumorem exorientem ſentiri ciceris magnitudine, cum dolore, & calore quaſi ferientis cadentis acus, interdū etiam dolore nullo. Hinc fabæ, deinde iuglandis, & oui magnitudinem æquare, dum tandem in ampliorem molem attollatur, & increſcat, & eius eſſe naturæ, vt niſi malignitate ocyus interimat, longè latèque prorepat. Morbus vtique horrendus, ait D. Chryſoſtomus in eum locum D. Pauli, *& qui medicina contineri nequit, ſed omnes in dies corrumpit, ac perimit; ideo nullum ei remedium valet adhiberi.*

2. Tim. 2. 17.

Additque. Oſtendit per hæc eos corrigi, emendarique non poſſe, qui ſponte à veritate aberrarunt. Hæc ille. Pertinent ergo D. Pauli ſimilitudines explicatæ ad probandam prauorum hominum, ac nominatim hæreticorum conſuetudinem bonis ac ſimplicibus noxiam in primis eſſe, ac propterea eos qui fidei iacturam fecerunt amoliendos eſſe, ne vulgata tabes putreſcentis membri, ad reliquum corpus prorepat, & interitum afferat. Huc referri
Geneſ. 21. 9. poteſt Saræ factum, *quæ cum vidiſſet filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo. Cui dixit Deus. Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Alij aliter luſum Iſmaelis, quo tantopore commota eſt Sara, interpretantur. Probabilius ij ſentire videntur, qui luſum hunc aut ad turpitudinem aliquam re-
Vide Gen. 26.8.9. Exod. 32. 6. Galat. 4. 29. ferunt, quam Iſmael natu grandior Iſaac docere voluerit, aut ad idololatriam; cum vtrumque in ſcriptura luſus nomine ſignificetur. Hunc autem luſum, quo ad vitia inſtituebatur Iſaac, perſecutionem appellat D. Paulus ad Galat. ſcribens. *Sed quomodo,* inquit, *tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum, ita & nunc.* Nullam enim acerbiorem quis patitur perſecutionem, quàm cum à veritate ad errorem, à virtute ad vitium, ab orthodoxa fide ad hæreſim à prauis & malè ſentientibus hominibus trahitur. Itaque in Apocalypſi Epiſcopus Pergami increpatur, quod haberet apud ſe quoſdam tenen-
Apoc. 2. 12. tes doctrinam Nicolaitarum. *Habeo,* inquit, *aduerſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam,*

laam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Quibus verbis mihi videtur caſtigari quorumdam Principum remiſſio, qui cum nulla ſubeſt cauſa, hæreticos tolerant, ne dicam fouent, quorum dogmata cum erroribus Nicolaitarum mirum quantum conueniunt; nam illi vagam Venerem licitam eſſe docebant, hi libertati carnis laxas quantum poſſunt habenas relinquunt, pernicioſam quandam licentiam carnis, imo neceſſitatẽ inducentes, vt non minus Balaamo ſimiles ſint, quàm Nicolaitæ: quemadmodum enim Balaam auctor fuit Balac Regi Mohabitarum, vt Iſraelitas per ſcorta ſeduceret, vt habemus in Numerorum hiſtoria, ita iſti, libidinibus patrocinãtes, ſcandalum fidelibus opponunt, quo multi ſalutis æternæ iacturam faciunt, effæminati ipſi, effæminatos & molles etiã alios ſuo prauo dogmate reddentes. Hinc nonnulli Patres, & ſacræ Scripturæ interpretes, reprehenſionẽ illã, qua Thiatyræ Epiſcopus arguitur, *quod permittat mulierem Iezabel, quæ ſe dicit prophetam, docere, & ſeducere ſeruos Dei, fornicari, & mãducare de Idolothytis*, non tam de muliere aliqua impia, quæ moribus Iezabelam illã Achabi vxorem referat, intelligi debere putant, quàm de ipſa hæreſi, aut hæreticis. De hæreſi quidem per proſopopæiã quandam, de hæreticis autem propter mores in fœmineam mollitiem fractos. *Hi autem ſeducunt ſeruos Dei, & fornicari docent*, vel quia carni quidquid libet indulgent; vel quia fideles fornicari docent, & datam Domino fidem fallere, qui animas noſtras ſibi *ſponſat in fide*, quæ fornicatio etiam adulterij fœditatem adiunctam habet, non minùs

Num. 31. 16.

Apoc. 2. 20.

Oſee 2. 19.

Ierem. 3. 9. quàm eorum fornicatio, quæ apud Ieremiam reprehenditur, cum dicitur. *Facilitate fornicationis ſuæ contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide & ligno.*

Hæretici tolerandi non ſunt in Republica, quia ſeditionibus & turbis publicæ paci incõmodant.

4 Altera cauſa eſſe poteſt, vt multis ſeditionibus & turbis occurratur, quæ in rebus publicis exiſtunt, ſi varietate ſectarum, opinionum, errórumue, populi in varias partes diſtrahantur. Violentiſſimè enim ſeruiunt huiuſmodi factiones in negotio religionis, quod vno aut altero exemplo ex ſacris litteris deprompto, comprobabo. Demetrius quidam argentarius donariorum quæ in templo Dianæ Epheſiæ offerebantur architectus, & faber, ſibi, artíque ſuæ timens, ne quæſtus quē ex ſuo artificio parabat, intercipiretur, Paulum idolorum euerſorem apud quoſdam opifices, & per hos apud Epheſios pleroſque vocauit in inuidiam, & ſuſpicionem iniicere conatus eſt, fore vt cultus Dianæ Epheſiæ, prædicante Paulo intermitteretur. Act. 19. 28. *His auditis*, inquit S. Lucas, *repleti ſunt ira, & exclamauerunt dicentes, Magna Diana Epheſiorũ; & impleta eſt ciuitas confuſione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Caio, & Ariſtarcho Macedonibus, Comitibus Pauli.* Cum verò Alexander neſcio quis Iudæus, eorum quæ geſta fuerant rationem reddere vellet, manúque ſilentium poſtularet, nihil tamen impetrare potuit à cõcitato populo, qui furenti ſalo perſimilis magis ſemper inhorreſcenti, & grandiores fluctus agenti æſtu quodam cæco inſanóque perturbatus, omnia clamoribus complebat, Ibid. num. 34. *nam vox facta vna eſt omnium, quaſi per horas duas clamantium. Magna Diana Epheſiorum.* Scriba verò qui tandem turbam compoſuit, ac ſedauit, ſentiens tumultum

Digitized by Google

propterea extitiſſe, quod Epheſij Dianæ cultores ſibi perſuaſiſſent peregrinos illos Iudæos in Dianam blaſphemos eſſe, & noui aliquid ad illius religionem ſpectans moliri, hanc eis opinionem eripere ſtuduit, quaſi nullus eſſet qui contra Dianæ numen loqueretur, aut loqui poſſet. *Viri Epheſij*, dicebat, *quis eſt hominum qui neſciat Epheſiorum ciuitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ, Iouiſq́ prolis? Cum ergo his contradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temerè agere.* Quibus verbis vulgo perſuaſit vt ſedatiùs ageret, domóſque ſuas, vnde concurſus factus fuerat, ſinguli repeterent. A modico igitur initio progreſſa ſuſpicio, Epheſiorum turbauit animos, & ſuperſtitionis antiquæ zelo imbutis, viſa res eſt indigna, ſi quis Dianæ diuinitatem vocaret in dubium, adeo vt publicum malum, communi etiam conſpiratione conarentur amoliri, nec prius conquieſcerent, quàm omnia circa religionem tuta eſſe, ſcribæ teſtimonio ſibi perſuaderent. Decipiebantur illi quidem erroribus gentium, cum Dianæ diuinitatem tribuebant; nobis tamen ſuo facto illuſtre documentum reliquerunt, quo intelligere poſſimus, quibus fluctibus, ac tempeſtatibus, cum huiuſmodi diſcordiæ exiſtunt, Reſpublica diſtrahatur, ac laceretur. Sed adhuc illuſtrius huius rei de qua agimus exemplũ, ex eo quod alia quadam occaſione D. Paulo accidit, petere poſſumus. Venerat Ieroſolymam Apoſtolus, poſtquam Aſiæ prouincias nonnullas emenſus, Euangelium latè diſſeminauerat, multóſque Iudæorum, qui peregrè verſabantur, adiunxerat Chriſto. Eum humaniter exceptum admonebant reliqui Chriſti diſcipuli, apud Iudæos nomen ipſius vocatum eſſe

Ibidem num. 35.

eſſe in inuidiam, quaſi doceret *diſceſſionem à Mayſe, eorum qui per gentes ſunt Iudæorum, diceretque non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi.* His auditis Paulus, quanquam præſagiebat animus, quid futurum eſſet, tamen Deo fretus, cuius agebat cauſam, non abſtinuit à publico, ſed luce palam profectus eſt in tem-
Ibid.num. 27. plum. Itaque *Qui de Aſia erant Iudæi, cum vidiſſent eum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes, Viri Iſraëlitæ, Adiuuate; Hic eſt homo, qui aduerſus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, inſuper & gentiles induxit in templum, & violauit ſanctum locum iſtum.* His ergo clamoribus excitus populus, concurſu facto, captum Paulum trahunt extra templi ſepta, nec manus abſtinent, prout cuique promptum erat, verberantes. Aduolat repente cum militibus Tribunus, binas Paulo catenas iniici iubet, quæ turbarum cauſa ſit, interrogat. Ingeminant Iudæi clamores, tolli de medio ſceleribus notatiſſimum caput, poſtulant. Ille perduci iubet in caſtra, tam acri ſtudio iis qui confluxerant Paulum Tribunúmque ſtipãtibus, vt cum ad
Ibid.num. 35. caſtrorum gradus perueniſſent, *portaretur Paulus à militibus propter vim populi.* Tandem facto ſilentio, cum commotos animos Paulus oratione ſedare ſtuduiſſet, adeo non ſunt ad tranquillita-
Act. 22. 23. tem traducti, vt potius furentium more *Vociferantes, & proycientes veſtimenta ſua, & puluerem iactantes in aërem*, cum poſtulauerint ad necem. Itaque Tribunus Apoſtolum flagellis cędit, demúmque ſacerdotum conuocato concilio in eo Paulum cauſam dicere iubet, cuius diſputantis os cum percuti Ananias Pontifex iuſſiſſet, ad eas ſe

angu

anguſtias redactum intelligens Paulus, ex quibus
non facile poſſet emergere, prudenti conſilio ſe
ad Phariſæorum ſectam pertinere, omni audien-
te concilio palam profeſſus eſt, *ſciens quia vna* Act.23.6.
*pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum. Ita-
que cum hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos,
& Sadducæos, & ſoluta eſt*, ἐσχίσθη, diſtracta, diuiſa in
factiones duas, *multitudo*: Sadducæis contrariæ ſe-
ctæ hominem cum ſuo dogmate impugnantibus.
Phariſæis verò ſuæ doctrinæ alumnũ, quod Pau-
li conſilium fuerat, defendentibus. Quod tunc
accidit Sadducęis, & Phariſæis, quos iniecta quę-
ſtionum inter ipſos controuerſarum mentio di-
duxit in partes atque diſtraxit; hoc quot diebus
familiæ patiuntur, & Reſpublicæ dum illæ do-
meſticis iurgiis atque conuitiis religionis cauſa
perſonant, hæ etiam in factiones ferro armatas
diuiſæ, ſe ipſas conficiunt, ac perdunt. Quan-
do ergo veram religionẽ quam profitemur, mor-
dicus, & per vitæ etiam periculum retinere de-
bemus, ſi ſalui eſſe volumus; profectò conſequi-
tur diſſidiorum fomitem, atque materiam pro-
cul amouendam eſſe ab iis, quorum intereſt, Prin-
cipibus nimirum, Eccleſiæque paſtoribus, hære-
ticos homines pœnis coërcendo, vt pacata re-
publica frui liceat. Alioqui ſi ſecus fecerint, me-
rito timendum erit, ne quod Dominus Iſraëlitis
euenturum prædixit, ſi promiſſam terram à gen-
tibus idolorum cultricibus perpurgare neglexiſ-
ſent, ipſi experiamur. *Sin autem*, inquit, *nolueritis* Num.33.
interficere habitatores terræ, qui remanſerint, erunt vo- 55.
*bis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & ad-
uerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ.* Nec eſt
veritas hæc in obſcuro poſita, nam etiam culto-
ribus

Digitized by Google

ribus idolorum viſum eſt ad incolumitatem reipublicæ pertinere, ſi vna religio, cæteris è republica exterminatis, obtineret. Conatus eſt id conſequi in regno ſuo Antiochus, nam vt eſt in Ma-
1. Mach. 1. 43. chabæorum hiſtoria, *ſcripſit omni regno ſuo, vt eſſet omnis populus vnus, & relinqueret vnuſquiſque legem*
Ioſue 22. 16. *ſuam.* Idem in meliori cauſa ſenſus fuit Iſraëlis vniuerſi, nam cum duæ tribus cum dimidia, quæ primæ terræ promiſſæ portionem acceperant, exiſtimarētur noui aliquid in religione moliri, quod altare ſibi ædificaſſent, de bello contra eas ſuſcipiendo cogitarunt, vt nimirum iniuriā in Deum, cuius tam citò eſſent obliti, armis perſequerentur, & reipublicæ incommodum quod à religionis ſchiſmate naſcebatur, auerterēt. Itaque legatos mittunt, qui ab impio cōſilio labantes in veteri Patrū religione fratres ſuos reuocent, oſtendántque vnius ſcelus totius populi plaga à Domino vindicatū fuiſſe, & cum culpa paucos infeciſſet, pœnam tamen ad plurimos perueniſſe. Sed cum docuiſſent altaris illius excitatores, non hoc ad religionis auſpicandas nouitates factum fuiſſe ſed potius ad veterem ſtabiliendam, retinendámque, *placati ſunt, & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe libentiſſimè ſuſceperunt*, iam ſperantes Deum, ſub cuius peculiari tutela reſpublica illa acquieſcebat, propitium ſe habituros, & à ſeditionibus, quæ reipublicæ ſtatum turbant,
Pſal. 53. 5. vacaturos. Nam vt querebatur S. Dauid, *Alieni inſurrexerunt aduerſum me*, ita Principes & reſpublicæ multa, & ſæua ab *Alienis*, qui ſcilicet religione mutata ad Hæreticos transfugiunt, paſſæ ſunt. Itaque populorū moderatori illud cordi eſſe debet, vt non ipſe dumtaxat religionem colat, ſed curet

curet etiam vt ij quibus præeſt, *Conſeruent præcepta patrum ſuorum & matris ſuæ,* Eccleſiæ ſcilicet leges, & præſcripta, & dogmata, *non dimittant.* Prou. 6. 20.

4 Sed quia nonnulla ex ſcripturis ſacris videntur obiici poſſe aduerſus ea, quæ diximus, ea breuiter diſcutienda ſunt. Ac primò quidẽ ex iis quæ diximus de Sadduçeorum Phariſæorúmque diſſidio, colligi poſſe videtur in republica Hebræorũ hanc fuiſſe ſentiendi, & loquendi libertatem, vt ſcilicet nullus ad hoc vel illud dogma amplectendum adigeretur, ſed liber vnicuique eſſet opinionum, & dogmatum quæ ſequi voluiſſet, delectus. Et quidem Sadducæi apertè erant hæretici, quippe qui mortuorũ reſurrectionem aliquando fore inficiebantur, qui error apertè ſcripturæ ſacræ teſtimonio iugulatur. Cum itaque Ieroſolymis habitarent, & ad concilia & ſynedria admitterentur, confici videtur, Principes & ſacerdotum Concilium ſenſiſſe, non eſſe contra eos, qui alieni dogmatis eſſent; pœnis animaduertendum. Sed hoc facilè dilui poteſt, nam ex allatis hoc capite teſtimoniis, ſatis conſtat non licuiſſe bene conſtitutam Hebræorum Rempub. hæreſes ſequi. Sadducæorũ verò impietas non multo ante Chriſti aduentum exorta, non eſt à ſynagoga proſcripta, quod ſeneſcente eorum qui Conciliis præſidebant authoritate, ij remiſſius agerent, qui cathedram Moſis obtinebant; præſertim ſub Idumæo Rege Herode, qui politicorum more ad regni commoda religionem referebat, nec quid variorum dogmatũ aſſertores inter ſe digladiarentur, morabatur. Itaque cum Sadducæorum error multos corripuiſſet, eſſéntq; hi clientelis, & opibus potentes, mirum non eſt, ſi ex ſuo illos ſinu

Soluuntur argumenta quæ cõtra hactenus dicta afferri poſſunt.

2. Mach. 12. 43.

excu

excutere ſynagoga non potuit.

Iſa 11.9. Secundò obiici poteſt illud Iſaiæ: *Non nocebunt, & non occidẽt in vniuerſo monte ſancto meo.* id eſt, in Eccleſia: ſed ibi ſermo non eſt de catholicis, ſed potius de hæreticis, quos propheta reguli, & aſpidis nomine deſignauerat: hos ergo, quantumuis venenati ſerpentes ſint, tamen adeo Eccleſiæ non nocituros docet, vt infans ab vbere, innoxiè foramina, & cauernas, in quibus deliteſcunt, protegente Deo Eccleſiæ ſuæ alumnos, tractare poſſit, *quia*, inquit, *repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aqua maris operientes.* infantes enim qui lac doctrinæ Eccleſiæ ſugunt, & ſenſus ſimplicitate mentes inclinant in obſequium fidei, Deo dante, ita abundabunt cognitione rerum ad dogmata fidei pertinentium, vt monſtra hæc tumentia ſuperbia, venenóque hæreſum armata, tenera adhuc manu, nullo fere negotio elidere poſſint.

Tertiò, afferri poteſt quod diſcipulos in Samaritas zelo exardeſcentes, & igne de cœlo de-
Luc. 9. 55. uocato eos comburere cupientes Dominus *increpauit dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis*, & Petro meditanti gladio Chriſtũ defendere, *Mitte*, inquit,
Ioan. 18. 11. *gladium tuum in vaginã*, quod ſcilicet ſentiret gladium potius ſpiritus expediendum eſſe, quàm armis contra aduerſarios fidei digladiandum. Sed in promptu eſt reſponſio, prohibuit enim Dominus Petro, qui nullo publico munere fungebatur, vſum gladij, & diſcipulorũ vltionis affectum, quo ducebãtur, verbis illis caſtigauit. Hinc verò non ſequitur non poſſe Põtifices & Eccleſiarum præſides, cum è re catholica id eſſe cognouerint, brachij vt vocant ſæcularis auxilium implorare, vt ferreis gladiis illi conficiantur, qui gladio ſpi-

ritus

Digitized by Google

ritus cordis duritiam, & in præceptis erroribus pertinaciam, oppoſuerunt.

Quartò, obiici poteſt quod Hæretici extra Eccleſiam ſint, qui verò ſunt huiuſmodi, iudicio Eccleſiæ ſubiecti eſſe non videntur, dicente D. Paulo, *Quid mihi de his qui foris ſunt?* Sed reſpondetur, hæreticos aberrare à caulis Eccleſiæ, & vitio ſuo extra Chriſti ouile vagari; cum tamen baptiſmali charactere ſignati, Chriſtúmque & eius fidem profeſſi ſint, ad illud redire debere, & ſi non faciant, pœnis in illos animaduertere fas eſſe. Sanctus verò Paulus de iis loquitur, qui nullo vnquam tempore Chriſti fidem receperant. 1.Cor.5. 12.

Quintò, poteſt etiam obiici reſponſio illa patrisfamilias, qui cum in ſatis zizania apparuiſſent, ſeruis illa extirpare volentibus, dicentibúſque, *Vis imus & colligimus ea? Ait, non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum: ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Cum ergo paſſim interpretes zizania hæc hæreticos eſſe doceant, conſequi videtur non eſſe cum eis vi agendum, ſed tempus meſſis expectandum, extremum ſcilicet Iudicij diem, Chriſtóque Domino Iudici cauſæ huius cognitionem integram reſeruandam eſſe. Sed argumentũ hoc ſi quid probaret, plus ſanè probaret, quàm vellent ij, qui illud obiiciunt. Conficeretur enim non hæreticos modo impunè dimittendos eſſe, ſed etiam fures & homicidas, & huiuſmodi ſontes, qui zizaniorum nomine cenſentur: quamuis enim hæretici peſſimum genus zizaniorum ſint, non tamen propterea fures, aut homicidæ zizania non ſunt. Cum ergo paterfamilias zizania extirpari vetuit, ſatis indicauit quo pacto hoc eſſet accipiendum. Matth. 13.28.

Ne forte, inquit, *eradicetis ſimul & triticum*, facturus colligendi poteſtatẽ ſi abſque tritici detrimento, à quo forte non ita facile ſecernerentur, euelli poſſent. Quod ſi facile internoſci poſſint, nec periculum immineat ne pro nocentibus plectantur innoxij, quid ni extirpentur? ſi verò periculum ſit ne hæretici, quia potentiores, turbas excitent, aliquámue maiorem perniciem Eccleſiæ aut reipublicæ moliantur, tunc ſane iudicium Dei patienter expectandum eſt. Non debent autem facilè Principes alicuius incommodi metu, qui frequenter inanis eſſe poteſt, eo deſcendere, vt libertatem, quam conſcientiæ vocant, concedant, ſine graui cauſa, de qua ſtatuendum non eſſet niſi communicato cum Eccleſiæ capite cõſilio vt deſpiciatur dicendum ne ſit, *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem*; parati potius ipſi (ſi alia ratione corruptos homines ad ſaniora conſilia reuocare non poſſint) in iſtos vepres ac ſpinas moliri ferrum, & horum zizaniorum radices ac fibras, ne iterum ſuccreſcant, euellere, ſi è re chriſtiana id futurum cenſuerint ij, quorum iudicium hoc eſſe
Iſai.1. 16. diximus. Tandem obiici poteſt quod de Eccleſia vaticinans Iſaias, ita loquitur, *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo & ouis ſimul morabuntur.* Sed hæc non de hæreticorum contubernio cum catholicis accipienda ſunt, ſed de iis qui cum eſſent efferis moribus & immitibus antequam Chriſti iugo colla ſubmitterent, poſteaquam ſe Eccleſiæ aggregarunt ex lupis agni facti ſunt, compreſſis diuinæ gratiæ beneficio naturæ propenſionibus, prauíſque habitibus continenti exercitatione virtutum, ſuperatis. Huiuſmodi lupũ quis neget fuiſſe D. Paulum,

lum, *qui ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini,* Chriſti ſectatores vinctos in Ieruſalem perducere animo deſtinauerat, *quique deuaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres tradebat in custodia?* Hic tamen tã truculentus ac ferox Chriſti gregis inſectator, vnus ex eo grege quem perſequebatur factus eſt. Eſt enim mutatio hæc dextræ Excelſi, & Chriſtianæ Eccleſiæ propria, in qua magnus eorum prouentus eſt, qui omnino ſuſpiciẽda mutatione in alios viros euaſerunt, adeo vt nihil veteri conuerſationi ſimile retinerent. Act. 9. 1. Act. 8. 3.

5 Sed antequam huic capiti clauſulam imponamus, aliquid de hæreticorum libris exterminandis, & flammis abolendis, dicendum eſt. Non eſt nouitia hęc in huiuſmodi impietates animaduerſio, ſed ab antiquis etiam vſurpata, cuius aliquod in Scripturis ſacris veſtigiũ reperio. Nam in actis Apoſtolorum legimus, *Multi ex iys qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & computatis pretijs illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Quid feciſſent hæreticorum libris, qui inania quædam, & curioſa continentibus, non pepercerunt? ſunt in Eccleſia Dei rerum ad fidem pertinentium ſacri quæſitores, qui tanquam *os Domini*, ſegregant mundum ab immundo, & pretioſum à vili. His facultas à Principibus permittẽda eſt, vt ſuo fungãtur munere, ſontes puniant, noxios libros proſcribant, auctorum quorumcumque ſcripta recognoſcant, & ſi quid errores ſpargendi ſtudio malitioſè, aut per imprudentiam ſimpliciter exaratum eſt, corrigant vel expungant. Qui verò libros in lucem edituri ſunt, non æquo tantum animo

Libros hæreticorum flammis abolendos.

Act. 19. 18.

Ierem. 15. 19.

Digitized by Google

hanc legem pati debent, ſed etiam eximij cuiuſdam beneficij loco numerare, quod quæ ſcripſerunt ad doctorum & piorum hominum examen, antequã ſpargantur in vulgus, venire poſſint. Nec deſunt in ſcripturis ſacris inſignis in ſimili materia, modeſtiæ documenta: *Impleuerat Domine Beſeleel & Ooliab*, nobiles ſui temporis artifices, *ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia & omni doctrina, ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, ſculpendiſq́ lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabrè adinueniri poteſt, dedit in corde eorũ, amboſq́ erudiuit ſapiẽtia, vt facerent opera abietarij, polymitarij, ac plumarij, de hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, & byſſo, & texant omnia, & noua quæque reperiant.* Hi ergo cum adeo exactam, & numeris omnibus abſolutam artem à Domino accepiſſent, ea tamen opera ad quæ manus admouerunt, Moyſe iubente, & modum præſcribente fecerunt, nec quæ abſoluerant ſacris vſibus adhibita ſunt, priuſquam *Moyſes vidit cuncta completa, & benedixit eis*, nec ægrè tulerunt tanti viri cenſuræ ea quæ elaborauerant ſubiicere, cogitabant enim humanæ imbecillitatis errore fieri potuiſſe, vt in aliquo peccarent, aut certè non ita aptè, & ad vſus ad quos ſacra illa ſupellex deſtinabatur, accommodatè, omnia perfeciſſent. Idem S. Pauli ſenſus, qui cum diuina reuelatione accepiſſet Euangelium, voluit nihilominus illud cum aliis Apoſtolis conferre, *ne forte*, inquit, *in vanum currerem, aut cucurriſſem.* in quo modeſtiæ ſuæ inſigne nobis reliquit documentum non tantum ſibi tribuens quaſi aliorum ope non indigeret, qua in ratione docendi Chriſti Euangelium dirigeretur, nec illam negligens ſecuritatem, quæ ex

Exod. 35. 30.

Exod. 39. 43.

Galat. 2. 2.

ex iudicio Eccleſiæ concionatoribus,& librorum ſcriptoribus, prouenit. Expedit autem nonnunquam, quod & vſus Eccleſiæ comprobat, quorundam hæreticorum, qui vel in erroribus diſſeminandis familiam duxerunt, aut in eiſdem propagandis multum elaborarunt, ita libros omnes abolere, vt etiam ſi partes aliquæ integræ ſint, nulláque hæreſum labe infectæ, aut reſperſæ, tamen cum auctore extinguantur, hoc enim hæreſis commerita eſt, quæ cuiuſuis generis telis eſt configenda. Nec adeo pauper eſt Eccleſia Dei, vt pauculorum aliquot librorum iacturam timere debeat, feracia enim ingenia, & acuta ſuſcitabit Dominus Eccleſiæ ſuæ, quibus damnum illud, ſi quod eſt, facilè compenſetur. Chriſtus Dominus dæmonia loqui non ſinebat, licet clamarent, *Scio te quis ſis, ſanctus Dei.* Et Diuus Paulus vetuit Diabolo dicere, *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.* Ratio autem cur ita agendum ſit, ea afferri poteſt, quia cum libros de rebus ad religionem minimè pertinentibus terimus, ſi ab ingenioſo, & eloquenti ſcriptore profecti ſint, neſcio quo modo erga ipſum libri auctorem afficimur; ab eo verò quem amamus vix fieri poſſe putamus, vt mali aliquid, aut noxij dogmatis prolatum ſit, atque ita minus illius doctrinam incipimus deteſtari, cuius decorum ingenium, aut eloquentiam exoſculamur; quæ res haurien- dis ipſis hæreſum erroribus, viam munit. Nec officit quod D. Paulus quodam loco dicat: *Prophetias nolite ſpernere, omnia probate, quod bonum eſt tenete.* quaſi liceat promiſcuè cuiuſuis doctrinam ad aures, aut libros ad oculos admittere, licet il-

Luc. 4.34.
Act. 16.17.
1. Theſſ. 5. 20.

Digitized by Google

la deinde probanda non ſint, quæ fidei veritati repugnant. Loquitur enim tantum D. Paulus de Prophetiis illis, aut libris ſcriptis, quæ bona ne ſint aut mala nondum conſtat; huiuſmodi enim non ſunt temerè reiicienda, interim dũ examinata non ſunt: poſtquã verò de illis per Eccleſiam pronuntiatum aliquid eſt, amplius integrum eſſe non debet cuilibet, illa ſcripta verſare, ne forte pro vera ac ſalutari doctrina, prauis noxiorum dogmatum ſuccis, quibus afferatur animis certa pernicies, imbuantur.

Non debere Principem cum Infidelibus inire fœdus, nec illorum opem implorare: & de locanda ſpe in diuino auxilio.

CAPVT IV.

Dominum deteſtari fœdera cũ infidelibus inita.

1 DVplex modus eſt fœderis pangendi cum infidelibus. Alter cũ paciſcimur ne mutuo noceamus bellũ inferendo, prædas agendo, mercatores aut peregrinos intercipiendo, quod nihil aliud eſt, quàm pacẽ conſtituere, & populi quietem, ac ſecuritatem parare, plurimáque incommoda auertere quæ bella conſequuntur. Eſt autẽ modus hic maximè laudabilis, illiúſque exemplum (præter alia plurima quæ paſſim in ſcripturis ſacris occurrunt) habemus in Geneſi, in qua fœdus iuramento firmatum narratur, quod Iſaac,

&

Digitized by Google

& Abimelech contraxerunt. *Nam cum veniſſent de Geraris Abimelech & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, locutus eſt eis Iſaac. Quid veniſtis ad me hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? qui reſponderunt. Vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos diximus, ſit iuramentum inter nos*, & ineamus fredus, vt non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, ſed cum pace dimiſimus auctum benedictione Domini. Fecit ergo eis conuiuium, & poſt cibum, & potum ſurgentes manè iurauerunt ſibi mutuo, dimiſitq; eos Iſaac pacificè in locum ſuum.* Alter modus eſt ſi mutuum auxilium ſibi Principes polliceantur, vt ſi exempli cauſa christianus Rex cum alio chriſtiano Rege bellum gerens arma infidelium aduocet, aut ipſe illis præſto ſit cum hoſtium ſuorum bellis premuntur, id verò quamquam ſaluo officio, & abſque conſcientiæ labe fieri poſſe in aliquo raro caſu non negauerim, ſi ſcandalū abſit, nec aliunde periculum aliud timeatur, ſacræ tamen litteræ pluribus locis damnant, oſtendúntque huiuſmodi fœdera exitus plerumque parum fælices, imo nonnunquam calamitoſos, & miſerabiles nanciſci. Inter Aſa Regem Iuda, & Baaſa Regem Iſraëlis bellum exarſerat, quod Baaſa in finibus Benjamin, quę tribus ad Regnum Aſa pertinebat, arcem excitaſſet in Rama, quæ Aſæ plurimum incommodabat, vt enim dicitur in libris Paralip. *Aſcendit Baaſa Rex Iſraël in Iudam, & muro circundabat Rama, vt nullus tutè poſſet egredi, & ingredi de Regno Aſa.* Timens ergo Aſa vires Iſraëlitarum, reputánſque fieri poſſe vt Baaſa Regem Syriæ Benadad, armis viríſque florentem aduocaret, quorum copiæ ſi coniungerentur, ipſe

Geneſ. 26. 26.

2. Paral. 16. 1.

tanto bello ferendo par eſſe non poſſet, prudens conſilium eſſe putauit ſi Baaſam anteuerteret, miſsíſque muneribus Syrum conciliaret ſibi, eidémque auctor eſſet, vt violato fœdere quod inter Baaſa, & Syros intercedebat, Iſraëlitis vltro bellum inferret; quod & conſecutus eſt, nam Aſæ gratificatus Benadab Nepthali ciuitates nonnullas cepit, regionémque populationibus vaſtauit. *Quod cum audiſſet Baaſa, deſiit ædificare Rama, & intermiſit opus ſuum.* Bellè proceſſerat conſilium, vt Aſæ videbatur, nam & hoſtes ab incepto opere deterruerat, & ſibi præpotentem Regẽ fœdere copulauerat, ex quo non mediocrem ſibi acceſſuram exiſtimationem apud circumiectos populos ſperabat, pecuniarúmque non maxima iactura plurima redemérat incommoda, quæ à finitimo Rege ſibi regnóque ſuo imminẽte timebat. Nec ſanè aliud eorum eſſet iudicium qui Politici audire volunt. Sed mirum quantum ab horum iudicio Domini iudicium diſſentit, qui tamen falli aut fallere nulla ratione poteſt. Miſſo enim Propheta & ſtultè illum egiſſe docuit, & incommoda ex hoc fœdere, quæ ipſe minimè crediďiſſet ſecutura denũtiauit. *In tempore illo,* inquit, *venit Hanani, propheta ad Aſa Regem Iuda, & dixit ei, quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Nonne Æthiopes, & Lybies multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos cum Domino crediďiſſes, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.* Habebat autem

Ibid. n. 5. Ibid. n. 7.

hæc

hæc Syri euaſio, pœnæ inſtar, nam ſi ab iſto fœdere abſtinuiſſet Aſa, non ſolum ſuis, domúſque Dei theſauris pepercisſet, ſed etiam Syriæ Regis ſpoliis quo cum dimicandum fuiſſet, ditatus magnam inſuper gloriam, & verò etiam ſecuritatem in poſterum conſecutus eſſet. Adde quod fædus hoc bellorum plurimorum ſementis fuit ita permittente Domino, *vt qui ſub protectione Dei* Pſal. 90. 1.
cæli commorari non curauerat, qua *obumbrante* altiſſima pace frui potuiſſet, Iſraëlis Regis offenſionem incurreret, ex quo ex bellis bella ſerentur, vt enim dicitur in Regum hiſtoria, *Bellum erat inter Aſa, & Baaſa Regem Iſrael, cunctis* 3. Reg. 15.
diebus eorum. Quam verò luculenta ſtultitia fuit 16.
eum qui diuini vires auxilij expertus fuerat, victoriaſque admirabiles ex hoſtibus ferociſſimis, multitudinéque propemodum innumerabilibus reportauerat, tam ſubito iſta fuiſſe oblitum, *&* Pſal. 51. 8.
non poſuiſſe Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauiſſe in multitudine diuitiarum ſuarum, hancque *vanitatem præualuiſſe* certiſſimæ prophetarum pollicitationi, quas proſper euentus diuinitus editas eſſe ſatis ſuperque docuerat. *Nam Azarias filius Oded facto* 2. Paral.
in ſe Spiritu Dei egreſſus eſt in occurſum Aza, & inter 15. 1.
cætera quæ ore fatidico eſt elocutus, *Confortamini*, Ibid. n. 15.
ni, inquit, *& non diſſoluantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro.* Quibus auditis Aza, *& omnes qui erant in Iuda, in omni corde ſuo iurauerunt, & in tota voluntate quæſierunt Dominum, & inuenerunt, præſtitque eis Dominus requiem per circuitum.* Non diſſimili reprehenſione caſtigatus eſt à propheta Rex Ioſaphat Aſæ filius à Iehu vidente, quod impiis præberet auxilium, & cum iis fœdus pepigiſſet, 2. Paral.
Cui, Regi ſcilicet Ioſaphat, *occurrit Iehu filius Ha-* 19. 1.

Digitized by Google

nani, videns & ait ad eum. Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te, eo quod abſtuleris lucos de terra Iuda & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum Patrum tuorum. Sed ad rem de qua agimus confirmandam nullum afferri poteſt illiuſtrius exemplum, quàm Amaſiæ Regis Iuda, qui cum centum *talentis argenti decem militum myriadas* conduxiſſet
2. Paral. 25.7. à Rege Iſrael, *venit homo Dei ad illum, & ait. O Rex ne egrediatur tecum exercitus Iſrael, non enim eſt Dominus cum Iſrael, & cunctis filiis Ephraim: quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus, Dei quippe eſt adiuuare & in fugam conuertere. Dixitque Amaſias ad hominem Dei, quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Iſrael? & reſpondit ei homo Dei: Habet Dominus vnde tibi dare poſſit multo his plura. Separauit itaq; Amaſias exercitum qui venerat ad eum ex Ephraim, vt reuerteretur in locum ſuum, & illi contra Iudam vehementer irati, reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Sed illorum offenſionem non reformidauit Amaſias, nec ingentis illius pecuniæ iacturam, ſed piè admodum, & religioſè Deo fidens, qui mentiri non poteſt, ſuas contra hoſtes eduxit copias, inſignemque victoriam conſecutus eſt. Princeps ſanè ob egregium hoc facinus laudandus in primis, ſi conſtantiam in bene cæptis tenuiſſet; ſed idola quorum cultores ſuperauerat, ſtultè adorans, à propheta, cui tamen non aquieuit, meruit verbis illis caſtigari,
Ibid. n. 15. *Cur adoraſti Deos, qui non liberauerunt populum ſuum de manu tua?* Omnibus documentum Principibus relinquens, vt hoc obiter moneamus, quantopere diuinæ gratiæ auxilio indigeant, ne plus æquo, cum

cum ſecūda proſperitatis aura afflauerit, ſe fortunę permittant, vnde miſerè ad ſuperbiæ ſcopulos adhæreſcant, quod Amaſiæ accidit, qui re cum Idumæis bene geſta, quaſi viribus ſuis nō Dei auxilio fretus, *virtutem illam magnā feciſſet*, Iſraelitas ad bellum vltro prouocare non eſt veritus; à quibus cōmiſſo certamine, non ſolum ipſe victus eſt, ſed etiam in hoſtium poteſtatem venit, vrbſque Ieruſalem capta, theſauris tam Regis ipſius, quàm domus Dei direptis, & aſportatis, tanta regni totius clade peccatū luens, illudque veriſſimum eſſe oſtendens, quod dixit Achior in Iudith hiſtoria, Deum alloquens, *Oſtende quoniam non derelinquis præſumentes de te; & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes, humilias.* Iudith 6. 15.

2 Porrò Dominus pſeudoſapiētes iſtos, *qui ponunt carnem brachium ſuū*, non modò ipſe deſtituit, ſed permittit etiā vt ab iis ipſis deſerantur, vel etiam prodantur, in quibus maximè ſperauerunt. *Væ filij deſertores*, inquit Iſaias, *dicit Dominus, vt faceretis conſiliū, & non ex me, & ordiremini telā, & non per ſpiritū meum; vt adderetis peccatū ſuper peccatū, qui ambulatis vt deſcendatis in Ægyptū, & os meum nō interrogaſtis, ſperantes auxiliū in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciā in vmbra Ægypti & erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionē, & fiducia vmbra Ægypti in ignominiā. Erant enim in Tani principes tui, & nuntij tui vſque ad Hanes peruenerunt. Omnes confuſi ſunt ſuper populo, qui eis prodeſſe nō potuit, non fuerūt in auxiliū, & in aliquā vtilitatē, ſed in confuſionē, & in opprobriū.* Diſertè denūtiauit Oſeas quod Iſraelitarū Synagogę eſſet euenturū, quæ finitimarū gentiū auxilio freta optima quæque ſibi pollicebatur dicens: *Vadā poſt amatores meos, qui dāt panes mihi, & aquas meas, lanam*

Crebrò accidere, vt qui infidelium axilia implorant, aut ab illis deſtituantur, aut etiam impugnentur.

Ierem. 17. 5.

Iſa. 30. 1.

Oſee 2. 5.

Ibid. n. 7.

Ibid.n.7. *nam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Sed *ſequetur*, inquit propheta, *amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quaret eos, & non inueniet.* Quod Chaldæus per paraphraſim elucidans, ait, *& proſequetur pacem cum populis amatoribus ſuis, ſed ab illis minimè obtinebit, & quæret adiutorium, & non inueniet.* Itaque malis grauiſſimis exercita, vexa-
Ibid.n.7. tione intellectum dante dicere cogetur, *Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.* Hanc populi ſui calami-
Ierem.1.1. tatem lamentatur Ieremias, cum ait: *Facta eſt quaſi vidua Domina gentium*, nam ab ea diuertit Dominus, plurimis illius adulteriis cùm Idolis & gentibus falſorũ deorum cultricibus, quas quaſi pulchritudinis ſuæ procos Ieruſalem admittebat irritatus. *Princeps prouinciarũ facta eſt ſub tributo, plorans plorauit in morte, & lachryma eius in maxillis eius, non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius;*
Ibid.n.19. vel vt legunt 70. *diligentibus eam*, illis nimirum quos Oſeas *amatores* appellat. *Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici.* Rurſúſque eodem capite, idem lamentatur. *Vocaui amicos meos, & ipſi deceperunt me. Audierunt, quia ingemiſco ego, & non eſt qui conſoletur me.* Atque ita quæ prius dum rebus ſecundis florebat multos amicos numerabat, iam facie rerum mutata, repentè ab omnibus deſerta eſt, inimicis facta ludibrium, quibus prius fuerat metuenda, Domino ita volente, vt intelligant omnes, quanto melius ſit adhærere Deo, & cum illo pactas amicitiæ leges
Sap.7.11. ſeruare, quas ſi ſanctè coluerimus, *venient nobis omnia bona pariter cum illis, & innumerabilis honeſtas per manus illarum.* Sed referamus nos ad fœdera
Prou.11.21. de quibus agebamus. *Manus in manu*, inquit Salomon,

lomon, *non erit innocens malus.* Intelligunt aliqui locum hunc de deſidioſis, torporéque marcentibus, quorum habitus eſt manus otioſas complicare, vt docet Eccleſiaſt. cum ait. *Stultus complicat* Eccleſ.4.
manus ſuas, & comedit carnes ſuas dicens: melius eſt 5.
pugillus cum requie, quàm plena vtráque manus cum labore, & afflictione animi. Hos autem Salomon ait non fore innocentes, hoc eſt à pœna immunes non abituros, idem enim ſignificat hic innocens, quàm impunitus, vt etiam in Exodo cum dicitur, *Non habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit* Exod.20.
nomen Domini Dei ſui fruſtra. Quamuis enim iner- 7.
tes, ac deſides non noceant, innocentes tamen non ſunt, ſi cum debeant non proſunt. Pagninus in theſauro linguæ ſanctæ in voce יד manus ad verbum verti poſſe putat, *Mox Mox non erit innocens malus*, in Hebræo enim eſt ידליד Iad le Iad, *Manus ad manum,* vt reſpondeat hæc locutio noſtræ Italicæ phraſi, *à mano à mano,* id eſt Mox, Mox, ſignificetúrque impiis hominibus diuinam vindictam impendere, quam declinare nulla ratione poſſint. Alij ad ſucceſſionem parentum & filiorum referunt, vt ſenſus ſit, pœnas non effugere ſceleſtos, plectique ipſos dum numerantur in viuis, aut cum ipſi vitâ conceſſerint filios, & nepotes, quos poſt ſe reliquerint. Et ſi hoc modo verba hæc interpretemur, Hebraicum ידליד alteri phraſi Italicæ reſpondere poterit, qua ſucceſſionem ſignificantes dicimus, *Di mano in mano.* Huic autem explicationi fauet quod ſtatim ſubditur, *ſemen autem iuſtorum ſaluabitur.* Aliqui tandem, quod ad rem noſtram facit, de fœderibus & pactis intelligunt, quibus ſe impij mutuo fide data, & reddita, obſtringere ſolent, nam gentium ferè omnium

omnium ritu iniecta dextera fœdera iunguntur.
Pſal. 2. 2. Hos ergo, ſceleſtos ſcilicet quia frequenter *conueniunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*, non impune laturos docet ſapiens,
Iſa. 36. 6. quippe qui vt veteres illi Hebræi *Confidunt ſuper baculum arundineum confractum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* vt etiam hac manus perforandæ metaphora intelligatur eos puniri, qui manus extenderunt ad fœdus pangendum, manuſque vulneratæ, ac traiectæ ſymbolo innuatur, hæc ipſa pacta, & fœdera, quæ crediderant Principes fore ſalutaria, ipſiſmet perniciem allatura ipſámque perniciem (vt manui ab arundine) ita ipſis ab iiſdem prouenire, à quibus ipſi prius auxilium ſperauerant. *Et*
Ierem. 2. 36. *ab Ægypto* confunderis inquit Ieremias, *ſicut confuſa es ab Aſſur, nam & ab iſta egredieris & manus tua erit ſuper caput tuum:* quam enim manum inieceras ad fœdus firmandum eam in capitis tui perniciem ſenties eſſe conuerſam. Longè igitur me-
Iſa. 25. 10. lius eſt *vt iungamur Domino fœdere ſempiterno, & requieſcat manus Domini* (pactum ſcilicet & fauor) *in monte ſancto iſto*, ſic enim fiet quod ſequitur, *Et triturabitur Moab ſub eo, ſicuti teruntur palea in plauſtro, & extendet Dominus manus ſuas ſub eo, ſicut extendit natans ad natandum*, quaſi dicat porrecta vtraque manu puniet, *& humiliabit gloriam eius cum alliſione manuum eius*; vel vt aliqui vertunt ex Hebræo, *cum perforatione manuum eius*, malum in hoſtes noſtros reiiciendo, quod nobis conciliauiſſemus, ſi illis maluiſſemus inniti quàm Domino, cuius amicitiam ſi ſanctè coluerimus, aliorumque omnium fœderi præpoſuerimus, experiemur profectò, ipſius nobis adeſſe fauoré, etiam apud

apud Reges & Principes, vt omnia quibus habuerimus opus obtineamus, quod Eſdræ cōtigiſſe legimus, *cui Dedit Rex ſecundum manum Domini eius ſuper eum, omnem petitionem eius*, id eſt omnia, quæ voluit conſecutus eſt, Domini manu, cui ſe ſancto fœdere obſtrinxerat, illum protegente, illiuſque res fauore ſuo promouente.

Quamuis autem dubium eſſe non poſſit, quin Dominus multis, miriſque modis, nobis auxilio eſſe poſſit, *cum non ſit difficile Domino ſaluare vel in multis vel in paucis*, vt ſapienter dixit Ionathas ad armigerū ſuum; & non ſit apud eum *vlla diſtantia, vtrum in paucis auxilietur an in pluribus*, fructu tamen, & iucunditate non vacabit, ſi ex ſacris litteris aliqua prompſerimus, quibus appereat, quàm ingenioſa, ſic loqui licet, fuerit numinis prouidentia in auxilio iis quos ſaluos eſſe volebat, opportunè ferendo, vt his excitati diſcamus, & nos in Domino ſpem noſtram locare, cuius manus abbreuiata non eſt, vt difficilibus noſtris temporibus opem ferre non poſſit, nec imminuta caritas, vt minus nunc velit, quàm tunc voluerit. Pugnabat Ioſue contra Amorrhæos, ſuaſque phalangas in campis explicauerat ad prælium cum Dominus è ſuperiore loco grandes deuoluens lapides plurimos populi ſui hoſtes contriuit, nam *mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerunt filij Iſrael*, oratione quippe ſua Ioſue *ingreſſus fuerat theſauros illius grandinis, quæ præparauit Dominus in tempus hoſtis in diem pugnæ, & belli*, vt loquitur S. Iob, & quaſi auxiliares copias in aciem eduxerat contra Amorrhæos. Simile de cœlo auxilium Iſraelitis pugnantibus contra Chananæos præſto fuit, angelis

In Deo ſpē locandam, qui multis miriſque modis, ſuis ſpem fert.

1. Reg. 14. 6.

2. Paral. 11.

Ioſue 10. 11.

Iob 38. 22.

Iud. 5. 20. lis de cœlo pugnantibus, vt dicitur in libro Iudicum: *De cœlo*, inquit, *dimicatum eſt contra eos, ſtellæ* (Angeli ſcilicet) *manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Narrat autem Ioſephus illius conflictus tempore procellā magnam exortam fuiſſe, aquæ etiam & grandinis multum Chananæorum oculis offuſum, atque ideo arma bellica eis vſui eſſe non potuiſſe. Dicuntur autem ſtellæ pugnauiſſe, quia pugnauerunt Angeli, Apoc. 12. 3. qui ſtellarum nomine cenſentur aliquando in ſcriptura, vt cum dicitur in Apocalypſi, *Draconem cauda traxiſſe tertiam partem ſtellarum:* Stetiſſe autem in ordine ſuo, quia Angeli ſuos ſeruant ordines, & hierarchias, in quas tributi ſunt: Curſum verò tenuiſſe, quia ſuum illud ſolemne tenuerunt, vindicandi ab hoſtibus Iſraelitas, quos ſuſceperant defendendos. Sed non ſemper Dominus tanto honore dignatus eſt populi ſui hoſtes, vt vel fulmine caderent, vel maris vorticibus haurirentur, vel ingeſtis de cœlo lapidibus conficerentur: ranunculis interdum, & culicibus agendum putauit, quemadmodum cum Ægyptio Pharaone, vt cum tam paruis beſtiolis ſe pugnando pares eſſe non poſſe intelligerent, multo magis brachium ſummi Principis, cui omnis militat creaturarum exercitus, formidarent. Nec Pſal. 56. 3. minor ad defendendum beſtiolæ vnius vis, Domino dante, quàm ad lædendum. *Clamabo*, inquit Dauid, *ad Deum altiſſimum, Deum qui benefecit mihi.* Chaldæus Paraphraſtes locum hunc ita conuertit vel explicat. *Ad Deum qui præcepit araneæ, vt conficeret in ore ſpeluncæ telam ad defenſionem meam.* Sermo eſt de ſpelunca Engaddi, in quam ſeceſſarat Dauid latebras quęrens, quibus ſe à Saulis furore

rore ſubduceret. Texuit ergo araneola telã ſuam, vt Chaldæus auctor eſt, quam cum vidiſſet Saul non venit Dauid in ſuſpicionem quæſitæ in ſpelæo illo recentis latebræ, atque ita ſeruatus eſt. Quid de terrore panico dicam in Syriæ exercitu concitato, opinionéque incerto auctore dedita, Hebræis aduenisse auxiliares copias Regũ Ægypti, Hebræorumque, vnde factum eſt vt obſidio repente ſolueretur, quam diu tolerauerant, fameſque ſit annonæ vilitate depulſa, *cum prius* 4.Reg.6.
venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta 25.
ta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis, imo ab ipſis liberis deuorandis immites matres non abſtinerent? *Sed Dominus ſonitum audiri fecit* 4.Reg.7.
in caſtris Syriæ curruum & equorum, & exercitus plu- 6.
rimi, dixeruntque ad inuicem. Ecce mercede conduxit aduerſus nos Rex Iſrael Reges Hæbræorum, & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos: Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos, & aſinos in caſtris, fugeruntque, animas tantum ſuas ſaluare cupientes. atque ita factum eſt, vt cum Iſraelitæ obſcæna illa fame prope modum enecti à deſperatione non procul abeſſent, repente debellatum eſſe cognoſcerent, ſpoliaque plurima direptis hoſtium caſtris barbarica opulentia refertiſſimis, colligerent, tantaque vilitas caritatem illam annonæ exciperet, vt *factus ſit modius* 2.Reg.5.
ſimilæ ſtatera vno, & duo modij hordei ſtatere vno 23.
iuxta verbum Domini. Non abſimilem Palæſtinis terrorem immiſſum crediderim, cum auditus ſonitus gradientis in cacumine pyrorum, vt ſecundi Regum narrat hiſtoria. Videtur enim illud fuiſſe Domini conſilium, vt Philiſthæi qui in valle Raphaim conſederant, cum ſtrepitus in pyreto

Digitized by Google

increpuiſſet, exercitum aliquem auxiliarem, qui Iſraeli ferret ſuppetias, eſſe exiſtimarent, ſicque terrore perculſi verterentur in fugam, ad eum forte modum quo ſub Samuele tonitrui fragore conſternati, gladiis Iſraelitarum ceciderunt, &
1. Reg. 7. 10. forte ſuis; vt cum tempore Gedeonis *Immiſit Dominus gladium in omnibus caſtris*, & milites *mutua ſe*
Iud. 7. 22. *cæde truncabant.* adeo vt diuerſa omnium quæ vnquam acciderunt, ciuilium armorum facies eſſet, cum non prælio, non aduerſis è caſtris, ſed iiſdem è cubilibus, quos ſimul veſcentes, dies ſimul quietos nox habuerat, diſcederent in partes, tela ingererent, vulneribus ſe mutuis appeterent, ſanguíſque & cædes palam, cauſa eſſet in occulto. Sed alia interdum ratione vſus eſt Dominus ad populos ſuos ab hoſtium incurſibus ſecuros reddendos, incuſſo nimirum ipſis hoſtibus timore, non ſpecie aliqua externâ, quæ in oculos incurreret, aut deferretur ad aures, vt in allatis exemplis oſtendimus, ſed opinione quadam virtutis Iſraelitarum in eorum mentibus ingeneratâ, ex quo fieret, vt etiam ſi Iſraelitæ domos deſererent, aut vrbes incuſtoditas relinquerẽt, militéque vacantes, eos tamen qui domi remãſiſſent laceſſere, aut aliqua ratione violare non auderent. Experiebatur hoc Dei populus quotannis, nam cum frequenter ex legis præſcripto maſculi omnes in Ieruſalem ad ſacrificia aſcendere deberent, ſolæque mulieres domi hærerent; nihil tamen finitimi hoſtes contra illos moliri vnquam auſi ſunt, quod diuinæ prouidentiæ peculiari beneficio fa-
Exod. 34. 24. ctum eſt, ita Domino in Exodo promittente. *Cum tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in*

in conſpectu Domini Dei tui ter in anno. Hunc autem timorem, qui hoſtes Iſraelis continebat, ne contra illos quidquam mouere auderent, ſe immiſſurum populo ipſi ſuo comminatur, ſi officium deſeruiſſent, rectámque virtutis, & diuini obſequij viam, quam fuerant ingreſſi. *Qui de vobis remanſerint*, inquit, *dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium, terrebit eos ſonitus filij volantis, & ita fugient quaſi gladium, cadent nullo perſequente, & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos, quaſi bella fugientes, nemo veſtrum inimicis audebit reſiſtere.* Rurſus aliquando Dominus ſuis opem tulit, animum & vires mirum in modum ſufficiendo, vt reuera fieret quod ibidem Hæbræis euenturum dicitur his verbis: *Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis, perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia.* Adeo verò euidens erat diuinum hoc auxilium, vt illud nullus non agnoſceret, nec poſſet quiſquam, cum id accidebat, *dicere in corde ſuo: Fortitudo mea, & robur manus mea, hæc mihi omnia præſtiterunt*; ſed potius *recordari Domini Dei ſui, quod ipſe vires præbuiſſet, vt impleret pactum ſuum, ſuper quo iurauerat patribus ſuis.* Tale Domini auxilium Sampſoni adfuiſſe videmus, *qui cum veniſſet ad locum Maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit ſpiritus Domini in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta: inuentamque maxillam id eſt mandibulam aſini, quæ iacebat, arrigiens, interfecit in ea mille viros, & ait. In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros.* Tandem pugnat aliquando Dominus pro ſuis, ipſis omnino quieſcentibus, & manus ad arma non admouentibus, vt nimirum

Leuit. 26. 36.

Ibid. n. 7.

Deut. 8. 17.

Iud. 15. 14.

Digitized by Google

diuino nomini planè cedat gloria. Sic Ægyptiorum cladis ſpectatores fuerunt Hæbræi, dum ipſi maris fluctibus hauſti volutarentur in aquis rubri maris iuxta quod pollicitus fuerat Dominus, cum

Exod. 14. 13. per Moſen ait, *Nolite timere, ſtate & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie, Ægyptios enim, quos nunc videtis nequaquam vltra videbitis, vſque in ſempiternum, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Vt autem auxiliares copias quas Dominus ſubmittebat, ſibi adeſſe ſentirent illi quibus aderant, eas aliquando in conſpectu dedit, vt miniſtro Eliſæi, qui timore conſternatus quod ingens hoſtium exercitus vrbi circumfuſus eſſet, plures, quam contra ſtarent, ſuorum propugnatores, & vindices in curribus & equis expeditos ad pugnã

4. Reg. 6. 15. animaduertit. *Conſurgens autem diluculo,* inquit, *miniſter viri Dei, egreſſus, vidit exercitum in circuitu Ciuitatis, & equos & currus, nuntiauitque ei dicens, Heu, Heu, Heu, Domine mi quid faciemus? At ille reſpondit. noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis. Cumque oraſſet Eliſæus, ait: Domine aperi oculos huius, vt videat, & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Sic etiam Ioſue viſus eſt Angelus euaginatum tenens gladium, qui contra Iſraelis ho-

Ioſue 10. 42. ſtes pugnaturus aduenerat. *Cum autem eſſet Ioſue,* inquit ſcriptura, *in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait, Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit, Nequaquam, ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Quare mirum non eſt ſi de Ioſue hoſtium ſuorum victore dicitur eodem libro. *Vniuerſos reges & regiones eorum vno impetu cœpit, atque vaſtauit, Dominus enim*

Deus

Deus Iſrael pugnauit pro eo. Non abſimilis Iudæ viſio, cui à Ieremia aureus gladius datus eſt, quem in hoſtes victor diſtringeret, vt habemus in Machabæorum hiſtoria, qui locus quoniam inſignis eſt, multaque continet, quibus ad locandam in Domino ſpem excitari poſſimus, totus hic adſcribetur. *Machabæus autem*, inquit, *ſemper confidebat cum omni ſpe auxilium ſibi à Domino adfuturum, & hortabatur ſuos ne formidarent ad aduentum nationum, ſed in mente haberent adiutoria ſibi facta de cœlo, & nunc ſperarent ab omnipotente ſibi adfuturam victoriam. Et allocutus eos de lege, & prophetis, admonens etiam certamina quæ fecerant prius, promptiores conſtituit eos, & ita animis eorum erectis, ſimul oſtendebat gentium fallaciam; & iuramentorum præuaricationem. Singulos autem illorum armauit, non clypei, & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis, & exhortationibus, expoſito digno fide ſomnio, per quod vniuerſos lætificauit. Erat autem huiuſcemodi viſus: Oniam, qui fuerat ſummus ſacerdos, virum bonum, & benignum, & verecundum viſu, modeſtum, moribus, & eloquio decorum, & qui à puero virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum. Poſt hæc apparuiſſe, & alium virum, ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum. Reſpondentem vero Oniam dixiſſe. Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta Ciuitate, Ieremias propheta Dei. Extendiſſe autem Ieremiam dexteram, & dediſſe Iudæ gladium aureum dicentem. Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſrael.* Igitur erecti ingenti fiducia diuini auxilij, cum iam tempus adeſſet cum Nicanore confligendi, ita Dominum Iudas orauit: *Tu Domine qui miſiſti Angelum*

2. Mach. 15. 7.

Ibid. n. 22.

tuum ſub Ezechia Rege Iuda, & interfeciſti de Caſtris Sennacherib centum octoginta quinque millia, & nunc dominator cœlorum mitte angelum tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui, vt metuant, qui cum blaſphemia veniunt aduerſus ſanctum populum tuum. Nicanor autem, & qui cum ipſo erant cum tubis, & canticis admonebant. Iudas verò & qui cum eo erant inuocato Deo per orationes, congreſſi ſunt, manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes, proſtrauerunt non minus triginta quinque millia, præſentia Dei mirificè delectati. Quid hoc fortiſſimi viri exemplo afferri poteſt illuſtrius? Cum ergo Dominus tam multis, tamque admirabilibus modis populo ſuo, ſeque vocantibus in ipſo diſcrimine adeſſe conſueuerit, vt vidimus, ſtatuat Princeps apud ſe in Domino potiſſimùm ſperan-
Pſal.19.8. dum eſſe, dicatque cum S. Dauid. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus: ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, nos autem ſurreximus, & erecti ſumus:* & rurſus cùm eodem,
1.Reg.17.47. *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini Dei exercituum, Dei agminum Iſrael.* Itaque ſiue bellum ingruens propulſandum ſit, ſiue aliis inferendum, eundem Dominum ſibi precibus conciliet, eiúſque imploret auxilium, ſic enim incurſus aggredientium
Prou.18.10. hoſtium facilè eludet, *Turris enim fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur*; ipſe verò alienas vrbes iuſto bello aggrediens expu-
Pſal.59.11. gnabit. Nam *quis deducet me,* inquit S. Dauid, *in ciuitatem munitam? nonne tu Deus?* Quem animi ſenſum vtinã Dominus Principibus omnibus communicet, vt & ipſi proſperè agant, & quod Deo debent ſeruitutis obſequium impendant.

Prin

Digitized by Google

Principes Eccleſiarum, & Sacerdotum iura ſarta tecta ſeruare debere.

CAPVT V.

Pontifices Hebræorũ & Leuitas in rebus eccleſiaſticis à Regum poteſtate exemptos fuiſſe.

1 ECcleſiæ, Eccleſiaſticique homines diuino cultui mancipati, exemptionibus, immunitatibus, priuilegiiſque nonnullis iam inde ab exordio naſcentis Chriſtianæ religionis ornati ſunt, quæ illis inuiolata manere decet; eáque Principis pietas eſſe debet, vt de illis quidquam imminuere, aut deterere ſummæ ſibi religioni ducat. De aliquibus nos hoc capite breuiter diſſeremus, quantum ex ſacris litteris, pro inſtituti noſtri ratione, colligere poterimus. At primò quidem (vt de exéptione in rebus merè Eccleſiaſticis dicere incipiamus) in Hebræorum Rep. reperio ſummos Sacerdotes, cæteroſque Leuitas in cauſis, quæ Eccleſiaſtici iuris erant, ita exemptos à iudicum poteſtate fuiſſe, vt ne regibus quidem vlla ex parte ſubiacerent. Nam poterant Pontifices citra Regis auctoritatem ſacrificia ſtatis temporibus, & locis offerre, ſanctuarium ingredi, expiare populum, Leuitas, & Sacerdotes conſecrare, legem interpretari, Deum conſulere; nec vllum ex ſcripturis teſtimonium afferri poteſt, quo probetur ad hæc facienda Reges ius aliquando habuiſſe, aut illa ne à Sacerdotibus fierent, prohibere potuiſſe. Quod ſi qui temere aliquid auſi ſunt, reprehenſione, & verò etiam pœna di-

Digitized by Google

uinitus inflicta coerciti ſunt. Exemplo ſit Ozias, qui ſuper altare thymiamatis incenſum adolere voluerat, verbis enim à Pontifice caſtigatus, & fœdo, etiam lepræ morbo diuinitus percuſſus, te-
2. Paral. meritatis ſuæ pœnas luit. *Non eſt tui officij Ozia,*
26.18. dicebat Pontifex, *vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium. Egredere de Sanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratuſque Ozias, & tenens in manu thuribulum vt adoleret incenſum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini ſuper altare thymiamatis.* Itaque & ipſe *ſenſit plagam Domini*, & quandiu vixit, Regni adminiſtratione caruit, ſeorſimque ab hominum conſuetudine, more leproſorum, vitam miſerè traduxit. Sed forte obiiciat aliquis factum Salomonis, qui Abiathar Pontificem ſummo Sacerdotio priuauit, Sadoc in illius locum ſubrogato, ex quo probari poſſe videtur ius Regibus fuiſſe in Pōtifices, quos pro arbitrio ab illo munere poſſent amouere. Sed in promptu eſt reſponſio. Nam ſi Salomon poteſtate Regia hoc auſus eſſet, nec legitimè feciſſet, nec magis excuſari poſſet, quam excuſari poſſint reliqui Principes, ſi violarent interdum iura Sacerdotum. Verum probabilius eſt diuino inſtinctu, quippe prophetam, feciſſe; quod innuere videntur ſacri
3. Reg. 2. contextus verba, quæ ſunt huiuſmodi. *Eiecit ergo*
27. *Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini, vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo.* Quaſi diceret, id effectum dedit Salomon diuino ſpiritu inſtinctus, quod olim Dominus Heli fuerat comminatus. Non ergo ex Salomo-

lomonis facto ius aliquod Regibus in Pontifices fuiſſe confici poteſt. Sed nec in Leuitas habuerunt, quod ex iis quæ dicturi ſumus facile conſtabit: ſi enim probauerimus Leuitas in iudiciis etiam ſpectantibus ad res non Eccleſiaſticas fuiſſe à Regis poteſtate exemptos, probauerimus etiam, & multo magis, in rebus Eccleſiaſticis exemptos fuiſſe.

2 Colligitur autem ex libro Numerorũ exemptio hæc Leuitarum de qua diſputamus. Nam ibi legimus à Domino Moyſi dictum fuiſſe, ſe loco primogenitorũ tuliſſe Leuitas, eóſque ſibi peculiari quodam titulo deberi ab eo tempore, quo Ægyptiorum primogenitos exterminatoris angeli miniſterio proſtrauit in Ægypto, filios autem Iſraëlitarum ſeruauit incolumes. *Ego tuli Leuitas*, inquit, *à filijs Iſraël pro omni primogenito, erúntque Leuitæ mei. Meum eſt enim omne primogenitum, ex quo percuſſi primogenitos in terra Ægypti.* & alibi. *Statuéſque Leuitas in conſpectu Aaron, & filiorum eius, & conſecrabis oblatos Domino, ac ſeparabis de medio filiorum Iſraël, vt ſint mei, quoniam dono dati ſunt mihi à filijs Iſraël pro primogenitis accepi eos. Mea ſunt enim omnia primogenita filiorum Iſraël tam ex hominibus quàm ex iumentis.* Ex his autem locis ſic argumentari licet: ſi voluiſſet Dominus ipſa primogenita accipere, quæ ſibi debebantur, proculdubio poſtquam illa accepiſſet, tranſiſſent in dominium Dei, nec vllus in ea, tanquam in rem alienam, ius habuiſſet, poteſtatem, aut iuriſdictionem. At Dominus pro primogenitis Leuitas accepit, hi ergo Domini ita facti ſunt, vt nullus in eos præter Dominum qui ſibi illos ſepoſuit, ius habere poſſit. Et ſanè poterat Dominus hos

Leuitas olim in republica Hebræorũ à Iudicum ſæcularium poteſtate exemptos fuiſſe.

Num. 3. 12.

Num. 8. 13.

 Leuitas,

Leuitas, quos voluit funiculum eſſe hæreditatis ſuæ, tanquam rem ſuam, aut Regi, aut alij ſubiicere, vt ab illo in Politicis regeretur. Noluit autem ſubiicere poteſtati Regis, ſed Pontificis
Num. 8. 18. vt loco proximè citato habetur. *Tuli*, inquit, *Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Iſraël, tradidique eos dono Aaron & filijs eius de medio populi.* Pontifici ergo cui donati fuerant, non Regi debebant obſequium. Quod etiã conſtat ex alio eiuſ-
Num. 18. 1. dem libri teſtimonio cum dicitur, *dixitq; Dominus ad Aaron: Exultabunt Leuitæ ad præcepta tua.* Plenum itaque ius in tribum illam ſummo ſacerdoti tributum eſt, dicundi iuris, cauſaſque eorum cuiuſcúmque generis eſſent, cognoſcendi. Rurſus Principibus familiarum Leuiticarum poſtulantibus, & Ioſuë populi duce Eleazaróque ſacerdote tribuentibus octo ſupra quadraginta oppida ex omni terra promiſſionis conſecuti ſunt
Ioſue 21. 3. Leuitæ, *Nam dederunt filij Iſraël de poſſeſſionibus ſuis iuxta Imperium Domini ciuitates, & ſuburbana earum de tribu Iuda, & Simeon, & Benjamin ciuitates tredecim de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribu Manaſſe in Baſan ciuitates numero tredecim; De tribubus Ruben, & Gad, & Zabulon vrbes duodecim.* Cum ergo ciuitates iſtæ Leuitarum eſſent propriæ, illiſque ad inhabitandum tributæ, ſingulíſque ciuitatibus Iudices præeſſent, vt ratio ipſa bene conſtitutę gubernationis perſuadet, dubitari non poteſt quin ex vrbium illarum inquilinis iudices dati ſint populo, potius quàm ex aliis tribubus accerſiti peregrini, aut à Principibus miſſi. Imo probabile eſſe crediderim alios Leuitas ſparſim in Iſraëliticis tribubus habitantes, eadẽ rationę à Leuitici generis iudicibus fuiſſe iudicatos,

dicatos, quod probabile dixi, nam adhuc teſtimonium ex ſcriptura deſidero, aut certiorem aliquam coniecturam. Tandẽ ex ampliſſima ſummi ſacerdotis poteſtate colligitur Leuitarũ omnium cauſas ad illius tribunal, aut iudicum ab ipſo conſtitutorum, pertinuiſſe. Nam ſi ciuiles, aut criminales omnes cognitiones, quæ paulo intricatiorem haberent expeditionem, adeo vt iudicum variantibus ſententiis non facile eſſet diſpicere, quid faciendum eſſet, ad ſummum ſpectabant ſacerdotem, nec alia poterant ratione finiri, quàm illius expectata ſententia, eâ ſcilicet de causâ, quod cum omnia apud populum illum legis Moſaicæ ſanctionibus gubernanda eſſent, nulli melius intelligentia aſſecuti credendi eſſent, quàm ſacerdotes de quibus dixit Malachias, *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*, probabiliter admodum colligitur, Leuitas à Leuitis tantum iudicatos, ne qui omnes alios iudicârent, ab aliis ipſi iudicarentur. Hoc verò ſummi ſacerdotis ius, de quo dixi, habetur in Deuteronomij libro vbi legimus. *Si difcile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem*, (quod ad crimina vindicanda, ſontéſque puniendos ſpectat) *cauſam & cauſam*, (quod pertinet ad componendas dirimendáſque inter litigantes controuerſias) *lepram & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniéſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit*

Malach. 2. 7.

Deut. 17. 8.

elegerit Dominus, & docuerit te iuxta legem eius, ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, & decreto iudicis, moriatur homo ille, & auferes malum de Iſraël, cunctúſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Hinc Dominus reipublicæ negotia grauiora, & implicatiora, ita per Principem voluit expediri, vt tamen per ſacerdotem Domini voluntas exquireretur, Princepſque nec bellum ſuſcipere, nec aliud magni momenti negotium aggredi poſſet, niſi conſulto per Pontificem oraculo, vt habemus in libro Numerorum. *Dixit*

Num. 27. 18. *Dominus ad Moſen: Tolle Ioſuë filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum, qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videtibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſraël. Pro hoc* (ſcilicet Principe ſæculari) *ſi quid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum, ad verbum eius* (Eleazari) *egredietur, & ingredietur ipſe* (Ioſuë vel quicunque alius Princeps ſæcularis) *& omnes filij Iſraël cum eo, & cætera multitudo.* Atque propterea, quia negotium partitionis terrę promiſſæ valde arduum erat, multíſque ſeptum difficultatibus, idcirco ſummo adhibito ſacerdote, quæ Dominus ſeruanda præceperat, Ioſuë executus eſt,

Ioſue 14. 1. vt in eiuſdem libro dicitur. *Hoc*, inquit, *eſt quod poſſederunt filij Iſraël in terra Chanaam, quam dederunt eis Eleazar ſacerdos, & Ioſuë filius Nun, & principes familiarum per tribus Iſraël.* Cum ergo cauſæ illæ omnes difficiliores ad ſacerdotis tribunal referendæ eſſent, illiúſque iudicio ſtandum, cuiuſcun

iuſcunque tandem tribus eſſent homines inter quos illa verteretur controuerſia; ſequitur plenius aliquid ius illum habuiſſe in homines ſuæ tribus, quos à Domino dono fuerat conſecutus, vt ſupra vidimus; hoc autem illud eſſe videtur vt ad nullũ aliud ſiſterentur tribunal, quàm ſummi ſacerdotis, cuius ſuprema inter Leuitas erat auctoritas. Itaque ſi tantum in veteri lege tributum eſt ordini ſacerdotali, cuius longè minor fuit poteſtas & dignitas, quàm ſacerdotum noui teſtamenti à Chriſto inſtitutorum, facile erit iudicare quàm deceat, nihil à Principibus de hac immunitate, qua gaudent, imminui aut detrahi.

3 Temporibus autem Apoſtolicis reperio ſancti Pauli reſcripto mandatum eſſe Corinthiis, vt lites controuerſiáſque ciuiles, ſi quæ inter ipſos exiſterent, diſceptatoribus Chriſtianis adhibitis, & ad hoc in Eccleſia conſtitutis; componerent, nec ad tribunalia infidelium Chriſtianis iniqua & infeſta eos traherent, quibuſcum litigarent. Nec ſolum Clerici, ſed laici etiam hiſce iudicibus ſuas lites finiebant. Erant porrò hi iudices aut Epiſcopi, aut ex Clero ſelecti viri, grauitate & ſapientia inſignes, aut etiam laici Epiſcoporum voluntate, & nutu ad hoc munus deſtinati. Diu autem tenuit mos iſte in Eccleſia vt ſcilicet fideles in ſuis cauſis adirent Epiſcopos, eorumque ſententiæ acquieſcerent. Nam aliquot poſt ſæculis D. Auguſt. queritur ſe quippe Epiſcopum, *tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotijs ſæcularibus, vel iudicando dirimendis vel interueniendo præcidendis, quibus nos moleſtijs*, inquit, *idem affixit Apoſtolus*. Reſpicit autem

De eadem exceptione ex nouo teſtamento.

Lib. de opere monachorum cap. 20.

tem Auguſtinus ad verba illa ad Corinth. quæ
1.Cor.6.1. ſunt huiuſmodi. *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis quoniam ſancti de mundo iudicabunt? & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis. Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis ſæcularia? ſæcularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.* Eſt autem Apoſtoli auctoritate ſancitum, vt lites & controuerſiæ, quæ inter Chriſti fideles extitiſſent, arbitrorum ſententia dirimerentur, ne forte de chriſtiani nominis exiſtimatione aliquid deperiret, ſi adeo pauper eſſe crederetur Eccleſia vt nullos haberet, qui cauſas eorum diſceptare poſſet: neue inter illos aduerſæ voluntates aut lites eſſe deprehenderentur, quorum lex mutuæ charitatis vinculo potiſſimùm contineri paſſim prædicaretur: aut tandem ne vexarentur Chriſtiani ab iniuſtis iudicibus & Chriſtiani nominis inimicis, qui contemptoribus idolorum quacumque ratione incommodare poſſent, maximè vellent. Quæ ergo ſanctio Apoſtoli iuſſu recepta Eccleſiarum praxi vſurpabatur decurſu temporis, poſtquam Chriſti legem integræ ſuſcepêre prouinciæ tranſlatis ad laicos laicorum iudiciis obſoleuit. Illud tamen ſemper fixum fuit, vt quæ cauſæ, aut controuerſiæ, res, aut perſonas Eccleſiaſticorum attingerent, harum cognitio ad ſolos Epiſcopos, iudiceſque Eccleſiaſticos pertineret. Itaque Apoſtolus quodam loco ad Timotheum Epiſcopum ſcribens iudicij quidem formam præſcribit, ſi presbytero contingat crimen aliquod impingi, vt ſcilicet non minus quàm tribus, aut certè duobus

Digitized by Google

duobus teſtimoniū contra reum dicentibus admittatur accuſatio. *Aduerſus*, inquit, *presbyterum accuſationem noli recipere niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus*: iudicium autem hoc ad Epiſcopum pertinere non exprimit, quod in re ſatis explorata dubitationi locus non ſupereſſet. Hanc ergo iuriſdictionem in Eccleſiaſticas perſonas, de qua diſputamus, ne minima quidem ex parte violare tentet religioſus Princeps, ſibique perſuadeat optimo iure factum eſſe, vt à iudicum ſæcularium poteſtate eximerentur. Nam cum præcipui actus Eccleſiaſticæ poteſtatis ſint doctrinam ſalutarem proponere, vitia arguere, virtutum officia commendare, & ſi opus ſit imperare; peccantes item corrigere, contumaces plectere, abſoluere pœnitentes, obſtinatos ac rebelles anathematum reliquarúmque cenſurarum mucrone ferire: non poſſent iſta ea qua par eſt dignitate, & auctorite præſtari, ſi qui in ſpiritualibus negotiis ſuperiores, & iudices futuri ſunt, iidem in reliquis laicæ poteſtati ſubderentur. Nonnunquam etiam accideret, vt quæ præſtanda eſſent, penitus omitterentur, ſi aliqua timeretur offenſio, aut remiſsè, & languidè exercerētur: & vt qua par eſt conſtantia, & ſedulitate præſtarentur, contemnerentur nihilominus functiones illæ, earumque adminiſtri, ab iis ſaltem quorum poteſtati ſubiecti eſſent: quod vtinam corrupti hominum mores temporáque quibus viuimus minus frequentibus exemplis rem ita vt dicimus ſe habere, non oſtenderent. Tim. 5.1.

Sed iam de immunitate à tributis verba faciamus. Huius autem multa in ſcriptura reperiuntur exempla, Principum etiam barbarorum, qui licet *De immunitate à tributis.*

licet veræ religionis lumine carerent, exiſtimabant nihilominus æquum non eſſe vt ſacerdotes tributi penſitatione, ſicut reliqua populi pars oneraretur; imo nonnulli eorum publici ærarij impenſis eos alendos putabant: nam cum pro vniuerſo populo apud Deum quaſi ſequeſtres quidam agerent, publicámque totius Reipublicæ cauſam apud Deum precibus ſacrificiíſque iuuarent, publicis etiam expenſis ſuſtentandi videbantur. Ita apud Ægyptios ſub Pharaone populus bona ſua vniuerſa diſtrahere coactus eſt,
Geneſ.47. 20. cum fames ingruiſſet, *vendentibus ſingulis* (Ioſeph Ægypti gubernatori) *poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis*, adeo vt omnia Ægyptiorum latifun-
Ibidem. dia pecuniis regiis emerentur *præter terram ſacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas.* Quanta verò quamque prolixa fuerit Artaxerxis Perſarum Regis in Iudæos ſacerdotes liberalitas, illius de-
1. Eſd.7. 21. clarat edictum, quod eſt huiuſmodi. *Ego Artaxerxes Rex ſtatui atque decreui omnibus cuſtodibus arcæ publicæ, qui ſunt trans flumen, vt quodcunque petierit à vobis Eſdras ſcriba legis Dei cœli, abſque mora detis, vſque ad argenti talenta centum, & vſque ad frumẽti coros centum, & vſque ad vini batos centum, & ſal verò abſque menſura. Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne forte iraſcatur contra regnum Regis, & filiorum eius. Vobis quoque notum facimus de vniuerſis ſacerdotibus, & Leuitis & cantoribus, & ianitoribus, Nathinæis, & miniſtris domus Dei huius, & vectigal, & tributum & annonas, non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.* Hæc pietas Ethnicorum Principum in

cos

Digitized by Google

eos etiam prolixè liberalis à quorum religionibus abhorrebant: quam non fruſtra ſacris litteris conſignari voluit Dominus ad eorum damnandam auaritiam, qui quidquid in Clericos, Deóque dicatos homines pia antiquitas liberaliter erogauit, per Reipublicę detrimenta parum conſultè effuſa decernunt, & cum Rempub. tractant immunitates haſce quantũ poſſunt accidere tentant, & minuere. Atque hæc, vt diximus, gentilium exempla ſunt. Apud Hebræos autem tantum abeſt, vt ſacerdotes, aut Leuitica tribus, Principibus tributa penderent, vt potiùs ipſis primitiæ traderentur, & decimæ frugum, & animaliũ, vt habemus ex libro Numerorum, in quo Num. 18. 20. iſta legimus. *Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis* (loquitur de Leuitis) *nec habebitis partem inter eos. Ego pars, & hæreditas tua, in medio filiorum Iſraël. Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et paulo poſt. *Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas* Ibid. num. 24. *in vſus eorum, & neceſſaria ſeparaui.* Adde, quod cum præcepiſſet Dominus in cenſu populi ſingula cenſitorum capita dimidium ſicli pendere; tamen Leuitica tribus vniuerſa immunis fuit, quia illius numerus per cenſum initus non eſt. *Quando tuleris*, inquit Dominus, *ſummam filiorum Iſ-* Exod. 30. 11. *raël, iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars ſicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis & ſupra, dabit pretium. Diues non addet ad medium ſicli, & pauper*

Digitized by Google

nihil minuet. Cum verò adeo exactè colligi tributum hoc vellet Dominus, vt nec paupertatis quidem haberetur ratio, quominus quis quod imperabatur perſolueret; Leuitas tamen exemit. Nam cum populus vniuerſus recenſendus eſſet,
Num. 1. 48. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Tribum Leui noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filijs Iſraël*; ex quo factum eſt vt etiam ab illius tributi penſitatione ſeruarentur immunes. Sed dicat fortaſſe aliquis, mirum non eſſe ſi Leuitico generi conceſſum eſt, vt à tributorum ſolutione eximerentur, cum cæteris filiis Iſraël pauperiores eſſent, quippe qui nullas habebant poſſeſſiones in terra promiſſionis: quare dicitur in Deuter.
Deut. 10. 9. *Non habuit Leui partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis, quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt.* Et in
Ioſ. 13. 14. libro Ioſuë legimus, *Tribui autem Leui non dedit poſſeſſionem, ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſraël, ipſa eſt eius hæreditas, ſicut locutus eſt illi.* Sed non ſunt hæc ſcripturæ teſtimonia, ita accipienda, quaſi nullos agros licuerit Leuitis poſſidere; ſed ita loquitur ſcriptura, quia in partitione terræ Chanaan, quam Iſraëlitis Dominus conceſſit, non erant cum reliquis tribubus vrbes, & agros ſortituri. Cæterum & vrbes proprias habuerunt ad habitandum, & ſuburbana, poterántque agros & vineas emere, aut à Dominis relictas poſſidere. Clariſſimis ex ſcriptura locis id
Num. 35. 2. euinci poteſt. In Numeris dicitur: *Præcipe filijs Iſraël, vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum, quæ à muris ciuitatum forinſecus per circuitum mille paſſuum ſpatio tendentur.* De Leuitarum etiam domibus, & poſſeſſionibus mentio eſt in Leuitico, cum dicitur,

Digitized by Google

dicitur, *Ædes Leuitarum quæ in vrbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi: ſi redempta nõ fuerint, in Iubilæo reuertentur ad Dominos, quia domus vrbium Leuitarum pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſraël, ſuburbabana autem eorum non veneant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt.* Et domos ergo, & agros poſſidere poterant. Rurſus Leuitici cap. vltimo, de eo qui vouerat Deo agrum dicitur, *Quod ſi voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ, & poſſidebit eum; ſin autem noluerit redimere, ſed alteri cuilibet fuerit venundatus, vltra eum qui vouerat redimere non poterit, quia cum Iubilæi venerit dies, ſanctificatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet ſacerdotum.* Senſus ergo legis eſt, ſi quis agrum Domino vouerit, integrum ei ſit poſtquam ſacerdos illum æſtimauerit, addita quinta parte taxati pretij redimere: quod ſi redimere noluerit, diſtractúſque fuerit ager, & illum dato pretio aliquis ſuum fecerit: cum Iubilæi annus recurrerit, quo tempore poſſeſſiones ad antiquos Dominos redeunt, iam pertinebit ager ille ad ſacerdotes omni primi poſſeſſoris iure in agrum illum extincto. Itaque non ægrè Domini auctario illo pretij res ſuas recuperabant, ne illas in perpetuum amitterent. Vt autem lege poſſeſſio agrorum ſacerdotibus & Leuitis concedebatur, ita eoſdem poſſeſſiones habuiſſe ex ſcriptura docere poſſumus. Nam Abiathar ſacerdos, & Ieremias propheta, qui etiam ſacerdos fuit, agrum poſſediſſe dicuntur in Anathoth, illi enim legimus in Regum hiſtoriæ dictum fuiſſe à Salomone Rege, *Vade in Anathoth ad agrum tuum:* hic verò ſe agrum à patruele ſuo emiſſe teſtatur, cum ita ſcribit, *& emi agrum ab Hanameel filio pa-*

Leuit. 25. 32.

Leuit. 27. 19.

3. Reg. 2. 18.

Ierem. 32. 9.

Digitized by Google

trui mei, qui eſt in Anathoth, & appendi ei argentum centum ſtateres, & decem argenteos, & ſcripſi in libro, & ſignaui, & adhibui teſtes, & appendi argentum in ſtatera; & accepi librum poſſeſſionis ſignatum, & ſtipulationes, errata & ſigna forinſecus. Porrò Ieremiam fuiſſe ſacerdotem ex initio prophetiæ illius habetur, quæ ſic incipit. *Verba Ieremiæ filij Heluiæ, de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth in terra Benjamin.* Nec fuit, vt quidam voluerunt, ager ille Ieremiæ hortus olitorius iuxta domum, nam & Hebraica vox agrum ſignificat, qui ſubigitur aratro, & illa agri emptione propoſitum erat Domino oſtendere quid futurũ eſſet, vt ſcilicet agri venderentur, & emerentur, quod non ſatis commodè intelligi potuiſſet, ſi quem emit Ieremias verus ager non fuiſſet. Tandem in actis Apoſtolorum dicitur de Barnaba, *Ioſeph autem qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.* Ex his autem, quæ attulimus, colligitur adeo non fuiſſe pauperes Leuitas, vt potius eſſent multo quàm reliquus populus opulentiores, & ditiores. Nam cum vix eſſent ſexageſima populi totius pars, decimam tamen frugum partem, animaliúmque percipiebant, primitias etiam, plurimáſque populi oblationes, quibus largè ſuſtentari poſſent. Non exceſſiſſe autẽ ſexageſimam partem populi, conſtat ex cenſu, nam cum de reliquis tribubus numeratis ſermo eſt, dicitur, *Hic numerus filiorum Iſraël per domos cognationum ſuarum, & turmas diuiſi exercitus, ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Leuitæ autem non ſunt numerati.* Cum verò Moſes in deſerto Sinaï iuſſus eſt inire Leuitarum

Jerem. 1. 1.

Act. 4. 36.

Num. 2. 32.

rum

tum cenſum, omnium maſculorum numerus infantibus etiam computatis, viginti duorum millium ſummam non exceſſit, dicente ſcriptura. *Omnes Leuitæ, quos numerauerunt Moſes, & Aaron iuxta præceptũ Domini per familias ſuas in genere maſculino à menſe vno, & ſupra fuerũt vingenti duo millia,* Num. 3. 39. reliquus verò Iſraël ita numeratus eſt, vt eorũ qui vigeſimum annum non attigerant, aut expleuerant, nulla habeteretur ratio, nec ſumma iniretur: dicitur enim eodem libro: *Tollite ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſraël per cognationes, & domos ſuas, & nomina ſingularum, quidquid ſexus eſt maſculini, à vigeſimo anno, & ſupra omnium virorum fortium ex Iſraël.* Num. 1. 2. His ergo ſi addas pueros & ſenes ſummam proculdubio efficies duplo maiorem, cuius ferè ſexageſimam partem fuiſſe Leuitas ſupputanti conſtabit. Porrò Chriſtianorum clerus (vt cum eo Leuitarum numerum conferamus) maior fortaſſe eſt, cum nulla ferè domus quæ paulo amplior ſit Eccleſiaſtico aliquo viro, nullus pagus vno templo careat, aliquando verò alterum etiam habeat & tertium, in quo ſæpenumero ſacerdotes nonnulli ſacris operantur: Adde Cænobitarũ familias ſanè frequentes, quæ plurimis Monaſteriis, & domibus ingentem religioſorum multitudinem alunt, quorum opera Eccleſiæ Dei vtiliſſima eſt, nam partim iratum peccatis noſtris numen precibus propitiant, quod ſanè cogitaret *vt diſperderet nos,* ſi non ſancti hi viri, *electi eius ſtarent in confractione,* Pſalm. 105. 23. cum ſcilicet pœnarum exercitibus, peccatorum vindicibus admotis labantia & confracta infirmitatis noſtræ mænia fatiſcerent ac ſoluerentur, *niſi ſtarent in conſpectu eius, vt auerterent iram eius ne diſperderet*

nos. Partim rudes, litteras chriſtianæ que doctrinæ rudimenta docent, contra hæreſum monſtra pugnant, concionibus adhortationibúſque populum ad pietatem officiúmque faciendum excitant, confeſſionibus peccatorum audiendis animas expiant, aliiſque chriſtianæ charitatis, & pietatis operibus ſe exercent, quibus mirum quantum reipublicæ vniuerſæ cõmodant. Quàm multi verò quod debent Eccleſiaſticis viris ſiue decimæ ſint, ſiue quid aliud, malignè ſoluunt, quàm multa detrahunt, interuertunt, quàm frequenter Principibus concedunt Pontifices, vt Eccleſiæ reddituum bonam aliquam partem in ſuos vel Reipublicæ vſus conuertere poſſint? Quæ omnia ſi prudenter ſuis momentis expendere voluerimus; percipiemus quam iniuſtè faciant ij, qui Eccleſiam diuitiarum nomine vocant in inuidiam, quorumvoces illius vocibus conſentiunt,
Matth. 26.8. qui dicebat: *Vt quid perditio hæc? potuit enim iſtud venundari multo, & dari pauperibus.* Vt enim hic pretioſum illud vnguentum in Chriſti caput effuſum, quaſi pauperes illi cordi eſſent, ægrè ferebat, ita his dolent oculi, quod chriſtiani populi pietate, virorúmque principum munificentia liberali, myſticum Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia, aliquas opes nactum ſit, quas tamen ipſemet Chriſtus ſequentibus ſe pollicitus eſt cum
Matth. 19.29. dixit? *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* quod centuplum de bonis etiam in hac vita accipi debet, cum expreſsè di-
Marc. 10. 30. cat D. Marcus: *Accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Quod autem

tem Dominus ipſe per ſe promiſit Eccleſiæ, multo ante prædictum eſt à Prophetis, præſertim ab Iſaia, cuius illud eſt vaticinium; *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Isai. 49. 23.
Qui verò Regum gazis aluntur, & nutriuntur, pauperes, & malè habiti eſſe nõ poſſunt. Sed rurſus Iſaias populorum multitudinem ad chriſtiana ſacra conuolantẽ deſcribens, diuitiarum etiam meminit, quibus Eccleſiam locupletabunt. *Tunc,* inquit, *videbis & afflues & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorũ operiet te, dromadarij Madian, & Epha, omnes de Saba venient aurum & thus deferentes: & laudem Domino annuntiantes.* Et paulo poſt. *Me enim inſulæ expectant, & naues maris in principio, & adducam filios tuos de longè, argentum eorum, & aurũ eorum cum eis* offerendum ſcilicet, *nomini Domini Dei tui, & ſancto Iſraël, quia glorificauit te.* De diuitiis etiam Eccleſiæ illud accipiendum eſt, quod apud eundem Iſaiam legimus: *Et ſtabunt alieni & paſcent pecora veſtra, & filij peregrinorum agricolæ & vinitores veſtri erunt. Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis,* id eſt vt vertentes explicant Septuaginta, *eritis admirabiles.* Et paulo poſt. *Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit eis.* Hactenus ex ſcripturis veteris teſtamenti probauimus non modò apud Hebræos, ſed etiam apud Principes, & Reges aliquos, quorum mentio in Sacris litteris habetur, à tributorum penſitatione exemptum fuiſſe ſacerdotale genus. Nunc antequam ad alia

Iſa. 60. 6.

Ibid. n. 9.

Iſa. 61. 5.

Ibid. n. 7.

Digitized by Google

tranſeamus, ex dicto Chriſti, quod habemus apud S. Matthæum, quomodo idem probetur, videamus. *Cum veniſſet*, inquit, *Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei. Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait etiã. Et cum intraſſet domũ, præuenit eum Ieſus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum. A filiys ſuis, an ab alienis? & ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Ieſus: Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me, & te.* Ex hoc ergo teſtimonio ſatis apertè colligitur Clericos, qui ſunt filij, & domeſtici Dei, à ſolutione tributorum immunes eſſe debere, nam Chriſtus ſoluit quidem didrachma, ſed tamen addidit, *ne ſcandalizemus eos*, non ſoluturus ſi collectorum illorum ſcandalum abfuiſſet. Deinde ſi ipſe, & eius diſcipuli Eccleſiæ, Clerique primitiæ, ad tributi penſionem tenebantur, cur non pro omnibus ſoluit, ſed tantùm pro ſe, & Petro? Adde quod Chriſtus aſſeruit filios Regum eſſe liberos à tributo, aut hoc nomine cunctos ſignificans Apoſtolos, aut ſe ipſum tanquam æterni Regis Dei filium? quomodocumque autem id intellexerit, ſemper ſequitur immunes à tributis eſſe debere Apoſtolos, eorúmque ſucceſſóres, Clericos. Nam ſi filij ſunt Regis, propterea liberi ſunt, quia filij: ſi verò Chriſtus Regis filius eſt; adhuc Apoſtoli liberi, quia in bene cõſtituta republica Regũ familiares ac domeſtici, à tributis ſoluendis eximuntur. Adde Dominum non ex loculis ad ſuorũ victum deſtinatis didrachma ſolui voluiſſe, ſed aliunde pecuniam

Matth. 17.23.

cuniam parauiſſe, vt indicaret Eccleſiæ bona in Principum tributa conuertenda non eſſe.

Sequitur vt de iure Aſyli dicamus aliquid. Aſylus autem dicitur locus à quo quis abſtrahi ſalua religione non poteſt, etiam ſi criminis alicuius reus ſit. Apud Hebræos, vt habemus in libro Ioſue, ſex ciuitates diuino iuſſu conſtitutæ ſunt, ad quas ij ſe reciperent; qui per imprudentiam aliquem interfeciſſent. Hi enim ſi ſenioribus ciuitatis illius innocentiam ſuam approbaſſent, legis eius beneficio aduerſus ſanguinis vindices, & inſectatores protegebantur, quorum dolori indulgebatur, vt ſi homicidam illum extra Aſyli Ciuitatem nacti eſſent, impunè poſſent occidere. Sunt autem diuina lege refugij ciuitates inſtitutæ, vt innocentiæ eorum qui inuoluntariam cædem patraſſent, præſidium aliquod præſtaretur. Deinde vt rixarum, cædiumque, quibus Reſpubl. turbatur, materia, dolore eius qui propinquum aliquem amiſiſſet ſubtraheretur, ſuperſtite propinquo, & homicida in diuerſa loca diductis. Vt autem facilius ad iſtas ciuitates aditus pateret; tres ex illis vltra, reliquæ verò tres citra Iordanem, conſtitutæ ſunt, æqualibus inter ſe ſpatiis diſtantes, ſiue quæ cis Iordanem erant, inter ſe compararentur, ſiuè cum illis, quæ vltra Iordanem erant. Quamuis enim pars illa terræ promiſſionis, quæ trans fluuium erat, anguſtioribus finibus coërceretur, ita tamen diſpoſitæ erant vrbes, vt reſpectu prouinciæ totius, quam Iordanis interfluebat, æquè diſtarent inter ſe ſe, eſſetque homicidiis vtriuſque regionis integrũ, ad quam voluiſſent, opportunioremque ſibi credidiſſent, ciuitatem confugere. Ita enim locus Deuteronomij acci-

De iure Aſyli.

Ioſue 20. 1.

Deut. 19. 7.

piendus eſt,in quo dicitur: *Præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter ſe ſpatij diuidas:* quod clarius
Ibid.n.3. paulo ante dictum fuerat eodem libro, *In tres æqualiter partes totam terræ tuæ prouinciam diuides, vt habeat è vicino, qui propter homicidium profugus eſt, quo poſſit euadere.* Si enim peccatis Iſraëlitarum non impedientibus vniuerſam promiſſam terram ſuæ ditionis feciſſent, iam nouem, non ſex tantùm futuræ erant ciuitates refugij, plures pro ampliori Prouinciæ ſpatio, ternæ ſcilicet in qualibet tripartitæ illius regionis portione. Erant porro editis ferè, & conſpicuis in locis ſitæ, vt vel ignaris viarum, facilius ad illas liceret adſpi-
Ioſ.20.7. rare. Nam vt dicitur indicato Ioſue loco; *Decreuerunt Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipſa eſt Hebron in monte Iuda. Et trans Iordanem contra orientalem plagam Iericho, ſtatuerunt Boſor, quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudine de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaubon in Baſan de tribu Manaſſe.* Sola
Deut.19.3. autem Boſor in planitie ſita erat, patente tamen loco, ita eminens vt conſpici facilè poſſet. Viæ autem quæ ad vrbes iſtas ducebant, commodè ſtratæ, complanatæque erant, iuſſu Domini: imo iuxta quorumdam auctorum ſententiam, ſubinde in biuiis, aut triuiis fixi erant ſtipites, aut columellæ, vt itinerum erroribus occurreretur, illorumque indicio dirigerentur, & quaſi manu ducerētur, qui ad eas confugere opus habuiſſent. Nec ciuibus tantum, & Hebræi ſanguinis hominibus, ſed quibuſcumque etiam peregrinis concedebatur, vt cum ſe poſt cædem ad illas reducerent, ſalui eſſe poſſent, vt in Numerorum libro apertè dicitur. Tandem ſex iſtæ Ciuitates inter

quadra

quadraginta octo oppida numerantur, quæ Leuitis ad habitandum obtigerunt, vt Ioſue caput vigeſimum primum percurrenti conſtare poterit, vt non omnino profanum, & ciuili tantum lege conſtitutum, ſed Sacerdotum etiam, & Leuitarum, qui illic habitabant, præſentia verendum aſylum illud redderetur. Erat autem proſcriptio hæc & exilium homicidarum, aliquando diuturnius, aliquando contractius, pro ſummi Pontificis vitæ breuitate, aut prolixitate. Statutum enim erat vt cum ipſe è viuis exceſſiſſet, fas cuilibet profugo eſſet, patrios lares impunè repetere. Id autem datum vel publicæ hilaritati, vt nouo ſummo Sacerdote Pontificatum ineunte, exules denuo in cõmuni gratulatione ſuis pœnatibus redderentur: vel ita inſtitutũ, vt ab homicidio quàm maxime Iſraelitæ abſterrerentur, ſi cogerentur ij, qui humano ſanguine manus imbuiſſent, tamdiu extra patriam agere, dum ſuperſtes is eſſet, quem in terris, Dei primarium interpretem, & diuinæ maieſtatis perſonam quodam modo ſuſtinentem agnoſcerent: quaſi ſceleris ſui diritate ab eius conſpectu, interim dum temporis longinquitate noxam abſtergerent, arcerentur. Quod ſi alicui lex iſta parum æquitati conſentanea videtur, quod fieri poſſet, vt quis in pari crimine, breue toleraret exilium, alius verò multo diuturnius, prout tempus patratæ cædis, à tempore mortis ſummi Sacerdotis, parum aut multum recederet: animaduertat oportet, hanc eſſe conditionem earum pœnarum, quæ ſortem aliquam habent ad mixtam, vt vno aut altero, pluribúſve; pœnalem illam legem patientibus, aliqui, aut multi ſortis beneficio impunitatem conſequantur,

Digitized by Google

tur, vt accidit in militari pœna apud Romanos olim vſurpata, qua cum in commune aliquid ab aliqua legione aut exercitu peccatum eſſet, decimus quiſque capite truncabatur, cæteris impunè dimiſſis. Atque hæc de ſex Ciuitatum Aſylo dicta ſint. Sequitur vt videamus, an iis, qui ſe ad cornu altaris applicuiſſent; illúdque tenuiſſent, impunitas Aſyli iure concederetur. Sunt qui negant. Et ſanè in ſcripturis nuſquam diſertè lex ponitur, qua hoc ſtatuatur. Coniecturis tamen veterem morem veſtiganti, nonnulla occurrunt, quibus probabiliter confici poſſe videtur, certis quibuſdam ſontibus exceptis, aliis ius ex recepta ſaltem conſuetudine fuiſſe, vt inde auelli, & ad ſupplicium rapi non poſſent. Id primò indicat exceptio

Exod. 21. 14. illa quæ eſt in Exodo. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur:* quaſi dicat, voluntaria cæde polluto nihil proſit loci ſanctitas, quæ alios tueri

3. Reg. 2. 28. ſolet. Deinde idem confirmat factum Ioab ſub Salomone Rege, qui cum cædis duorum inſignium virorum reus eſſet, ingreſſus tabernaculum, altare Domini, apud quod reliqui ſontes ſalui eſſe conſueuerant, eo conſilio tenuit, vt ſibi pararet impunitatem. Sed eum Salomon de medio tolli iuſſit, quod meditatæ cædis reus, religione loci, iuxta Exodi recitatam legem, tutus

1. Mach. 10. 43. eſſe non poſſet. Tandem Demetrius Rex in Machabæorum hiſtoria, cum ſibi Iudæorum voluntates conciliare ſtuderet, illud inter cætera, in loci, & gentis illius gratiam conceſſit, *vt quicumque confugerent in templum quod eſt Ieroſolymis, & in omnibus finibus eius obnoxij regi in omni negotio dimitterentur.* Id autem propterea à Rege videtur indultum,

dultum, vt hac ratione Iudæis oſtenderet ſe illorum religionibus fauere velle, quas ſartas tectas conſeruaret, aut etiam ſuo priuilegio, eorum cauſa amplificaret. Cur autem æquum fuerit in ædibus ſacris, locíſque diuino obſequio deſtinatis aſyla conſtituere, haud ſanè difficile occurret ratio animum adiicienti. Nam ſi apud Gentiles, ij, qui depoſcebantur ad mortem ob ſcelus aliquod, ſi aram, ſi Dei ſimulacrum tenuiſſent, ſi denique ipſas aquilas ſignáque caſtrenſia amplexi fuiſſent, ſe religione tutabantur; eoſque inde abſtrahere per vim piaculum erat: nonne æquum fuit vero numini nihil minus venerationis impendi à Chriſtianis, quàm à gentilibus vaniſſimis illis commentîtiiſque diis tribueretur? Adde hoc eſſe diuinæ maieſtatis documentum, dum eius ædes & templa in quibus Deum veneramur, illique ſacra facimus apud nos ſacroſancta adeò habentur, vt illa violari credamus, ſi qui ad ea confugerint, vt tuti eſſe poſſint, in loci ſanctitate præſidium, noſtro vitio non inuenerint. Tandem pertinere poteſt ad rectam Reipubl. gubernationem, vt poſt patratas cædes incitati vindictæ libidine animi eorum, quorum intereſt, prius reſideant, & componantur, vt conſilio potius quàm impetu res peragatur. Hæc verò quæ diximus non de confugientibus dumtaxat ad templum, & loca ſacra vt aſyli iure gaudere poſſint, intelligenda ſunt, ſed de iis etiam, quæ in templis aliquando deponuntur, aut religioſis locis, vt pecuniis, & huiuſmodi, quæ proinde omnino tuta ſacrarum ædium reuerentia eſſe debent, nec per iniuriam inde abſtrahi poſſunt abſque ſacrilegio: ita apud Hebræos nefas eſſe putabant

quid

quidquam attingere eorum quæ templi cuſtodiæ credita fuiſſent, quare cum Heliodorus pecunias in templo depoſitas aſportare vellet, ita reſpondit
2. Mach. 3.12. ſummus Sacerdos. *Recipi eos qui credidiſſent loco & templo, quod per vniuerſum mundum honoratur, pro ſui veneratione, & ſanctitate omnino impoſſibile eſſe*, vel vt ex Græcò verti poteſt, *Iniuria affici eos, qui credidiſſent loci ſanctitati, & honorati per vniuerſum mundum templi venerationi, & integritati omnino difficile eſſe*. Et ſenſus eſt, magnam omnino templo irrogari iniuriam, iiſque qui pecunias in eo depoſuiſſent, ſi iis aſportatis intelligerent homines ſe deceptos, cum crediderunt nullum adeò futurum impium, qui auderet in pecuniam illam ſanctiſſimo loco creditam inuolare. Quod ſi templum Ieroſolymitanum ita Principes ſacrorum, Reges, vniuerſúſque populus venerabatur: videant Principes noſtri quanto maiorem Eccleſiis noſtris debeant reuerentiam; quæ longè ſanctiores ſunt; caueántque ne ſimiles fiant ſuperbo illi Nembrot, qui turrim illam ingentem excitans iuris ſui fines ad cœlum vſque protendere velle viſus eſt, cuius tamen Dominus conſilium diſiecit, operarum voces confudit, molitionémque operis interrupit, & ad perpetuam tantæ temeritatis infa-
Geneſ. 11. 9. miam locum illum *Babel*, id eſt, confuſionem appellari voluit, vt intelligant Principes debere ſe intra rationis gyrum ſuas coërcere cupiditates, nec vlla affulgente lucri ſpe, alteriúſve commoditatis, quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, ſibi per iniuriam vindicare. Verum enim eſt quod dicitur in
Prou. 20. 25. in Prouerbiis, *Ruina eſt homini deuorare ſanctos*, vel vt ex Hebræo verti poteſt, *laqueus eſt homini deglutire ſanctum*: quod tunc Principibus accidit, cum aurum

Digitized by Google

aurum Eccleſiæ auidè ſitiunt; à quo ſi non abſtinent fit illis *menſa*, quæ talibus cibis inſtruitur, *coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & ſcandalum.* Quamuis enim fortaſſe dum occupantur, *ingrediantur blandè, & dulce ſit in ore eorum malum*, tamen non multo poſt, *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus. Diuitias quas deuorauerat euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus. Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Non videbit riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri. Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur, iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum ſic & ſuſtinebit: quoniam confringens nudauit pauperes, domum rapuit, & non ædificauit eam. Nec eſt ſatiatus venter eius, & cum habuerit, quæ concupierat, poſſidere non poterit. Non remanſit de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis eius, cum ſatiatus fuerit, arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum.* Hæc enim multáque alia mala, quæ capite illo enumerantur, impios manent, & Eccleſiaſticorum bonorum voratores, qui quoniam pauperibus, Eccleſiiſque benignè facere noluerunt, *diligentes militiam ſuper benignitatẽ omniaque verba præcipitationis*, velut ex Hebræo verti poteſt, *Deuorationis, propterea Deus deſtruet eos in finem, euellet & emigrabit eos de tabernaculo ſuo, & radicem eorum de terra viuentium.* Quod vtinã intelligant impij vt corrigantur, videant etiam iuſti, & timeant, vt in officio contineantur! Tandémque meminerint Principes Pontificiis legibus munita eſſe iura ſacerdotum, additis etiam in violatores grauibus cenſuris: quas diras execrationeſque Sacerdotales qui parum formidant, aut etiam, quod deterius eſt, penitus aſpernantur, videant ne ſibi graue aliquod malum diuinitus

accer

Pſal. 68. 23.
Iob 20. 12.
Ibid. n. 14.
Pſal. 51. 5.

Digitized by Google

acceſſant: quod Hieli de Bethel in ſimili cauſa videtur accidiſſe, nam cum Ioſue Ierichuntina mœnia ſolo æquaſſet,& imprecatus eſſet,dicens,
Ioſ.6.26. *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauerit, & ædificauerit Ciuitatem Iericho, in primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius:* aggreſſus tamen eſt auſu planè temerario muros illos moliri, & portas aperire, & vrbem inſtaurare, quo facto minas à Ioſue, quanquam non Pontifice, viro tamen ſancto, & numine pleno pridem intentatas,conuertit in caput
3.Reg.16.34. ſuum, dicitur enim in Regum hiſtoria. *In diebus illis ædificauit Hiel de Bethel Iericho, & in Abiram primogenito ſuo fundauit eam,& in Segub nouiſſimo ſuo poſuit portas eius, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ioſue filij Nun.*

De liberalitate, & munificentia Principis in Eccleſias, & res ſacras.

CAPVT VI.

Exemplis oſtenditur quãta eſſe debeat Chriſtiani Principis in Eccleſiã liberalitas.

1 MAximè decet Principem in rebus, quæ ad Diuinum cultum pertinent, cuiuſmodi ſunt templa, veſtes Sacerdotales,vaſa ſacra, cænobitarum domicilia, liberalem eſſe, ac munificum: cum enim hæc omnia ad Dei honorem referantur, per quem Reges regnant, ratio gratitudinis exigit, vt cui omnia debent, aliqua ſaltem in illius cultum liberaliter erogando,rependant.

Prou.8.15.

Digitized by Google

dant. Huius liberalitatis occaſionem Iſraëlitarum Reipubl. Principes, populuſque nacti ſunt, cum Dominus per Moyſen populi ducem, velle ſe apud eos figere tabernaculum ſignificauit, ac propterea cupere, vt ſibi iuxta modulum præſcribendum, de populi oblationibus voluntariis ſanctuarium excitaretur. *Locutus eſt enim Dominus ad Moyſen dicens: Loquere filijs Iſraël, vt tollant mihi primitias ab omni homine qui offert vltroneus, acciepitis eas. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis. Aurum & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelléſque ianthinas, & ligna ſethim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris, lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod, ac rationale, facientque mihi ſanctuarium. & habitabo in medio eorum.* Igitur Moſes Domini placitum populo in vnum coacto enuntiat, cuius tantum fuit in conferendis quæ requirebantur, ardor & ſtudium, vt cum nullus eſſet modus donorum voluntariorum (quæ, vt ſcriptura loquitur, *Obtulerunt mente puriſſima atque deuota*) præconis voce populo edicendum fuit, vt à congerendis oblationibus abſtinerent, *Iuſſit ergo Moyſes*, inquit, *præconis voce cantari. Nec vir nec mulier quidquam offerat vltra in opere ſanctuarij. Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis, eo quod oblata ſufficerent, & ſuperabundarent.* Eximiam hanc Reipubl. vniuerſæ Hebræorum liberalitatem, multis poſt annis ſecuti ſunt Cyrus & Darius Perſarum Reges, Ethnici illi quidem, & à Iudæorum religione abhorrentes, ſed tantæ in eorum ſacra, templumque excitandum, religionis, & pietatis, vt vel hæc Regum iſtorum exempla Principes

Exod. 25. 1.

Exod. 35. 20.

Exod. 36. 6.

Digitized by Google

omnes qui in Eccleſiam adſtrictiores ſunt pude-
1.Eſdr.1.1. facere poſſit,& officij ſui admonere. Nam Cyrus
populo Iudæorum non ſolùm poteſtatem fecit
patrios lares repetendi, templique ruinas inſtau-
randi, ſed etiam ex theſauris ſuis auream, argen-
teámque ſuppellectilem, quam Nabuchodonoſor
Rex olim abſtulerat,depromẽs,reſtituit,vaſa par-
tim aurea,partim argentea ad quinque millia,Iu-
dæorũ verò capita ſupra quadraginta millia è re-
gno ſuo dimiſit,quibus etiam cõceſſit,vt ſarcinas
ſuas diuitiis graues auehere poſſent, greges & ar-
menta liberè abducere, & vt vrbis mœnia moliri,
domos excitare, terrámque ſuam, quâ tot annos
caruerant, inter ſe partiri,eámque poſſidere lice-
1 Eſdr.6.8. ret, edicto regio cauit. Sed Cyro ex humanis
ſublato, cum hoſtium ſuorum calumniis apud
Perſarum Reges traducti ædificationem templi,
quam fuerant aggreſſi,promouere amplius Iudæi
non poſſent, tandem Dario rei geſtæ veritatem
edocto,non tantum placuit templi inchoati con-
ſtruendi facere poteſtatem,ſed ſumptus etiam ex
Regio ærario ſuppeditare, vt ſibi regnóque ſuo
propitium haberet Deum Iudæorum, vt ipſemet
ſcripſit ad Satrapas ſuos, qui regiones illas cum
imperio obtinebant. Imò & vitulos,& agnos, &
hædos, & quidquid opus eſſet ad ſtata ſacrificia
largè ſuppeditari iuſſit, capitali pœna iis propoſi-
ta,qui regiæ voluntati reſiſtere auſi fuiſſent. Legi
poſſunt locis indicatis Regum edicta,quæ nullus
dubitare poſſit diuinæ prouidentiæ conſilio ſa-
crarum litterarum monumentis conſignata ad
nos perueniſſe, vt tam prolixa barbarorum Prin-
cipum, & à Iudæorum ſacris alienorum, liberali-
tas eorum argueret impietatem, qui cum Chri-
ſtum

Digitized by Google

ſtum induerint per baptiſmum, illiúſque fidem, ac legem profeſſi ſint, adeo tamen liberales vt barbari illi non ſunt in Eccleſiam, eiuſque Sacerdotes, ac miniſtros, vt potiùs ægrè ferant aliquibus acceſſionibus illorum augeri bona, quantumque illis tribuitur, tantum ſibi detrahi putent, quaſi Dominus, in cuius manu *diuitiæ, & gloria,* longè amplioribus diuitiis Principes locupletare non poſſit. Quamuis enim pſeudopolitici non intelligant, quippe *cæci ſunt, & duces cæcorum,* fit tamen frequenter vt pij Principes, qui ſumptibus non parcunt, vt foueant miniſtros Eccleſiarum, templaque diuino cultui dicata ſuis donariis ornēt, quique nihil habent vera religione antiquius, occultis augeantur incrementis, floreant diuitiis, regna regnis addant, Prouincias Prouinciis, cum interim ſapientes illi, qui iacturam ſe ingentem facere putant, ſi quid ad Eccleſiaſticos homines populorum pietate deriuetur, aut bellis continentibus vexati, aut aliis malis diuinitus immiſſis attriti, æraria exhaurire, & longo tempore collectas opes effundere cogantur, auaritia in Deum paupertatem illis ſummam conciliante. Sed iam aliquid de Dauide dicamus, eiuſque filio Salomone, quorum alter ſumptus ad templum excitandum neceſſarios præparauit, alter congeſtas diuitias liberaliſſimè effundens, templum amplitudine maximum, deſcriptione elegantiſſimum, ſacra ſuppellectile aurea, argenteaque inſtructiſſimum fabricatus eſt, de quo quia plurimi plurima ſcripſerunt, paucula ego quædam delibabo, quæ ad rem noſtram faciant, ad oſtendendam ſcilicet ingentem Regum iſtorum magnificentiam, quæ ſanè tanta fuit, vt omnem admi-

Prou. 3. 16.

Digitized by Google

rationem ſuperet. Illi enim magnitudinem expenſarum non ex ærarij tenuitate penſabant, ſed ex Dei ſumma dignitate, cui templum parabatur, ex quo fiebat, vt maximis etiam aggeſtis diuitiis, ſe tamen tanto muneri, quale mente pręceperant, impares eſſe ſentirent. Hinc ſanctus Dauid de templo à Salomone ædificando verba faciens,

1. Paral. 29. 1. *Opus grande eſt*, inquit, *neque enim homini praparatur habitatio, ſed Deo. Ego autem totis viribus meis praparaui impenſas domus Dei mei.* Et Salomon, *Domus*, inquit, *quam adificare cupio, magna eſt, magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes Deos: quis ergo poterit praualere, vt adificet ei dignam domum?* Præparandæ verò materiæ ſtudium quantum fuerit in

2. Paral. 2. 5.

1. Paral. 22. 2. Dauide, patet ex libris Paralipomenon, *nam pracepit vt congregarentur omnes proſelyti de terra Iſraël, & conſtituit eis latomos ad cadendos lapides, & poliendos, vt adificaretur domus Dei, ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & ad commiſſuras, atque iuncturas praparauit Dauid, & aris pondus innumerabile, ligna quoque cedrina non poterant aſtimari, qua Sydonij, & Tyrij deportauerant ad Dauid.* Salomonem itaque filium ſuum compellans, ita loquitur.

Ibid. n. 14. *Ecce ego in paupertate mea praparaui impenſas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, aris verò & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine, ligna, & lapides praparaui ad vniuerſa impendia.* Et alibi. *Ego autem*, in-

1. Paral. 29. 2. quit idem Dauid, *totis viribus meis praparaui impenſas domus Dei mei, aurum & vaſa aurea, & argentum in argentea, as in area, ferrum in ferrea, ligna ad lignea, & lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnémque pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè, & ſuper hac qua obtuli in*

domum

domum Dei mei de peculio meo aurum, & argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem ſanctam. Tria millia talenta auri de Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi ad deaurandos parietes templi. & vbicumque opus eſt aurum de auro, & vbicumque opus eſt argentum de argento, opera fiant per manus artificum, & ſi quis ſponte offert, impleat manum ſuam hodie, & offerat quod voluerit Domino. Polliciti ſunt itaque Principes familiarum, & proceres tribuum Iſraël, tribuni quoque & centuriones & Principes poſſeſſionum Regis, dederúntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia, argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia, ferri quoque centum millia talentorum, & apud quemcumque inuenti ſunt lapides, dederunt in theſauros domus Domini per manum Abiel Gerſonitis. Hanc autem collectæ pecuniæ ſummam perdiligens harum rerum indagator Villalpandus, in ſuis ad Ezechielem commentariis redactam ad ſummam ducatorum Hiſpanicorum docet, Auream quidem effeciſſe mille ſexcentos tres, vt vocat milliones, & octingenta millia ducatorum: Argenteam verò mille ducentos, & octo milliones, & centum nonaginta ſex millia ducatorum. Quis autem Princeps vnquam tantam auri argentique vim in theſauris ſuis congeſtam habuit, ne poſt repertas quidē noui orbis ditiſſimas auri-fodinas, ex quibus ſuperiore, noſtróque ſæculo tantum auri in Europam inuectum eſt, quantum nuſquam (Iſraëliticis iſtis exceptis opibus) vidit antiquitas? Vt oſtendere voluiſſe videatur Dominus, cum regibus iſtis populoque quodammodo certaſſe, & quo ipſi plura, alacrioreque animo parabant offerre, tanto maioribus eos incremen-

rationem ſuperet. Illi enim magnitudinem expenſarum non ex ærarij tenuitate penſabant, ſed ex Dei ſumma dignitate, cui templum parabatur, ex quo fiebat, vt maximis etiam aggeſtis diuitiis, ſe tamen tanto muneri, quale mente prçceperant, impares eſſe ſentirent. Hinc ſanctus Dauid de templo à Salomone ædificando verba faciens,
1. Paral. 29. 1. *Opus grande eſt*, inquit, *neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. Ego autem totis viribus meis*
2. Paral. 2. 5. *præparaui impenſas domus Dei mei.* Et Salomon, *Domus*, inquit, *quam ædificare cupio, magna eſt, magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes Deos: quis ergo poterit præualere, vt ædificet ei dignam domum?* Præparandæ verò materiæ ſtudium quantum fuerit in
1. Paral. 22. 2. Dauide, patet ex libris Paralipomenon, *nam præcepit vt congregarentur omnes proſelyti de terra Iſraël, & conſtituit eis latomos ad cædendos lapides, & poliendos, vt ædificaretur domus Dei, ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & ad commiſſuras, atque iuncturas præparauit Dauid, & æris pondus innumerabile, ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sydonij, & Tyrij deportauerant ad Dauid.* Salomonem itaque filium ſuum compellans, ita loquitur.
Ibid. n. 14. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris verò & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine, ligna, & lapides præparaui ad vniuerſa impendia.* Et alibi. *Ego autem*, in-
1. Paral. 29. 2. quit idem Dauid, *totis viribus meis præparaui impenſas domus Dei mei, aurum & vaſa aurea, & argentum in argentea, æs in ærea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea, & lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnémque pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè, & ſuper hæc quæ obtuli in domum*

domum Dei mei de peculio meo aurum, & argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem ſanctam. Tria millia talenta auri de Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi ad deaurandos parietes templi. & vbicumque opus eſt aurum de auro, & vbicumque opus eſt argentum de argento, opera fiant per manus artificum, & ſi quis ſponte offert, impleat manum ſuam hodie, & offerat quod voluerit Domino. Polliciti ſunt itaque Principes familiarum, & proceres tribuum Iſraël, tribuni quoque & centuriones & Principes poſſeſſionum Regis, dederúntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia, argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia, ferri quoque centum millia talentorum, & apud quemcumque inuenti ſunt lapides, dederunt in theſauros domus Domini per manum Ahiel Gerſonitis. Hanc autem collectæ pecuniæ ſummam perdiligens harum rerum indagator Villalpandus, in ſuis ad Ezechielem commentariis redactam ad ſummam ducatorum Hiſpanicorum docet, Auream quidem effeciſſe mille ſexcentos tres, vt vocat milliones, & octingenta millia ducatorum: Argenteam verò mille ducentos, & octo milliones, & centum nonaginta ſex millia ducatorum. Quis autem Princeps vnquam tantam auri argentique vim in theſauris ſuis congeſtam habuit, ne poſt repertas quidẽ noui orbis ditiſſimas aurifodinas, ex quibus ſuperiore, noſtróque ſæculo tantum auri in Europam inuectum eſt, quantum nuſquam (Iſraëliticis iſtis exceptis opibus) vidit antiquitas? Vt oſtendere voluiſſe videatur Dominus, cum regibus iſtis populoque quodammodo certaſſe, & quo ipſi plura, alacrioreque animo parabant offerre, tanto maioribus eos incremen-

tis auxiſſe, vt quod animo deſtinauerant, effectum dare poſſent. Offerentum autem alacritatem tum ex pecuniæ oblatæ quantitate licet æſtimare, tum

1. Paral. 29.9. ex ſcripturæ verbis, dicentis. *Lætatuſque eſt populus cum vota ſponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino*; nec cum tam multa dediſſent placebant ſibi, quaſi de Domino bene meriti eſſent, ſed potius cogitabant ſe Domino reddiſſe quæ illius erant: ita enim loquitur Dauid cum ingenti lætitia perfuſus, pronam populi ſui voluntatem ad

1. Paral. 29.13. offerendum Deo animaduertiſſet. *Nunc igitur*, inquit, *Deus noſter confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. quis ego, & quis populus meus, vt poſſimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ ſicut omnes patres noſtri. Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora. Domine Deus noſter, omnis hæc copia, quam parauimus vt ædificaretur domus nomini ſancto tuo, de*

Marc.12. 43. *manu tua eſt, & tua ſunt omnia.* Ex quo diſcant illi, qui cum duo minuta inferant in Eccleſiæ gazophylacium, non aliquid ex neceſſariis ſibi detrahentes, vt vidua illa pauper, quæ Chriſti ipſius

Matth.6. 2. ore commendata eſt, *ſed ex eo quod abundant illis*, ſibi tamen placent, *& tuba canunt ante ſe*, cum etiam aliquando ex malè partis, & per iniuriam pauperum quæſitis pecuniis Deo munus inuiſum offerre non dubitent, quibus dicit Dominus per

Malach.1. 1.3. Malachiam: *Intuliſtis de rapinis claudum & languidum, & intuliſtis munus, nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra, dicit Dominus?* Diſcant inquam, cum

2.Cor.9. 7. Domino largius agendum eſſe, & alacrius, *nam*

1.Paral. 29.17. *hilarem datorem diligit Deus.* qualis ſanè Dauid, qui verè dicebat: *Ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli*

vniuerſa

vniuerſa hæc, & populum tuum qui repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.

2 Porrò quamuis ex multis quæ de magnitudine templi, & ſtructura dici poſſent, impenſæ etiam pecuniæ quantitatem æſtimare poſſemus, quia tamen hoc nimis operoſum eſſet, ac longum, vnum caput dumtaxat breuiſſimè perſequar, ex quo aliquam huius rei de qua agimus coniecturam capere poſſimus: aurum enim quod in templo fuiſſe ſcriptura commemorat, recenſebimus, nulla argenti, aliorumve metallorum, aut lapidum magni pretij facta mentione. Ac primò oraculum totum, quæ pars erat templi ſanctior, totum auro puriſſimo conueſtitum fuit, ſic enim legimus in Regum hiſtoria. *Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, vt poneret ibi arcam fœderis Domini. Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis, & operuit illud atque veſtiuit auro puriſſimo.* Immò ſcriptura docente diſcimus, domum etiam ante oraculum, immò quæcunque erant in templo, aureis laminis contecta; ipſas verò laminas aureis clauis cum parietibus, fuiſſe confixas. *Domum quoque*, inquit, *ante oraculum operuit auro puriſſimo, & affixit laminas clauis aureis, nihilque erat in templo quod non auro tegeretur.* Rurſus altare thymiamatis, menſam cui panes propoſitionis imponebantur, ſeu potius menſas (fuiſſe enim duas colligitur ex Paralipomenon libris) aliáque ſacra vaſa, & inſtrumenta templi ex auro puriſſimo fabrefecit, dicente ſcriptura: *Fecitque Salomon omnia vaſa in domo Domini altare aureum, & menſam, ſuper quam ponerentur panes propoſitionis auream, & candelabra aurea quinque ad dextram,*

Ex auro templi de cæteris expenſis capitur coniectura, ex quo eadem liberalitas Principi commendetur.

3. Reg. 6. 19.

Ibid. n. 22.

2. Paralip. 4. 19.

3. Reg. 7. 48.

tram, & quinque ad ſiniſtram contra oraculum ex auro puro, & quaſi lilÿ flores, & lucernas deſuper aureas & forcipes aureos, & hydrias, & fuſcinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula de auro puriſſimo, & cardines oſtiorum templi ex auro erant. Quot verò fuerint aurea vaſa ſcripturam docere non memini, ſed poſſumus ex duplici coniectura, Ioſephique teſtimonio exiſtimare fuiſſe quamplurima. Prima coniectura ſumitur ex multitudine vaſorum æris,
2.Paral.4. 18. de quibus ita ſcribitur. *Erat autem multitudo vaſorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris.* nam ſi innumerabilia ærea vaſa; aurea ſanè vt multo pauciora eſſent, plurima tamen fuiſſe credibile admodum eſt. Altera coniectura ducitur ex numero vaſorum quæ poſt captiuitatem Babylonicam in templũ reportata ſunt. nam poſt Septuaginta annorum decurſum, adhuc ſanè multa vaſa, quæ de templi ſuppellectili eſſent, reperta ſunt, cum tamen par ſit credere multa furto ſublata periiſſe, multa in vſus prophanos auro conflato fuiſſe conuerſa. Numerus autem vaſorum templi quæ Cyrus reſtituit, recenſetur in Eſdræ libro.
1.Eſdræ 1. 9. *Phialæ,* inquit, *aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti nouem, ſcyphi aurei triginta, ſcyphi argentei ſecundi quadringenti decem, vaſa alia mille. Omnia vaſa aurea, & argentea quinque millia quadringenta,* quibus ſi addas Roboami tempore à Seſac Ægypti Rege theſauros domus Domini fuiſſe direptos,
2.Paralip. 12.9. *nam Receſſit Seſac Rex Ægypti ab Ieruſalem, ſublatis theſauris domus Domini, & domus Regis, omniáque ſecum tulit.* Quod non de theſauris tantum repoſitæ pecuniæ, ſed forte etiam de ſacris vaſis intelligi poteſt: ſanè probabile fiet, quod de vaſorum multitudine, quæ in vſum templi Salomon

Digitized by Google

Salomon fecit, Ioſephus ſcribit in Iudaicis antiquitatibus, dum illa his verbis enumerat. *Phialæ & pateræ aureæ vigeſies mille, candelabrorum decem millia, cantharorum vinariorum octoginta millia, & phialarum aurearum decem millia. Lancium aurearum ad offerendum in eis ſimilam maceratam octoginta millia, craterarum in quibus ſimilam oleo ſubigebant aurearum ſexaginta millia. Menſurarum quales Moſi Sin vocantur, & Aſſaron viginti millia. Acerræ quibus odoramenta in templum inferri ſolent vigeſies mille, & aliæ quibus defertur ignis à magno altari ad paruum intra templum ſitum quinquagies mille.* Ex his ergo quæ de auro diximus poſſumus cogitatione percipere quàm fuerint cætera omnia magnifica, quàm amplum, excelſum, ornamentis inſtructum templum illud, cui tam diues ſupellex debebatur, vt merito Ezechiel cum ſibi in viſione templum oſtenſum eſt, de illo quaſi de ciuitate aliqua loquatur; ait enim: *Facta eſt ſuper me manus Domini, & in viſionibus adduxit me in terram Iſraël, & dimiſit me ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium ciuitatis vergentis ad auſtrum.* Habent ergo Principes in Salomone, & Dauid eximiæ magnificentiæ admirabile prorſus exemplar, quod pro modulo ſtudeant æmulari; quamuis quantumlibet conentur, non niſi longo proximi interuallo illud conſequi poſſint.

Lib. 8. c. 3.

Ezech. 40. 2.

Qualem Confeſſarium, Concionatorem, aut Theologum ſibi deligere debeat Princeps, & quo modo ſe cum illo gerere.

CAPVT VII.

1 QVoniam ab aulis quorundam Principum, eorum vel infortunio, vel vitio veritas exulat, omnibus ferè qui in illis viuunt, ad turpem quandam adulationem adeò proiectis, vt licet de rebus bene ſentiant, eloqui tamen quod ſenſerint pertimeſcant, magno etiam animarum, reipublicæque detrimento: facturum me operæ pretium exiſtimo, ſi, quando agimus de religione, aliquid breuiter dixero de Concionatoris Principum officio, rurſuſque de officio Principis aduerſus ipſum Concionatorem, Theologum, aut Confeſſarium. Placet enim hæc munera cum valde ſint affinia inter ſe, ſaltem quod ad rem noſtram attinet, non ſeparare. Cum enim multa incidant tempora, in quibus inquiritur poſſit ne hoc aut illud tuta conſcientia ſaluóque officio à Principe imperari, aut à ſubditis exigi; aduerſetur ne conſilium aliquod diuinæ legi, an potius ſit illi conſentaneum. Rurſus cum Principes aliquid audire velint ſpectans ad mores componendos, vel cum priuatim peccata enuntiant, vel cum palam concionibus publicis interſunt, plurimum reipu

reipublicæ intereſt quales Theologi, Confeſſarij, aut Concionatores adhibeantur. Nam ſi doctrina, pietate, dicendi opportuna libertate fuerint inſtructi, optimè etiam de Principe negotiorúmque de quibus agitur ſucceſſu ſperare poterimus; ſi verò doctrinæ, & virtutis expertes, ſi compoſiti ad adulationem ſuis commodis velificantes, blandiri, & aures ſcalpere maluerint, nullum incommodum per huiuſmodi homines in rempub. non importabitur.

1 Ac primò quidem illud ſtatuendum eſt Chriſtiani Principis munus eſſe, nihil prius aggredi quod maioris alicuius momenti ſit, cuiuſmodi eſt bellum aliquod ſuſcipere, noua ſubiectis populis onera imponere, cum Principibus fœdera, aut matrimonia conciliare, de ſontibus vltimum ſupplicium ſumere, diuino numine inconſulto, ne forte iuſti ſpecie deceptus, ſui potius animi perturbationibus obſequatur, quàm, quod ſemper præ oculis habere debet, publico bono commodet. Exigit autem ab omnibus prudentia, & amor officij faciendi, vt in rebus ſuſcipiendis, aut gerendis, ſi ambiguitatis aliquid habeant, conſilio noſtro ita non adhæreamus, vt aſpernemur alienum, ſed eorum potius ſententias exquiramus, quos in rebus de quibus agitur, bene peritos eſſe cognouerimus, cuiuſmodi in nodis qui ad ius cóſcientiæ pertinẽt expediendis Concionatores, & Confeſſarios, vt pote Theologos, fore credendum eſt, quos qui conſulunt, Deum ipſum conſulere mihi videntur, cùm ipſi non tam ſuæ prudentiæ ſenſa in dicenda ſententia ſequi debeant, quàm diuina ſacra ſcripturæ oracula, Eccleſiæque doctorum placita, ad quorum normam

Debere Principes in rebus dubijs doctores conſulere & de veteri Hebræorũ ritu in cõſulẽdo Dominum.

normam, & amuſſim, qui ſuas actiones exigunt, ij à diuina voluntate non aberrant. Eſt autem vetus iſte mos Dominum conſulendi, & à Principibus viris, quorum mentio eſt in ſcriptura, fre-
1. Reg. 14. 3. & 28. 6. & 23. 2. & 2. Reg. 5. 19. quenter vſurpatus: Nam Saül & Dauid, primi Hebræorum Reges, Dominum conſuluerunt an contra Philiſtæos pugnare deberent, hic etiam cum Amalechitis latrunculis, qui Siceleg ſuccen-
1. Reg. 30. 8. derant, congreſſurus, & Saule iam è viuis erepto, aliquam ſibi Iudæ ciuitatem in qua Philiſtæis re-
2. Reg. 2. 1. lictis habitaret, electurus. Quorum exempla alij quoque Principes poſtea ſunt ſecuti. Hanc autem diuinæ voluntatis indagandę curam ſibi cordi fuiſſe Dominus oſtendit, nam variis modus edebantur oracula ſiſcitantibus, vt facile colligi poteſt ex ſcriptura cum dicitur Saulem nullum ab irato numine reſponſum tuliſſe: quo loco tres modi exprimuntur, quibus cum Dominum
1. Reg. 28. 6. conſulerent, reſponſa reportabant. *Et non reſpondit ei*, inquit, *neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per prophetas. Per ſomnia* igitur aliquando, &
Iob 33. 15. vt loquitur S. Iob *in viſione nocturna quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperiebat aures virorum, & erudiens eos inſtruebat diſciplina.* Sic Abimelech prohibuit ne Saram Abrahami, quam ſororem illius ipſe crediderat, vitia-
Geneſ. 20. 3. ret: nam *Venit Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi. En morieris propter mulierem quam*
Matth. 2. 13. *tuliſti, habet enim virum.* Sic S. Ioſeph Chriſti Domini nutritium, rationem in ſomnis per angelum docuit, qua ſæuientis Herodis furorem declinaret, præcipiens vt collectis nocte ſarcinulis in Ægyptum clam iter intenderet. Sic Pharao pinguedine diſtentas boues ſeptem, & rurſus

alias

Digitized by Google

alias totidem macras; ſpicas etiam ſeptem plenas, & granorum pondere curueſcentes, rurſúſque alias ſeptem inanibus ariſtis leues in ſomnis vidit, quibus per ænigmatum inuolucra velata veritas oſtendebatur, quam alius Ioſeph diuinitus infuſa coniectandi ſcientia, ſapienter, & magno Pharaonis, totiúſque Ægypti compendio retexit. Per prophetas verò frequentiſſimè cognoſcebant Principes, quid in propoſitis negotiis eſſet agendum, nam ſancti illi viri Deo pleni quid facto opus eſſet, vel nulla interpoſita mora reſpōdebant in promptu, vt reſpondit Eliſæus qui tribus Regibus ſe conſulentibus, adducti pſaltis modulatione concitatus, ſtatim erupit in prophetiam, vel capto ad conſulendum numen ſpatio temporis, tamdiu precibus Dominum fatigabant, donec reſponſum aliquid extunderent. *Sic cum completi eſſent decem dies, factum eſt verbum Domini ad Ieremiam*, & de ſe ita ſcriptum reliquit S. Daniel: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque vnguento vnctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. Die autem vigeſima & quarta menſis primi, eram iuxta fluuium magnum, qui eſt Tigris, & leuaui oculos meos, & vidi, &c.* pergítque oſtenſi ſibi viri admirabilē ſpeciem deſcribere, quam vt ipſe poſſet intueri, afflictatione corporis, & lachrymarum profuſione conſecutus fuerat, alijs qui aderant, viſionis illius penitus expertibus. Sed tertius oraculorum modus cum ſcilicet applicato à ſacerdote Ephod, diuinæ voluntatis ſignificatio quædam, ſignis aſpectabilibus edebatur, illuſtriorem habet numinis

Ierem. 42. 7.

Dan. 10. 2.

minis teſtificationem, pium conſulentiũ ſtudium approbantis. Id autem qua ratione fieret, non eodem modo explicatur ab auctoribus. Nã conuenit quidem inter eos ſummi ſacerdotis ephod applicantis, id eſt ſuperhumerale cum rationali, miniſterio fieri ſolitum, ita enim illud interpretantur, quod non ſemel dicitur in ſcriptura
1.Reg.23. 9. *Applica ephod.* Signa verò, quæ applicato ephod conſequebantur, alij alia fuiſſe contendunt, aliqui enim ſyngraphæ cuidam quæſtionem inſcribi ſolitam fuiſſe volunt, cui diuinum reſponſum expreſsè & disertè exaratum diuino miraculo in eadem charta protinus appareret. Alij Angelorum miniſterio vocem quandam aëris percuſſione formata; ad ſacerdotis aures accidere ſolitam, qua propoſitæ quæſtionis nodus euolueretur. Alij tandem, inter quos eſt Ioſephus vetus auctor, & gente Iudæus, in ſardoniche, qui erat in ſuperhumerali ad humerum dextrum, tantum, támque inſolitum fulgorem repente emicare ſolitum, vt coruſcantis lapidis ſplendor numinis præſentiam indicaret, proſperíque euentus certiſſimam ſignificationem daret. Id verò beneficium perpetuum non fuiſſe docet idem auctor, nam ducentis circiter annis antequam illa ſcriberet, ſeneſcente iam apud Dominum populi illius gratia, à quo multis magníſque criminibus fuerat irritatus, ſplendorem illum deſiiſſe affirmat, quod etiam probabili coniectura ex ſcripturis colligi poteſt. Nam nuſquam legimus Machabæos viros alioqui, vt fortitudine bellica, ita pietate in Deum inſignes, Dominũ per ſacerdotem conſuluiſſe, cum tamen ipſi ſacerdotale genus eſſent, ſed cum altare holocauſtorum, ſacri-
legorum

legorum hominum ſcelere pollutũ purgare vellent aliquando, animíſque penderent quid conſilij caperent, *Incidit illis*, vt ſcriptura loquitur, *conſilium bonum, vt deſtruerent illud, ne forte illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes, & demoliti ſunt illud, & repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadúſque veniret propheta, & reſponderet de eis*. Nam ſi oraculorum vſus per lapides rationalis eo tempore viguiſſet, procliuè ſanè illis fuiſſet à Domino ſciſcitari quid facto opus eſſet, nec ſolutio quæſtionis ad prophetam olim excitandum fuiſſet reiicienda. Quocunque modo ſe res habeat, inſignis profectò temporibus illis fuit Domini facilitas, probantis populi ſui ſtudium, ad ſe tanquam ad patrem accurrentis editíſque ſignis pietatem illius religionémque fouentis & confirmantis. Sed nec minus ſibi propitium Dominum affuturum, ſi parem cum veteribus illis afferrent cum pietate fiduciam, Principes poſſent polliceri, non quidem patratis miraculis, quæ in confirmata iam Eccleſia vt minus neceſſaria, ita minus crebra ſunt, ſed illuſtratione mentis, qua rei bene gerendæ rationes, rectáque cõſilia Dominus ſuggereret, doctrinæque illius quam Eccleſiæ ſuæ reliquit ſingulari beneficio: quam qui ſequitur, viris doctis, ſi rem ipſe per ſe expedire non poſſit, in conſilium adhibitis, non eſt quod timeat, ne errore aliquo à recto tramite depulſus ab aſſequenda excidat veritate.

1.Machab. 4.45.

2 Eum igitur Princeps ſibi Confeſſarium, aut Concionatorem optet, qui recti tenax, veritatis rigidus ſatelles ſit, nec audire ab illo velit noua, curioſa, auribus blandientia, ſed potius ſolida, vera,

Contra eos Principes, qui tãtum auribus blandiẽtia

à cōcionatoribus audire volũt, diſſeritur ex ſcripturis.

vera, & quibus ad virtutem conſtanter capeſſendam excitetur. Eſt enim ſanè miſera eorum conditio, qui voce Concionatoris, hoc eſt Dei verbo, omni gladio ancipiti penetrabiliori, adeo nihil conturbari, aut commoueri ſe patiuntur, vt potius tanquam citharædum aliquem fidibus ludentem audire velint, rem omnium dicere auſim, quæ in Eccleſia geruntur, maximè ſeriam, in ludibrium vertentes, in quos bene conueniat illud Ezechielis, *In canticum oris ſui verterunt ſermones tuos, & tu es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulcique ſermone canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Et illud S. Pauli vaticinium, qui magno doloris ſenſu futuram aliquando in Eccleſia Dei huiuſmodi corruptelam, multo ante prædixit, ad Timotheum ſecundo ſcribens, cum ita loquitur: *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quanquam non facile quis dixerit Principúmne vitio, an Concionatorum factum ſit, vt quibus pro officij ſui ratione cum verba faciunt inſtandũ eſt, obſecrandum, arguendum, increpandum, quibúſque dictum eſt. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum, conſuant potius puluillos ſub omni cubito manus, & faciant ceruicalia ſub capite vniuerſa ætatis,* vt in ſtratis peccatorum ſuorum molliter cubent, nullíſque quibus ad ſurgendum excitari poſſint aculeis compungãtur. Ego ſanè ad vtroſque crediderim culpam pertinere, ad Principes quidem, qui veritatis impatientes illius præcones auerſantur; ad concionatores verò, qui ab ea

Ezech. 33. 32.

2. Tim. 4. 3.

Iſa. 58. 1. Ezech. 13. 18.

ea qua eos vti par eſt conſtantia, aut offendendi timore, aut ſpe commodi alicuius quod aucupantur,ſe patiuntur abduci. Sed de Concionatorum vitio, paulo poſt erit dicendi locus. Principes ergo Theologis ſuis,aut Concionatoribus, cum eos conſuluerint, ita aures & animum accommodent, vt ſi quæ ſalutaria ſuggerunt, aut à noxijs, & culpæ alicui affinibus deterrent, dicto audientes ſint, nec ad ſuam ſententiam eos, etiam reluctante conſcientia,trahere ſatagant. In quo vehementer aliqui errant;qui ſi Theologis, aut Confeſſariis ſuis perſuadere potuerint, vt prodita veritate vitij alicuius aut abſurdæ opinionis, quæ ſuis faueat cupiditatibus, patrocinium ſuſcipiant,omnia ſibi tuta exiſtimant: ideóque nullum non mouent lapidem, vt Concionatores deſerta veritatis tutela,ad vitij partes deficientes, ſua auctoritate viam ſternant ad ea, quæ ipſi impotenter optauerint. Illuſtria habemus huius rei exẽpla in ſacris litteris. Nam Balac Rex Moabitarum imminentem ſibi, regnóque ſuo Iſraëlitarum exercitum animaduertens, fieríque poſſe putans, vt ſi Balaam ariolus populum diris imprecationibus deuoueret,cladem quam timebat auerteret, miſſis ad eum legatis & muneribus; eius ſibi voluntatem conciliare ſtuduit, dicens: *Noui quod benedictus ſit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris.* Num.22.6. Quos cum Balaam diuina voce deterritus, dimiſiſſet irritos, & Iſraëli maledicendi munus detrectaſſet, non dubitauit tamen Balaac conſtantiam illius rurſus tentare, honeſtiore legatione, & maiorum pollicitatione donorum;nam, vt ait ſcriptura; *Multo plures, & nobiliores quàm antea* Ibid.n.15.

 tea

tea miſerat, miſit: qui cum veniſſent ad Balaam dixerunt, ſic dicit Balac filius Sephor. Ne cuncteris venire ad me, paratus ſum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi, veni & maledic populo huic. Cúmque ſæpius Moabitarum Principi obſequi voluiſſet Balaam, nec tamen aliud eloqui potuiſſet, quàm quæ à Domino agitante ſuggerebantur,

Num. 24. 10. *Iratus Balac contra Balaam, comploſis manibus ait. Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus è contrario tertiò benedixiſti, reuertere ad locum tuum. Decreueram quidem magnificè honorare te, ſed Dominus priuauit te honore diſpoſito;* Infelicibus nimium, & planè miſerandis honoribus, ad quos abiuratæ veritatis contumelia cum certiſſimo ſalutis æternæ periculo aditum patefeciſſet. Quorum ſplendore vtinam noſtris temporibus nulli dementarentur, dum perituræ dignitatis fulgore lactati, nec infamiam metuunt, quam apud ſapientes incurrunt, nec æternos cruciatus, quibus ſe obnoxios reddunt, reformidant. Similis Achabi impij Regis amentia, cuius inanem ſpem cum quadringenti idolorum ſacerdotes vanis promiſſis inflarent, præſertim Sedecias, qui factis ſibi

2. Paral. 18. 10. cornibus ferreis dicebat, *Hæc dicit Dominus. His ventilabis Syriam, donec conteras eam*, quem omnis pſeudo prophetarum caterua mendax mendacem ſecuta eſt; *nam omnes prophetæ ſimiliter prophetabant, atque dicebant: Aſcende in Ramoth Galaad, & proſperaberis, & tradet eos Dominus in manu Regis.* Vnus tantùm Micheas inuentus eſt, qui Regi Iſraëlitarum, ingrata quidem, ſed ſi crederet ſalutaria, etiam cum vitæ periculo dicere non dubitauit: nam Ioſaphat Rege Iuda poſtulante,

Ibid. n. 8. atque dicente ad Achab, *Nunquid non eſt hic propheta*

phetes Domini vt ab illo etiam requiramus? Ait Rex Iſraël ad Ioſaphat, eſt vir vnus, à quo poſſumus quærere Domini voluntatem, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum omni tempore. Eſt autem Micheas filius Iemla. Hunc autem cum ad Regem Eunuchus adduceret, intempeſtiua fortaſſis prophetæ commiſeratione motus, aut Regi ſuo gratificandi ſtudio, vt à cæteris prophetis non diſſentiret hortabatur, dicebat enim: *En verba omnium prophetarum vno ore bona Regi annuntiant, quæſo ergo te vt & ſermo tuus ab eis non diſſentiat, loquariſq; proſpera.* Ibid.n.12. Sed Micheas qui frontem fingere, & ad alienam voluntatem ſermonem componere neſciebat, ita reſpondit. *Viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar.* Quæ dicendi libertas carceris ſqualore, faméque tentata, vinci tamen potuit nunquam, ſed clarior multo ex ærumnis illis emicuit, nã clades exercitus, & Regis ipſius Achabi iaculo confixi cædes, qua illius reditus, vt propheta prædixerat, interceptus eſt, ingentem illi conciliauit auctoritatem: contra verò pſeudo prophetarum illorum grex vniuerſus, vt potè mendax, quique Principem ſuum cum vniuerſa republica falſis pollicitationibus perdiderat, omnibus deſpectui eſſe cœpit, & odio. Ita enim fermè fit, vt initio cum veritati reſiſtitur, multis illam obruere conantibus, quibuſdam obſcuretur quaſi nebulis mendaciorum, quæ tamen paulo poſt eiuſdem radiis afflatæ ita diſiiciuntur, vt inde fulgoré illa ſuum multo lætiorem exerat & hilariorem. Porrò de iis qui ad veritatis ſplendorem hunc oculos claudunt, nec illum admittunt, ita Dominus loquitur per prophetam: *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſu-* Iſa.30.8.

per buxum & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum, populus enim ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus nolite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere, ea quæ recta ſunt, loquimeni nobis placentia, videte nobis errores. Magna profectò malitia, cognitæ veritati pugnaciter velle reſiſtere, & intelligentiæ, quæ cum aliquid euidenti cognitione aſſecuta eſt, voluntati parere non poteſt, ita vim afferre velle, vt quæ videt non videat, & quæ in oculos incurrunt, ita tranſmittat, ac ſi omnino non apparerent; nec ſuo tantum errore contentum eſſe, ſed aliis etiam velle fucum facere, & cum feceris, aut vt faceres fueris anniſus, ita te iactare, quaſi pietatis ſuſceperis patrocinium, quæ meo quidem animo extremę impietatis vltima linea cenſenda eſt. Quare Dominus grauiſſimas tanto ſceleri minas intentãs, *Propterea,* inquit, *erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito dum non ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione præualida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* Vel vt vertunt 70. quorum verba affero, vt cum Vulgatæ contextu coniuncta clariùs tota ſententia percipiatur: *Propterea erit vobis peccatum hoc ſicut murus decidens ſubito ciuitatis munitæ captæ, cuius repente adeſt ruina, & ruina eius erit ſicut contritio vaſis teſtacei ex figuli officina comminuta, itaut non inueniatur in eis teſta in qua ignem tollas, & in qua extrahas aquam puſillam.* Nam quemadmodum ſi murus ciuitatis alicuius ſubita ruina procumbens adeo contera-

Ibid. n. 13.

tur

tur, vt nulla in fruſta diremptorum lapidum pars tantæ magnitudinis inueniatur, vt vel vna de incendio pruna poſſit in illa circumferri, nulla proculdubio ſpes ſupereſſe poſſit ex illa materiā mænia reſtaurandi: ita Deus, quia percuſſione præualida ſe illos percuſſurum minatur, qui non vera ſed placentia ſibi à prophetis nuntiari volunt, omnem poſt inflictam plagam ſpem ſalutis excludit. Quod etiam lagenæ figuli ſimilitudo ponit ob oculos, vaſa enim quæ ex luto ducuntur, poſſunt quidem cum adhuc recentia ſunt in varias partes flecti, vt libuerit fingenti, & ſi caſu aliquo in terram deferantur, & frangantur, rurſus aqua macerata formari: at poſtquam flammis in fornace durata ſunt, ſi in plures partes comminuātur, priorem quam habuerāt formam, aut aliam amplius accipere non poſſunt: Ita quos Dominus *virga ferrea* furoris ſui percutiendos cenſuerit, *tamquam vas figuli confringet eos*, vt dicitur in pſalmis, nec vllus erit qui vas hac ratione percuſſum cum in varias diſſiliuerit partes, inſtaurare poſſit. Pſal. 2. 9.

3 Sed iam de ipſorum Concionatorum officio dicamus, quibus in primis commendanda eſt animi conſtantia, & fortitudo, vt ſcilicet potentium purpuram & ſceptra nō formidare condiſcat, quæque pro veritate Principibus dicenda cenſuerint, ea qua par eſt libertate proloquantur. *Ne timeas*, inquit Dominus ad Ieremiam, *à facie eorum, quia tecum ego ſum, vt eruam te dicit Dominus. Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Et poſt aliqua. *Tu ergo accinge lumbos tuos, &* *Quanta cū libertate cōcionator aut confeſſarius cum Principe agere debeat.* Ierem. 1. 8. Ibid. n. 17.

ſurge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream & in murum æreum, ſuper omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & ſacerdotibus, & populo terræ, & bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te. Quibus ſanè verbis propheta contra exilia, carceres, verbera, mortem denique ipſam ſubornatus, tyrannorum minas ſecurus audiuit. Nec verò cum conſtantiam Concionatoribus commendo, id ago, vt Reges ac Principes reuerentiæ honore fraudari velim, quos Apoſtoli præcepto, naturæque lege honorificandos ſcio; ſed illud tantum contendo, pompam illam ſtipatorum, & ſatellitum, purpuræ veſtiúmque pretioſarum, reliquumque ſupremæ potentiæ apparatum, quæ imbecillas quorumdam mentes timore percellere ſolent, adeò Concionatoris aut Confeſſarij mentem obſtupefacere non debere, vt ſui muneris partes nō agnoſcat, aut exequatur. Si enim rebus externa iſta ſpecies, quæ multorum perſtringit oculos, quaſi perſona quædam dematur, illíſque ſua facies reddatur, ſe adeo Principe inferiorem non eſſe intelliget, vt ſi quâ Concionator eſt, & præco veritatis ſpectetur, ſit ipſomet Rege longè ſuperior. Quod enim à Domino dictum eſt Ieremiæ, *Conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna*, non ad Ieremiam dumtaxat pertinet, ſed ad omnes qui vſquam ſunt Concionatores, qui idem in Eccleſia Dei cum Ieremia munus exercent, qui propterea diuo Gregorio teſte illud Moſis dictum ad Pharaonem vſurpare poſſunt, *Vſquequo non vis ſubijci mihi?*

D. Greg. lib. 7. moral. c. 22. Exod. 10. 3.

Digitized by Google

bi? Nam vt idem Gregorius ait. *In electorum oraculis quidquid temporaliter eminet, altum non eſt, nam veluti in magni vertice montis ſiti, præſentis vitæ plana deſpiciunt: Vnde & nullis contra veritatem poteſtatibus parcunt, ſed quos attolli per elationem conſpiciunt, per ſpiritus auctoritatem premunt.* Ita Gregorius. Si ergo ſtatus ſui conditionem Concionator agnoſcat, confirmabit animum, timorémque minuet, maioris præſertim Principis metu ſibi propoſito, & Dei nimirum ipſius, cuius imperio concionatoribus magna neceſſitas impoſita eſt enuntiandæ veritatis. Quis enim potius timendam putauerit faciem potentium præſentiſſimum etiam periculum denuntiantem, quàm Deum? cuius illa ſunt verba apud Ezechielem. *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via ſua impia, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annutiaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua, & à via ſua impia, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* An vllus adeò demens inueniri poteſt, vt aliena crimina multa, & grauia, qualia poteſtate Regia abutentiũ eſſe ſolent, tanquam ſua velit arceſſere, & alienum peccatum, quod cupiebat Saül, diſſimulando portare ſuſtineat, cum nullus inueniri poſſit, qui tam diligẽter conſcientiæ ſordes eluerit, tam caſtè vixerit, & ſanctè, vt nulla in extremo illo iudicio, cui ſiſtẽdi ſumus omnes, formidãdi materia ſuperſit? Quanto facilius eſt, & melius contra inanes iſtos timores obfirmare frõtem, & Nathan Domini prophetam imitari, qui Dauidi dicere non dubitauit: *Tu es ille vir qui feciſti hanc rem:* & quando Domini

Ezech. 3. 18.

2. Reg. 15. 25.

2. Reg. 12. 7.

 gladio

Digitized by Google

gladio, hoc eſt verbo Dei femur accincti ſunt, Leuitarum illorum more, qui per Iſraëlis caſtra, de porta ad portã idololatras obtruncando Moyſe præcipiente diſcurrerunt, ita æqualiter in omnes, pauperes, & diuites, nobiles, & obſcuros aciem veritatis exerere, vt nemini parcatur, quàm animo timore contracto, grauiſſimis pœnis obnoxios fieri. Ex his autem ſatis intelligitur quanto in periculo verſentur Cócionatores aliqui, aut Confeſſarij, qui potentibus, & principibus viris ſecuritatem quandam, & impunitatẽ pollicentur, eum tamẽ mortiferis criminibus obſtringantur: contra verò tenuioris fortunæ homũculos, à quibus nihil ſperant, aut timent, quos benignè tractari chriſtiana charitas ſuadet, ſeuero vultu, & verbis aſperioribus accipiunt, iſtos æternæ mortis denuntiatione terrent intempeſtiuè, illis cum ſerpente dicunt. *Nequaquam moriemini.* Hoc enim eſt diuerſis ponderibus eadem peccata appendere, contra quam faciendũ præcipitur in ſcriptura, cum dicit, *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior, & minor. Pondus habebis iuſtum & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi, vt multo viuas tempore ſuper terram, abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc.* Cum enim qui peccatis mortiferis tenentur, graues cum Deo, qui omne genus iniquitatis deteſtatur, gerãt inimicitias, pacẽ tamen iam conciliatam eſſe pronuntiant, eóſque ſecuros reddũt, quos maximè trepidos eſſe conueniret, & de expiando crimine, numinéq; propitiando, ſolicitos. *Nunquid non viſionem caſſam vidiſtis*, ait Dominus apud Ezechielem, *& diuinationem mendacem locuti eſtis? & dicitis, Ait Dominus, cum ego non ſim locutus.*

Exod. 32. Vide D. Greg. 3. Paſtor. c. 28.

Geneſ. 3. 1.

Ezech. 13. 7.

Pro

Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendaciū, ideo ecce ego ad vos dicit Dominus Deus: Et erit manus mea ſuper prophetas, qui vident vana, & diuinãt mandacium, in conſilio populi mei nõ erunt, & in ſcriptura domus Iſrael non ſcribentur, nec in terrã Iſraël ingredientur; & ſcietis quia ego Dominus Deus. Eo quod deceperint populum meũ dicentes: Pax, & non eſt pax, & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis. Dic ad eos qui liniunt abſque temperatura, quod caſurus ſit, erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantẽ. Si quidem ecce cecidit paries, nunquid non dicetur vobis: Vbi eſt litura quã liniſtis? Hæc propheta. Iſraëlitarum enim populus inclinati muri, & multas rimas agentis inſtar habebat, multis enim grauibuſque ſceleribus vetus illa ſanctitas, & pura vnius Dei Religio labem fecerat, cumque tam malè habitus paries omni ex parte ruinam minaretur, Dei præſertim vindicta illum ſubruente, & euertente, hoc etiam malum omnium maximum addebatur, quod quo ſtatu res eſſent, populus ipſe non intelligebat, & prophetæ qui periculum retegere debuiſſent, confirmabant potius populi ſecuritatem, falſis, infirmiſque rationibus, quas Dominus lutum appellat abſque paleis. Quod vt intelligatur, ſciendum eſt, conſuetudinem eſſe in quibuſdam regionibus, vt paleæ comminutæ, & contritæ luto permiſceantur, vt quod tenue eſt ac ſolutum, ſpiſſius fiat, & coactius; quam conſuetudinem vſurpatam fuiſſe in Ægypto à coctilium laterculorum formatoribus filiis Iſraël diſcimus ex libro Exodi. In hos igitur inuehitur Dominus, qui ne Exod. 5. 8. moleſtiam populis in ſuis ſceleribus conquieſcen

Digitized by Google

ſcentibus afferrent, eos à periculorum ſuſpicione auertebant, quibus tamen paulo poſt repentinus ſuperuenturus erat interitus ad eum planè modum, quo male materiatus paries, ventis, aut imbribus, aut incumbentis machinæ impetu ruinam trahit, etiamſi bene læuigato tectorio, rem externa ſuperficie tantum æſtimantibus, procul à periculo poſitus crederetur. Nullius ergo tanta potentia eſſe debet, vt à recto tramite gratificandi ſtudio, aut offendendi metu Concionatorem abducat. Sed nec vllius quantumuis docti viri tam grauis auctoritas, vt bene perſpectam ac penitus cognitam veritatem, prodere perſuadeat. Fieri enim poteſt aliquando vt non tam Confeſſarium commoueat turba ſatellitum circa ſe fremētium, quàm auctoritas conturbet docti alicuius viri, ſcientia ſua abutentis, & in communione ſceleris alios attrahere ſatagentis. Sic prophetæ ſimplicitati alius illuſit propheta, perſuaſitque vt interrupto itinere quod diuino iuſſu ſuſceperat, & priuſquam cibum caperet, conficere debuerat, ad
3.Reg.13. 18. ſe diuerteret & pranderet. *Et ego,* inquit, *propheta ſum ſimilis tui, & angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens, reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquam, fefellitque eum, & reduxit ſecum, & comedit.* Qui tamen culpæ affinis fuit, cum ſtatim omni ſpiritui credendum non ſit, quod præſertim tunc habet locum, cum quis diuina reuelatione aliquid eſt edoctus, cui contrarium aliquid temerè credere, aut moliri abſque peccati labe eſſe non poteſt; vt ſuo malo propheta hic de quo loquimur expertus eſt. Nam abeunti leo occurrit, à quo interfectus eſt, nec cadauer illius in patrum ſuorum ſepulchrum illatum eſt

vt

Digitized by Google

vt ſeductor propheta prædixerat. *Quia*, inquit, *non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reuerſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquam in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in ſepulchrum Patrum tuorum. Cúmque comediſſet, & bibiſſet ſtrauit aſinum ſuum propheta quem reduxerat, quia cum abiiſſet inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer eius proiectum in itinere, aſinus autem ſtabat iuxta illum, & leo ſtabat iuxta cadauer.* Eſt autem in hac hiſtoria egregiè expreſſum exemplar eorum, quæ à Principibus viris cum Confeſſariis, aut Theologis geruntur. Quemadmodum enim hoſpitem ſuum propheta, qui habitabat in Bethel, omnibus artibus in fraudem inducere conatus eſt, & poſtea cum eum fefelliſſet, peccatum quod ille ſuſceperat exprobrauit, & mala etiam pronuntiauit quæ illum eſſent exceptura: ita Principes cum à Doctoribus extorſerunt, vt pro mendacio ſtent contra veritatem, quam perturbatione aliqua oppugnatum iuerant, poſtquam tumor ille tandem reſedit, contemptui habent, nec eos vt cauſæ ſuæ propugnatores fouent, ſed vt veritatis deſertores auerſantur, vileſque animas eſſe deputant, pro tantula pecunia ſalutem æternam licitantes: contra verò eos quos erectos viderint, & excelſos, quibus veritatis tutelam nulla vis potuit excutere, quique intrepidi, & inconcuſſi etiam telis nocentiſſimis, exilij, carceris, plagarum petiti, ſe commoueri paſſi non ſunt, virtutis miraculo admirationi eſſe incipiunt, illiſque tandem Principes æquiores facti, maiori quàm vnquam fuerint, ſunt in precio, eóſque prolixioris beneuolentiæ ſignifi

Ibid. n. 21.

Digitized by Google

ſignificationibus complectuntur. Quoniam verò non ſemel hoc capite Concionatoribus animi conſtantiam, dicendique libertatem commendaui, eos monitos volo (quod etiam ſupra me dixiſſe memini, cum de Principis magiſtro ſermo eſſet) fortitudinem hanc ita temperandam eſſe, vt cum increpatione, ſi quando adhibenda ſit, lenitatem admiſceat; eóſque, vt S. Paulus docet, *inſtruat in ſpiritu lenitatis, increpétque in omni patientia,* vel vt in Græco eſt μακροθυμίᾳ *longanimitate:* vt enim D. Auguſtinus ait in locum illũ ad Galatas ſcribens, *quidquid lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis.* Quare ſermoni ſuo ita debent moderari Confeſſarij, & Concionatores, vt in vitia inuehi eos voluiſſe omnes intelligant, nullo verò modo peccantis perſonam acerbiore reprehenſione perſtringere: quod mihi mirum quãtum ſapienter præſtitiſſe videtur propheta à Domino miſſus ad Ieroboam filij Nabath caſtigandam impietatem. Nam *Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente, exclamauit contra altare in ſermone Domini, & ait. Altare, Altare, hæc dicit Dominus. Ecce filius naſcetur domui Dauid Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum, qui nunc in te thura ſuccendunt, & oſſa hominum ſuper te incendet. Deditque in illa die ſignum, dicens: Hoc erit ſignum quod locutus eſt Dominus. Ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis qui in eo eſt.* Cur enim propheta ad altare potius ſermonẽ conuertit quàm ad Regem, qui vtpote peccati auctor appellandus potius videretur? Ob eam nimirum cauſam, vt ipſe Rex omnéſque intelligerent increpatione illa peccatum potius ipſum peti, quàm ſceleris auctorem Ieroboamũ; quem alioqui nec odiſſet Dominus, nec

Galat. 6. 1.

2. Tim. 4. 2.

3. Reg. 13. 1.

nec propheta reprehenderet, niſi nefario idololatriæ piaculo, ſe populúmque ſuum contaminaſſet. Sed quia, vt dixi, de hac dexteritate agendi, nonnulla diximus alibi, quæ huc commodè transferri poſſunt, in præſentia iſta ſufficiant.

4 Porro antequam caput iſtud claudamus, aliud præceptum tanquam laciniam attexamus oppido quam neceſſarium, vt nimirum fines ſui muneris; quod eſt ſpiritualia tractare, Concionator nulla ratione tranſiliat, nec operam ſuam polliceatur, aut impendat iis, quæ à ſacrarum tractatione litterarum auocare poſſunt. Nam ſi ſui immemor ſe negotiis ſæcularibus tradere ſuſtinuerit, nec ab illis ſe vindicare poterit cum voluerit, vt ſibi vacet, & ſtudiis; nec inuidiam effugiet obtrectationeſque multorum, qui cum Sacerdotes aulam terentes aſpiciũt, ſtomachantur, remque indignam putant, ſi qui negotiis ſecularibus vale dixerunt, iterum in aula ſe illis implicare non dubitent, contra Apoſtoli præſcriptum, dicentis, *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Quemadmodum enim qui viuunt in Caſtris ſeuera militiæ diſciplina continentur, nec ſuis aut familiæ commodis ſeruire poſſunt, in id tantum intenti, vt ſtrenuè depugnando victoriam contra Principis hoſtes conſequantur; ita qui Deo mancipatus ſub illius vexillis militauerit, non matrimonia in aula conciliantibus, non perſequentibus, aut periclitantibus in iudiciis, non ad ampliores dignitates promoueri cupientibus adeſſe debet, falſa quadam deceptus ſpecie charitatis, ſed in continenti illa fluctuum aulicorum volutatione ſe ſibi aſſerere, & quaſi *à terra* cum Chriſto Domino *puſillum reducere*, ne circumſtantium negotiorum turba

Concionatorem ſuo tantũ muneri operã dare debere, nec ſe aula negotiis immiſcere.

2. Tim. 2. 4.

Luc. 5. 3.

turba adeo prematur, quin orationi, aut ſacrarum litterarum ſtudiis operam dare queat; ſique aliquis ex aulicis, ſpiritualibus auxiliis iuuare velit, ex proximo à concionatore petere poſſit, illud tantum ſpectans vt peccatorum peſtes quantum potuerit profliget, & verbi gladio iugulet monſtra vitiorum, ſic enim fiet vt plurimis ſit vtilis, nullis moleſtus, omnibus verò iucundus, & gratus, ampliorem que ſibi in dies campum diuinæ gloriæ promouendæ, cui tantum ſeruire debet, patefaciat. Qui verò iniquiùs ferunt religioſos viros à Principibus adhiberi, ac propterea eos ab aulis omnino ſubmotos vellent, parum æqui rerum æſtimatores cenſendi ſunt; cum Chriſtianæ philoſophiæ profeſſores Principum animos ad virtutem erudiendo, & concionibus, ſpiritualibuſque monitis iuuando, rem faciant honeſtatis, Reipublicæ, humanitatiſque ſtudioſo homini conuenientem, non vt quidam falsò opinantur, ambitioſo. Ac quemadmodum Sacerdotes, qui inter Deum, & homines, quaſi interpres quidam ſunt, *pro hominibus conſtituti in iis, quæ ſunt ad Deum*, propterea honore colendos exiſtimamus, (Hebr. 5. 1.) quòd bona à Deo non ſibi tantùm ſuiſque amicis, aut familiaribus, ſed in commune ciuibus omnibus vniuerſæque Reipubl. precantur, cum tamen Deum ſuapte natura ad benefaciendum propenſum, & beneficum, & largitorem non faciant, ſed tantum precibus, & ſacrificiorũ oblatione, placare, & ad benefaciendum inclinare ſtudeant, quidni Sacerdotes, Confeſſarios, & Concionatores exiſtimemus eſſe Reipubl. vtiles, honoréque dignos, cum Principes, qui Deorum quorundam inſtar habent in terris, non vt liberaliter

liter agant, aut iuſtè iudicent cum ſe obtulerit occaſio has virtutes exercendi, precibus obtinēt; ſed vt habitu virtutis contracto moderati ſint, liberales, iuſti, monendo, inſtituendo, à vitiis reuocando, efficiunt? Nam ad hunc modum Elias, Eliſæus, & vt alios prætercam, Ioann. Baptiſta, Regum aulas frequenter adiuerunt, nec ſibi religioni duxerunt ſolitariæ, & ab hominum frequentia reductæ vitæ quietem quam adamarant, cum actuoſæ laboribus coniungere, ſed è ſuis ſpelæis, in quibus ſibi & Deo vacabant, cum res poſtulabat, ad Regum palatia ciliciis paludati, & paupere pellium amictu intecti veniebant, nec à ſuis conſiliis vitæque ratione alienum exiſtimabant, ſi aberrantes reuocarent ad virtutis ſemitam, morum corruptelas tollerent, contumacium etiam ſuperbiam diuini ſpiritus efficacitate comprimerent. Itaque qui eodem ſpiritu ducti, aut è monaſteriis à Principibus euocati, aut à moderatoribus ſuis emiſſi Chriſtianos mores inter aulicos ſerere conantur, rem ſanè honeſtam faciunt, & veterum illorum prophetarum geſta, quos ſanctitatis miraculo omnis antiquitas admirata eſt, cum laude æmulantur.

Principes Virtutis, ac præſertim Religionis cultores diutius ferè viuere.

CAPVT VIII.

1 NOtius eſt quàm vt probandum ſit, Principes ſtrenuos virtutis cultores, religioſéque *Sanctos Viros vt Da-*

uid & Iob ex impiorũ proſperitate quaſi ſcandalum paſſos eſſe; eoſdem tamẽ eorumdem infortunia deſcripſiſſe, ac præſertim immaturã mortem, ex quo diuina aſſeritur prouidẽtia.

ſéque *inquirentes Dominum, non minui omni bono,* potentiam, victorias, gloriam, pacem denique conciliante pietate. Nulla tamen re magis delectantur homines quàm diuturnioris vitæ expectatione; hanc enim ſi Dominus pacatam à iactationibus, quæ Reſpubl. nonnunquam perturbant, Principibus conceſſerit; putant ſe bonorum omnium quæ in hac vita haberi poſſunt, cumulum complexionémque conſecutos. Itaque Dominus in Deuter. cum futuri olim in ſuo populo regis inſtitutionem traderet, ea præſertim commendans, quæ ad religionis ceremoniarumque præſcriptarum obſeruationem pertinent, tandem addit: *Neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & filius eius ſuper terram.* Dominus enim qui ſua prouidentia rebus humanis intereſt, nec, vt impij fabulantur, *Nubes latibulum* quoddam in eis ſibi conſtituit, *noſtra non conſiderans, & circa cardines cœli* otioſus *perambulans*, quos videt eorum veſtigiis inſiſtere, *qui dicebant Deo: Recede à nobis, & quaſi nihil poſſet facere omnipotens, æſtimabant eum*, coërcet eos pari pœna; nam vt illi *ſublati ſunt ante tempus ſuum, & fluuius ſubuertit fundamentum eorum*, cataclyſmi aquis vitam ante tempus ab ipſis fundamentis ſubruente, & euertente, ita hos *diſrumpit inflatos ſine voce, & commouet eos à fundamentis, adeo vt vſque ad ſupremum deſolentur.* Hoc enim ad diuinæ prouidentiæ rationem pertinet, vt eos principes, qui nullos habent in terris à quibus coërceantur, nec ſe tamen à praua malè agendi conſuetudine abduci patiuntur, more ſapientis medici, qui membrum abſcindit priuſquam totũ corpus lues importuna peruaſerit, quaſi funeſtam Reipubl. peſtem,

Pſal. 33. 11.
Deut. 17. 20.
Iob 22. 14.
Iob 22. 17.
Ibid. n. 18.
Sap. 4. 19.

peſtem, dum ſe morbo gliſcente latiùs diffundere parat, præcidat in tempore. Id autem præſtare Dominum diſcimus ex libro Eccleſiaſtici, in quo hæc legimus: *Omnis potentatus breuis vita, languor prolixior grauat medicum; breuem languorem præcidit medicus, ſic & Rex hodie eſt, & cras morietur.* Eccleſ. 10. 11. Quorum verborum ea ſententia eſt quam dixi. Principibus nimirum, qui impotenti dominatione populos premunt, ſuntque in homines parum iuſti, in Deum verò parum religioſi, multo citeriorem vitæ terminum à Deo conſtitui, quàm iis, qui in populos ſubiectos æqui ſunt, & diuini numinis reuerentes; imitaríque Deum medicos, qui breuem languorem præcidunt, hoc eſt recenti, & nondum confirmatæ medentur ægritudini, ne ſi ægrotus in prolixiorem incidat languorem, fiat morbus omni arte validior; atque propterea inde fieri, vt Rex aliquis hodie ſit inter viuos, ſed repente è vita eripiatur, cum tamen annos, non ſcelera computanti morti immaturus videri poſſit. Sed nimirum Dominus, qui rebus publicis conſultum vult, *Non relinquit virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas*; Pſal. 124. 3. quia licet ad virgam ſceptrúmque tractandum veniant in altum ſublati, ſuo tamen malo ad iſtos dignitatū gradus attolluntur, nam caſu grauiore ruunt: Dominus enim *deiicit eos dum alleuantur.* Pſal. 72. 18. Id autem eo conſilio à Domino fieri docet Dauid, ne forte qui virtutis cultores fuerant, ab ea deficiant, impiorum proſperis ſucceſſibus commoti, qui cum iſta vident, ſolicitantur *ad extendendas ad iniquitatem manus ſuas.* Nam non vulgus tantum imperitum immeriti prauorum hominum honores, reſque proſperè fluentes

perturbant, ſed etiam candidatos interioris ſapientiæ, quales erant ſanctus Dauid, & Iob, qui pluribus verbis ſceleſtorũ fœlicitatem deſcribentes, diuinam quodammodo prouidentiã requirere videbantur, quaſi rem indignã faceret Deus, qui cum nullo negotio zizania hæc inter triticũ ſuccreſcentia poſſet euellere, ad ea tamen demetenda potentiæ ſuæ falcẽ non moliretur. *Quare ergo impij*
Iob 21. 7. *viuunt*, inquit Iob, *ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis, ſemen eorũ permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotũ in conſpectu eorum? Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Bos eorum concepit, & nõ abortiuit, vacca peperit, & non eſt priuata fœtu ſuo. Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus Tenent tympanum, & cithara, & gaudent ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Nec his diſſimiles querelas, ſimilis Dauidis dolor euocauit, *Zelaui*, inquit, *ſuper iniquos pacem peccatorũ videns, quia non*
Pſal 72. 3. *eſt reſpectus morti eorũ* (quia ſcilicet mortẽ, non reſpuendã nanciſcuntur, eſt enim in Græco ἀνάνευσις renutus, deſpectus, repulſa) *& firmamentũ in plaga eorum*: ſi enim aliquando morbis, aut aliis huius vitæ malis tentantur, illico conualeſcunt, nec admodum diuturna eſt illa vexatio. *In labore hominũ non ſunt, & cum hominibus non flagellantur*, eæ enim moleſtiæ quibuſcũ cæteri homines conflictantur, illos non attingunt, *Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*, magna ſcilicet abundantia ſe effundens: tranſierunt in affectum cordis, cum eſſent ea quæ in hac vita ſuis affectibus optauerant, conſecuti: *Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt, poſuerunt in*

cælo

cœlo os ſuum, auſi cœleſtia, & diuina ſcelerata lingua inceſſere, *& lingua eorum tranſiuit in terra*, minus enim hominibus parcebant, qui Deum ipſum blaſphemis verbis impetere non dubitabant. *Ideo conuertetur populus meus hic*, ad hæc ſcilicet conſideranda, & quomodo ſe habeant perpendenda, *& dies pleni*, calicis ſcilicet, vt Hebræi interpretantur, *inuenientur in eis*, plenæ nimirum afflictionis. *Et dixerunt, quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in Excelſo?* Habet ne rerum humanarum procurationem Deus? Agnoſcit ne iſta, & ſi agnoſcit vt ſanè agnoſcit, cur impunè abire permittit? *Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſecula obtinuerunt diuitias, & dixi: Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Fruſtra igitur cultor pietatis fui, & innocentiæ, ab omni ſcelerum contagione abſtinens, cum mihi modo malè ſit, & nulla vitæ pars ab infortuniis vacet; quæ domum meam quodammodo videntur obſidere, & cum primum euigilo, in me impetum faciunt. Hæc ſancti viri Iob, & Dauid, quorum *pene moti* Ibid. n. 2.
pedes, & greſſus effuſi ſunt, quaſi dubitare cæperint, an Deus rebus humanis ſua prouidentia proſpiceret. Sed tandem re meliùs interiúſque perſpecta, abſtulit Deus hunc turbatarum mentium tumultum, nam ſi ſanctus Dauid cum illa omnia quæ recitauimus pronuntiaſſet, ſubdit; *Si dicebam, narrabo ſic, ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.* hoc eſt. Si ita de tota iſta re ſtatuo, prouidentiamque diuinã tollo, iam omnes filios Dei, qui illam agnoſcunt, & fatentur damno, quod tamen vt faciam animus refugit. *Exiſtimabam*, & mecum ipſe diligenter reputabam, *vt cognoſcerem* Ibid. n. 15.

hoc, ſed quia difficilis admodum, & implicata quæſtio eſt, *labor eſt ante me*, nec illam euoluere potero, *donec intrem in ſanctuarium Dei*, & ad illius ſecreta intelligenda admittar, *& intelligam in nouiſſimis eorum*, diligenter cõſiderando, quem finem tandem impij nanciſcantur. nec enim iſta certior vlla ratio iniri poteſt, qua diuinam prouidentiam humana iſta moderari intelligamus. *Veruntamen propter dolos poſuiſti eis, deieciſti eos dum alleuarẽtur.* Quia enim pauperes, ac innocentes circumuenire, & dolos in eorum perniciem nectere ſtuduerunt, tu, vt diuinæ tuæ prouidentiæ ſpecimen dares, effeciſti, vt doli impiorum in eorum capita reciderent, eoſque dum honoribus, diuitiiſque ſublati ſuperbirent, acciſis eorum viribus deieciſti, & ad terram afflixiſti: quíque felicitatis miraculo ab aliis ſuſpiciebantur, nunc è conuerſo inſtar ciuitatis bellicis machinis diſturbatæ, & euerſæ, cuius nihil ſupereſt præter ruinas antiquæ teſtes magnitudinis, & potentiæ, eos bonis omnibus, quibus florebant euertiſti: nam, *quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam, velut ſomnium ſurgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Adeo enim cito fœlicitas eorum euaneſcet, vt ſomnij cuiuſdam inſtar habitura ſit, quo nihil inanius eſſe poteſt, cum huius mundi figura non prætereat modo, ſed præteruolet, & illi fidentes deludantur, & tranſuerſi agantur, tu verò Domine imaginum iſtarum quas ſibi homines fingunt, inanitatem reteges, & quantopere falſi fuerint, qui ludicra iſta, & leuia ſectabantur,
Pſal. 54. 26. oſtendes. Nam *Tu Deus deduces eos in puteum interitus, viri que ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt*
dies

dies ſuos, neque permanebit ſpiritus tuus, vitæ ſcilicet, *in homine* huiuſmodi, quia caro eſt, cum tantum carnalia ſapiat, Deumque & ſpiritualia nihili pendat. Contra verò religioſos, & ſanctos in hac vita *replebis longitudine dierum*, & in alia, *oſtendes ſalutare tuum quo* plenam habeant, & cumulatam bonorum omnium complexione felicitatem. Sanctus etiam Iob poſt eorum bonorum enumerationem, quibus iniquos abundare dixerat, adeo illis non eſſe inuidendum docet, vt etiam ſit eorum conditio deprecanda. nam & cum multis ærumnis in hac vita conflictantur,& immatura morte rapiuntur è viuis, & tandem ad æternos inferorum cruciatus deſtinantur. *Veruntamen*, inquit, *quia non ſunt in manibus eorum bona*, ſed viciſſitudines etiam ipſi experiuntur, malis & ærumnis proſperitates, & res ſecundas excipientibus, *conſilium impiorum longè ſit à me. quoties lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio*, vt iis ſimiles ſint, qui in mari deprehenſi, cum diem nubes eripiunt & ſalum ventis impellentibus commouetur, quid conſilij capiant, timore perculſi penitus ignorant, illis enim Dominus *dolores diuidet furoris ſui, erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit. Deus ſeruabit filiis illius dolorem patris*, vt non in ſe ipſis tantum, ſed in prole etiam quam ſuſceperint, impij puniantur, *& cum reddiderit, tunc ſciet:* cum enim grauiſſimas pœnas dederint, tunc tandem quam graues ſint, & atroces intelligent, neque enim ij ſatis quid ſint aſſequi poſſunt,qui experientia monſtrante non didicerunt. *Videbunt oculi eius interfectionem ſuam, & de furore omnipotentis bibent:* nam ante tempus, cum adhuc ſenſus

Geneſ.6.3.

Pſal.90.16.

Iob 21.16.

vigent ſenectute nondum hebetati, & retuſi, cum adhuc melior ſanguis in venis turget, quaſi bruta quædam animalia ad macellum trahentur, & ipſi ſuæ interfectionis ſpectatores erunt, quod iis non accidit, qui morte minus violenta in ſenectute bona moriuntur, ſenſibus, ac viribus paulatim deficientibus, & languentibus. *Quid enim ad eum pertinet de domo ſua poſt ſe, & ſi numerus menſium eius dimidietur?* Quamuis enim filiorum pœna ad parentes, qui cum illis magno amoris nexu coniuncti ſunt, aliquo modo pertineat, tamen in ſe ipſis puniendi ſunt, & de medio tollendi, violenta morte immiſſa, dum annis florent, & rebus; vt illis planè accidat quod in eodem

Iob 15.32. libro Iob legitur, *Antequam dies eius impleantur peribit, & manus eius areſcent, lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proiiciens florem ſuum,* à qua nimirum prius decidunt flores, quàm debitum capiant incrementum, & ſuam maturitatem aſſequantur. Hæc S. Iob, cui concinit Salomon, qui mortem malis ante tempus imminentem, eoſque de medio tollentem peruidens, ab impietate, & à ſtultitia, quibus vocibus in ſcriptura omne genus peccati ſignificatur, ſed præſertim illud quo in religionem contra Deum pec-

Eccleſ.7. 18. catur, de quo propriè dicitur quod *Impij ſint multum* qui illud admittunt, auertere ſatagens, *Ne impiè agas multum,* inquit, *& noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Quem locum aliqui ita interpretantur, vt mori tempore nō ſuo, idem ſit ac tunc extingui, cum minus putaueras. Improbi enim quamuis longiſſimam vitam duxerint, in mortis tamen expectatione nunquam ſunt, quam adhuc plurimum diſtare putant, atque ita mors

ſemper

Digitized by Google

ſemper illis præcox eſſe videtur, & immatura, certe inopinata, & ingrata, quippe quæ tempore non ſuo, id eſt non eo quod ipſi mente, & cogitatione præceperant, ſed alio vt ipſis videtur importuno aduenerit. Vt cuidam ex hoc ſtultorum numero accidiſſe dicitur apud Lucam; cui cum Luc.12.20.
vberes fructus ager attuliſſet, cogitabat intra ſe dicens: *Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti cuius erunt?* Quamquam autem hoc veriſſimum eſt, ſenſus tamen ſapientis eſſe videtur, vt alij plures explicant, vt nimirum impij tempore non ſuo extingui dicantur, quia plerique eorum moriuntur morte intempeſtiua, violenta, & anticipata, & ante naturalem vitæ terminum quem attingere potuiſſent. Id autem veriſſimum eſſe filiorum Heli Sacerdotis probat hiſtoria, qui cum eo deueniſſent impudentiæ, & impietatis, vt ritum ſacrificiorum, ſanctiſſimaſque religiones perturbarent, idque vi etiam ſacrificia oblaturis intentata, ita vt *eſſet peccatum* 1 Reg.2.
puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant 17.
bant homines à ſacrificio Domini, vt ſcriptura ipſa teſtatur; ita Samuelem alloquens comminatus eſt Dominus, Helique Sacerdoti ſacrilegorum illorum parenti ſuis verbis renuntiari iuſſit, *Ecce* Ibid.n.31.
dies venient, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non ſit ſenex in domo tua: & videbis æmulum tuum in templo, in vniuerſis proſperis

Digitized by Google

Iſraël, & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus. Et pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi ſignum quod venturũ eſt duobus filiis tuis Ophni, & Phinees: In die vno morientur ambo. quod accidit cum arca capta à Philiſtæis, vterque ab hoſtibus cæſus eſt, vt quæ euentura prædixerat Dominus, ipſo adhuc ſuperſtite patre adimplerentur, omneſque intelligerent veriſſimum eſſe quod ab Ezechiele dictum

Ezech.22. 4. eſt contra Ciuitatem idolis ſeruientem: *In idolis tuis quæ feciſti polluta es, & appropinquare feciſti dies tuos, & adduxiſti tempus annorum tuorum:* quia enim religione conculcata, diuinique numinis legitimo cultu poſthabito, ad idola conuerſa es, eaque pro diis habuiſti, propterea tuo hoc ſcelere vitæ tempus tibi breuius, & contractius feciſti, ita impietatem tuam Domino vindicante. Hoc enim genus hominũ iuſto Dei iudicio non infre-

Pſal.128. 6. quenter *ſicut fœnum tectorum priuſquam euellatur exareſcit:* contra verò iuſti & pij homines, quibus

Pſal.1.3. religio cordi eſt, *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, eſſe ſolent, quod non modo amœniſſima foliorum viriditate conueſtitur, ſed etiam *fructum ſuum dat in tempore ſuo*,

Iob 15.32. nec ſunt vt oliua illa quam dicebat Iob *proiicere florem ſuum*, illum ſcilicet amittere, ſed ad debitam maturitatem, hoc eſt ad bonam, & fructibus iuſtitiæ plenam ſenectutem perueniunt, de qua paucula quædam ex ſcripturis more noſtro excerpta ſubiiciemus.

In ſcriptura de quibuſdã ſanctis dici quod mul-

2 Sacra ergo Scriptura de aliquorum virorum ſanctitatis laude inſignium morte verba faciens, hoc de ſenectute quam attigerunt adiunctũ non prætermiſit, nam de Abraham dicitur in Geneſi,

&

& deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectaq́ ætatis, & plenus dierum. De Iſaac etiam eius filio dicitur eod. libro, *& completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum, conſumptúſque ætate mortuus eſt, & appoſitus eſt populo ſuo ſenex, & plenus dierum.* Dauid etiam ſenex dicitur in libris Paralipomenon, & de Iob ita ſcribitur in extrema illius hiſtoria: *Vixit autem Iob poſt flagella hæc centum quadraginta annis, & vidit filios ſuos, & filios filiorum ſuorum vſque ad quartam generationem, & mortuus eſt ſenex, & plenus dierum.* De vtroque etiam Tobia idem notatur in ſcriptura. De ſeniore quidem cum dicitur, *& poſtquam illuminatus eſt Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum ſuorum. Completis itaque annis centum duobus ſepultus eſt honorificè in Niniue.* De iuniore autem eodem capite ita legimus, *Factum eſt autem poſt obitum matris ſuæ, Tobias abſceſſit à Niniue, cum vxore ſua, & filijs, & filiorum filijs, & reuerſus eſt ad ſocios ſuos, inuenitque eos incolumes in ſenectute bona, & curam eorum geſſit, & ipſe clauſit oculos eorum, & omnem hæreditatem domus Raguelis ipſe percepit, viditq́ quintam generationem, filios filiorum ſuorum, & completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio ſepelierunt eum.* Agnoſcit ergo ſcriptura, & prædicat tanquam Dei beneficium inſigne vt reuera eſt, vitæ diuturnitatem, cum præſertim vegeto corpore, & ſenſibus integris ſpatium illud totum decurritur, vt iis accidit quos enumeraui, & peculiariter exprimitur de Moyſe in libro Deuteronomij cum dicitur, *Moyſes centum & viginti annorum erat, quandò mortuus eſt, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.* Septuaginta verterunt, *neque corrupta*

tum vixerint, & tādē mortui ſint in ſenectute bona, & plenı̄ dierū, quod pietati, & in Deū religioni acceptum referendum oſtēditur.

Geneſ. 25. 8.

Geneſ. 35. 29.

1. Paralip. 23.

Iob. 42. 16.

Tob. 14. 1.

Ibid. n. 14.

Deut. 34. 7.

ſunt libro eius, Chaldæus, *neque mutatus eſt ſplendor gloriæ vultus eius.* Vatablus, & Caietanus, Maxillæ eius nihil defecerant, vel, *Nec emarcuerat viror eius*, vt ſcilicet Moyſi grandæuo viridis & cruda ſenectus eſſet, corpus validum, vires integræ facies non exſucca, & arida, vt ſenibus eſſe ſolet, ſed ſucculenta, & florida. Hoc autem in omnibus his quos recenſui pietatis præmium fuiſſe quis dubitet? Genus quoddam ſacrificij inſtituerat Abraham, vaccis, arietibus, auibúſque iuxta Domini præceptum mactatis, & quia ſuas haſce victimas volucres inuolabant, in illis abigendis adeo fatigatus eſt, donec illum labore maceratum ſomnus complexus eſt, *cúmque ſol occumberet*, inquit ſcriptura, *ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum, dictúmque eſt ad eum, ſcito prænoſcens, &c.* Et paulo poſt, *Tu autem ibis ad patres tuos in pace ſepultus in ſenectute bona.* Tunc ergo potiſſimùm Abrahamo vitæ longioris facta per ſomnium, aut vt vertunt Septuaginta, *Ecſtaſim*, promiſſio eſt, cum ſacrificij laborem ſomnus excepiſſet, vt intelligeremus frequenter pietatem hoc ferre præmium, vt in hac etiam vita diuturna fœlicitate perfruatur. Idem verò de cæteris iudicium eſſe debet. Quis enim Iſaac pietatem in Deum ignorat, cuius ea fuit conſuetudo, vt ad diuina animo pertractanda prodiret in agrum: de eo enim ſcribitur in Geneſi, *& egreſſus fuerat ad meditandum,* Kaldæus, *ad orandum in agro inclinata iam die.* Cui eximia Dauidis in Deum religio, & pietas, vel ex Regum hiſtoria, vel ex libro pſalmorum perſpecta non eſt? qui verè prædicat de ſe ipſo *ſepties in die ſe Deo laudem dixiſſe*, idque non interdiu tantum,

Geneſ. 15. 12.

Geneſ. 24. 63.

Pſal. 118. 164.

aut

rat matutino tempore (nam etiam hoc tempus ad orandum valde idoneum oratione vacare non permittebat) ſed etiam nocte concubia, cum reliqui homines diurno labore fracta mēbra componunt ad quietem, vigilabat ipſe, *nam media nocte ſurgebat ad confitendum nomini Domini.* Quàm decantata ſancti Iob patientia, & in Deum religio, qui ſacrificiis non ſemel repetitis filiorum peccata expiare ſatagebat, qui tam multarum, tam grauium ærumnarum tolerantia, quas Deo ſciebat auctore ad explorandam mentis conſtantiam immiſſas, ſui, vel ex ipſo fimeto ſuauiſſimum holocauſti odorem exhalabat? Cui verò nota non ſunt Tobiæ in proximos eleemoſynæ, & in Deum pietas per orandi ſtudium diligenter exculta, cui vni accepta referenda ſunt, quotquot beneficia diuinitus accepit? Nam ſi Angelus filium eius in peregrinatione longinqua, & periculoſa incolumem, & abſque errore duxit, & reduxit, ſi creditam Gabelo pecuniam recepit, ſi vxori diuiti, piæque adiunxit, ſi dæmonium ne ſponſis noceret, compeſcuit, ſi longam ipſe ſenex vitam traduxit, horum bonorum omnium tunc ſemina iaciebat, *Quando orabat cum lacrymis, & ſepeliebat mortuos, & derelinquabat prandium ſuum, & mortuos abſcondebat per diem in domo ſua, & nocte ſepeliebat eos.* Alterius verò Tobiæ mors, quia ſeni accidit, & bonorum omnium diuturna vſura perfuncto, quia doloribus illis, & cruciatibus caruit, quibus torquentur ij qui nondum ætate confecti moriuntur, quia plures vt bonorum ſuorũ hæredes, ita etiam virtutum, ac pietatis imitatores reliquit, *nã omnis cognatio eius in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſit, ita vt*

Pſal. 118. 62.

Tob. 12. 12.

Tob. 14. 17.

vt accepti eſſent tam Deo quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra, luctum filiorum non elicuit, ſed potius cum gaudio elatus eſt, vt ſcriptura docet, cum ait, *cum gaudio ſepelierunt eum*, quia nimirum dierum plenum ita tempeſtiuè mortuum intelligebant, vt ſi diutius viueret, commodatitia hæc, & deſertura corporis bona deuexa ſenectus iam non augeret, ſed corrumperet, ingreſſúſque eſt, vt dicitur in libro Iob, *in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo.*

Iob 5.26.

Ad prolixā vitā in ſanctis ipſis multū contuliſſe pacē animi internam, ex bona conſciētia proueniētem.

3 Huius autem longæ fælicíſque ſenectutis vt diximus, auctor eſt Deus, qui ea remouet impedimenta, quibus vitæ curſus ſolet intercipi, morbos, angores animi, curarum mordaces ſolicitudines, quibus pectus foditur, & lancinatur; animi verò & conſcientiæ tranquillitatem impertit, qua qui curis vacuus ſub Domini latens tutela perfruitur, dicere poteſt cum ſancto Dauid, *Dominus adiutor meus, in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum, & refloruit caro mea.* Vel vt vertit D. Hieronymus & Kaldæus. *Et gauiſum eſt cor meum, itaque refloruit caro mea*, quia vt docet ſapiens, *animus gaudens ætatem floridam facit*, & lætitia mentis redundat in corpus, illúdque vegetum, florens & viuax reddit; contra verò qui curarum & ſolicitudinum fluctibus æſtuant, corpus attenuatum, & macilentum circumferunt, *nam ſpiritus triſtis exſiccat oſſa, deducuntúrque cum mœrore ad inferos*, vt de iis loquitur ſcriptura, qui dolore confecti & curis tabeſcunt ante tēpus. Hanc igitur tranquillitatem animi, quæ iuſtis familiaris eſt, ab impiis autem longiſſimè abeſt, bonam illis conciliare ſenectutem crediderim. Nam cum impij

Pſalm. 27. 7.

Geneſ. 42. 38. & 44. 29. & alibi.

impij ſint quaſi mare feruens, vt ait Iſaias, *Quod quieſcere non poteſt, cuius fluctus redundant in conculcationem, & in lutum, nec ſit illis pax*, contra iuſtitiæ ſectatores in pace nutriuntur, vt Abrahamo promiſſum eſt in Geneſi, cum ei à Domino dictum eſt, vt legunt 70. & ſequuntur Patres Auguſtinus & Ambroſius. *Tu autem ibis ad patres tuos, in pace nutritus, ſepultus in ſenectute bona.* Quæ verba de pace potius, & tranquillitate animi, quàm externa ab armis quiete accipienda ſunt, nam & bella ſuſcepit aliquando Abraham, vt legimus in Geneſi, & patria caruit, & ſuæ fælicitatis aduerſarios, & oppugnatores nactus eſt, quorum tamen violentia ſtatum mentis, animique conſtantiam commouere nulla ratione potuit, quo minus ſedatis perturbationibus, æqualitatem quam diuino munere, & virtutis exercitatione fuerat adeptus retineret. Magnam enim conciliat tranquillitatem, Nihil conſcire ſibi, nulláque admiſſæ culpæ formidine pelleſcere, nam *cum fugiat impius nemine perſequente*, conſcientiæ ſtimulis pectus fodientibus, contra *iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.* Cui ſapientis effato conſentit ſanctus Iob, apud quem legimus. *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit*, vel vt ex Hebræo verti poteſt, *Omnis impij vita in cura verſatur, & numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius.* quod 70. vertunt, *Anni verò numerabiles potenti tributi ſunt*, menſura breuiore, & contractiore tempus vitæ illis admetiente Deo: ſubditur autē huius rei cauſa cum dicitur, *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cū pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur, non credit quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans vndique gladium, cum ſe mouerit ad quærendum panem,*

Iſa. 57. 20.
Geneſ. 15. 15.
Aug. 16. de ciuit. c. 24.
Ambroſ. l. 2. de Abraham c. 9.
Prou. 28. 1.
Iob 15. 20.

viros mortis faciem exhorruiſſe, illámque fuiſſe
Eſa.38.10. deprecatos. Nam Ezechias ægritudine inualeſcente contabeſcens flebiliter lamentatur, *quod in dimidio dierũ vadat ad portas inferi,* quod *præciſa eſſet velut à texente vita ſua, dúmque adhuc ordiretur, ſuccideret eum Dominus,* hoc verò timore conturbatũ ſe *ſicut pullum hirundinis clamaſſe, & ſicut columbam meditatum fuiſſe,* teſtatur. Quid? nónne ab ipſo Da-
Pſal.101. 25. uid vocem illam expreſſit mortis formido, *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum?* Quid de Abraham, Iacob, Helia dicemus, quos etiam vt ex ſcripturis diſçimus, mortem timuiſſe comperimus? Eleganter tractat locum hunc ſanctus Chryſoſtomus, cuius verba, quia in exemplis ex ſcriptura depromptis explicandis, & amplificandis
Serm. de SS. Bernicę, & Proſdocę. verſatur, deſcribam. *Patriarcha,* inquit, *Abraham inſtus Dei amicus, qui patriam reliquerat, qui domum, cognatos, amicos & præſentes res omnes ob Dei mandatum contempſerat, ita timebat, ac reformidabat mortem, vt in Ægyptum ingreſſurus hæc vxori ſuæ dice-*
Geneſ. 12. 11. *ret. Noui quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij, te vendicabunt, me autem interficient. Quid igitur? Dic, ſoror illius ſum, vt bene ſit mihi propter te, & viuet anima mea. Quid hoc rei eſt, ô ſancte, & Patriarcha? Pro nihilo habes vt vxori ſtuprum afferatur, vt thorus lædatur, & coniugium violetur? ita ne tandem mortem reformidas? neque verò tantum pro nihilo habes ſed etiam cum vxore dolum nectis, ac ſtupri fabulam cum ea ſimulas, omnémque das operam, vt Rex dum adulterium inceptat, latere poſſit, & ablato coniugis nomine, perſonam illi ſororis adaptaſti, &c.* Et paulo poſt. *Videamus ergo quam intolerabilẽ, ac moleſtam rem paſſus ſit,* vt ſcilicet mortem effugeret: *nam vxorem cernere conſtupratam, & adulterio pollu-*

Digitized by Google

tam intueri, ſexcentis mortibus eſt intolerabilius. Quid dico adulterio pollutam? ſi vel tenuis de ipſa ſuſpicionis cogitatio mentē occupet, acerba illi vita omnis & minimè vitalis videtur. Eſt enim ignis illi quidam, & indomita flamma zelotypiæ morbus, cuius tyrannicam, & ineuitabilem vim declarans quiſpiam dicebat, Plenus enim zelo animus viri eius, non commutabit vlla redemptione odium, neque parcet in die iudicij, neque diſſoluetur multis donis. & alibi. Durus vt infernus eſt zelus. Sicut enim non poteſt infernus, inquit, pecuniis flecti, ſic neque is qui zelotypiæ laborat leniri atque placari. Multi vtique ſæpe vita ſua libenter redemiſſent vt adulterum inuenirent, ſanguinem ipſum viri eius qui vxorem conſtuprarat, perlubenter deguſtaſſent, & quæuis aut agere, aut pati eius rei cauſa contenti fuiſſent. Sed nunc nihilominus intolerandum morbum, hunc violentum, & implacabilem, iuſtus patientiſſimè tolerauit, & ſtuprum vxoris, præ nimio mortis, & interitus timore contempſit. Poſt hæc S. Chryſoſt. ingenioſè & ſolidè Abrahamum in hoc facto ab omni peccati ſuſpicione liberat, quæ qui volet, apud ipſum legat. Tranſit deinde ad Iacobi exemplum, de quo ita ſcribit. *Reſtat vt ad eius nepotem Iacob orationem traducamus, vt illum quoque necem metuentem, & trementem, videas, hominem, qui à prima iam ætate Philoſophiam Apoſtolicam præſetulerat. Paulus enim diſcipulis in hæc verba præcipiebat. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus, hoc & ipſe poſtulabat à Deo dicens. Si dederit mihi Dominus panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, ſufficit nobis. Sed & iſte tamen, qui nihil præter neceſſaria quærebat, qui domum neglexerat, qui benedictiones acceperat, qui matri paruerat, qui Deo amicus erat, qui ſapientia naturæ vim attulerat, poſterior*

Prou. 6. 34.
Cant. 8. 6.
1. Tim. 6. 8.
Geneſ. 28. 20.

nouit quod paratus ſit in manu eius tenebrarum dies, propinati veneni ſuſpicionibus perturbatus, *terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eũ, ſicut regem qui præparatur ad bellum.* Harũ autem ſolicitudinũ ac moleſtiarum cauſam ſtatim ſubdit, *Tetendit enim aduerſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentẽ roboratus eſt, cucurrit aduerſus eum erecto collo & pingui ceruice armatus eſt.* Quàm verò ſit *timida nequitia,* &

Sap. 17. 10. quomodo, *ſemper præſumat ſæua perturbata cõſcientia,* elegantiſſimè deſcribitur in libro ſapientiæ, his

Ibid. n. 17. verbis. *Siue ſpiritus ſibilans inter ſpiſſos arborum ramos, auiũ ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animaliũ curſus inuiſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo, deficientes faciebat illos præ timore.* Magna ſanè animi conſternatio, qua ea etiã formidantur quibus cæteri mirũ quantum delectantur. Nam tenues ventorum ſuſurri arborum comis leniter vẽtilatis, & auium in ſyluis garritus, aut Echo in cauernis vallibúſque reſultans, quos non oblectet? Et tamen iſta fiunt impiis terriculamẽta, quibus obſtrepente conſcientia, nihil tutum, aut pacatum eſſe poteſt. Manus ſuas Cain fraterna cæde maculauerat, ideoque tanti ſceleris ſibi cõſcius dicebat, *Omnis*

Geneſ. 4. 14. *qui inuenerit me, occidet me.* Euidens, inquit D. Ambroſ. *generaliſque ratio, quia omni impio mala adſunt, & adfutura ſunt; quæ adſunt triſtitiam operantur, quæ futura formidinem.* Et poſt nonnulla, *ſed à quo,* inquit,

D. Ambr. l. 2. de Cain & Abel. *timebit occidi, qui ſolos parentes habebat in terris?* Sed nimirum per conſcientiam quieto illi eſſe non licebat; quæ cum peccati ſui faciem ante oculos illi frequenter obiiceret, totum pectus grauiſſimo timore percellebat. At verò iuſtorum etiam in præ-

Digitized by Google

ſentiſſimis periculis illæ ſunt voces, *ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Deus noſter refugium & virtus,* &c. *propterea non timebimus.* Ecce Deus. *Saluator meus fiducialiter agam, & non timebo. Non enim contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit, nam qui pacis ſequuntur conſilia, ſequitur eos gaudium.*

Pſal. 26. 3. Pſal. 26. 1. Pſal. 46. 1. Iſa. 12. 2. Prou. 12. 20. 21.

4 Sed hic forte dicat aliquid *dies hominis deſiderandos* non eſſe quorum vnumquemque ſua malitia comitetur, *dies* potius *antiquos cogitandos, & annos æternos in mente habendos*, cum *cunctis diebus pſalmos cantabimus in domo Domini.* Sanè non inficior æternarum illarum manſionum, quæ in domo cæleſtis Patris ſunt, pulchritudinem conſideranti, omnia iſta bona aſpectabilia vileſcere, magnæque ſanctitatis viros aliquando depoſita mortalitatis ſarcina, in meliorem beatorum ſortem optauiſſe tráſcribi, cum præſertim huius vitæ malis iactarentur. Ideo S. Dauid, partim manifeſtæ inimicorum violentiæ, partim dubiorum amicorú inconſtantię pertæſus, clamabat ad Dominú: *Libera me à perſequentibus me. Educ de cuſtodia animá meam.* Qui igitur tantam adeptus fuerit vitæ ſanctioris perfectionem noſtræque mortalitatis conditionem, ſe ſupra cómuné hominum modum extollendo tranſilierit, vitæ huius commoda negligat & per *paucitaté dierú* præſentis vitæ, qui *breui finientur*, ad æternam illá aſpirare cótendat: ſed quotus quiſque eſt, qui iuxta D. Pauli ſententiam non gaudeat, *pietatem promiſſionem habere vitæ eius, quæ nunc eſt pariter, & futuræ*: imò qui iuxta eiuſdé dictú, *expoliari non timeat*, malitque ſi fieri aliqua ratione poſſit, veſtibus illis gloriæ ſuperueſtiri? Equidé animaduerto ſanctiſſimos etiá viros

Longitudinem vitæ Dei beneficiũ eſſe & ſanctos etiã viros mortẽ timuiſſe.

Ierem. 17. 16. Matth. 6. 34. Pſal. 76. 6. Pſal. 141. 6. Iob 10. 20. 1. Tim. 4. 8. 2. Cor. 5. 4.

viros mortis faciem exhorruiſſe, illámque fuiſſe deprecatos. Nam Ezechias ægritudine inualeſcente contabeſcens flebiliter lamentatur, *quod in dimidio dierũ vadat ad portas inferi,* quod *præciſa eſſet velut à texente vita ſua, dúmque adhuc ordiretur, ſuccideret eum Dominus,* hoc verò timore conturbatũ ſe *ſicut pullum hirundinis clamaſſe, & ſicut columbam meditatum fuiſſe, teſtatur.* Quid? nónne ab ipſo Dauid vocem illam expreſſit mortis formido, *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum?* Quid de Abraham, Iacob, Helia dicemus, quos etiam vt ex ſcripturis diſcimus, mortem timuiſſe comperimus? Eleganter tractat locum hunc ſanctus Chryſoſtomus, cuius verba, quia in exemplis ex ſcriptura depromptis explicandis, & amplificandis verſatur, deſcribam. *Patriarcha,* inquit, *Abraham iuſtus Dei amicus, qui patriam reliquerat, qui domum, cognatos, amicos & præſentes res omnes ob Dei mandatum contempſerat, ita timebat, ac reformidabat mortem, vt in Ægyptum ingreſſurus hæc vxori ſuæ diceret. Noui quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij, te vendicabunt, me autem interficient. Quid igitur? Dic, ſoror illius ſum, vt bene ſit mihi propter te, & viuet anima mea. Quid hoc rei eſt, ô ſancte, & Patriarcha? Pro nihilo habes vt vxori ſtuprum afferatur, vt thorus lædatur, & coniugium violetur? ita ne tandem mortem reformidas? neque verò tantum pro nihilo habes ſed etiam cum vxore dolum nectis, ac ſtupri fabulam cum ea ſimulas, omnémque das operam, vt Rex dum adulterium incæptat, latere poſſit, & ablato coniugis nomine, perſonam illi ſororis adaptaſti, &c.* Et paulo poſt. *Videamus ergo quam intolerabilẽ, ac moleſtam rem paſſus ſit,* vt ſcilicet mortem effugeret: *nam vxorem cernere conſtupratam, & adulterio pollutam*

Iſa. 38. 10. Pſal. 101. 25. Serm. de SS. Bernice, & Proſdoce. Geneſ. 12. 11.

tam intueri, ſexcentis mortibus eſt intolerabilius. Quid dico adulterio pollutam? ſi vel tenuis de ipſa ſuſpicionis cogitatio mentē occupet, acerba illi vita omnis & minimè vitalis videtur. Eſt enim ignis illi quidam, & indomita flamma zelotypiæ morbus, cuius tyrannicam, & ineuitabilem vim declarans quiſpiam dicebat, Plenus enim zelo animus viri eius, non commutabit vlla redemptione odium, neque parcet in die iudicij, neque diſſoluetur multis donis. & alibi. Durus vt infernus eſt zelus. Sicut enim non poteſt infernus, inquit, pecuniis flecti, ſic neque is qui zelotypia laborat leniri atque placari. Multi vtique ſæpe vita ſua libenter redemiſſent vt adulterum inuenirent, ſanguinem ipſum viri eius qui vxorem conſtuprarat, perlubenter deguſtaſſent, & quauis aut agere, aut pati eius rei cauſa contenti fuiſſent. Sed nunc nihilominus intolerandum morbum, hunc violentum, & implacabilem, iuſtus patientiſſimè tolerauit, & ſtuprum vxoris, præ nimio mortis, & interitus timore contempſit. Poſt hæc S. Chryſoſt. ingenioſè & ſolidè Abrahamum in hoc facto ab omni peccati ſuſpicione liberat, quæ qui volet, apud ipſum legat. Tranſit deinde ad Iacobi exemplum, de quo ita ſcribit. *Reſtat vt ad eius nepotem Iacob orationem traducamus, vt illum quoque necem metuentem, & trementem, videas, hominem, qui à prima iam ætate Philoſophiam Apoſtolicam præſetulerat. Paulus enim diſcipulis in hæc verba præcipiebat. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus, hoc & ipſe poſtulabat à Deo dicens. Si dederit mihi Dominus panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, ſufficit nobis. Sed & iſte tamen, qui nihil præter neceſſaria quærebat, qui domum neglexerat, qui benedictiones acceperat, qui matri paruerat, qui Deo amicus erat, qui ſapientia naturæ vim attulerat, poſterior*

Prou. 6. 34. — Cant. 8. 6. — 1. Tim. 6. 8. — Geneſ. 28. 20.

Digitized by Google

quippe natura cum eſſet, benedictionibus prior euaſit, qui tam multa potuerat, qui tantam philoſophiam, tantámque pietatem præ ſe tulerat, poſt ſexcenta certamina, poſt ſexcentos agones, poſt ſexcentas luctas, & plurimas illas coronas, cum in patriam reuerteretur, & occurſurus fratri eſſet, quaſi belluam conſpecturus,
Geneſ. 32. 11. *ciúſque memoriam iniuriarum pertimeſcens, ſupplex Deo fit, & orat. Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo ego, ne forte veniens percutiat me, & matrem ſuper filios. Vides vt hic quoque mortem pertimeſcat? vt tremat, Deúmque illius cauſa precetur? Viſne oſtendam & alterum virum magnum hoc eodem modo rurſus affectũ? Pone tibi ante oculos Eliam, animam ad cœlum pertingentem, ac diuinam; ille enim qui cœlum clauſit, rurſuſq; reſerauit, qui deſuper ignem deiecit, qui mirabile illud ſacrificium obtulit, qui pro Deo zelo exarſit, ille qui in corpore humano angelico vitam exhibuit, qui præter ouinam pellem nihil habuit, qui rebus omnibus humanis ſuperior euaſit, adeo mortem metuit ac reformidat, vt poſt illa cuncta, poſt cœlum & ſacrificium, poſt deſertum, & philoſophiam, tantámque*
3. Reg. 19. 2. *fiduciam, vilem mulierculam pertimeſcat, & idcirco fugiat. Nam quia dixerat Iezabel. Hæc faciant mihi Dij, & hæc addant, niſi cras animam tuam ponam ſicut animam vnius ex illis, qui mortui ſunt, timuit Elias, in-*
Pſalm. 33. 13. *quit, & fugit itinere dierum quadraginta. Vides vt mors ſit terribilis?* Hactenus D. Chryſoſt. *Quis igi-*
Ibid. n. 14. *tur eſt homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Prohibeat*, qui hoc habet in optatis, *linguam à dolo*, nec manus ſuas extendat ad iniuſtitiam, præſertim verò numen diuinum ſanctè & religiosè colat; ſic enim fieri poterit vt diuturna, & felix vita contingat, nec tamen ab illa excidat hæreditate quam Deo iuuante expectamus in patria.

De

Digitized by Google

De Principis Iuſtitia: ac primò de ea quæ eſt in commutationibus.

CAPVT IX.

1 IVſtitiam philoſophi in duas præcipuas diducunt formas, commutatiuam, & diſtributiuam. Hæc in munerum, honorum, præmiorúmque diſtributionibus, & inter Rempub. aut ipſius Principes, & capita, & priuatos verſatur: illa ſemper verſatur inter priuatos, aut certè eos, qui priuatorum more ſe habent, etiamſi Principes alioqui ſint, æqualitatémque conſtituit inter ipſas res nullo habito reſpectu conditionis perſonarum, cùm diſtributiua in eo potiſſimùm laboret, vt æqualitatem conſtituat perſonarum pro meritis, ac conditione ſpectata. Nunc ergo de cómutatiua breuiter dicendum. Accidit enim nonnunquam vt Principes emant, vendant, aut cum ſubditis ſuis alia ratione contractus ineant, in quibus ne aliquis potentiæ abuſus interueniat, Principi curãdum eſt, vt priuatis, quibuſcũ agit, ita ius ſuũ tribuat, & cum æquitas poſtulauerit, proſequi permittat, ac ſi ipſe non princeps eſſet, ſed priuatus: vt iuſtitiæ huius, de qua nunc agimus, rationem poſtulare dictum eſt. Hanc ergo iuſtitiam vt cum ciuibus ſeruarent ſolicitos olim fuiſſe Iudæos magiſtratus inuenio apud Iſaiam, nam cum murorum munitionem vrgerent, vt hoſtium impetum ſuſtinere poſſent, ſi forte ingruerent

Exemplis ſcripturæ commẽdatur Principi iuſtitia commutatiua.

Digitized by Google

rent, domos priuatorum quas diruerant, aut quarum aream occupauerant diligenter numerarunt, vt illorum ratio haberi poſſit qui damni aliquid demolitione illa paſſi eſſent, caueretúrque ne Reipublicæ cauſa detrimentum aliquod priuatorũ fortunis irrogaretur, hoc enim ſignificat id
Iſa. 22. 10. quod legimus apud prophetã, *Domos Ieruſalẽ numeraſtis & deſtruxiſtis domos ad muniendũ murum:* quod factum proculdubio laude dignum eſt, cum à iuſtitia, quæ vnicuique ius ſuum reddit, proficiſcatur. Nec eos propheta propterea reprehendit eo loco, ſed tantùm eo nomine in eos inuehitur, quod ſpem omnem in humanis conſiliis, auxiliíſ-
Pſalm. 120. 1. que collocaſſent, ad Deum verò non *leuaſſent vnde auxilium illis venire poterat.* Quod ex ipſo Iſaiæ contextu apertè conſtat, nam cum dixiſſet in extruendis muris, foſſiſque ducendis eos fuiſſe occupatos, addit, *& non ſuſpexiſtis ad eum qui fecerat* eam, (Ieruſalem ſcilicet) *& operatorem eius de longè non vidiſtis.* Maior etiam Dauidis exactiórque iuſtitia, qui aream ad excitandum altare coëmpturus ab Areuna Iebuſæo, vltro ipſe ad Areunam acceſſit, aream oblato pretio poſtulauit, nec pecuniam repudianti acquieuit, ſed *illi*
1. Paral. 21. 25. *dedit Dauid pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos*, & cur ita fieri deberet addidit rationem,
Prou. 3. 9. *Neque enim tibi*, inquit, *auferre debeo, & ſic offerre Domino holocauſta gratuita.* Nam cum iuxta ſapientis dictum *honorare Deum* vnuſquiſque debeat *de ſua ſubſtantia*, id præſertim Dauidi faciendum eo tempore videbatur; nam cum ſacrificium illud pro expiando Dauidis peccato inſtitueretur non ab Areuna, quæ ad ſacrificium neceſſaria erant ſuppeditari, ſed ab ipſo Dauid ex bonis ſuis proferri

ferri

ferri par erat. Et quamuis liberali animo, vt credibile eſt, dixiſſet Areuna, *Tolle, & faciat Dominus meus Rex quodcunque ei placet. Omnia libens præbebo*: donum tamen admittendum non exiſtimauit. Cum enim *beatius ſit magis dare quàm accipere*, iuxta verbum Domini, honeſtius dant Principes priuatæ fortunæ hominibus, quàm ab illis quidquã accipiunt. Eſt autem vox iſta Dauidis Areunæ donum reiicientis illi perſimilis, qua vſum aliquando Abrahamum legimus in libro Geneſis: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli, & terræ, quod à filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas. Ego ditaui Abraham.* Id verò in iis præſertim locum habet, quæ tunc demum abſque pretio offeruntur, cum ea Princeps vt ſibi venderentur poſtulauit: Maior enim ſuſpicio ſubeſſe poteſt ne officioſiùs iſta dicantur quàm veriùs, ſi præſertim alia accedant adiuncta, ex quibus conſtet Principem rei illius potiundæ cupiditate flagrare, vt ſi non per internuntium, ſed per ſe ipſum vltro Dominum adiens poſtulauerit, vt Dauid; iſtis enim externis ſignificationibus magis commouentur priuati, turpéque putant Principum ſuorum voluntati etiam cum aliqua rerum ſuarum iactura, non obſecũdare. Quando verò Abrahami incidit mentio, egregium illius factum huc ſpectans commemoremus, cum ſcilicet agrum, & duplicem ſpeluncam, ad vxorem ſuam Saram ſpeliendam ab Ephron Hebræo mercatus eſt. Quanquam enim cum ſubditis non agebat Abraham, quippe *aduena, & peregrinus apud eos*; tanta tamen erat apud barbaros illos viri reuerentia, virtutis, & verò etiam potentiæ opinione

1.Paral. 21.23.

Act. 20. 35.

Geneſ. 14.22.

Geneſ. 23. 4.

Digitized by Google

excitata, vt magni cuiuſdam Principis loco apud eos eſſet. Ipſo enim ſepulchri ius poſtulante, reſponſum hoc ab Hethæis tulit, *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum, nullúſque te prohibere poterit, quin in monumento eius ſepelias mortuum tuum.* Nec populi tantum placitum ſed ipſius Ephronis, ſpeluncæ Domini, hæc fuit in Abrahamum voluntas, vt ſcilicet nulla erogata pecunia, tibi agrũ quem poſtulauerat haberet, & in dublici ſpelunca, quæ in eo ſita erat, extinctæ vxoris cadauer inferret. Nam cum pretij mentio ab Abrahamo
Ibid.n.11. fuiſſet illata, ita locutus eſt Ephron. *Nequaquam ita fiat Domine mi, ſed tu magis auſculta quod loquor. Agrum trado tibi, & ſpeluncam quæ in eo eſt præſentibus filijs populi mei, ſepeli mortuum tuum.* Sed Abraham donum admittere nulla ratione ſuſtinuit, *ſed adorauit coram populo terræ*, eis ſcilicet gratias agens, quod tam liberalem, ac beneficam aduerſus hominem peregrinum gererent voluntatem, *& locutus eſt ad Ephron circonſtante plebe: Quæſo vt audias me. Dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in eo.* Quam Abrahami conſtantiam cum vidiſſet Ephron, diutius repugnandum non exiſtimauit, ſed agro
Ibid.n.14. ſuo pretium dixit ſiclos quadringentos, *Reſpondit[q;] Ephron*, inquit ſcriptura, *Domine mi, audi me. Terra quam poſtulas quadringentis ſiclis argenti valet, iſtud eſt pretium inter me, & te. Sed quantum eſt hoc? ſepeli mortuum tuum.* Quaſi diceret, eo me adigis, vt pretiũ agri poſtulem, quod ſanè feci, quando ita voluiſti: ſed quia tam modicæ pecuniæ facilis eſt iactura, agenti præſertim cum tanto viro, rogo te vt ne pecuniam numeres, ſed quod iam

non

non ſemel ego populúſque animo libenti obtulimus, ſpelunca tanquam tua vtaris, de eius enim iure libenter decedo. Sed nihilominus Abraham pretium perſoluit, *appendit enim pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ,* vel vt habet Græcus contextus Septuaginta interpretum, ἀργυρίε δοκίμε ἐμπόροις *argenti probati à mercatoribus.* Italicè diceremus, *Moneta corrente fra mercanti.* quæ probatiſſima eſſe debet, vt multis in regionibus in quibus ipſi negotiantur, facilè poſſit expendi. Idemque vox Hebræa עובר *Hober*, tranſeuntis ſignificat: quod enim probatiſſimum eſt, adeo vt à nullo reiici poſſit tanquam adulterinum, id ab Hebræis dicitur עובר *tranſiens*, Italicè diceremus *Corrente.* Sic enim habemus in Canticis, *digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Tò *Probatiſſima*, in Hebræo eſt עובר non adulterina, ſed maximè vendibili, ac propterea à venditore ad emptorem facilè tranſeũte. Nec minùs Ioſephi in Ægyptiorum ſubleuandis neceſſitatibus apparuit ſtudium commutatiuæ iuſtitiæ. Nam primum iuſtum à populis pretium accipiens, frumentum quantum opus habebant ſuppeditauit, deinde cum annonæ charitate nihilominus premerentur, *Venit cuncta Ægyptus ad Ioſeph dicens. Da nobis panes, quare morimur coram te deficiente pecunia? Quibus ille reſpondit: Adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos, ſi pretium non habetis. Quæ cum adduxiſſent, dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & aſinis, ſuſtentauitq́; eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno ſecundo, & dixerunt ei: Non celabimus Dominum noſtrum, quod deficiente pecunia, pecora ſimul defecerunt, nec clam te eſt quod abſque*

Cant. 5.5.

Geneſ. 14. 15.

ſque corporibus, & terra nihil habemus. Cur ergo moriemur te vidente? Et nos & terra noſtra tui erimus, eme nos in ſeruitutem regiam, & præbe ſemina, ne pereunte cultore redigatur terra in ſolitudinem. Emit igitur Ioſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubiecitq́ eam Pharaoni, & cunctos populos eius, à nouiſſimis terminis Ægypti, vſque ad extremos fines eius. Cum itaque illos haberet in poteſtate, iuſtóque emptionis titulo agros Ægypti vniuerſos Reges feciſſet, atque propterea cum Ægyptiis imponere poſſet tributorum pendendorum conditionem, quam maluiſſet inſtar paſtoris greges ſuos amantis, tondere ſatis habuit, deglubere non ſuſtinuit,

Ibid. n. 23. cóſque ad hunc modum allocutus eſt: *En vt cernitis, & vos, & terram veſtram Pharao poſſidet, accipite ſemina, & ſerite agros vt fruges habere poſſitis. Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in ſementem & in cibum familijs, & liberis veſtris. Qui reſponderunt: Salus noſtra in manu tua eſt, reſpiciat nos tantum Dominus noſter, & læti ſeruiemus Regi. Ex eo tempore vſque in præſentem diem in vniuerſa terra Ægypti Regibus quinta pars ſoluitur, & factum eſt quaſi in legem abſque terra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* In hoc autem Ioſephi facto æquitatis, & liberalitatis pleniſſimum conſilium ſubit admirari, qui non tantum quintam ab Ægyptiis partem frugum exegit, quam illis quatuor reliquas remiſit, quarum Rex ex inito contractu dominus erat, idque ipſis maximè volentibus & probantibus; quod ex eo patet, quod non mœrentes, & inuiti, ſed hilares, alacréſque conditionem oblatam admiſerunt, diuturnóque ſeruauerunt tempore, non tanquã onus

graue

Digitized by Google

graue conantes excutere, ſed vt vectigal iuſtè, & ad rationis præſcriptum conſentaneè imperatum, perſoluentes. Ipſe verò iuxta Sapientis præceptum, dicentis, *Non lædas ſeruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam, ſeruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum:* ita ſubditorum inopiam ſubleuauit, vt ſimul Regis negotium vtiliter gereret, iuſtitiámque, vt bonum Principem erga ſuos decet, liberalitate temperaret. Eccleſ. 7. 22.

2 Putet ergo Princeps hanc ex præcipuis ſuis laudibus vnam eſſe, ſi cum poteſtate omnibus ſit ſuperior, voluntate tamen ſua in contractibus, & aliis huiuſmodi ad commutatiuam iuſtitiam ſpectantibus, priuatis quibuſcumque infimæ etiam conditionis hominibus parem ſe faciat, adeo vt nemo inueniri poſſit adeo tenuis fortunæ, qui cum ipſo Rege contrahens ius ſuum tueri non poſſit, non ſecus ac ſi cum aliquo priuato agendum eſſet. Hoc ſe cumulatiſſimè præſtitiſſe commemorat S. Iob, cum ait quodam loco: *Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent aduerſus me.* Cuius loci ſententia hæc eſt: Quamuis ſeruus abiectiſſimæ ſit conditionis, atque ideò cum Rege comparatus contemnendus, premenduſque videatur; humanæ tamen naturæ, conditioniſque, cuius particeps eſt æqualitate ſpectata, diuinique iudicij, cui magnus ac paruus, diues ac pauper, Princeps, ac ſeruus ſiſtendi ſunt, ſerueritate penſata, diſco ſuperbè non ſapere, ſed me ad æqualia cum ſubditis iudicia demittere, eorumque ius ſartum, tectumque in omnibus conſeruare. Hanc enim

Rationes duæ explicãtur, quibus ſe permoueri dixit Iob ad iuſtitiam in commutationibus ſeruãdam.

Iob 31. 13.

V 5 S. Iob

Digitized by Google

S. Iob rationem affert, cur cum ſeruis ſuis ita
Ibid n.14. agendum exiſtimaret. *Quid enim*, inquit, *faciam, cum ſurrexerit ad iudicandum Dominus, & cum quæſierit quid reſpondebo illi?* Cuius iudicij ſeueritatem ſi crebrò, & ſeriò cogitent Principes, intel-
Apoc.15. ligantque ſibi ab eo *qui Rex Regum eſt, & Dominus*
16. *Dominantium*, factorum omnium repoſcendam eſſe rationem, facile in officio continebuntur, nec per alienam iniuriam rem ſuam priuatam ampliorem facere audebunt. Propterea frequenter in ſacris Scripturis hæc vrgetur ratio, quæ ad frænandam potentiorum cupiditatem momenti
Sap.6.2. plurimum habere poteſt. *Audite Reges terræ, & intelligite* (dicitur in libro Sapientiæ) *diſcite iudices finium terræ, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis,*
Iſai.10.1. *qui interrogabit opera veſtra.* Et Iſaias, *Væ*, inquit, *qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium?* & D. Paulus ad Coloſſenſes
Coloſſ.4. ſcribens, *Domini*, inquit, *quod iuſtum eſt, & æquum,*
1. *præſtate, ſcientes quod & vos Dominum habetis in*
Epheſ.6. *cœlo.* Et ad Epheſios, *& vos Domini*, inquit, *eadem*
9. *facite illis remittentes minas, ſcientes quia illorum & veſter Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud Deum.* Aliam deinde rationem ſubdit S. Iob, cur ita humaniter ſe gereret cum ſeruis ſuis, ex eo petitam, quod eandem cum iis naturam
Iob 31.15. nactus eſſet. *Nunquid*, inquit, *non in vero fecit me qui & illum operatus eſt, & formauit me in vulua vnus?*
Optimè enim illud intelligebat, quod poſtea
Sap. 7.1. ſenſit, & docuit Sapiens cum ait, *Sum quidem &*
ego

Digitized by Google

ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore, coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conueniente. Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans, in inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis, nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus, vt fruſtra ſint qui in tumorem propter regnum elati, putant ſe tranſcendere mortalitatem, ſibíque quæ habent tribuentes, ita ſe gerunt, quaſi à Deo omnium bonorum largitore profecta non eſſent, ſed *Dominus conſtituit ſuper eos legiſlatorem, vt ſciant, quia homines ſunt*, & quidem miſeriis & laboribus obnoxij vt cæterorum hominum vulgus, id enim ſignificat vox Hebraica אנוש *Enoſch*. Magna profectò laus Regis Tyri apud Ezechielem habetur, cum illum compellat his verbis, *Tu ſignaculum ſimilitudinis, & plenus ſapientia, & perfectus decore in deliciis paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, & iaſpis, chryſolithus, & onyx, & berillus, ſapphirus, & carbunculus, & ſmaragdus, aurum opus decoris tui.* Sed ſtatim ſubditur. *Et foramina tua in die qua conditus es præparata ſunt*, quod Chaldæus in hanc ſententiam interpretatur. Adeo elatus fuiſti, vt conditionis tuæ oblitus, vt non conſideraueris te hominem eſſe, tibique quo die natus es, tanquam homini mortali foramina oris, & narium ad ſpirandum data eſſe. Vt hinc Tyri Rex diſcere poſſet, quod ſuo malo edoctus tandem intellexit Nabuchodonoſor, quia ſcilicet, *poteſtas Domini poteſtas ſempiterna,*

Pſal 9 21.

Ezech. 28. 13.

Dan. 4 31.

&

& regnum eius in generationem, & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt, iuxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei, Quare feciſti? Hanc autem æquitatem didiciſſe videtur S. Iob ab omnium virtutum perfectiſſimo exemplari Deo; qui vt quodam loco docet idem propheta, adeo deteſtatur iniquitatem in iudiciis, vt ſi fieri poſſet aliqua ratione vt pro iniuſtitia ſtaret ipſe Deus, ignorans v.g. ſe iuſtam oppugnare cauſam, contra ſe mallet, quàm pro ſe à iudice pronuntiari, adeóque offenderetur ſi iudex Dei perſonam reueritus, illi cauſam adiudicare niteretur, vt ſcelus hoc grauiſſimis

Iob 13.8. pœnis vindicandum cenſeret. *Nunquid*, inquit

Ibid.n. 11. Iob, *faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? ſtatim vt ſe commouerit, turbabit vos & terror eius irruet ſuper vos. Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices veſtræ.* Æquo igitur animo ferre debent Principes, ſi priuatus aliquis contra regium fiſcum v. g. aliquid euicerit, hoc enim maximum decus Principis eſt, cum ius ſuum hoc pacto obtinere priuati non poſſint, niſi ſub optimo Principe.

Proponitur exemplum Achabi qui vinea ſua ſpoliauit Naboth.

3 Vidimus in allatis exemplis quæ imitari Principes velint, iuſtitiæ documenta, nunc quando vitiis, contentione, & oppoſitu, virtutis ſplendor clarius eluceſcit, vnum dumtaxat Achabi Regis, tyrannicum factum afferamus in medium, ex quo facile intelligere poterimus, quo tandem euadat, ardens alienæ rei cupiditas, potentia armata, & quam non pertimeſcat diuina omnia, humanaque iura peruertere. Rei geſtæ narrationem ha-

3. Reg. 21. bemus in hiſtoria Regum libro tertio. *Poſt verba*

autem

autem hæc, inquit, *tempore illo vinea erat Naboth Iezrahelitæ qui erat in Iezrahel,iuxta palatium Achab Regis Samariæ. Locutus eſt ergo Achab ad Naboth dicens. Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina eſt, & prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem, aut ſi commodius tibi putas, argenti pretium quanto digna eſt. Cui reſpondit Naboth. Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum ſuam indignans, & frendens ſuper verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens non dabo tibi hæreditatem patrum meorum, & proiiciens ſe in lectulum ſuum. auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem. Ingreſſa eſt autem ad eum Iezabel vxor ſua,dixitque ei. Quid eſt hoc vnde anima tua contriſtata eſt, & quare non comedis panem?* Quæ cum à Rege mœroris cauſam tandem elicuiſſet, ſimplicitatem illius amarè irridens, ait, *Grandis authoritatis es, & bene regis Regnum Iſraël: ſurge, & comede panem, & æquo animo eſto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezraelitæ, ſcripſit itaque literas ex nomine Achab, & ſignauit eas annulo eius, & miſit ad maiores natu, & optimates qui erant in Ciuitate eius, & habitabant cum Naboth. Litterarum autem hæc erat ſententia. Prædicate ieiunium, & ſedere facite Naboth inter primos populi, & ſubmittite duos viros filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant. Benedixit Deum, & Regem, & educite eum, & lapidate, ſicque moriatur.* Ita autem factum eſt ſicut Regina præceperat. *Miſeruntque ad Iezabel dicentes, lapidatus eſt Naboth, & mortuus eſt. Quod cum audiſſet Achab ſurrexit, & deſcendebat in vineam Naboth,vt poſſideret eam.* Sed obuium habuit Eliam Thesbiten prophetam, qui Domini iuſſu, quæ illum pœnæ pro

tanto

tanto ſcelere manerent, denuntiaret, fore nimirum vt quo loco linxerant canes ſanguinem Naboth, Achabi etiam ſanguinem lamberent, nulluſque de illius domo ſuperſtes eſſet, germina omnia tam atrociter iniuſti Principis extirpante Domino. Iezabeli verò, quem vitæ exitum eſſet habitura, prænuntiauit, dicens. *Canes comedent Iezabel in agro Iezrabel:* quæ omnia vt à propheta ſunt Regi prædicta, ita prorſus euenerunt; nam Achab ſagitta ad mortem ſauciato, & mox extincto, cadauer perlatum eſt in Samariam, cúmque regium currum ſanguine imbutum lauiſſent

3. Reg. 22. 38. in piſcina Samariæ, *linxerunt canes ſanguinem eius, & habenas lauerunt iuxta verbum Domini quod locutus fuerat.* Ioram verò Achabi filium, regnique poſt Ochoziam, qui duobus tantũ annis regnum

4. Reg. 9. 24. tenuerat, ſucceſſorem, Iehu ſagitta *percuſſit inter ſcapulas, & egreſſa eſt ſagitta per cor eius, ſtatimque corruit in curru ſuo. Dixitque Iehu ad Badecer ducem. Tolle, proiice eum in agro Naboth Iezrahelitæ. Memini enim quando ego, & tu ſedentes in curru ſequebamur Achab patrem huius, quod Dominus onus hoc leuauerit ſuper eum, dicens. Si non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum eius, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro iſto dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & proiice eum in agrum iuxta verbum Domini.* Vltima reſtabat Iezabel, quæ technas illas, exitiúmque in innocentem Naboth fuerat architectata,

Ibid. n. 30. cuius mortem ita narrat Regum hiſtoria. *Porrò Iezabel introitu eius audito* (Iehu ſcilicet qui Ioram interfecto regnum inuadebat) *depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram ingredientem Iehu per portam, & ait, Numquid pax poteſt eſſe Zambri, qui interfecit Dominum ſuum? Leuauitque*

Digitized by Google

uauitque Iehu faciem ſuam ad feneſtram, & ait, quæ eſt iſta? & inclinauerunt ſe ad eum duo, vel tres Eunuchi. At ille dixit eis. Præcipitate eam deorſum, & præcipitauerunt eam, aſperſuſque eſt ſanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam. Cumque introgreſſus eſſet vt comederet, biberetque, ait. Ite, & videte maledictam illam, & ſepelite eam, quia filia Regis eſt. Cumque iſſent vt ſepelirent eam, non inuenerunt niſi caluariam, & pedes, & ſummas manus. reuerſique nuntiarunt ei, & ait Iehu. Sermo Domini eſt, quem locutus eſt per ſeruum ſuum Eliam Theſbiten, dicens. In agro Iezrahel comedent canes carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel ſicut ſtercus ante faciem terræ in agro Iezrahel, ita vt prætereuntes dicant, Haccine eſt illa Iezabel? Habemus hiſtoriam agri per Nabothi cædem iniuſtè occupati, diuinitúſque in ſceleris auctores immiſſam vindictam. Nunc quanta fuerit facti huius atrocitas, ex adiunctis quæ in ſacra exprimuntur hiſtoria, perpendamus.

Ac primò quidem quam impotentem fuiſſe oportet cupiditatem illam Achabi, qui cum amplas & planè regias domos, ac villas poſſideret, tanto tamen vineæ illius æſtuaret deſiderio, vt niſi vicinum ſubmoueret, ac paternis, auitiſque agris ſpoliaret, vitam ſibi acerbam duceret? Amano illi perſimilis, qui amicis, & vxore conuocatis, *expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorúmque turbam, & quanta cum gloria ſuper omnes Principes, & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet*, &c. addiditque, *& cum hæc omnia habeam nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.* Ita planè Achab Regium palatium ædificauerat, quod *Eburneam domum*, propterea ſcriptura nuncupauit, quod multo ebore omni ex

Expēduntur quadā adiuncta ſuperioris hiſtoria.

Eſther 5. 11.

3. Reg. 22. 39.

ex parte conueſtita niteret; nec aliæ deerant domus, aut villæ, non horti, non piſcinæ, non ſyluæ, & cum omnia iſta haberet in poteſtate, nihil tamen, quo oculos, & animum paſceret, habere ſe exiſtimabat, niſi reuulſis hortorum ſuorum terminis, in vicinam Nabothi vineam irrumperet, quam iure, etiam ipſo Naboht concedente, poſſidere non poterat. Nam vetuerat Dominus in Leuitico, ne agri in perpetuum venderentur, ſed ita duntaxat, vt cum annus quinquageſimus recurreret, ad Dominum etiam ſuum vetus poſſeſ-
Leuit. 25. 23. ſio reuerteretur. *Terra quoque,* inquit, *non vendetur in perpetuum, quia mea eſt & vos aduenæ, & coloni mei eſtis, vnde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.* Quemadmodũ enim qui alienum agrum vt colonus obtinet, fructus quidem percipere poteſt, & vt libuerit vendere, vel conficere, fundum verò non poteſt, quod illius Dominus non ſit, ita eo tempore in Hebræorum Republ. ſeruabatur, vt nullus agrum niſi ad certũ tempus diuenderet, nec priuſquam attenuatus eſſet vt ſcriptura loquitur, hoc eſt cum ne-
Ibid. n. 25. ceſſitate premente coactus eſſet; at verò Achab qui domus ſuæ pomaria, & hortos laxiores facere volebat, cum animo deſtinauerat vineas extirpare, ſulcóſque complanare, elegantique deſcriptione areolis campum diſtinguere, oleribus floribuſque conſerere, aliamque planè faciem, vt Principes ſolent, toti agro inducere: id vt faceret libero iure coemere ſatagebat à Naboth primario viro, & locuplete, etſi Iudæorum traditioni credimus patruo ſuo Hoc autem nihil aliud erat quàm diuini iuris præcepta conuellere, & in alienam poſſeſſionem inuolare, non tantum Naboth inuito,

Digitized by Google

inuito, ſed etiam Domino, legis auctore repugnante. Excogitata verò à Iezabele ratio agri potiundi, quàm plena iniquitatis fuit? Quid enim magis à iuſtitia alienum eſſe poteſt, quàm vt aliquem fortunis euertas, in famæ etiam, ac vitæ diſcrimen adducere, grauiſſimi criminis impacta calumnia, immerentemque ita falſis teſtibus iactare, ac circumuenire, vt extremo tandem ſupplicio lapidibus obrutus quæ pœna atrocium delictorum compertis ſtatuta erat, afficiatur? Idque dum agitur pietatem prætendere, quaſi diuini numinis iniurias perſequaris, non tuis obtemperes cupiditatibus, & vt videaris omnia conſilio, ac prudenter gerere, populo ieiunium, ac preces indicere, quaſi, vt propitiato Domino, quid faciendum ſit diſpicere poſſis? Quæ ſanè ſi vt excogitata fuerant proceſſiſſent, nec vt ſolet veritas tandem emerſiſſet, Naboth blaſphemum, ac perdullionis reum, in Deum ac Regem grauiſſimè peccaſſe, tamque grauibus ſceleribus obnoxium re vera fuiſſe, omnis credidiſſet antiquitas. Nec verò Achabi diſſimulatio vllam apud prudentes rerum æſtimatores excuſationem mereatur, nam vt concedamus conſilio cum Rege minimè communicato Iezabelem ad optimates litteras dediſſe, & ad mortem innocenti inferendam impuliſſe, non tamen propterea culpa vacare credendus eſt Achab, qui vt vxoris nouerat ingenium, ita agri poſſeſſionem pollicentem debuit habere ſuſpectam, diligentérque cauere, ne quid fortè contra Naboth æquitati minus conſentaneum moliretur: nec illi annulus, quo epiſtolæ obſignantur à Rege concedendus erat, ne fortè tanta poteſtate ad Nabothi perniciem mu-

liercula abuteretur. Iniuſtæ verò cædis conſultationem & culpam, ad Regem etiam pertinuiſſe videtur illud in primis oſtendere, quod allato mortis Naboth nuntio, tanquam fauſto, mirum in modum Rex lætatus eſt, & ad ineundam poſſeſſionem confeſtim ſe conuertit, quare meritò illum Dei iuſſu obiurgans Elias, *Occidiſti*, inquit, *& poſſediſti*. Multo verò minùs à culpa liberandi ſunt ciuitatis principes, qui falſis conquiſitis teſtibus in Naboth ſententiam mortis dixerunt; cum nemo neſciat Deo potiùs quàm hominibus parendum eſſe, nec vlla ratione ſiue commodi alicuius percipiendi ſpe; ſiue damni incurrendi timore prauis, & à rationis præſcripto repugnantibus Regũ iuſſionibus eſſe obtemperãdum. Quàm verò breuis Achabi lætitia fuit, & verè, vt alicubi ſcriptura loquitur, *ad inſtar puncti*. Nam cum gaudio ad viſendum ac poſſidendum Nabothi agrum progredienti Elias occurrit, qui pœnarum tanto ſcelere commeritarum grauiſſimis intentatis minis, cõceptam lætitiam vehementer conturbauit, vt vel hoc vno exemplo diſcere poſſimus quàm inania ſint ſomnia illa, quæ cum aliquid vehementer optamus, nobis fingimus, quæ tunc demum malè ſanorum capitum deliramenta fuiſſe cognoſcimus, cum iis potiti, experientia ipſa docente, deprehendimus, nihil nos fuiſſe adeptos, quo tanquam ſolidæ voluptatis fructu poſſimus expleri.

3 Reg. 21. 19.

Iob 20. 5.

De

De æqualitate & iuſtitia in ponderibus, menſuris ac numiſmatibus à Principe conſtituenda.

CAPVT X.

1 QVod præceptum non ſemel in ſcriptura reperitur vt ſcilicet ſtatera doloſa tollatur & modius maior & minor, illud non ad priuatos tantum deterrendos ne in contractibus proximos ſuos circumueniant dictum eſt, ſed etiam ad Principes erudiendos ſpectat, quorum munus eſt curare, & quantum conſequi poſſunt efficere, vt in commutationibus, ac contractibus iuſtitia ſeruetur, & æqualitas. *Statera doloſa* (inquit Salomon) *abominatio eſt apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius.* Et in Deuternomio. *Non habebis*, inquit Moſes, *in ſacculo diuerſa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor, pondus habebis iuſtum & verum, & modius æqualis, & verus, erit tibi, vt multo viuas tempore ſuper terram, quam Dominus Deus dederit tibi. abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Et in Leuitico. *Nolite*, inquit, *facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in menſura ſtatera iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius, æquuſque ſextarius, ego Dominus.* Mirum enim quantum augeantur illæ Ciuitates & emporia, in quibus bona fide, qui res

Afferuntur quædã teſtimonia quibus oſtenditur quantopere Deo cordi ſit iuſtitia in menſuris ac ponderibus.

Prou. 11. 1.

Deut. 25.

Leuit. 19. 35.

Digitized by Google

diſtrahunt, quique illas mereantur, agunt inter ſe ſe, & à Principe cuius eſt omnia moderari, fraudibus, maliſque dolis, aditus omnis intercluditur.

Varietas in ponderibus & menſuris vitãda.

2 Quoniam verò facilè fraus irrepit ſi in ponderibus & menſuris, & pecuniis, quæ publica cuduntur auctoritate, conſtantia, idémque tenor non ſeruetur, cenſeo curandum Principi, vt numiſmata eiuſdem ſemper ſint ponderis ac metalli, nec patiatur compendij alicuius faciendi auiditate numiſmatum materiæ adulterinũ aliquid admiſceri, nec pondera aut veterum menſurarum capacitatem immutari, ſic enim infinita propemodum ſeges præcidetur iurgiorum, ac litium, quas alioqui difficillimum ſit tollere vel componere. Et ſanè in Hebræorum Republ. quantum ex ſacris litteris colligere fas eſt, ponderum, menſurarũ, numiſmatum ratio egregiè conſtituta reperitur; nam vt menſuræ conſtantes eſſent, miniméque incertæ ex iis rebus petitæ fuerunt, quæ naturales ſunt, ac proinde ſemper eædem ſunt, nam ad digiti vnius conſtituendam menſuram (quæ aliarum minima eſt) hordei adhibuerunt grana, eámque tandem vnius digiti latitudinem eſſe ſtatuebant, quæ ſenis hordei granis iuxta ſe, qua parte craſſiora ſunt, collocatis eſt æqualis. Porrò digiti vnius indiuiſibili, certáque menſura ſemel conſtituta procliue illis fuit alias maiores conſtituere, cuiuſmodi ea erat, quæ Hebraico vocabulo אצבע *eſtbagh* appellatur, quæ quatuor digitos continet, cuius in Exodo, & alibi mentio reperitur. Hinc etiam cubiti quantitas, quæ digitos continet quatuor & viginti, cuius frequentior eſt mentio in ſacris litteris, quàm vt exempla afferre, ſit neceſſe. Idem iudicium de aliis aridorum,

Exod. 25. 24. Exod 37. 12. 2 Reg. 7. 23.

dorum, liquidorúmve menſuris, quas qui huiuſmodi res attigerunt, ad naturalem menſuram reuocant, oui nimirum gallinacei capacitatem, vt v.g. Satum (cuius mentio eſt in ſacra Geneſi & apud D.Mattheum) tantum contineat quantum centum quadraginta quatuor oui gallinacei, putaminibus contineri poteſt. Ephi autem ſata tria continet, Gomer autem eſt Ephi pars decima, vt expreſsè dicitur in Exodi libro, & idem iudicium de reliquis menſuris cuiuſmodi ſunt Corus, Cadus, Batus, Hin, &c. quorum mentio frequenter occurrit in ſacris Bibliorum litteris. Rurſus in agris metandis ac diuidendis ſuas eos menſuras, & quidem exactas habuiſſe conſtat, nam certæ eiuſdem longitudinis reſticulis longitudinem, latitudinemque fundorum metiebantur, vt ex eo colligitur, quod legimus apud S.Dauid, *Funes ceciderunt mihi in præclaris*. Cuius loci ſenſus eſt, præclaram ſe nactum poſſeſſionem. Cui phraſi illa perſimilis eſt, vel potius eadem, cum in eiſdem Pſalmis alicubi dicitur. *Sorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis*, & in Deuteronomio cum canit Moyſes. *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius*.

2.Paralip. 4 5. Ezech.40. 5. Geneſ. 18. 6 Matth.13. 33. Pſal.15.6. Pſal.77. 54. Deut.32. 9.

Quod verò ad pecunias attinet antiquiſſima omnium monetarum, quas ſcriptura commemorat ſiclus eſt, cuius in omnibus ferè veteris inſtrumenti libris occurrit mentio etiam antiquiſſimis, vt in Geneſi, in qua legimus Abraham pro ſepulchro, quod ab Ephron coëmerat, appendiſſe *quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ*. Huius autem monetæ quantitas & valor habetur in Exodi libro cum dicitur. *Siclus viginti obolos habet*. in obolis autem minutis admodum mone-

De generib. monetarũ apud veteres Hebræos. Geneſ. 23. 16. Exod.30. 13.

Digitized by Google

tis non facilè mutatio poterat incidere, nam tanti erat oboli vnius argentei pondus, quantum eſt grani vnius fructus illius, quem ſiliquam ſcri-
Luc.16. 16. pturæ interpres appellauit apud S. Lucam in hiſtoria prodigi, quod in Græco eſt κεράτιον, quòd oblongus ſit fructus ille & κέρατος, id eſt, cornu ſimilitudinem quandam præ ſe ferat. Rurſus ſiclus in partes etiam minores diuidebatur, nam &
Exod 30. 13 15. dimidij ſicli mentio eſt in Exodo, & tertiæ partis
2.Eſdr.10. 32. in libro Eſdræ, & quartæ illius partis in hiſtoria
1.Reg.9. 8. Regum, quibus reſpondiſſe creduntur pecuniæ illæ, quæ Græco vocabulo dicuntur drachma, didrachmum, ſtater, nam hic ſiclo fuit pondere, & valore æqualis, didrachmum autem dimidio ſiclo, drachma verò idem fuit cum quarta ſicli parte. Sed iſta diligentius diſcutere noſtri non eſt inſtituti, quibus ſatis eſt oſtendiſſe in bene conſtituta Republ. rem iſtam nummariam conſtantem ordinem habere debere, ne turbæ exoriantur inter ciues, & iuſtitia in contractibus, & æqualitas detrimentum aliquod patiatur.

Publico aliquo ſigno ſeu charactere inſignia numiſmata eſſe debere.

4 Eſt autem receptiſſima apud omnes gentes conſuetudo, vt pecuniis, quæ publica Principis auctoritate procuduntur, ſignum etiam publicæ poteſtatis apponatur, exempli gratia, imago ipſius Principis & inſcriptio, quæ cuius auctoritate & imperio nummus ille cuſus ſit ſignificetur, nec facile ſit alios huiuſmodi ſuppoſititios tamen, & adulterinos efformare. Fuit iſta Romano-
Matth.22. 15. rum conſuetudo, quod ex S. Matthæi Euangelio colligimus. Nam cum Phariſæi conſilium iniuiſſent, vt Chriſtum Dominum in ſermone caperent, propoſita quæſtione de cenſu Cæſari perſoluendo, iuſſit eos Dominus numiſma cenſus oſten

Digitized by Google

oſtendere. *At illi obtulerunt denarium, & ait illis* IESVS. *Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris*, &c. In Hebræorum autem vetere Republ. ſiclo reliquiſque numiſmatibus ſymbolum aliquod impreſſum fuiſſe probabile admodum eſt. Imo Moſes Gerundenſis & poſt ipſum Arias Montanus in ſiclo effectum fuiſſe affirmant vaſculum illud, quod manna plenum in arca, ad memoriam tam inſignis beneficij apud poſteros propagandam Dei iuſſu ſeruabatur, præterea admirabilem illam Aaronis virgam, quæ cum aliis in vnum faſciculum collectis in amygdalinios ſeſe flores explicuit, vt habemus in Numeris. Vnius verò partis hanc fuiſſe inſcriptionem SEKEL ISRAEL, id eſt, *ſiclus Iſraël*. Alterius IERVSALEM KEDESSAH, id eſt, *Ieruſalem ſancta*. Imo Arias argenteos ſiclos, cum huiuſmodi vetuſtiſſima inſcriptione non vidiſſe ſe tantum, ſed vnum etiam ex illis numiſmatibus apud ſe habere confirmat opuſculo indicato.

Arias in ſuo Tubalcain.

Num. 17. 8.

De Principis iuſtitia diſtributiua.

CAPVT XI.

1 QVemadmodum in humano corpore principem locum obtinet caput, in quo ſenſus maximè vigent, quodque reliquorum membrorum functiones omnes moderatur, & dirigit, ita tamen vt reliquæ etiam partes, & membra *ſuos actus habeant*, vt quodam loco dicit D. Paulus, adeo vt ſine illis, nec caput ipſum, nec

In Reipub. gubernatione Principē adminiſtris inferioribus indigere: cauēdumque ne ex

iſtiu aliquã nimis attolat. reliquum corpus conſiſtere poſſit, ita in Republ. Principis, qui eſt inſtar capitis, munus eſt cæteris præſidere magiſtratibus, illiſque prouincias, & Rom.12.4. munera quæ obeant demandare, & quomodo in illis adminiſtrandis ſe gerant cognoſcere; omnino autem magiſtratibus minoribus, aut adminiſtris carere non magis poteſt, quàm poſſit caput ſine pedibus aut manibus, reliquorúmve membrorum adminiculis, vniuerſis corporis neceſſitatibus prouidere. Quod ſi quærat aliquis an quemadmodum ad Rempubl. bene gerendam Princeps inferioribus magiſtratibus opus habet, quorum miniſterio ius dicat; ipſe etiam Princeps per ſeſe ſuorum cauſas, & controuerſias cognoſcere debeat, & diſceptare. Reſpondendum cenſeo, nullam aliam difficultatem à iure dicendo Principem auocare debere, quàm eam, quæ in hoc munere exercendo vires ſuperat: nam Principi laborioſum munus impoſitum eſſe, omnes qui ſapiunt, ſatis intelligunt, cui conueniat illud Ierem.1.10. Ieremiæ, *Conſtitui te ſuper gentes, & regna*, non vt otio indulgeas, & voluptatibus, ſed *vt euellas & plantes, vt ædifices, & diſperdas.* Quæ duæ Agricolarum cæmentariorumque metaphoræ, aſſiduum bonorum principum laborem in Repubł. excolenda, & in melius attollenda ponunt ob oculos; ea autem difficultas tunc accidit, cum latè admodum patet principis iuriſdictio & litium, controuerſiarumque immenſa quædam moles exiſtit, cui ſalua valetudine, ne remiſſionibus quidẽ certis temporibus admiſſis, par eſſe poſſit. Nam ſi exiguus ſit principatus modus, paucóſque numeret ſubditos, qui & ad Principem adire propter modicam locorum diſtantiã non grauentur,

&

Digitized by Google

& quos ipſe per ſe ipſum audire poſſit, eum affirmo, & rem officio ſuo conſentaneam, & populis gratam, ſuæ dignitati non indecoram facturum, ſi per ſeipſum illos audiuerit, & lites controuerſiáſque aut compoſuerit, aut iudicando diremerit. Cum Iethro Moſis ſocer genero ſuo auctor fiebat, vt inferiores iudices conſtitueret, non alia ratione vſus legitur, quàm ea, quæ ex rei immenſa difficultate petebatur, dicebat enim. *Vltra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere*; quod & Moſes ipſe vidit, qui populum ita alloquebatur, *Non poſſum ſolus ſuſtinere vos, quia Dominus Deus veſter multiplicauit vos, & eſtis hodie ſicut ſtellæ cœli plurimi, non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere, & pondus, & iurgia.* Nec tamen aut Iethro, aut Moſes putauerunt à iudiciis penitus abſtinendum ſupremo reipublicæ moderatori, ſed partito in inferiores iudices labore onus dumtaxat humanæ imbecillitati tolerabilius reddendum. Ipſe Salomon quo nullus principum in orbe ſapientior fuit, an non ipſe ſuis ius dicebat, etiam meretriculis, quæ res adeo eius auctoritati nihil detraxit, vt potius multum exiſtimationis addiderit, *Nam audiuit omnis Iſraël iudicium quod iudicaſſet Rex, & timuerunt Regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium*, idque eo tẽpore contigit, cum iam in Rempublicam Hebræorum regia dignitas, & maieſtas erat inducta: nam qui ante Reges ſummam rerũ moderabantur, & iudices appellabantur, & erant: nam Samuël vnus ex eorum numero quandiu vixit, populum iudicauit in Ramatha, & cum ſenuiſſet, filios qui eodem munere fungerentur ſibi ipſe ſubſtituit. Et cum Iſraëlitas Regis haben-

Exod. 18. 18.

Deut. 1. 10.

3. Reg. 3. 28.

1.Reg.8. di cupido inceſſit iuxta morem aliarum gentium
1. dixerunt Samuëli, *Conſtitue nobis regem vt iudicet*
1.Reg.8. *nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes*, & duæ illæ
5. mulieres, quæ ingentis illius famis tempore,
quæ Samariam inuaſit, de infantulo in cibū tra-
dendo, & abſumendo litigabant ſuper hac con-
4. Reg.6. trouerſia, ſe Regi ſtiterunt in muro deambulan-
28. ti;& Salomon in prouerbiis bene ominatur prin-
cipibus, qui pauperum etiam cauſas iudicant,
Prou.29. cum ait, *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus*
14. *eius in æternum firmabitur.* Dominus autē per pro-
Ierem.22. phetam vt etiam ita fiat præcipit cum ait, *Audi*
2. *verbum Domini Rex Iuda, qui ſedes ſuper ſolium Da-*
uid, tu & ſerui tui, & populus tuus, qui ingredimini
per portas iſtas. Hæc dicit Dominus, facite iudicium &
iuſtitiam. Et liberate vi oppreſſum de manu calumnia-
toris, & aduenam, & pupillum & viduam nolite con-
triſtare, &c. Multum verò refert ad fouēdam ſub-
ditorum in Principem beneuolentiam, ſi eos ipſe
audiat per ſe ſe, nam & communicatio illa per ſe
iucunda eſt, & ſic intelligunt non contemni ſe,
quo nihil ægrius ferunt, facilius enim & animo
æquiore à Principe auditi cauſa cadant, quàm
ſi ſaluis rebus ſuis ad eius conſpectum non ad-
mittantur, & ſi audiri poſtulent, ſubmoueantur.
Rurſus nihil eſſe poteſt quod tantam iuſtitiæ au-
ctoritatem conciliet, quàm ſi Princeps idem ſit
& iudex, qui nec violentiam potentium refor-
Prou.20. midat, *ſed in ſolio ſuo ſedens*, vt ait ſapiens, *diſſipet*
8. *omne malum*; nec legum apicibus ad eum modum
aſtrictus ſit, quo iudices minorum gentium obli-
gantur. Optandum ergo eſt, vt ipſi Principes ius
ſubditis quantum fieri poteſt dicant, vt verè de
illis vaticinium illud Iſaiæ prædicari poſſit, *fa-*
ctus

Digitized by Google

Elus eſt Principatus ſuper humerum eius, aut certè in tribunalia inferiorum iudicum aliquando, aut etiam frequenter deſcendant. Sic enim fiet, vt ſi non iuſtitiæ, certè principis reuerentiæ, exactiúſque fideliúſque ius ſuum ad ſe accedentibus tribuant. Hactenus quæſtioni propoſitæ ſatisfactum eſt. Verùm quia omnium Principatuum ea eſt conditio, vt ſine minoribus Magiſtratibus conſiſtere nulla ratione poſſit, cumque nihil magis optent Regni proceres, aliique primarij viri, qui vel à nobilitate, vel à doctrinarum cognitione, vel à rebus præclarè geſtis commendationem habent, quàm publica munera & eorum inſignia, honoréſque adipiſci, diligentiſſimè Principi curandum eſt, ne aliquis error, aut perturbatio in illis diſtribuendis interueniat, quæ vel ipſi reipublicæ vel honorum iſtorum candidatis fraudi eſſe poſſit. Nam vt honorum titulos dignitatúmque faſtigium ciues refugiant, & ſe publicis muneribus impares putent, & verò etiam ſubducere conentur, optandum potius eſt, quàm ſperandum, quamquam fuit, vt obiter hoc dicamus, demiſſio hæc & modeſtia in magnis viris, qui quo conatu alij ad magiſtratus graſſantur, eodem illi declinarent, ac deprecarentur. Prophetabant in Hebræorum caſtris Eldad, & Medad: commouit ea res Ioſuë, qui ſtatim ad Moyſen accurrens, *Domine mi Moyſes*, inquit, *prohibe eos*, vel vt ex Hebræo verti poteſt, *Mitte illos in carcerem:* quæ cauſa tantum virum in prophetantes, & diuino Spiritu afflatos incitauit, vt eos prohiberi, & in carcerem dari voluerit? Sunt qui dicant, penes quos tamen fides ſit, id curaſſe, propterea quod vaticinantes, & futura prædicentes, eum poſt

Iſa. 9.6.

Num. 11. 28.

poſt Moſis obitum reipublicæ præfuturum diceret: cuius diuinationis ipſa etiã verba ſunt apud Thargum Ieroſolymitanum. *En Moſes propheta, ſcriba Iſraëlitarum congregatus eſt de medio mundi, & Ioſuë filius Nun eius diſcipulus poſt eum adminiſtrabit res exercitus.* Hæc Thargum. Nimirum quo ſtudio quis prophetas iſtos ſibi conciliare ſtuduiſſet, vt apud populum eorum teſtimonio non idoneus tantùm, ſed diuinitus etiam deſtinatus ad reipublicæ gubernationem videretur; tanto vir ſanctus eaſdem voces, quibus ſibi imperium polliceri ſentiebat, qua erat modeſtia, & animi demiſſione, coërcere conabatur. Sed ad inſtitutum noſtrum redeamus. Eſt ſanè admodum procliue in magiſtratibus demandandis impingere, vel quia Principes ſubditorũ ingenia moréſque cognoſcere non ita facilè poſſunt, vel quia iis quos ſatis cognitos habent, alios quos magis amant,
Eccleſ. 10. 5. anteponunt. *Eſt malum*, inquit Salomon, *quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem ingrediens à facie Principis poſitum ſtultum in dignitate ſublimi; & diuites* (virtutum ſcilicet & doctrinarum opibus abundantes) *ſedere deorſum. Vidi ſeruos in equis & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.* In nullum aptius conuenit iuſtiſſima hæc conqueſtio Salo-
Eſther 3. 1. monis, quàm in Aman Agagiten, quem *Rex Aſſuerus* exaltauit, vt ſcriptura loquitur, *& poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes quos habebat, cunctiq́; ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman, ſic enim præceperat eis Imperator*, qui cum omnia videret ex ſe vno pendentia, ita iubente Aſſuero, hominibúſque ac gentibus fortunam ſe dare poſſe exiſtimaret, omnium ab ipſo vno ambitione ſuſpenſa: adeò ægrè

Digitized by Google

ægrè tulit ſibi à Mardochæo cultum illum denegari, quem reliqui omnes exhibere conſueuerant, vt ſuæ iniuriæ vindicandæ ſatis eſſe non putaret, ſi illum de medio tolleret; ſed de vniuerſa Iudæorum gente penitus abolenda cogitarit. Tam verò ſupinus, & negligens in Amani moribus, & ſtudiis explorãdis fuit Aſſuerus, vt quidquid ipſe ſuggereret oraculi cuiuſdã loco haberet, ipsíque quantum vellet in ſubiectos populos concederet poteſtatem, tradito etiam annulo ſignatorio, quo ipſe ad Iudæorum perniciem vteretur. *Tulit ergo Rex annulum*, inquit ſcriptura, *quo vtebatur, de manu ſua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag hoſti Iudæorum, dixitque ad eum. Argentum quod tu polliceris tuum ſit, de populo age quod tibi placet.* Hunc autem ſtultum merito dicere poſſimus non tantum eo nomine, quod ſcripturarum phraſi improbi omnes ſtultitiæ cuiuſdam notentur ignominia, ſed etiam propterea quod fortunam ſuam reuerenter habere neſciuerit, non ſatis intelligens quàm in lubrico ſit eorum potentia, qui ab humili loco, malis etiam artibus progreſſi ad ſummos magiſtratus prorepſerunt; quibus ſi moderatione animi, comitate in omnes, morúmque facilitate locũ quem ſunt adepti non tueantur, ferè accidit, vt & ſe ipſos perdant, & alios etiam multos in idem exitium trahant. Hoc quàm verum ſit Amani exitus ſatis ſuperque declarauit, nam collectam multo tempore gratiam vna duntaxat effudit offenſio, & quam inimico ſuo parari iuſſerat crucem, aſcendit ipſe, Dominóque illi pro malo iuſtam rependente vindictam, cum ſuis funditus euerſus, & extinctus eſt. Mardochæus verò cuius eximia

Ibid. n. 10.

fue

fuerant in Regem promerita, à cuius iugulo coniuratorum Eunuchorum gladios auerterat, ab Amano prius deſpectui habitus, & odio; poſtea ab inuito etiam triumphantis habitu circumductus, non iam amplius vt loquitur Eccleſiaſtes *ſuper terram ambulauit quaſi ſeruus*, ſed equo Regio inſidens, honoribus auctus & potentia, populum ſuum à cæde liberauit, multíſque auxit beneficiis, vt quemadmodum proſperitas Amanum perdidit (nam iuxta ſapientem *Proſperitas ſtultorum perdet illos:*) ita Mardochæi prudens moderatio, in propoſito conſtantia, religio denique, & populi ſui veri Dei cultoris amor, ad ea omnia bona quæ conſecutus eſt, Dei potiſſimum dextera opitulante, prouexerit.

Prou. 1. 32.

Aliquibus ſcripturæ locis probatur abſurde facere Principem, qui immerenti honorem tribuit.

Prou. 26. 8.

2 Illud igitur in primis intelligat Princeps, nihil abſurdius, & verò etiam periculoſius eſſe, quàm ſi Magiſtratus, Præfecturæ, aliáque honorifica munera, ineptis, aut minus idoneis demandentur. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij*, inquit Salomon, *ita qui tribuit inſipienti honorem*: cuius dicti eum ſenſum eſſe volunt aliqui, vt doceat ſapiens rem abſurdiſſimam eum facere, qui immerentem dignitatum titulis, & muneribus publicis ornat, non minus quàm faceret ille qui adamantem, aut carbunculum, aut lapidem alium pretioſum in aceruum communium lapidũ proiiceret, quales cumuli ad ſtatuas Mercurij in biuiis aut triuiis, iuxta veterum conſuetudinem, paſſim cernebantur. Paulo diuerſam ſententiam, ſed eodem planè ſpectantem exhibet 70. virorum interpretatio, qui legunt, *ſicut qui ligat lapidem in funda*, vel vt eſt in Græco ἐν σφενδόνῃ, *ita &c.* cuius verſionis ſententia, quidquid alij dicant, meo quidem

Digitized by Google

quidem animo ea eſt, vt doceat ſapiens, non minus abſurdum eſſe in ſtultum hominem honoris aliquid, aut dignitatis conferre, quàm lapidem aliquem nullius pretij, aureâ annuli palâ includere, hoc eſt latiori annuli, turgidioréque parte: quam enim Latini palam vocant, eam Græci σφενδόνην dicunt, vt Græcè vel mediocriter eruditis notum eſt. Sunt etiam qui vocem Hebraicam Margema, purpuram ſignificare contendant, ſenſumque hunc ex Hebræo elici velint. Quemadmodum ſtultum eſt, lapidem aliquem rudem purpura inuoluere, & in curuli aliqua ſella quaſi ius dicturum collocare, ita planè ſtultum eſt ſtolidum aliquem hominem & bardum, aut prauis moribus imbutum, muneri alicui, iurique dicundo præficere, periculum enim eſt ne vel per inſcitiam dum lites ad ſe venientium controuerſiáſque diſceptat, à recto veritatis tramite deflectat: vel animi perturbationibus tranſuerſus agatur, volenſque ac prudens eis noceat, quos ab iniuria inimicorum incolumes ſeruare debuiſſet. Sed fortè Septuaginta Hebræam vocem Margema σφενδόνην id eſt *palam* verterunt, quod duplicem ſignificationẽ haberet, & purpuram, aut annuli palam ſignificare poſſet. Fauet autem huic coniecturæ, quod aurifices ſolent palam annuli, cui gemma aliqua inſerenda eſt, bracteola aliqua purpurea, vel alterius coloris ab interiori parte munire, ne gemmæ vſque ad aurum viſum tranſmittant, neue fulgor ex lapillis exiſtens flaccidus, & iners ſit, ſed viuidus & vibrans: quare qui Hebræum contextum de purpura illa palæ intellexerit & ſenſum commodiſſimum eliciet, & Septuaginta interpretes cũ Hebraica lectione conciliabit

cilìabit. Huiuſmodi autem homines, qui iis carent dotibus, quibus par eſt præditum eſſe eum, qui aliis gubernandis præficitur, idola vocat Zacharias, pulcherrima ſanè ſimilitudine, & cum Salomonis ſimilitudine, quam hactenus explicauimus, optimè conſentiente. *O paſtor*, inquit, *& idolum.* Quemadmodum enim ſaxum aliquod ex aliqua rupe exciſum, & in humanam formam edolatum ſpeciem quidem exhibet hominis, homo tamen non eſt, cum nec audire poſſit quæ dicuntur, nec quæ in eorum conſpectum perpetrantur intueri, *Os enim habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt: aures habent & non dient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt,* vt de mutis ſimulacris canit ſanctus Dauid: ita homines iſti lapidibus nihilo ſapientiores, licet ad inſtar ſtatuarum ſericis, aut purpureis veſtibus amiciantur, licet magiſtratuum inſignia, & ornamenta circumferant, lapides tamen ſunt ad omnia muti, & ſenſibus carentes, ad ea tantùm vigilantes, erecti, maioremque in modum imminentes, & intenti, quæ lucri alicuius aut honoris ſpem aliquam patefaciunt. *Nam licet derelicta non viſitent, diſperſa non quærant, & contrita non ſanent, & id quod ſtat non enutriant, carnes tamen pinguium comedunt, & vngulas eorum diſſoluunt*, vt quod falſo de ſuo Idolo Bel iactabant illius ſacerdotes nocte ſcilicet eum comedere, & idcirco inter viuentes Deos eſſe cenſendum, vt propterea Regi perſuaſerint, *vt ei per ſingulos dies ſimilæ artabæ duodecim,* & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex apponerentur, quas ipſi fideles ſcilicet tanti dei cultores in ſuos & filiorum vſus conuertebant, de

Zachar. 11. 17.

Pſal. 113. 15.

Zachar. 11. 16.

de illis veriſſimè prædicari poſſit. Eum verò eſſe loci illius Zachariæ ſenſum vox Hebræa אליל *Elil* ſatis oſtendit, quæ nihil, vanum, inutile ſignificat, atque propterea pro idolo frequenter ponitur in ſcriptura, *idolum enim nihil eſt*, vt ait D. Paulus alicubi, quia nullum verum numen illi reſpondet ſimulacro, quod diuinitatem inanem, & hominum errore vel vitio inductam repræſentat. Idem igitur eſt apud prophetam dicere, *O paſtor, & Idolum*, ac ſi diceret, O paſtor nihili, ô paſtor qui præter figuram, & ſpeciem paſtoris nihil habes. Qui ergo huiuſmodi paſtores eligunt, id agere videntur, vt rem ſimul indecoram faciant, & gregi quem hac ratione perdunt, perniciosam. *Nam quo modo nix in æſtate, & pluuia in meſſe, ſic indecens eſt ſtulto gloria*, inquit Sapiens. Nam quemadmodum ſi æſtiuis caloribus cum fętus arborum erumpunt, aut matureſcunt, cum fruges ſolibus excoctæ colligendæ ſunt, & in horrea condendæ, magna vis niuium effunderetur, proculdubio & ſegetes quæ falcem expectarent, & arborum baccæ, ac poma corrumperentur, magna campis vaſtitas, ciuitatibus annonæ caritas induceretur; ita qui ineptis iſtis, ſtolidiſque magiſtratibus, idoneis ac ſapientibus præteritis, ciuitates populóſque regendos credit, rem facit non modo intempeſtiuam, & inutilem, ſed mirum quantum noxiam, & pernicioſam.

1. Cor. 8. 3.

Prou. ...

3 Et quamuis viros nauos, & ſtrenuos, boni publici amantes, quique publicis potius commodis malint deſeruire, quàm propriis, & quod caput eſt, qui fidelem Principi operam nauent, difficile admodum ſit nanciſci, dicente Salomone, *Virum autem fidelem quis inueniet*? Cordato tamen

Peculiaria quadam præcepta huc facie[n]tia, vt de conſanguineorum

Y Princi

Principum potentia in officio continẽda eſt. Prou. 20. 6.

Principi & in hanc rem non oſcitanter intento, multi deeſſe non poterunt, qui cum ſuam induſtriam, & virtutem in minoribus magiſtratibus Principi egregiè probauerint, ſenſim ac per gradus ad maiores attollantur; ſic enim illi rerum geſtarum præmium aliquod conſecuti animos erigunt,& ad rem in poſterum optimè gerendam reddũtur alacriores & in ampliorem educti campum, clariora exhibent ſuæ documenta virtutis. Sic Alexander Macedonum Rex, poſtquam toto Oriente arma circumtulit, plurimáſque gentes Macedonico ſubiecit imperio, cum plurimis tam diuturno bello cõmiſſis pugnis,ſuorum virtutem cognitam haberet, atque perſpectam, Prouincias inter præcipuos ſuos duces, viuens ipſe, ſed morti tamen proximus, partitus eſt, vt ex ſacra

1.Machab. 1.1.

Machabæorũ hiſtoria diſcimus,vt ſcilicet quemadmodũ eos in adeundis periculis alacres, in laboribus tolerandis fortes, in cõſiliis deliberationibúſque prudentes eſſe compererat, ita præmiũ quàm poſſet ampliſſimum eorũ virtuti decerneret; illíſque conſtitutis Principibus; prouinciarum ſuarum incolumitati, quam optimè fieri poſſet, cõſultum eſſet. Sed non omnibus Principibus ea eſt ſolertia, vt quid cuique debeatur, cui quiſque muneri à natura factus ſit, quæue doctrinarum, aut experientiæ ſibi comparauerit adiumenta, diſpicere poſſint, & vt poſſint, periculum tamen eſt, ne alia omnia interdum ſpectent,aut ærarium locupletius reddere ſtudentes, aut animi propenſione in adulatores neſcio quos, ne quid grauius dicam, inclinantes; eóſque in vltimis hærere ſinentes, qui cum malis artibus ad magiſtratus conſequendos graſſari indignum putent,à virtu-

te

Digitized by Google

te duntaxat, quæ minimum in aliquorum Principum aulis poteſt, commendationem habent. *In duobus*, inquit Eccleſiaſticus, *contriſtatum eſt cor meum. Vir bellator deficiens per inopiam, & vir ſenſatus contemptus*, qui etiamſi cum difficilia reipublicæ tempora incidunt, adhibeatur in conſilium, vel rebus gerendis præficiatur, tamen poſtquam periculoſa tẽpeſtate defuncti ſunt Principes, nullam, vt par eſſet, ſtrenui, & de republica benemeriti viri rationem habent, ſed deſpectum, contemptum, omnibúſque poſthabitum eſſe patiuntur. *Hanc quoque* (inquit Salomon) *ſub ſole vidi ſapientiam, & probaui maximam: Ciuitas parua, & pauci in ea viri, venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitq́; munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio. Inuentúſque eſt in ea vir pauper, & ſapiens, & liberauit vrbem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis.* Vt ergo Princeps bonorum Magiſtratuum delectum ſapienter habere poſſit, omnes animi perturbationes exuere ſtudeat, reipublicǽque dumtaxat commodo ob oculos poſito, eos apud ſe conſtituat ad præfecturas, & magiſtratus euehere, quos ad veram laudem ſolida virtus & aliquibus probata experimentis, erexit. Et quamuis nobilibus viris fauere æquum ſit, & diuitibus etiam, quos ab auaritiæ ſordibus longius abeſſe meritò credendum eſt, quibus etiam generis, & opulentiæ fama exiſtimationem conciliat, quæ in negotiis tractandis, plerunque magno vſui eſſe ſolet: non tamen tenuioris fortunæ homines propterea conſentaneum eſt eum aſpernari, cum ſub ſordido palliolo ſapiẽtia latere poſſit: nam quemadmodum inſanum eſſet equum aliquem ad curſum

Eccleſ. 26. 25.

Eccleſ. 9. 13.

Digitized by Google

ſum expeditiſſimum exiſtimare, quod pretioſis phaleris, aureóque fræno eſſet ornatus; ita non mediocriter errant illi, qui cum aliquem ſericis indutum veſtibus, aureo torque de collo ſuſpenſo ornatum cernunt, magna etiam clientum, famulorúmque caterua ſtipatum, continuo ſapientem hominem ſuſpicantur, quaſi cultus hic ſapientiæ debitus ſtulos etiam homines frequenter nõ circumſiſtat. Reddenda ergo eſt vnicuique natiua ſua facies, phaleríſque cogitatione detractis, ad exactum vocanda ſunt examen vitia quæ latent, virtutéſque ſi quæ forte ſunt; hoc ſi facere
Iacob 2. 2. neſcimus, ſtulti ſumus rerum æſtimatores. *Etenim*, inquit D. Iacobus, *ſi introierit in conuentum veſtrum vir anulũ aureum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei. Tu ſede hic bene, pauperi autem dicatis. Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum, nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?* Sed à Principum conſanguineis, & propinquis tanto fortaſſe magis ſibi diſtributiua iuſtitia timere poteſt, quanto facilius beneuolentia, qua propinquos complectimur, fucum nobis facere poteſt, quam externa illa diuitiarum ſpecies, & apparatus, quem licet tenuioris fortunæ homines admirentur, viri tamen principes quorum cenſus tanto ampliores ſunt, & frequentior ſtipantium numerus, adeo non ſuſpiciunt, vt opulentiſſimos quoſque præ ſe, etiam contemnere nonnunquam conſueuerint. At coniunctio illa ſanguinis ita veritati nonnunquam velum obtẽdit, vt ignauiſſimus quiſque ad ſummos etiam Reipublicæ honores non alia de cauſa admoneatur,

Digitized by Google

tur, quàm quia eiuſdem gentis eſt, & familiæ, tantaque indulgentia corruptiſſimi eorum mores tolerentur, ac ſi virtutes eſſent. Nimirum *oculi carnei* aliquibus Principibus eſſe ſolent, *& ſicut videt homo & ipſi vident, ſenſumque ſuum euertunt, oculóſque ſuos declinant vt non videant cœlum, neque recordentur iudiciorum iuſtorum.* Sed illud tantum quantum poſſunt modis omnibus vrgent, vt diuitiis & honoribus augeantur: ſi verò ad munera reipub. inepti ſunt, ſi in ſubditos acerbi, ſi faſtu ſuperbiáque turgidi, hoc ſcilicet pro minimo habent, illos ne verbis quidem leuiter increpare ſuſtinentes. Sicut de Dauide legimus in tertio Reg. qui Adoniam eleuantem ſe, & regnum affectantem. *Non corripuit aliquando dicens, quare hoc feciſti?* Cuius negligentiæ (nam ab aliquo, licet forte non ita graui negligentiæ crimine Dauidem plerique Sacræ ſcripturæ interpretes non liberant) cauſam in nimium amorem, quo Adoniam ſecundo loco genitum poſt Abſalon, illíque pulchritudine planè geminum proſequebatur, conferre poſſumus. Nam paterna in filium charitas, & Abſalonis extincti imago in Adonia fratre ſuperſtite elucens, ætáſque in ſenium iam inclinata, quæ homines ad audendum timidiores facit, impedimento fuerunt, quominus aſperiore aliquo verbo filium ea mouentem quibus publica pax, & quies turbabatur, increpare non auderet. Vt ex hoc vno exemplo colligere poſſimus quid de de Principibus qui ſine delectu cõſanguineos ſuos ad ſummos honores euehunt, quorũ virtus cum Dauidis ſanctitate conferenda nõ eſt, ſperare poſſimus. Huc etiam facit Heli ſummi ſacerdotis in filios grauiſſimè peccantes

Iob 10. 4.

3. Reg. 1. 6.

Digitized by Google

cantes remiſſio, de qua alibi diximus, quæ à Domino per prophetam acriter reprehenſa eſt, & grauiſſimis pœnis, ad poſterorum exemplũ vindicata. Affectum hunc egregiè vicerat S. Moyſes, qui cum diuinitus ſe proximè à morte abeſſe cognouiſſet, mentéque reputaret fieri poſſe, vt in ſucceſſore deſignando, quæ eſt humanorum iudiciorum imbecillitas, falleretur; non filios, non conſanguineos nominauit, ſed quia multi ſunt in hominum animis receſſus, totum hoc iudicium Deo cordium ſcrutatori relinquendum putauit, vt ipſe quem vellet, atque idoneum eſſe ſciret, ſiue propinquus eſſet, ſiue alienus, ad Reipublicæ

Num. 27. 15. illius gubernacula admoueret. *Prouideat*, inquit, *Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos, & educere eos vel introducere, ne ſit populus Domini ſicut oues abſque paſtore.* Huius facti adiũcta elegantiſſimè, vt ſolet, & grauiſſimè perſequitur Philo libro de charitate, cuius verba quia ad rem noſtram mirum in modum faciunt, adſcribere erit

Philo lib. de charitate. operæpretium. *Cum*, inquit, *mortalis huius vitæ finis inſtaret, oraculo aperto de hoc præmonitus, nullum vel Regem, vel priuatum imitatus eſt, quorum vnicum votum habetur, ac ſtudium, hæredes liberos relinquere; ſed quamuis pater eſſet duorum filiorum, neutrum ſucceſſorem ſibi optauit, victor affectuum erga cognatos, & domeſticos, & poterat ſi filios ſuſpicabatur parum idoneos, certe fratris filios extollere, iam virtute meritos ſacerdotium: ſed fortaſſe aut non placebat eos à diuinis rebus diſtrahi, aut potius cogitabat impoſſibile eſſe eundem hominem rectè curare ſimul regnum, & ſacerdotium, quandoquidem alterum religionis, alterum ſubditorum curam profitetur: aut fortaſſe non putauit rem tam ma-*

gnam

Digitized by Google

gnam pertinere ad ſuum iudicium, maluitq́; iudicandam Deo committere qui pro ſua potentia perſpicit etiam intima pectorum. Hæc vera eſſe vel hinc colligitur. Erat ei amicus, & familiaris pene à puero Ieſus nomine, non vulgaribus conciliatus artibus, ſed amore integro cœleſtique, ex quo omnes virtutes proueniunt. Is etiam conuictor, contubernaliſque prophetæ fuit, niſi ſi quando ille ſeceſſum quæſiuit propter diuina colloquia. Idem adminiſtrationis Reipubl. particeps, & tantum non Principis vicarius, multa pro poteſtate ſolitus erat gerere. Attamen quamuis ſciret hunc eſſe diu ſpectatæ probitatis hominem, dictiſque factiſq́; honeſtatem eius expertus, & quæ maximè requirebatur ad beneuolentiam ergà populum, nec ſic quidem auſus eſt ei principatum committere, ne forte opinione falleretur, non ſatis fidens humano iudicio, itaque ne ſibi ipſi quidem credens ſupplex inuocauit Deum, qui ſolus inuiſibilem animam introſpicit, & mentium arcana penetrat, vt ex optimatibus eligeret vnum aliquem idoneum Principem, qui paternam curam ſubditorum gereret: ſubleuatiſque ad cœlum puris, & virgineæ (vt ita loquar) caſtitatis manibus ſic precatus eſt. Proſpiciat Dominus Deus ſpirituum, & vniuerſæ carnis de homine, qui plebem hanc curet, paſcatq́; ſine crimine, ne corrumpatur, ſicut grex diſperſus carens Magiſtri cura & diligentia. Quis non miretur has preces, dicátque. Here quid ais? Ita ne tibi fratrique deſunt germani filij, ſucceſſoréſque à natura dati? aut his aut illis principatum relinquito. Quod ſi neutros exiſtimas idoneos, & potior eſt tibi Reipublicæ quam neceſſitudinis domeſticæ ratio; habes certè amicum irreprehenſibilem, ac probatæ virtutis, vel tuo iudicio ſapientiſſimo. Quin igitur hunc, ſi probitas non genus ſpectatur, eligis? Verum reſpondebit, cum in omnibus rebus non eſſe præcipitandum iudicium, tum

in his potiſſimum, quæ rectè aut ſecus adminiſtratæ, plurimis felicitatem, aut calamitatem afferunt. Nihil autem principatu maius, cui belli, paciſque arbitrium committitur à ciuibus: quemadmodum enim ad proſperam nauigationem opus eſt bono peritóque gubernatore, ſic etiam ſapiente Principe ad tuendam tranquillitatem bene conſtitutæ Reipublicæ. Cæterum de ſapientia, quæ non me tantum, ſed & toto mundo eſt antiquior, non eſt fas quemquam iudicare niſi Deum, aut aliquem & ſincerum, purum, germanúmque amatorem ipſius ſapientiæ. Et iam ante exemplo meo didici, ne alijs quidem vtcumque idoneis in ſpeciem, principatum decernere. Nam Reipublicæ curam inuitus ſuſcepi, non humanis ſuffragijs Princeps deſignatus, ſed manifeſtis oraculis, diuina voce iubente, quantumlibet deprecarer, molem rerum veritus, donec iterum atque iterum iubenti parere, metu coactus ſum. An non igitur abſurdum fuerit nunc non per eadem incedere veſtigia, & cum ipſe noluerim principatum niſi ex Dei ſententia ſumere, nunc arbitratu meo ſucceſſorem eligere, ne hominum quidem expectatis ſuffragijs? præſertim cum agatur de regimine gentis non vulgaris, ſed primùm populoſiſſimæ omnium quotquot vſquam ſunt, deinde profeſſæ rem maximam, cultum eius qui eſt pater conditórque rerum omnium. Quidquid enim alijs contigit ex optimæ cuiuſque philoſophiæ ſtudio, id Iudæis ex ſuis legibus, ac moribus, videlicet ſummi Dei notitia, repudiato errore Deorum, ex creaturis conſecratorum. Nullus enim creatus verè Deus eſt, quantumuis habeatur pro Deo, cum æternitate, ſine qua non eſt numen, careat. Hoc vnum euidens argumentum eſt eximiæ erga ſuam gentem charitatis, ac fidei. Hactenus Philo. Quibus planè conſentiunt quæ quodam loco habet Origenes, ſiue

ſen

ſententiam ſpectes, ſiue vtilitatem, quæ ex iis percipi poteſt. *Receſſurus*, inquit, *Moſes de ſeculo orat Deum, vt prouideat ducem populo. Quid agis Moſes? nunquid filij tibi non ſunt Gerſon & Eleazar? aut ſi aliquid de illis dubitas, non ſunt filij fratris magni, & egregij viri? quomodo non oras Deum pro ipſis, vt eos conſtituat populo duces? Sed diſcant Eccleſiarum Principes, ſucceſſores ſibi non eos qui conſanguinitate generis innecti ſunt, nec qui carnis propinquitate ſociantur, teſtamento ſignare, neque hæreditarium tradere Eccleſiæ principatum, ſed referre ad iudicium Dei, & non eligere illum quem humanus commendat affectus, ſed Dei iudicio totum de ſucceſſoris electione permittere. Nunquid non poterat Moyſes eligere principem populo, & vero iudicio eligere, & recta iuſtaque ſententia? ad quem dixerat Deus, Elige presbyteros populo, quos tu ipſe ſcis presbyteros eſſe, & elegit tales in quibus continuo Dei ſpiritus requieſceret, & prophetarent omnes. Quis ergo ita potuit eligere principem populi, vt Moyſes poterat? Sed hoc non facit, non eligit, non audet. Cur non audet? Ne poſteris præſumptionis relinquat exemplum. Sed auſculta quid dicit. Prouideat, inquit, Dominus Deus ſpirituum & omnis carnis, hominem ſuper Synagogam hanc, qui egrediatur ante faciem eorum & qui ingrediatur, & qui producat eos, & qui reducat. Si ergo tantus ille ac talis Moyſes, non permittit iudicio ſuo de eligendo Principe populi, de conſtituendo ſucceſſore; quis erit qui audeat vel ex plebe, quæ ſæpe clamoribus ad gratiam, aut ad pretium fortaſſe excitatis, moueri ſolet; vel ex ipſis etiam Sacerdotibus quis erit, qui ſe idoneum ad hoc iudicet, niſi ſi cui oranti, & petenti à Domino reueletur?* Hæc Origenes. Illud tandem obſeruatione dignum videtur quod alicubi S. Auguſt. notauit, quamobrem

Hom. 22. in Numer.

Serm. 82. de tempore, tom. 10.

Digitized by Google

brem ſcilicet Ioſephus poſtquam fratrum ſcelere in Ægyptum delatus eſt,& è carcere eductus toti regno cum ſumma poteſtate præpoſitus, parentem tamen quem vehementer diligebat, quemque mœrore & lacrymis confici non ignorabat, ſtatus ſui certiorem non fecerit. Nam nec obliuiſci potuit parentis indulgentiſſimi, qui fratres tanto poſt agnouit cum primum eos aſpexit in Ægypto, nec qui omnia cum poteſtate moderabatur, à rege prohibitus eſt nuntios deſtinare,nec longè diſſitarum regionum intercapedo prohibuiſſe credenda eſt, cum minus quàm trecenta millia paſſuum inter Ægyptum, & Chananitidem, in qua Iacob agebat, numerentur, nec deeſſent mercatores, aliíque viatores, qui vltro citroque frequenter commearent, cuiuſmodi illi
Geneſ. 37. 25. erant Iſmaëlitæ, qui de Galaad portabant aromata, & reſinam, & ſtacten in Ægyptum, quibus, accepto pretio, Ioſeph à fratribus venditus fuerat. Quæſtioni reſpondet Auguſtinus, diuino id accidiſſe conſilio, ne tribulationis, & doloris illius fructu ſanctus ſenex fraudaretur; cui reſponſioni non repugno, ſed illud addi poſſe puto, conſultum eſſe putauiſſe Ioſephum, ſi parentem, fratres, conſanguineóſque ſuos, donec diuinæ prouidentiæ conſilio aliud ſtatueretur, procul haberet, ne forte eorum gratia in Reipubl. adminiſtratione impingeret ipſe, aut aliqua eius famæ labes aſpergeretur, ſi eos apud ſe honorificè habere, & poteſtatis ſuæ participes facere voluiſſet. Quam etiam conſtantiam tenuit poſtquàm in Ægyptum omnes deſcenderunt, nam nec in Regia eos degere, nec à paſtorali vita cui aſſueuerant, ad aulicam tranſire paſſus eſt. Sed iam ad

ter

tertiam iuſtitiæ partem, quæ Vindicatiua dicitur, veniamus.

De Iuſtitia vindicatiua Principis.

CAPVT XII.

1 AD ſanciendam ſalutarem legum diſciplinam, ſcelerum quæ perpetrantur vindicta in primis neceſſaria eſt in quacumque bene conſtituta Republ. quamuis enim amore virtutis,& honeſtatis ab iniuria, violandiſque legibus abſtineant boni; nunquam tamen mali deſunt, qui formidine dumtaxat pœnæ in officio contineri poſſunt. Illud autem in primis ſtatuendum eſt, vt boni ciues recti amantes, & honeſti habendi ſunt in pretio, fouendi, & modis omnibus ornandi; ita contumaces, & turbulentos,iugumque legum excutere molientes, ſeueritate pœnarum in officio contineri debere. Ac quemadmodum de Deo dicitur in pſalmo, *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Et in Prouerbiis iuxta 70. *Peruerſis peruerſas vias immitte Dominus.* ita Princeps bonos & innocentes benignè complecti debet, & tractare,malos autem terrore pœnarum à ſcelere, atque flagitio reuocare, ſic enim ſi peccantibus ipſis ſanitatem afferre non poterit, certè cæteros à ſuſcipiendis criminibus deterrebit. *Peſtilente flagellato*, inquit ſapiens, *ſtultus ſapientior erit.* Et alibi, *Mulctato peſtilente ſapientior erit paruulus.* Et Iſaias, *Cum feceris* (inquit) *iudicia*

Pœnis inflictis malos à peccando deterreri.

Pſal. 17. 26.

Prou. 21. 8.

Prou. 19. 25.

Prou. 21. 11.

Iſai.26.9. *dicia tua in terra iuſtitiam diſcent habitatores orbis.*
3.Reg.20. Hinc grauiter in Regũ hiſtoria caſtigatur Achab
23. Rex Iſrael, quod Regem Aſſyriæ Benadad, quem habebat in poteſtate, ac pro eo quod multis malis Iſraëlem vexauerat, Deo volente interficiendus erat, non ſolum liberum dimiſiſſet, ſed in currum
Ibid.n.42. ſuum ſuſtuliſſet, fratremque nominaſſet. *Quia dimiſiſti* (inquit propheta) *virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* Quod vaticinium tunc impletum eſt, cum in pugna aduer-
3.Reg.22. ſus eundem Benadad commiſſa, ſagitta in incer-
37. tum à milite excuſſa, grauiter ſauciatus Achab, poſt aliquot tandem horas extinctus eſt. Illud verò multo magis vitandum eſt, ne qui morti omnino debentur aut alio ſupplicij genere ad aliorum terrorem puniendi ſunt, pecunia, aut muneribus ſibi parent impunitatem, eámque in ciuibus opinionem ingenerent, ſcelus quodlibet, quantumuis graue, oblata pecunia redimi poſſe. Quamuis enim pecuniaria mulcta leuiora aliqua peccata vindicari rationi conſentaneum ſit; atrociora tamen, & quæ magis exempli prauitate Reipubl. bono incommodant, pari pœnarum ſeueritate punienda ſunt. nec ſi quando viſum fuerit crimen aliquod pecunia compenſandum, eam decet in proprios vſus Principes conuertere, ne ſtudio potius auaritię, quàm facilitatis, aut clemẽtiæ ductos, eam quam infligere iure potuiſſent,
Iſai.5.23. pœnam condonaſſe videantur. *Væ qui iuſtificatis*
Iſai.1.21. *impium pro muneribus*, inquit Iſaias, & alibi. *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicij, iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ?* Quemadmodum enim meretrices accepto pretio vulgant corpora, ita iudices iniqui, & Principes pecuniæ

potius,

potius, quàm æquitatis amatores, iuſtitiam, cuius integritatis tanquam virginis cuiuſdam regiæ ſatellites acerrimi, ſolertiſſimíque eſſe debuiſſent, tanquam meretricem paſſim proſtituunt, id enim propheta querebatur. Nam cum prius iuri dicundo præpoſiti incorruptè iudicando ſuam fidem ita populis probarent, vt nullus expoſtulationibus locus ſupereſſet, factum poſtea erat, vt plerique eorum auri ſplendore cæcati, omnem iudiciorum rectitudinem, auaritia animos corrumpente, confunderent. Pauci enim erant, aut fortaſſe nulli, qui cum Samuele gloriari poſſent, *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum, ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis*; vel vt ex Hebræo vertit Pagninus, *De manu cuius acceperim propitiationem, & occultauerim oculos meos*. vel vt alij. *Et ſuper eo diſſimulaui.* Kaldæus, *& inclinaui ab eo oculos meos in iudicio.* Semper autem eadem ſententia eſt aſſerentis ſe numquam à ſontibus accepiſſe pecuniam, aut munus aliquod, vt ad eorum crimina conniueret, aut oculos auerteret, ſed in rectè iudicando conſtantiam perpetuò ita tenuiſſe, vt ſibi nullus poſſet, quantumuis maleuolus obtrectator, deſtitutæ, aut proſtitutæ iuſtitiæ crimen impingere.

1. Reg. 12. 3.

Sontibus parcendum non eſſe quia non fiunt meliores: & quia ſanguis ab ipſis fuſus clamat ad Principem.

2 Quod ſi cauſam quæramus, cur pœnæ ſontibus remittendæ facile non ſint, eam affert Iſaias, *Miſereamur*, inquit, *impio & non diſcet iuſtitiam*: nam vt docet Salomon in Eccleſ. *Peruerſi difficilè corriguntur.* contracti enim longa conſuetudine habitus, in naturam quodammodo tranſeunt, ac quemadmodum, quæ naturalia ſunt, natura ipſa

Iſai. 26. 10. Eccleſ. 1. 15.

repugna

repugnante tollere non poſſumus, aut mutare, ſed eadem ſemper in omnibus ſunt, ita qui ſceleribus diuturno tempore inſueuerunt, vitioſi illius coloris quem imbiberunt adeo tenaces ſunt, vt
Ierem. 2. 22. etiamſi *ſe lauerint nitro, & multiplicauerint ſibi herbam borith, maculati tamen ſint in iniquitate ſua*: ac quemadmodum atrum colorem Æthiopis qui tentauerit eluere, operá ludet, cum naturalis ille color tali debeatur corporis temperamento, ita qui longa aſſuetudine malè facere didicerunt, vitio peruerſæ voluntatis virtutis coloris quodammodo incapaces eſſe videntur, vt quodam loco
Ierem. 13. 23. queritur Ieremias cum ait: *Si mutare*, inquit, *poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere cum didiceritis malè.* Ergo quemadmodum prudentes medici membra illa à reliquo præcidunt corpore, quæ ita corrupta ſunt, vt etiam communicato morbo reliqua tabefaciant; ita ſapientes Reipubl. moderatores à Reipubl. corpore ſceleratos homines, quos peſtilentes ſcriptura frequenter appellat, ita præcidere debent, vt nullum periculum ſit, ne partes illæ quæ infectæ nondum ſunt, morbo correptæ
Eccleſ. 10. 12. putreſcant, ac pereant. *Breuem enim languorẽ præcidit medicus*, inquit Sapiens, id eſt cum in primordiis adhuc verſatur, nec adeo gliſcit, vt corpus omne peruadendo morbi contagio populetur. Altera cauſa eſt, quod cum priuati homines ſuas ipſi iniurias perſequi prohibeantur, publicæ poteſtatis, quæ omnium nomine gladium portat, munus eſt ita illos vindicare, vt Reipubl. conſulatur, & priuatis etiam qui violati ſunt, fiat ſatis.
3. Reg. 2. 31. Idcirco Salomon Banaiæ imperans, vt Ioab iam pridem mortis reum interficeret; *Interfice*, inquit,

cum,

eum, & ſepeli, & amouebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt à Ioab, à me, & à domo patris mei. Nihil autem aliud eſt amouere ſanguinem innocentem effuſum, quàm contra iuſtitiam perpetratam cædem, debitam pœnam rependendo, expiare. Phraſi enim ſcripturæ ſatis frequenti ſanguis cæſorum clamare dicitur, & vindictam poſtulare, & donec ſontibus, qui illum iniuſtè effuderunt, ea pœna inflicta ſit, quam meruerunt. Sic de Abelis ſanguine dixit Deus: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et apud D. Lucam Deus dicitur *facturus vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte.* & in Apocalyſi legimus, *Vindica ſanguinem ſanctorum tuorum, qui effuſus eſt.* Et de Chriſto ſanguine in Epiſtola ad Hebræos habemus, *ſanguinis effuſionem melius loquentem quàm Abel.* Vt ergo muneri ſuo Princeps ſatisfaciat in re tam graui, apud ſe planè conſtituat ſontes impunè non dimittere, accepto præſertim pretio, & ſibi legem illam, quam Dominus in Hebræorum Republ. ſeruari volebat, penitus indicat, ita enim legimus in libro Numerorum. *Hæc ſempiterna erũt, & legitima, in cunctis habitationibus veſtris. Non accipietis pretium ab eo qui reus eſt ſanguinis, ſtatim & ipſe morietur:* ſic enim fiet vt *Rex ſapiens impios diſſipet,* vt eſt in Prouerbiis, vel vt eſt apud 70. illorum ſit *Ventilator.* quemadmodum enim paleæ & frumenti retrimenta ab ipſo tritico ventilando ſeparantur, & vt eſt in Chriſti parabola, flammis deſtinantur; ita Ciuitatem ab iſtis hominum noxiis quiſquiliis ſapiens moderator vindicatiuæ iuſtitiæ ventilabro purgare debet, ne totum ſinceri integrique frumenti cumulum inficiant, & corrumpant.

Geneſ. 40. 10.
Luc. 18. 7.
Apoc. 6. 10.
Hebr. 11. 4.
Num. 35. 29.
Prou. 20. 26.
Matth. 3. 12.

3 Quod

Formā iudiciorum diligenter ſeruādam. 3 Quod verò attinet ad iudiciorum formam, diligenter ea omnia ſeruanda ſunt, quæ à iure in iudiciis ſeruanda præſcribuntur, ſic enim fiet vt Princeps hanc ſecutus normam, non impingat, & quæ fecerit toti Reipubl. magis probet, minúſque pateat obtrectatorum calumniis. Cum ergo crimen aliquod patratum audiuerit, illius auctores diligenter inueſtiget, certóque cognoſcat, ne forte innocentes aliqui pro nocentibus puniantur. Ita Gedeon cum Principes Soccoth neſcio quid in ipſum eiuſque exercitum peccaſſent, eos

Iud. 8. 14. puniturus, vt fuerat comminatus. *Apprehendit puerum de viris Soccoth, interrogauitque eum nomina Principum, & ſeniorum Soccoth, & deſcripſit Septuaginta ſeptem viros.* Et ſanctus Iob de ſe ipſo teſta-

Iob 29. 16. tur: *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam.* & vniuerſè de omnibus timentibus Deum teſtatur ſapiens, eos omnia in iudicando circum-

Prou. 28. 5. ſpicere, & inueſtigare, ne forte fallantur. *Viri mali*, inquit, *non cogitant iudicium, qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.* Et quia vulgus imperitum ex leuibus coniecturis temerè aliquando de rebus iudicat, ſcriptura monet, vt imperitæ turbæ ſententiam non ſequatur, qui iudi-

Exod. 33. 2. caturus eſt: *Non ſequeris*, inquit, *turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies.* Et Ioſaphat Rex Iuda ſanctè inſtituens iudices ſuos, inter cætera hoc etiam

2. Paral. 19. 7. dat in mandatis, *Vt cum diligentia cuncta faciant.* Propter hanc cauſam ſapienter à Daniele Suſannam innocentem condemnans reprehenſus eſt populus, quod non diligenter cauſam ſanctæ il-

Dan. 13. 48. lius mulieris cognouiſſent, ſed, ſed nimium ad credendum faciles eam morti adiudicaſſent. *Sic*

fatui

fatui, inquit, *filij Iſraël non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes condemnatis filiam Iſraël?* Hæc tandem illa veritas eſſe videtur, quam rationali ſummi Sacerdotis inſeri iuſſit Dominus, quæque Exod.28.
iudicium comitari debet, iuxta illud quod habe- 30.
mus in Pſalmo, *Opera manuum eius Veritas, & Iu-* Pſal.110.
dicium. Imò q ndoque Dominus ſceleris alicu- 7.
ius reos, ne falli quemquam contingeret, miraculo prodidiſſe conſtat ex ſcripturis, vt in adulteris mulieribus, quarum fœmur vno dumtaxat aquæ illius hauſtu, quam amariſſimam ſcriptura appellat, ſtatim putreſcebat, in violati maritalis thori vindictam, vt in libro Numerorum legimus. Numer.5.
Nec graues auctores deſunt, qui putent commi- 18.
nuti vituli, quem impiè Iſraëlitæ adorauerant, pulueres, cum aqua Moyſen populo propinaſſe, Exod 32.
quod ſignum aliquod vnde agnoſci poſſent, in iis 20.
qui idololatriæ crimen admiſiſſent, poſt potum illum diuinitus exiſteret. Porrò denuntiatione, aut indiciis, criminis auctores deprehenſi, citãdi ſunt, aut ſi detrectent, cogendi vt iudicio ſiſtant ſe, & ſi quid habeant quod afferre poſſint ad crimen diluendum proferant. Abſconderat ſe Adam peccati admiſſi ſibi conſcius, diuinúmque declinans aſpectum ſe dederat in latebras. At Dominus auſpicaturus iudicium, *Vocauit Adam, & dixit ei.* Geneſ.3.9.
Vbi es? Et multis poſtea ſæculis lege iam per Moſen à Domino tradita, ita ſeruatum eſt in omnibus iudiciis, vt reus vocaretur, & audiretur. Itaque Nicodemus Iudæos aliquid contra ius in Chriſtum, cui infenſi erant, molientes officij admonuit, dicens: *Nunquid lex noſtra iudicat homi-* Ioan.7.51.
nem, niſi prius audiuerit ab ipſo, & cognouerit quid faciat? Nec verò apud Hebræos tantum ita lege

Digitized by Google

ſancitum erat, ſed naturali lumine dictante apud alias etiam nationes vſus obtinuerat, vt nullus inauditus, aut ſaltem non appellatus damnaretur: quod de Romanis ex ſcriptura diſcimus, ita enim loquitur Feſtus in actis Apoſtolorum, *Non eſt Romanis conſuetudo donare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina.* Dicit, *donare*, quia Paulum Principes Sacerdotum & ſeniores Iudæorum poſtulauerant, vt damnaretur, etiam inauditus; hoc autem fuiſſet reum illis donare, vt ipſi prout collibitum fuiſſet, interficerent. Ex Græco autem contextu noſtra verſio lumen accipere poteſt, in quo habemus χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, *donare aliquem hominem ad perditionem.* Ad eandem etiam iudiciorum formam ſpectant teſtes, qui ad reuincendum reum, & rei geſtæ veritatem certius cognoſcendam faciunt; hos autem adhiberi iuſſit Dominus in veteri lege. Sic enim præcipitur in Deuteronomio. *In ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur.* & alibi. *Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit, ſed in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* quæ verò ex teſtium dictis contra reum conſtiterint, ea mos eſt ſcriptis excipere, & in acta referre, vt cum opus fuerit, oſtendi poſſit quibus cauſis adducti iudices morti aliquem addixerint, aut aliis pœnis in eum animaduerterint. Hinc S. Iob, qui ſe quodammodo iudicio contendere cum Deo intelligebat, modum hunc agendi ſatis indicare videtur: nam de teſtibus quidem ita loquitur, *Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduerſum me:* alibi verò de delictis in commen

Act. 25. 16.
Ibid n. 15.
Deut. 17. 6.
Deut. 19. 15.
Iob 10. 17.

Digitized by Google

commentarium relatis, ait, *ſcribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* De iudicio autem quo delicta ad puniendum inquiruntur, iſta dici ſatis patet vel ex ipſis verbis, vel ex proximè antecedentibus, ac conſequentibus. Nam capite illo decimo dixerat, *Dicam Deo: Noli me condemnare, indica mihi cur ita me iudices: nunquid tibi bonum videtur ſi calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & conſilium impiorum adiuues?* Capite autem decimo tertio, ſc, dum iudicium hoc exercetur, compedibus quibuſdam constrictum fuiſſe confirmat, ad eum modum quo capitis rei carceribus ne fuga elabantur concludi ſolent, ita enim loquitur, *Poſuiſti in neruo pedem meum.* Quamuis autem poſſit Princeps in teſtibus conuictum reum, mortis ſententiam pronuntiare, ab eo tamen ſemper tentet commiſſi delicti confeſſionem elicere. Ita Gedeoni interroganti, Zebee, & Salamana cædem quam patrauerant, confeſſi ſunt. *Dixitque Gedeon,* inquit ſcriptura, *quales fuerunt viri quos occidiſtis in Thabor? qui reſponderunt, ſimiles tui, & vnus ex eis quaſi filius Regis. Quibus ille reſpondit, Fratres mei fuerunt, filij matris meæ. Viuit Dominus, quia ſi ſeruaſſetis eos, non vos occiderem.* Similem ex Acham violati anathematis reo confeſſionem expreſſit Ioſue; quamuis enim diuino teſtimonio per ſortes edito confixus planè eſſet, nulluſque pateret effugio locus, illum tamen ita interrogat. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas. Reſponditque Acham Ioſue, & dixit ei. Verè ego peccaui Domino Deo Iſraël, & ſic, & ſic feci, vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti,*

Iob 13
Iob 10.2.
Iob 13.27.
Iud. 8.18.
Ioſ. 7.19.

regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei argentumque foſſa humo operui. Qua confeſſione audita ad vallem Achor ſeductus eſt, *lapidauitque eum omnis Iſraël, & cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt, filij nimirum & filiæ, boues & aſini, & oues, eiuſque tabernaculum, & cuncta ſupellex,* vt ibidem ſacra narrat hiſtoria. Huius autem facti occaſione dubitari poteſt liceat ne aliquando Principibus, in criminibus præſertim quibuſdam atrocioribus, cuiuſmodi proditio eſt, aut noxa læſæ maieſtatis, eadem cum parente pœna filios culpæ eius minimè affines inuoluere. Cui dubitationi reſpondendum eſt breuiter, poſſe filios innoxios in grauioribus patrum criminibus, honoribus, facultatibuſque licitè ſpoliari: vitam verò adimi nulli licere, qui peccato ſuo id commeritus non ſit, id enim nemini Principum ſummus vitæ arbiter Deus concedit. Expreſſerat id olim in veteri lege Dominus, nam in Deuteronomio ita Iudicibus præcipiebatur. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Cui conſonat illud Ezechielis, *Anima quæ peccauerit ipſa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij, iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum*; & illud Ieremiæ, *In diebus illis non dicetur vltra, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt, ſed vnuſquiſque in iniquitate ſua morietur, omnis homo qui comederit vuam acerbam, obſtupeſcent dentes eius.* Quod ſi quæ ſcripturæ teſtimonia, aut ſanctorum veteris legis principum facta repugnare videntur, atque adeo parentum culpam ad filios pertinere ex iis locis

Deut. 24. 16.

Ezech. 18. 20.

Ierem. 31. 29.

Digitized by Google

locis probari poſſe, multiplex reſponſio è ſanctis Patribus, Scripturæque ſacræ interpretibus afferri poteſt, quamuis fortaſſe non vna quælibet cuique loco, ſed aliis alia accommodari poſſit. Dici enim poteſt primò, tunc demum parentis improbitatem filiis nocere, cum filij parentum ſcelera, quod plerúmque vſu venire ſolet, imitántur. Secundò, tunc filios innoxios à Domino puniri, cum eorum pœna in ſuperſtites parentes vindictæ conſcios, aut ſpectatores redundare poteſt. Tertiò, pœnas quidem temporales aliquando, ſpirituales nunquam à parentibus ad filios innocentes tranſmitti poſſe. Quod autem ſpectat ad filios Achan, non deſunt qui putent eos aliqua ratione paterni ſceleris participes fuiſſe, importatæque in domum veſtis pretioſæ, ac pecuniæ aſpectu delectatos eſſe, atque ita parem fuiſſe à Domino pœnam irrogatam iis, quorum diſpar culpa non erat. Quod ſi forte aliqui ex iis infantes propter rudes annos, & conſilij imbecillitatem culpæ penitus expertes fuerunt, id diuinæ ſapientiæ, & voluntatis decreto abſque occiſorum culpa, ſed non abſque cauſa factum fuiſſe, aſſerendum eſt. Nam de poteſtate nullus ambigat cum Dominus vitæ & necis arbiter ſit, quam ob cauſam cum in quinque Ciuitates incendium, & in vniuerſum orbem cataclyſmum immiſit, infinitam propemodum infantium multitudinem, qui nullam adhuc culpam contrahere poterant, aquis, aut ignibus aboleuit.

Sed quæri poſſet an foret è Republ. ſi ius vitæ, & necis parentibus in filios concederetur à lege, qua illis poteſtas fieret natorum delicta, morte etiam vindicandi, ſi peccati grauitas id poſtulare

videretur. Reſpondeo videri noxium hoc Reipubl. futurum, nam filij quidem ſeruilem potius in modum parentes timerent, quàm diligerent vt liberos decet, &, contra quàm optabat Apoſtolus, *puſillo animo* fierent & deiecto: parentes verò vel in ſceleribus puniendis remiſſi nimium eſſent, vt Dauid & Heli Sacerdos, quorum primus Abſalonem perduellionis reum, & peſſimè de vniuerſa Republ. meritum ſeruatum cupiebat, alter adeo molliter grauiſſimè peccantes increpuit, vt non propterea à ſcelere ſint deterriti, vel forte poteſtate abuterentur, & exigui criminis reos deſtinarent ad necem ſubita & impotenti aliqua animi perturbatione prouecti. Dicat aliquis lege Deuteronomij datam fuiſſe parentibus necis poteſtatem in filios cõtumaces, eoſque, qui pietatem in parentes contumelia violare veriti non fuiſſent. Præterea Ioſeph ad parentem Iacob fratrum crimen detuliſſe admodum graue, & morte fortaſſis expiandum. Tandem Iudas nurum ſuam ad incendium damnaſſe, vt legimus in Geneſeos hiſtoria, quæ omnia hanc illo æuo in patribusfamilias poteſtatem fuiſſe, videntur oſtendere. Sed facile reſponderi poteſt parentes in delictis filiorum contumacium, aut eorum qui eis maledicere auſi fuiſſent, teſtes tantum, ſed præcipuæ cuiuſdam auctoritatis fuiſſe apud populi Iudices, Ioſephi verò delatio ad correptionem potius fratrum, quàm ad iudiciariam criminis cognitionem ſpectare videtur, nec Iudas alia ratione, quam vt populi princeps parabat in nurum ſuam ſceleris compertam, vt ipſe arbitrabatur, animaduertere.

Coloſſ. 3. 21. 1. Reg. 2. 22. Deut. 21. 18. Exod. 21. 17. Leuit. 20. 9. Geneſ. 37. 2. Geneſ. 38. 24.

Quid faciendum

4 Quia verò fieri nonnunquam poteſt vt criminis

minis alicuius plurimi participes fuerint, aut etiam populus vniuerſus, tunc ſanè ipſi parcendum eſt vniuerſitati, aliquibus dumtaxat in vindictam ſceleris, contumaciumque terrorem de medio ſublatis. Viguit olim apud aliquos populos ea conſuetudo, vt ſi legio aliqua, aut exercitus vniuerſus aliquid peccaſſet, quod grauiorem pœnã mereretur, decimus quiſque interficeretur, aliis impunè abire permiſſis, ea pœna decimatio dicebatur. Hac Dominus pœna ſe vſurum comminari quodãmodo videtur, cum ait apud Iſaiam, *Et adhuc in ea decimatio, & erit in oſtenſionem.* Cuius loci ſententia eſſe poteſt. licet iam multis plagis populum hunc meum attriuerim, manus tamen mea adhuc extenta eſt ad feriendum, ex omni populi numero decimam partem in ſcelerum pœnam interire permittam, aut quod grauius eſt, tam multos, vt decima tantum pars, reliqua fiat. Ita etiam Moſes in Exodo à porta ad portam diſtrictis gladis diſcurrere iuſſit Leuitas & obuium quemque demetere, & quamuis populum vniuerſum ſceleris illius contagio peruaſiſſet, pars tamen dumtaxat, in ſceleris deteſtationem, expiationemque obtruncata eſt, cæteræ verò parcitum multitudini. Hinc etiam Iſrael vniuerſus cum filios Benjamin, pro eo, quod peccauerant, ita vno prælio afflixiſſet, vt viginti quinque hominum millia caderent, ſeque iuramento aſtrinxiſſet, vt ſexcentis illis viris, qui ſoli ex vniuerſa illa tribu ſuperſtites erant, filias aut ſorores in matrimonium minimè daret, ſe poſtea inconſultè feciſſe animaduertit. *Venerunt itaque omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes leuauerunt vocem, & magno vlulatu, cœperunt flere, dicen-*

Principi cum populus vniuerſus peccauit.

Iſai. 6. 13.

Exod. 32.

Iud. 21. 2.

Digitized by Google

tes. Quare Domine Deus Iſraël factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis? Moxque victimis mactatis, & propitiato numine rurſus ad conſultandum conuenit. Quod ita in ſacra narratur hiſtoria. *Ductique pœnitentia filij*
Ibid.n.16. *Iſraël ſuper fratre ſuo Benjamin cœperũt dicere. Ablata eſt tribus vna de Iſrael, vnde vxores accipient? Omnes enim in cõmune iurauimus non daturos nos his filias noſtras.* Sed tandem cum habitatores Iabes Galaad contra Benjamitas arma nõ ſumpſiſſent, nec ſe illo obligaſſent ſacramento, quadringentas Virgines ex eo oppido ſelectas, tribui ad interitum vergenti tribuerunt vxores, atque ita & iuriſiurandi religioni ſatisfactum eſt, & tribus illa ab interitu vindicata. Eſt igitur toti multitudini ſi quando peccauerit parcendum, capitibus duntaxat, aut certè aliquibus ex populo in admiſſi ſceleris vindictam, è medio ſublatis: ſi ſecus faciat Princeps, & notam ſæuitiæ non euadet, & ſuas vires populo deleto, penitus accidet.

Ne ſit princeps nimium minutus in delictis inquirendis. Iudith.8.3.

5 Nec verò minutim cuncta ſcrutari & explorare princeps velit, & ſubditis importunè in omnibus inſtare, vt maritus ille Iudithæ, *qui dum inſtabat ſuper alligantes manipulos in campo mortuus eſt,* imo conſulto ad quædam conniueat, ne ſubditos nimium premat, ſed illis, vt ſic loquar, permittat reſpirandi facultatem iuxta S. Iob querimoniam, aut votum cum precabatur Dominum verbis il-
Iob 14.6. lis, *Recede ergo paululum ab eo vt quieſcat, donec opta-*
Ibid.n.7.19. *ta veniat, & ſicut mercenarij dies eius,* & alibi, *Vſquequo non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam ſaliuam meam?* Quanquam enim optandum eſt, vt toto niſu in hoc moderatores Reipubl. incumbant, vt corruptos mores aut emendent, aut exſcindant,

quædam

quædam tamen vitia radices adeo altas egerunt, vt quicunque illa extirpare tentauerint, non ſolum fruſtra ſint, ſed etiam illud, quod minime vellent conſequantur, vt cum in irritum conatus euaſerit, minuatur exiſtimatio illorum poteſtatis, quæ amoliendis prauis moribus par eſſe non potuerit. Hæc cum incidunt tempora, prudens conſilium eſt diſſimulando tranſmittere quæ corrigi non poſſunt, & audiendus Eccleſiaſtes cum ait, *Pretioſior eſt ſapientia, & gloria parua, & ad tempus ſtultitia.* & Booz imitandus, qui meſſores iuſſit ſpicas aliquas de induſtria inter metendum prætermittere. Eccleſ. 10. 1. Ruth 2. 16.

6 Illud præterea monendus eſt Princeps, vt quemadmodum Dominus, vt eſt in libro ſapientiæ, *cum tranquillitate iudicat*, ita ipſe cum tempora incidunt, quibus puniendi neceſſitas incumbit, zelum ita exerceat, vt omnem iracundię remoueat ſuſpicionem, potiuſque ad iraſcendum lentus credatur, quàm procliuis. Nam ſi, vt eſt apud Salomonẽ, *ſpiritum ad iraſcendum facilem, non eſt, qui poſſit ſuſtinere*, quanto grauior Principis ira, quam idem ſapiens non ſemel Leonis iræ ſimilem eſſe docet? *ſicut fremitus Leonis, ita & Regis ira.* & alibi. *ſicut rugitus Leonis, ita & terror Regis, qui prouocat eum, peccat in animam ſuam.* Quare quemadmodum, qui in Libyæ arenis verbi gratia deprehenſi ſunt, aut in ſylua Leonibus infeſta, rugitum eorum quaſi nuncios mortis auribus excipiunt: ita qui Regem ſibi iratum eſſe animaduertunt, certam expectant perniciem, niſi blanda ſapientis hominis oratione placatus furor ille reſederit, *Indignatio Regis*, inquit Salomõ, *nuncij mortis, & vir ſapiens placabit eam.* Sapienter

Irã Principi cauẽdam dum punit. Sap. 12. 18. Prou. 13. 14. Prou. 19. 12. Prou. 20. 2. Prou. 16. 14.

itaque Aſſuerus, qui à Regina Vaſthi vxore contemptui habitus, quod ad Regem accerſita, Imperium detrectaſſet, licet vt ſcriptura loquitur
Eſther 1. 12. *nimio furore ſuccenſus eſſet*, nihil tamen durius in eam ſtatuendum putauit priuſquam Regni Pro-
Ibid.n.13. ceres adhibuiſſet in conſilium, itaque *Interrogauit ſapientes, qui ex more Regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges, ac iura maiorum (erant autem primi & proximi Charſena, & Sethar, & Admatha, & Tharſis, & Mares, & Marſana, & Mamuchan, ſeptem duces Perſarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant) cui ſententiæ Vaſthi Regina ſubiaceret, quæ Aſſueri Regis Imperium, quod per Eunuchos mandauerat, facere noluiſſet.* Nec prius Regi viſum eſt pœnam aliquam decernere, quàm à conſiliario quodam excogitatum conſilium, non ſibi tantùm ſed Principibus etiam probatũ fuiſ-
Ibid.n.21. ſet. Alius etiam quidam Rex in parabola Euangelica à Domino inductus, cum nuptias filio ſuo feciſſet, & qui inuitati fuerant, varias prætexentes excuſationes, venire noluiſſent, ex compitis & triuiis obuios quoſque ad nuptiale cõuiuium introduxit, quos cum inſpecturus intraſſet, quendam deprehendit nuptiali veſte non amictum, quod crimẽ grande fuiſſe ex eo intelligitur, quod
Matth.22. 13. qui id facere auſus fuerat, *ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores miſſus eſt, vbi erat fletus, & ſtridor gentium*, non tamen ſententiam pronunciauit iratus, ſed placidè illum compellans *Amice,*
Ibid.n.12. inquit, *quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Cum verò ille ſuum crimen agnoſcens obmutuiſſet, tunc demum lictores iuſſit manus illi iniicere, & ad pœnarum locum abripere.

Quan

Digitized by Google

7 Quanquam verò arduum eſt ſeueritati miſce- *Iuſtitia vindicatiua clemẽtiã copulari poſſe.*
re manſuetudinem, cum pugnare quodammodo inter ſe iſta videantur, ſanctorum tamen virorum, ſapientiſſimorúmque Principum exemplis docemur, iſta ſapienter copulari poſſe, ita vt ſeueritas quædam exiſtat clemẽtiæ dulcedine temperata, quæ nec nocentibus pareat, nec exaſperet animos populorum. *Iuſtitia & pax*, inquit Pſaltes, *oſculatæ ſunt*, nec pax placidis gaudens iuſtitiæ auerſata eſt auctoritatem, nec iuſtitia pacem, & Dominus qui inflexam amat rectitudinẽ, dulcis nihilominus æquè appellatur ac rectus à S. Dauid: *Dulcis*, inquit, *ac rectus Dominus*: quibus dotibus, quæ ad populos gubernandos mirificè proſunt, quia abſolutiſſimè erat ornatus, propterea ſubiicitur. *Propter hoc legem dabit delinquentibus in via*. Mitiſſimus etiam Dauid, cuius eſt illa vox ad Dominum? *Memento Domino Dauid & omnis manſuetudinis eius*: plurimum tamen ſanguinis effudit hoſtium, ac nocentium: quam ob cauſam ab ædificatione templi, quod excitare moliebatur, à Domino prohibitus eſt: *Non poteris*, inquit, *ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me*. De eo autem legimus in hiſtoria Regum. *Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum*, hoc eſt duplicem cum Moabitis agendi rationem inſtituit, alios è medio tollendo, rebelles, ſcilicet contumaces, ſeditioſos, & eos, qui cum aliorum eſſent capita, publicam quietem conturbabant; aliis quidquid ſuo ſcelere metuerant condonando, minutiori nimirum plebi, & iis, quos obſequij legumque patientes, futuros animaduertebat, atque ita hos duos temperabat funiculos, vt illos modò adduce

Pſalm. 84. 11.
Pſal. 24. 8.
Pſal. 131. 1.
1. Paral. 22. 8.
2. Reg. 8. 2.

Digitized by Google

duceret, modò remitteret, vt varia Reipublicæ tẽpora poſtulabant. Quare Moſes Aaronem cum filiis ſacro ritu ſanctificãs, vt ſacerdotes eſſent coram Domino, quibus de multis iudicãdi poteſtas

Leuit. 8. 30. erat committenda, *Aſſumens vnguentum* (vel vt alij legunt, *oleum*) *& ſanguinem qui erat in altari aſperſit ſuper Aaron, & veſtimenta eius, & ſuper filios illius, ac veſtes eorum*; forte vt intelligerent ſanguini iuſtitiæ ſeuerioris, oleum clementiæ ſemper eſſe miſcendum. Itaque Salomon in Eccleſiaſte, *No-*

Eccleſ. 7. 17. *li*, inquit, *eſſe iuſtus multum*, non ſummum ius ſummam continere videtur iniuriam, illíque meritò reprehenduntur, qui feſtucam educere vo-

Matth. 7. 4. Matt. 23. 24. Iob 29. 25. lunt, *aut culicem excolare.* Nec aliter ſe geſſit S. Iob, qui de ſe ipſo prædicat, *Cum ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen marentiũ conſolator.* quem locũ S. Gregor. ad rem noſtram accõmodatiſſimè explicat in ſuis moralibus cõmentariis ad eum locum, & aliis etiam illuſtrat locis ex Sacra ſcriptura depromptis. *Sciendum nobis eſt*, inquit, *quod valde lectorem ædificare etiam iuxta hiſtoriam poteſt, ſi perpendat quomodo bonis rectoribus mixta ſit, & regendi auctoritas, & benignitas conſolandi. Ait enim. Cúmque ſederem quaſi Rex circũſtante exercitu, ecce auctoritas regiminis. Eram tamen marentium conſolator; Ecce miniſterium pietatis. Diſciplina enim vel miſericordia multum deſtuitur, ſi vna ſine altera teneatur. Sed circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina.*

Luc. 10. 34. *Hinc eſt, quòd ſemiui illius vulneribus, qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinum adhibetur & oleum, vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur, quatenus vnuſquiſque, qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat,*

in

in oleo millitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum ſananda foueantur. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate, faciendúq; quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul, ac manna eſt, quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia eſt in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit eſt manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait, Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt: Pſalm. 22. *virga etenim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Si* 4. *ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet. Sit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens; ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens. Intueri libet in Moyſi pectore miſericordiam cum ſeueritate ſociatam. Videamus amantem piè & diſtrictè ſæuientem. Certè cum Iſraëliticus populus ante Dei oculos penè ineuitabilem contraxiſſet offenſam; ita vt eius rector audiret: Deſcende, peccauit populus tuus:* Exod. 32. *ac ſi diuina vox diceret; qui in tali peccato lapſus eſt,* 7. *iam meus non eſt, atque ſubiungeret: Dimitte me vt* Ibid. n. 10. *iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam, ille ſemel & iterum pro populo cui praeerat, obicem ſe ad impetum Dei iraſcentis opponens ait. Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Ibid. n. 31. *Penſemus ergo quibus viſceribus eundem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri ſe petiit, ſed tamen iſte, qui tanto eius populi amore conſtringitur, contra eius culpas penſemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox* Ibid. n. 27. *enim vt petitione prima ne delerentur, culpæ veniam obtinuit, ad eundem populum veniens ait, Ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, ite & redite de porta*

Digitized by Google

ta vſque ad portam, per medium Caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Cecidernntque in die illo, quaſi viginti tria millia hominum. Ecce qui vitam omnium, etiam cum ſua morte petijt, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arſit ignibus amoris, foris accenſus eſt zelo ſeueritatis. Tanta fuit pietas, vt ſe pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret; tanta ſeueritas, vt eos quos diuinitus feriri timuerat, ipſe iudicij gladio ferrret. Sic amauit eos, quibus præfuit, vt pro eis nec ſibi parceret, & tamen delinquentes ſic perſecutus eſt quos amauit, vt eos etiam Domino parcente proſterneret. Vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator admirabilis cauſam populi apud Deum precibus, cauſam Dei apud populum gladijs allegauit. Intus amans diuinæ iræ ſupplicando obſtitit, foris ſæuiens culpam feriendo conſumpſit. Succurrit citius omnibus, oſtenſa morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum ſuum citius exaudiuit agentem pro populo, quia vidit quid ſuper populum acturus eſſet ipſe pro Deo. In regimine ergo populi vtrumque Moyſes miſcuit, vt nec diſciplina deeſſet miſericordiæ, nec miſericordia diſciplinæ. Hactenus Gregorius. Hunc autem agendi modum S. Moyſes à Domino, quem ſibi magiſtrum propoſuerat, didicerat, cuius iuſtitia clementiæ dulcedine mitigatur, & miſericordiæ ſuauitas, iuſtitiæ fortitudine ac rigore, cum eſt opus, armatur: *Animaduertis*, inquit D. Baſilius, *quanta cum diſcretione miſericordia Dominus vtatur? ſi quidem neque citra iudicij diſcretionem clemens eſt, neque inclementer iudicat. Miſericors enim & iuſtus eſt Dominus. Hæc igitur cum ita ſint, nolimus quæſo nos Deum ex dimidia tantum parte cognoſcere, neque eius erga nos bonitatem ad ignaniæ occaſionem arripiamus. Propterea tonitrua,* *pro*

S. Baſil. in procem. regularum fuſius explicat verſus finem.
Pſal. 114. 5.

Digitized by Google

propterea fulminum terrores, vt ne bonitas contemnatur. Qui Solem oriri facit, is cæcitate etiam mulctat. Qui imbrem dat, etiam ignem pluit. Illa clementiæ, hæc ſeueritatis. Aut enim per illa ad amandum alliciamur, vel per hæc ad metum aſſueſcamus, ne nobis quoque dicatur. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Hactenus Baſilius. Fieri ergo poteſt vt nihil remittat Princeps de ſeueritate pœnarum, ſceleribus debita; ita tamen ſe gerat in ferendis ſententiis, mortéque imperanda, vt quilibet intelligat inuitum illum ad iſta deſcendere, nec alia de cauſa, quàm vt Rempub. ſeruet incolumem, irati hominis perſonam ad tempus aſſumere: quod qui faciunt iuxta Dauidis præceptum dicentis. *Iraſcimini & nolite peccare*, iracundiam quandam præ ſe ferunt, cum tamen animo ſedato ſint & tranquillo. Hoc autem iracundiæ genus eſt maximè probabile, quia non è cæco quodam impetu naſcitur perturbatæ mentis, & vindictæ libidine concitatæ, ſed ab animo quieto, nullíſque motibus commoto proficiſcitur, ac propterea comperimus iis adfuiſſe Dominum, qui voluntariam hanc iram ſuſcepiſſent. *An non in iracundia eius*, dicitur de Ioſuë in Eccleſiaſtico, *impeditus eſt ſol, & vna dies facta eſt quaſi duo? Inuocauit Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hoſtilem, & in deſcenſu perdidit contrarios.* Fuiſſe autem mitem Ioſuë ex eo diſcimus ex ſcriptura, quod Acham capitali ſententia damnaturus, verbis tamen appellauit humaniſſimis. *Fili mi, inquit, da gloriam Domino Deo Iſraël.* Samuël etiam cuius manſuetudo

com

Matth. 5. 45. 4. Reg. 6. 18. Zach. 10. 1. Rom. 2. 4. Pſal. 4. 5. Eccl. 46. 5. Ioſue 7. 19.

Digitized by Google

cõmendari poteſt, quod totius populi teſtimonio non calumniatus eſſet, nec oppreſſiſſet aliquem, ſed ita ſe geſſiſſet in tãti populi gubernatione, vt nullus auderet conqueri : non tamen propterea, cum opus fuit, zelo, & iracundia, accenſus non eſt, non modo contra Amalechitas, de quibus ita ad Saül Domino dictante locutus eſt. *Vade & percute Amalech, & demolire vniuerſa eius, non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierẽ, & paruulum atque lactẽtem, bouem, & ouem, camelum & aſinum*; ſed contra ipſum Saül Regem, qui Samuëlis imo Dei ipſius præcepta ſeruare neglexerat, *Pro eo*, inquit, *quod abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis Rex. Porrò triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt vt agat pœnitentiam.* Ita ergo Princeps cum fuerit opus, iraſcatur, vt facile poſſit animaduerti, quæ geruntur, aut imperantur, non perturbato animo fieri, aut præcipi ſed ſedato & tranquillo; geri tamen quia Reipub. rationes, quibus id debetur poſtulãnt, vt ſontibus punitis, toti ciuitati quies, & ſecuritas paucorum periculo paretur.

1. Reg. 15. 3.

1. Reg. 15. 23. & 29.

De Clementia Principis.

CAPVT XIII.

Clementiã Principem Deo similẽ facere.

1 NVlla virtus Principem adeo facit Deo ſimilem, Principis nomine, & munere dignum, ſubditis gratum, regnandique ſecurum, ac Clementia, de qua nunc dicendum eſt, cum extre

Digitized by Google

extremo ſuperiori capite docuerimus à iuſtitia ſeparandam non eſſe.

Facit ergo Clementia Principem Deo maximè ſimilem,in quo omnes perfectiones æquales ſint, ſi tamen effectus ſpectemus, qui ab illis prodeūt, altera alteri præſtare videtur: & in his quidem diuina clementia primum locum obtinet, quare S. Iacobus ait, *Superexaltat autem miſericordia iudiciũ*,vel vt in Græco eſt *κατακαυχᾶται exultat, gloriatur*, aduerſus iudicium, quaſi de illo victoriam reportauerit.Nam cum Dominus in nefarios homines pœnarum fulmina molitur, id inuitus facere videtur, repugnantéque natura, & quaſi laborans, & neceſſitati cuidam id ab inuito extorquenti ſeruiens, quod Iſaias videtur illis verbis expreſſiſſe. *Verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis,præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* ſenſus enim eſſe poteſt. Et me peccatis tuis adegiſti, vt correctoris cuiuſdam munus mihi inuiſum, & quod cum labore quaſi ſeruiens ſuſtineo, ſubirem. Hinc Deus dicitur à Moſe *Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis*, vbi pro *patiens* in Hebræo eſt *lõgis naribus*,hoc eſt iris, eadem enim vox quæ naſum propriè ſignificat, frequenter in ſcriptura adhibetur ad ſignificandum iram,quod iræ quædam indicia in naſo conſpiciantur. Ita in lamentationibus Ieremiæ: *In die furoris Domini.*& in Prouerb. *Munus abſconditum extinguit iras*, vtrobique pro *furore*, & *Ira* eſt אף *Naſus*, quod alibi admodum ſæpe occurrit. Dicitur ergo Deus à Moſe *longis naribus* enallage quantitatis, pro latis naribus, qui enim anguſtis naribus ſunt, citius iraſcuntur, fumos enim & vapores biliosos ex ſtomacho aſcendentes citius

Iacob 2. 13.

Iſa.43.24.

Exod.34. 6.

Ierem. 2. 22.

Prou.28. 14.

Digitized by Google

concipiunt, & tardius efflant, ob meatuum anguſtias in naribus: qui vero iiſdem ſunt latioribus, placidiores ſunt, nam bilem facilius efflant, multúmque frigidi aëris extrinſecus attrahunt, quo bilis æſtus temperetur. Tanta verò eſt Dei clementia(vt plurima alia, quæ de illa dici poſſent, & quæ paſſim in ſcriptura obuia ſunt, taciti prætereamus) vt in ipſis etiam minis, quas hominibus aliquando intentat, vt à peccando deterreat, frequentiſſime clementiæ cuiuſdam alte impreſſa veſtigia poſſimus intueri; quod etiãſi fuſius quã ſoleo perſequar, lectori tamen, vt arbitror, minime iniucundã fore excurſiunculã iſtam exiſtimo. Sanè S.Dauid in virga diuinæ punitionis multũ ſe conſolationis nactum affirmat, cum

Pſal. 22. 4. ait, *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, nam in minis & ſeueritate correptionis amoris

Geneſ. 6. 3. Domini magnitudinem agnoſcebat. Huc facit quod legimus in Geneſi, *Non permanebit ſpiritus meus in homine quia caro eſt*. Quibus verbis in corruptum hominum genus, grauis quædam comminatio continetur, quam tamen variis modis explicare poſſumus, cum vox iſta ſpiritus multiplicem in ſacris litteris habeat ſignificationem. Primò enim *ſpiritus meus* ſignificare poteſt ipſum

Ioan. 4. 24. Deum, qui Spiritus eſt iuxta illud Ioannis, *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* & ſenſus erit: *Deliciæ quidem meæ eſſe cum filijs hominum.* Sed quia humanum genus vitiis omnis generis nunc implicatum eſt, & coopertum, ita vt carnis deſideriis & voluptatibus ſeruiat, illud deſeram. Secundò ſignificare ſolet ſpiritus in ſcriptura, Dei curam, & prouidentiam; ſic videtur accipi hæc vox in pſalmo

cum

cum dicitur, *Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Si ergo in propoſitis ex Geneſi verbis Prouidentiam accipi dicamus, hæc erit ſententia. Non pergã amplius peculiari prouidentia fouere, & complecti perditum hoc hominum genus, imo perdam aquarum immiſſo cataclyſmo. Tertiò ſpiritus animam rationis participem ſignificat, ita apud Eccleſiaſt. legimus, *Donec puluis reuertatur in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Et ſenſus erit, non permanebit anima in homine (hanc vocat Deus ſpiritum ſuum, quia illam creat, & infundit in corpus) quia caro eſt, vt hæc comminatio ſit ſimilis illi, quæ habetur in pſalmo, *Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Quartò ſignificat ſpiritus ſanctum illum Spiritum, qui eſt tertia perſona Trinitatis adorandæ, quæ ſignificatio notiſſima eſt. De hoc autem ſpiritu hunc locum interpretatur Ambroſius. Datur, inquit, Spiritus ſanctus hominibus, ſed in eis non permanet, quia caro ſunt, carnis enim natura diſciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat. Cum tamen tam multiplicem cõminationis modum hæc verba contineant, clementiam tamen admirabilem in his verbis, altius ea conſiderantibus agnoſcere fortè poſſimus. Spiritus ergo in ſcriptura nonnunquam pro indignatione, & ira accipitur, vt apud Iſaiam, *Quieſcite*, inquit, *ab homine cuius ſpiritus in naribus eius*, id eſt cuius ira in promptu, & vehemens eſt, & eodem ſenſu accipitur illud eiuſdem, *ſpiritus eius velut torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum.* Et Zachariæ: *Ecce*, inquit, *qui egrediuntur in terram Aquilonis, requieſcere fecerunt ſpiritum meum in*

Pſal. 103. 30.

Eccleſ. 12. 7.

Pſal. 103. 29.

Lib. de Arca & Noë cap. 3.

Iſa. 2. 22.

Iſa. 30. 28.

Zachar. 6. 8.

terra Aquilonis. Hãc ergo acceptionem,& ſignificationẽ ſpiritus ſecutus D. Hieron. in quæſtionibus Hebraicis ſic loquitur. *In Hebræo*, inquit, *ſcriptũ eſt,non iudicabit ſpiritus meus homines illos in æternum,quia carnes ſunt; hoc eſt quia fragilis eſt in homine conditio,non eos ad æternos ſeruabo cruciatus, ſed hic illis reſtituam, quod merentur. Ergo non ſeueritatem vt in noſtris codicibus legitur,ſed clementiam Dei ſonat,dum peccator hic pro ſuo ſcelere viſitatur. Vnde & iratus Deus*
Oſeę 4.14. *loquitur ad quoſdam; Non viſitabo filias eorum cum fuerint fornicatæ, & ſponſas eorum cum adulterauerint. Et*
Pſalm. 88. *in alio loco. Viſitabo in virga iniquitates eorum & in fla-*
33. *gellis peccata eorum,verumtamen miſericordiam non diſpergam ab eis*. Hactenus D. Hieron. Sed mihi alia quædam ab hac non diſſimilis,& fortaſſe non repudianda explicatio venit in mentem, quæ clementiam hanc Dei,de qua nunc agimus præclarè oſtendat. Vt ſcilicet verbis illis polliceatur Dominus ſe cum hominibus mitius acturum imo in gratiam rediturum, quia ſcilicet caro ſunt,quam ipſe aliquando aſſumpturus ſit, & ſibi arctiſſimo matrimonij cuiuſdã iure ſit adiuncturus, quaſi dicat; Par eſt me condonare hominibus omnem iniuriam, meúmque furorem aliquando deſidere, quia cum homine aliquando affinitatem contraham. Porrò incarnationem Dominicam matrimonium quoddam eſſe ex illis verbis Canticorum colligi poſſe videtur, *Egredimini, & videte*
Cant.3.11. *filiæ Sion Regem Salomonẽ in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*. Quæ verba ad Chriſti incarnationem referunt, D.Gregor. Caſſiodor. Beda, Haymo, Alcuinus, Bernardus & alij. Nec verò iſtæ interpretationes, quæ ad bonum trahuntur ſen-

ſum,

ſum, communi interpretationi, quæ minas illis verbis contineri affirmat, ita repugnant, vt cum illa conſiſtere minimè poſſint. Nam nihil impedit, quo minus vnus, & idem ſcripturæ locus, quæ illius fœcunditas eſt, diuerſos ſenſus nanciſcatur. Peculiariter verò comminationibus hoc conuenire poſſe crediderim, cum à Iudice quidē iuſtiſſimo proficiſcantur, qui tamen ſimul mortaliū ſit Pater amantiſſimus. Dicitur in pſalmo: *Deficiant peccatores à terra, ita vt nō ſint.* Senſus eſt, ita pereant, vt non appareant amplius ſuper terrā, ad eum ferè modum, quo ventus puluerem à facie terræ diſſipare ſolet, vt habemus in 1. Pſalmo. *Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Sanctus tamen Auguſt. locum illum ita explicat, vt iniquis bene precatum velit. *Quid ergo,* inquit, *eſt quod dicit, deficiant peccatores à terra? planè deficiant, auferatur ſpiritus eorum, & deficiant, et emittat ſpiritum ſuum, & recreentur, deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint, quid non ſint niſi iniqui: ergo iuſtificentur, & non ſint iniqui.* Hæc Auguſt. Simili planè modo explicat D. Gregor. illud Prouerbiorū. *Verte impios, & non erunt: Conuerſi,* inquit, *impij non erunt, non quia non erunt omnino in eſſentia, ſed non erunt in impietatis culpa*, &c. Ad hunc eundem modum duplicem explicationem admittet illud, quod eſt in pſalmo, *Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit.* Quibus ſanè verbis minæ ſceleſtis non pœnitentibus intentantur, iuxta litteræ ſenſum per gladium intelligendo inſtrumentorum genus omne; quo Deus ad homines puniendos vtitur. Diuus tamen Auguſt. de Chriſto explicat, qui gladius dicitur, quod humanitate tanquam vagina circumſeptus venerit in hunc

Pſal. 103. 35.

Pſalm. 1. 4

Prou. 12. 7.

Pſal 7. 13.

mundum. Hic ergo ſenſus eſſe poteſt, niſi conuerſi fueritis, vel quia nó conuertemini, Filium ſuum mittet in mundum, cuius gladij acie vitiorum omnium ſpinæ præcidantur. Ad hunc etiam modum non incommodè explicauerit aliquis locum

Deut. 31. 42. illum Deuteronomij, in cantico Moſis, *Et gladius meus deuorabit carnes*, vt ſenſus ſit, Chriſtus Dominus vitia carnis abſumet, quod in Sacramento præſertim Euchariſtiæ fieri experiuntur, qui illud frequentant. Illud etiam, quod habetur eo-

Deut. 32. 39. dem Cantico, *Ego occidam, & ego viuere faciam.* quibus verbis Dominus in manu ſua vitam & mortem eſſe docet, ad ſenſum trahemus, ſi interpretemur. Ego occidam vitia, & viuere vos

Pſal. 105. 26. faciam vita gratiæ. Legimus in Pſalmo. *Et eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto, & vt deijceret ſemen eorum in nationibus, & diſperderet eos in regionibus*, ſenſus eſt. Eleuauit manum ſuam ad percutiendum, grauémque de illis ſumere vindictam decreuerat, ita vt illos proſterneret in deſerto, & vt poſteros eorum corruere faceret inter impias gentes, & diſpergeret eos per regiones varias. Similis comminatio habe-

Ezech. 36. 7. tur apud Ezechielem. *Ego leuaui manum meam, vt gentes, quæ in circuitu veſtro ſunt, ipſæ confuſionem*

Zachar. 2. 9. *ſuam portent.* Et apud Zachariam, *quia ecce ego leuo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his, qui ſer-*

Iſai. 9. 12. *uiebant ſibi.* Et apud Iſaiam. *In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.* Dixi has omnes comminationes eſſe, nam manus Domini extenta, & eleuata ferientis habitum præ ſe ferre videtur, ſed tamen in his etiam minis miſericordiæ & clementiæ veſtigium quoddam poſſumus deprehendere: nam manus in altum

tum ſublata, pacis & amicitiæ ſymbolum eſt. Cum ergo Dominus manum attollit non tam ferientis, ac percutientis ſeueritatem, quàm ad amicitiam & fædus prouocantis geſtum agnoſcere debemus. Hinc forte illa conqueſtio quam in Prouerbiis legimus, *Extendi manum meam & non fuit, qui aſpiceret.* Queritur enim quod cum multos ad ſe ſe ſpe veniæ inuitaſſet, illi tamen venire recuſaſſent. Prouerb. 1. 24.

2 Iam verò Clementiam Principis nomine & munere digniſſimam eſſe oſtendamus. Princeps in ſcriptura medicus appellatur, quod quemadmodum ſapiens medicus ita ſuas adhibet curationes, vt diuerſis ac contrariis morbis, diuerſa etiam ac inter ſe contraria medicamenta accommodet, lenia quædam, & ſuauia, aſpera alia, & iniucunda, cibos aliquando aut potiones ad hauriendum gratiſſimas propinet, aliquando ſectionibus & vſtionibus vexet, ſalutaribus illis quidem, ſed à quibus vt à rebus moleſtiſſimis, plerique omnes ægroti refugiant. Imò vnum & eundem morbum & ægrotum vtroque medicamentorum genere reuocat ad ſanitatem, quemadmodum pius ille Samaritanus vulneribus illius, qui in latrones inciderat, vinum, & oleum infudiſſe ex Euangelica diſcimus parabola, quorum illud auſterioris cuiuſdam naturæ eſt, hoc lenioris & mitioris. Principem autem eſſe medicum habemus ex Iſaia, apud quem dicitur cuidam, *Princeps noſter eſto*; ille verò munus hoc deprecatur, & detractat dicens: *Non ſum medicus, nolite me conſtituere Principem*: Kaldæus *non ſum ſufficiens vt ſim Princeps*: Septuaginta, *Non ero tuus Princeps.* Quid ita? quia nimirum artem iſtam medicandi non calleo, nec Reipub. vulneribus me-

Clementiã Principis munere, qui quaſi Medicus, ac Pater eſſe debet, digniſſimã eſſe.

Luc. 10. 34.

Iſa. 3. 7.

Digitized by Google

dicinam facere ſcio, modò auſteris medicamentis vtendo per iuſtitiæ rigorem, modo ſuauibus,
Pſalm. 87. & lenibus, per Clementiam. Rurſus in Pſalmo.
11. *Nunquid Medici ſuſcitabunt, aut confitebuntur tibi?* in Hebræo, vt etiam D. Auguſtinus confirmat. *Nunquid Gigantes?* eadem enim vox Hebræa, pun-
Iob. 26. 5. ctis detractis, vtrumque ſignificat. Cum ergo Gigantes, vt alibi me dixiſſe memini, Principes ſint, Gigantes inquam illi *qui gemunt ſub aquis* populorũ, qui aquarum nomine deſignantur grauiſſimam ſarcinam ſuſtinentes, ſatis apparet eoſdem dici medicos propter eam potiſſimum rationem, quam attigi, quod nimirum languenti Reipublicæ facere debeant medicinam, in idque ſtudium ſuum omne conferre: ac quemadmodum Medici non ſemper ſanguinem mittunt, aut putreſcentes carnes reſecant, ſed interdum imbecillitati decumbentiũ conſulentes, vires ſuaui cibo, ac potione reficiunt: ita Princeps non ſemper rigorem illum ſeueritatémque iuſtitiæ ſectari debet, ſed mitius interdum agere, ſi ſaluam velit eſſe Rempublicã. Hinc Iſaias de eodem Reipubl. ſtatu, cum Principem ſub Medici nomine, popu-
Iſai. 1. 5. li quærebant, verba faciens, *Omne, inquit, caput languidum, & omne cor mærens à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Sed alio etiam nomine, quo Principes appellari cupiunt cum Patres Patriæ audire volunt, Clementia illis commendatur in primis; quemadmodum enim parentes omnia tentant, vt dubiam filiorum indolem ad ſaniora reuocent conſilia, nec ſtatim ad primam offenſam illos exhæredant, aut exturbant domo, ſed

Digitized by Google

ſed tum demum, cum perditi mores, & iniuriæ iniuriis additæ patientiam euicerunt: ita Princeps intelligat oportet datam eſſe ſibi patriam poteſtatem, quæ eſt omnium temperatiſſima, ac proinde tunc tantum ad extrema deueniendum eſſe remedia, (quod faciunt Patres) cum alia defuerint, aut ea minus vtilia eſſe cognouerit. Id à ſe videbat exigi Moyſes, cuius erat vox illa ad Dominum. *Cur afflixiſti ſeruum tuum, & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? nunquid ego concepi vniuerſam multitudinem hanc, vel genui eam, vt dicas mihi porta eos in ſinu tuo, vt portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iuraui Patribus eorum.* Præcipiebat enim Moyſi Dominus vt ea cura & ſedulitate populi commodis ſeruiret, qua Parentes infantulis, quos genuerunt, ac quemadmodum illis blandiri ſolent nutritij, matreſque, quæ infantulos *ad vbera portant, & ſuper genua illis blandiuntur:* ita ipſe populum ſuæ commiſſum curæ, tanquam datos à Deo filios imperandi ſuauitate mulceret potius, quàm odioſa ſeueritate exaſperaret. Nec mirum hanc agendi rationem à Moyſe Dominum exegiſſe, cum ipſe ſummus omnium Princeps Rex regum & Dominus dominantium, eundem clementiæ modum ſequatur, vt Dauid teſtatur cum ait, *Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* Imo ipſa natura docente Principes, & eos, qui in alios dominatum exercere poſſunt honeſtiſſima & humaniſſima Patris appellatione vocare ſolita fuit antiquitas. Hinc Eccleſiaſticus populi Iudaici Principes aliquot inſigniores, Moſen, Ioſue, Dauidem, Salomonem, Ezechiam, & alios huiuſmodi laudaturus, *Laudemus*, inquit, *viros*

Num. 11. 11.
Iſai. 66. 12.
Apoc. 19. 16.
Pſal. 102. 13.
Eccleſ. 44. 1.

Digitized by Google

4.Reg. 5. 13. *viros glorioſos Patres noſtros*, & ſerui Naamam Principis militiæ Regis Syriæ, Dominum ſuum Patrem appellabant, quod quemadmodum poteſtate, illorum erat Dominus, *ita pro affectu* (vt Razias ille, qui *pater Iudæorum appellabatur*) quo illos proſequebatur, Parentis apud illos mereretur nomenclaturam. Sanctus etiam Iob, quem Principem fuiſſe ex ſcriptura colligi poſſe videtur ſe Patrem fuiſſe pauperum, confirmat, cum ait: *Pater eram Pauperum.* Et Eccleſiaſticus Iudicibus præcipiens, quo modo ſe in munere ſuo rectè poſſint gerere. *In iudicando*, inquit, *eſto pupillis miſericors vt Pater, & eris tu velut filius Altiſſimi.* Quemadmodum enim Deus miſeretur hominibus, eoſque tanquam filios amore ſingulari complectitur, & eorum delicta, cum illa incurrunt, benignè condonat; ita Rex ſi ſubditis ſuis, pupillis præſertim, qui parentibus orbati ſunt, benignum ſe exhibuerit, & clementem, Altiſſimi filius, quem imitatur, merebitur appellari. Hinc ſapienter illi feciſſe mihi videntur, qui Principibus quibuſdam nomen indiderunt, *Abimelech.* huius enim nominis Regem habemus in Geneſi & in libro Iudicum filius Ierobaal, qui aliquo tempore Iſraëlem iudicauit, hoc nomine appellatus eſt, ipſo enim nomine officij admonebãtur, cum *Abimelech* nihil aliud ſignificet quàm Pater meus Rex, vt ſcilicet quotieſcumque nominis veniret in mentem, humanitas etiam & clementia parentis in filios verſaretur ob oculos.

2.Machab. 14.37.

Iob 29.16.

Eccleſ.4. 10.

Clementiã Principes populis gratos efficere.

3 Sed populis ſanè gratiſſima eſt Principis ſui clementia, nam *ſicut fremitus leonis ira Regis, ita ros ſuper herbam hilaritas eius:* nam quemadmodum ad Leonis fremitum cætera omnia animalia imbecilliora

Prou.19. 12.

Digitized by Google

cilliora contremiſcunt,quippe quæ illius violentiæ reſiſtere non poſſunt, ita Rege irato, & ſua abutente potentia in ſubditos, quis non pertimeſcat, cum illius voluntati citra periculum reſiſtere nemo poſſit? Rurſus quemadmodum æſtiuo tempore cum campos diurni ſolis vapor, non calefacit modo, ſed etiam adurit, nocturno rore recreantur herbæ, & inclinata ac languentia capita rurſus attollunt,quaſi ad vitam rurſus reuocata; ita quieto moderatóque imperio, populi recreantur, & florent, & qui ſub aſpero Principe, & ad immanitatem propenſo languere viſi fuerant, & ad interitum quodammodo vergere, ſi ſæuum hunc, & truculentum benignus excipiat, alia repente facies eſt Reipubl. læta,hilaris, iucunda, omnibus ordinibus noua parta ſecuritate gaudentibus. Hinc Principes regnãdi initio, cum Imperij habenas capeſſunt,hanc Clementiæ aucupantur opinionem, vt Reipubl. veniant gratiores. Propterea Salomon Adoniæ fratri Regni affectati reo, tanti criminis pœnas condonauit, nam cum iubente Dauid Salomon ad Regni gubernacula eſſet admotus, rei geſtæ fama conturbatus Adonias, *Timens Salomonem ſurrexit & abiit,* 3.Reg.1.
tenuitque cornu altaris. Et nunciauerunt, inquit ſcri- 50.
ptura, *Salomoni dicentes. Ecce Adonias timens Regem Salomonem tenuit cornu altaris dicens. Iuret mihi Rex Salomon hodie, quod non interficiet ſeruum ſuum gladio. Dixitque Salomon. Si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram: ſin autem malum inuentum fuerit, in eo morietur. Miſit ergo Rex Salomon, & eduxit eum ab altari, & ingreſſus adorauit Regem Salomonem, dixitque ei Salomon. Vade in domum tuam.* Quid de Dauidis clementia dicam? nam

2.Reg.3.1. nam cum *facta eſſet*, vt loquitur ſcriptura, *longa concertatio inter domum Saul, & inter domum Dauid*; eo tamen cum diſcrimine vt eſſet *Dauid proficiſcens, & ſemper ſe ipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie*; tandem cum omnes tribus Dauidem ſequerentur, adeo Saulis filios, aut nepotes non quæſiuit ad cædem, vt potius diligenter inueſtigauerit aliquis ne eſſet ex illa familia ſuperſtes, vt cum illo clementer ageret, amore præſertim Ionathæ, quem dum vixerat, ſingulari quadam beneuolentia fuerat proſequutus. Et dixit
2.Reg.9.1. Dauid: *Putaſne eſt aliquis, qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionatham? Erat autem de domo Saul ſeruus nomine Siba, quem cum vocaſſet Rex ad ſe, dixit ei. Tu ne es Siba? Et ille reſpondit. Ego ſum ſeruus tuus: & ait Rex. Nunquid supereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiã Dei? Dixitque Siba Regi. Supereſt filius Ionathæ, debilis pedibus. Vbi, inquit, eſt? Et Siba ad Regem, Ecce ait in domo eſt Machir filij Ammiel in Lodabar. Miſit ergo Rex Dauid, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodabar. Cum autem veniſſet Miphiboſeth filius Ionathæ, filij Saul ad Dauid, corruit in faciem ſuam, & adorauit, dixitque Dauid, Miphiboſeth? qui reſpondit. Adſum ſeruus tuus. Et ait ei Dauid. Ne timeas, quia faciens faciam in te miſericordiam propter Ionatham patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros Saul Patris tui. & tu comedes panem in menſa mea ſemper. Qui adorans eum dixit, quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei? Vocauit itaque Rex Sibam puerum Saul. & dixit ei. Omnia quæcumque fuerunt Saul, & vniuerſam domum eius, dedi filio Domini tui. Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & ſerui tui, & inferes filio Domini tui cibos*

vt

vt alatur: Miphiboſeth autem filius Domini tui comedet ſemper panem ſuper menſam meam, &c. Quid hic pſeudopolitici ganniant, quibus ad ſtabiliendum Regnum conſultius forte videretur, omnes Regij ſanguinis ſtirpes exſcindere, ne ſi forte aliqua exiſteret inter Principem, populúmque offenſio, adoleſcentis illius in purpura nati ſpiritus aduerſæ fortunæ iniuria non extinctos, ſed tantùm ſopitos ſuſcitaret, & aura populari inflante magno Rempubl. inflammaret incendio? Sed nimirum Dauid illud penitus hauſerat, quod Salomon poſtea ſcriptum reliquit in Prouerbiis, *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur; Clementia, thronus eius.* Seceſſerat Saul in ſpeluncam ad deiiciendum aluum, deliteſcebat in ea Dauid cum armata militum manu. Erat in procliui manus iniicere, perpetuique hoſtis ſe moleſtia, & periculo liberare, nec deerant, qui vt hoc faceret ſtimularent. Sed Dauid *dixit ad viros ſuos: Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Et confregit Dauid viros ſuos ſermonibus & non permiſit eos vt conſurgerent in Saul:* ipſe tantum clamydis Saulis oram præcidit, vt Saul intelligeret, quo in periculo fuiſſet verſatus, & cuius beneficio præſentiſſimam mortem euaſiſſet. *Porrò Dauid*, inquit ſcriptura, *Exurgens de ſpelunca clamauit poſt tergum Saul dicens. Domine mi Rex, & reſpexit Saul poſt ſe, & inclinans ſe Dauid pronus in terram adorauit, dixitque ad Saul. Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduerſum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca, & cogitaui, vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim*

Prou. 20. 28.

1. Reg. 24. 7.

Ibid. n. 8.

enim: Non extendam manum meam in Dominũ meum, quia Chriſtus Domini eſt. quin potius pater mi vide & cognoſce oram clamydis tuæ, in manu mea, qui cum præſcinderem ſummitatem clamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Hæc & alia locutus Dauid, quibus oſtenderet Saulem nullo ſuo merito in ſe exaſperatum eſſe, animumque eius leniret & ad ſaniora, mitioraque conſilia reuocaret: ita ſui ſceleris conſcium præſentis beneficij magnitudine commouit, vt ab vberibus lacrymis non temperauerit, placatique animi ſigna dederit, quod ita
Ibid. n. 17. narrat ſcriptura. *Cum autem compleſſet Dauid loquens ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul. Nunquid vox hæc tua eſt fili mi Dauid? & eleuauit Saul vocem ſuam, & fleuit: dixitque ad Dauid. Iuſtior tu es, quàm ego, tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, & tu indicaſti hodie, quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. quis enim cum inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc quia ſcio quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in tua manu Regnum Iſrael, iura mihi in Domino ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de dome Patris mei, & iurauit Dauid Sauli.* Sed Dauid meliore fide Sauli vitam dedit, quàm ille accepto beneficio ſit vſus, nam ad ingenium reuerſus Dauidi inſidias ſtruere, non deſtitit, quamuis non meliore ſucceſſu: nam rurſus venit in Dauidis poteſtatem, qui ſuæ in infeſtiſſimum inimicum voluntatis & manſuetudinis non oblitus, violentas ab eo manus abſtinuit, lanceam tantum, & aquæ ſcyphum abſtulit, & quo in periculo fuiſſet verſatus,

Digitized by Google

ſatus, Regem, è proximo vociferatus, admonuit, cui Saul. *Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretioſa fuerit anima mea in occulis tuis hodie: apparet enim quod ſtultè egerim, & ignorauerim multa nimis.* Non tamen propterea Dauid ſe placatum Saulem habiturum ſperauit, nam poſtquam illum à ſpelunca miſſum fecit, & *Abiit Saul in domum ſuam Dauid & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca*; & altera vice poſt redditam lanceam, & ſcyphum, *ait Dauid in corde ſuo: Aliquando incidam vna die in manus Saul*, atque propterea ſe ſe ad Achis Regem Seth recepit, vt Saulis declinaret inſidias: cuius conſilium prudens admodum fuit, nam cum prauis hominibus, & qui non bona fide & ex animo amicitiam ſarciunt, ſed externa tantum ſpecie fictè ac ſimulatè, quæ pax eſſe poteſt? Clementiæ igitur famam, veritate ſubnixam, plurimi facere debent Principes, eámque diligenter colligere, initio præſertim cum ineunt Principatum; ſic enim fiet vt à ſubditis populis ferantur in oculis, imò ſint illis non minus grati, charique quàm oculi, ac propterea *Oculi populorum* merito dici poſſint, vt quodam loco illos appellauit Iſaias. Hanc vt iniret viam Roboamum ſenes docebant conſiliarij, vtque ſibi clementia omnium ſubditorum animos deuinciret, auctores erant; nam dixerunt ei: *Si hodie obedieris populo huic, & ſeruieris, & petitioni eorum ceſſeris, locutuſque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſerui cunctis diebus.* Sed ille iuniorum ſecutus ſententiã, quippe iuuenis præferuido ingenio, & nondum experientia magiſtra bene doctus, populum ita eſt allocutus. *Pater meus aggrauauit iugum veſtrũ, ego autem addam iugo veſtro. Pater meus cecidit*

1.Reg.26.21.

1.Reg.24.23.

1.Reg.27.1.

Iſai.29.10.

3.Reg.12.7.

Ibid.n.14.

vos

vos flagellis, ego autem cadam vos ſcorpionibus. Quæ reſponſio non ſeditionem modò concitauit, ſed Regni maiorem partem à Roboamo abſtraxit. Quanto melius Aſſuerus, qui ad conciliandam ſibi Clementiæ opinione beneuolentiam, in edi- cto quod publicè proponebatur legendum, ita

Eſther 13. 2. locutus eſt: *Cum plurimis gentibus imperarem, & vniuerſum orbem meæ ditioni ſubiugaſſem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, ſe Clementia & lenitate gubernare ſubiectos, vt abſque vllo terrore, vitam ſilentio tranſigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.*

Clementia Principibus ſecuritatem parari.

4 Ex hac verò populorum erga Principes beneuolentia magna eiſdem ſecuritas paratur, adeo enim illius vitæ non inſidiantur, vt laterum ſtrorum obiectu paratiſſimi ſint hoſtium mucrones excipere, vt Reipubl. Principem ſeruent incolumem. Hic erat ſenſus eorum, qui pro Dauide pugnabant contra Abſolonem: nam cum Rex di-

2. Reg. 18. 2. xiſſet, *Egrediar & ego Vobiſcum. Reſpondit Populus. Non exibis: ſiue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit, ſiue media pars ceciderit è nobis, non ſatis curabunt; quia tu vnus pro decem millibus computaris, melius eſt igitur vt ſis nobis in vrbe præſidio. Ad quos Rex ait, quod vobis videtur, rectum hoc faciam.* Huic planè gemina pro Rege ſuo Dauid ducum fuit ſolicitudo. Nam cum factum eſſet

2. Reg. 21. 16. *rurſum prælium Philiſtinorum aduerſum Iſraël, deſcendit Dauid, & ſerui eius cum eo, & pugnabant contra Philiſtiim. Deficiente autem Dauid Ieſbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum haſtæ, trecentas vncias appendebat, & accinctus erat enſe nouo, viſus eſt percutere Dauid, præſidióque ei fuit Abiſai filius Sarniæ, & percuſſum Philiſtæum interfecit. Tunc iurauerunt viri*

Digitized by Google

viri Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſraël. Tanta enim erat populorum, ducumque in Dauidem beneuolentia, vt ſuo periculo ac ſanguine vitam illius redimere optarent, præclaréque ſecum agi arbitrarentur, ſi ſuo capite Iſraëlis vniuerſi caput ab interitu vindicarent, quo extincto ſe planè in tenebris ac luctu, non ſecus ac ſi clariſſimum ſolis ſidus tolleretur è mundo, ſe perpetuò futuros putabant. Cum ergo beneuolentiam in primis conciliet Clementia, mirum non eſt, ſi de hac vt ſuperius dicebamus Salomon pronuntiauit: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Et alibi: *Clementia præparat vitam.* Nam admirabilis quidem eſt populorum vrbiumque conſenſus, & amica conſpiratio in defendenda Principis vita, nec vllum firmius, validiuſque ſatellitium inueniri poteſt quàm populorum amor, quem qui nactus eſt, non excubitoribus, non ſtipatoribus, aut arcium eget munimentis, ſed fide populorum tutus, beata quadam ſecuritate perfruitur.

Prou. 20. 28.

Prou. 11. 19.

5 Illud verò obſeruandum eſt antequam caput iſtud claudamus, incidere aliquando tempora, cum largiores quaſdam Clementiæ ſignificationes, aut beneficium aliquod diuinitus acceptum, à Principe videtur exigere, aut recepta, rationique conſentanea conſuetudo. Vtriuſque exemplum ſcriptura ſuppeditat. Luculentam de Ammonitarum exercitu victoriā reportauerat Saul: *Nam conſtituit Saul populum in tres partes, & ingreſſus eſt media caſtra in vigilia matutina, & percuſſit Ammon vſque dum incaleſceret dies: reliqui autem diſperſi ſunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.*

In gratulationibus publicis, aut cum beneficia inſignia diuinitus accipiũtur, Clementia largiùs vtendum.

1. Reg. 11. 11.

ter. Cum ergo tantæ victoriæ magna fuiſſet pars Saul, cui ad Regnum venienti multi obtrectatores fuerant aduerſati, victoria elatus populus, eos poſtulauit ad necem, quos de nouo Rege oblocutos eſſe ſciebant. *Quis eſt iſte*, inquiunt, *qui*
Ibid.n. 12. *dixit: Saul non regnabit ſuper nos? Date viros & interficiemus eos.* Sed Saul fauſtum illum diem tanto conſignatum beneficio, ciuium cæde adeo non putauit funeſtandum, vt publicam lætitiam Clementiæ ſuæ ſignificatione duxerit cumulandam. *Et ait Saul, non occidetur quiſquam in die hac, quia*
Ibid.n.13. *hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael.* Conſuetudini etiam debita clementia populus fraudandus non eſt, quaſique de ſuo iure deiiciendus. Hinc quia apud antiquos ea obtinuerat conſuetudo, vt ingrediente Principe Ciuitatem carcerum portæ recluderentur, vinctiſque fieret poteſtas exeundi, ne tota Ciuitate in occurſum Regis effuſa vllus eſſet expers publicæ gratulationis; apud Iſaiam, dum tyrannici cuiuſdam mores deſcribuntur, illud etiam additur, quod vinctis cuſtodias non pateſeciſſet, *Nunquid, inquit, iſte eſt vir, qui contur-*
Iſai. 14.16. *bauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?* nec vetus illa conſuetudo damnanda, qua Pilatus abuſus eſt, cum *Per diem ſolemnem con-*
Matth. 27. 15. *ſueuerat Præſes populo, dimittere vnum vinctum, quem voluiſſent*; quam conſuetudinẽ in Iudaico populo antiquam fuiſſe, & ab eo tempore in mores eius populi inuectã, quo Ionathas parentis Saulis decreto tradendus neci, populi repugnantis fauore ereptus eſt, idque conceſſum eorum promerito in Remp. aliqui putauerunt. Multũ verò auget publicam totius populi lętitiam, ſi ſe ad modicum illud tem

tēpus vitæ ſenſerint, neciſque arbitros fuiſſe, plurimumque lætantur ſi eum à faucibus mortis eripuerint, quem vindicibus iugulatú legibus intelligebant, tandiuque beneficij illius lætitia perſeuerat, quandiu reus ille ciuibus verſatur ob oculos. Nec timendum eſt, ne ſi vnus aut alter ciuitatis beneficio ſeruatus eſt, cæteri fiant proiectiores ad audendum; nam cum ad paucos perueniat impunitas, illius ſpe nullus ſe in eas conijciet anguſtias, à quibus ſe expedire non poſſit niſi populi, quo nihil magis incertum eſt, conciliata voluntate. Cum præſertim poſſit Princeps, quoties ita expedire publicæ quieti iudicauerit, populi poſtulationē anteuertere, priuſquā de patibulo ſuſpendere, aut capite truncare, quam populi beneficio commeritis ſuppliciis ſubtrahatur.

De affabilitate, & facilitate Principis.

CAPVT XIV.

1 CLementiæ affinis eſt affabilitas, quæ in eo potiſſimùm conſiſtit, vt ad ſe negotiorum cauſa adeuntes, comiter & cum quadam beneuolentiæ ſignificatione excipiat Princeps, pauperibus etiam aurem facilè accommodando, querimonias audiendo, æquis deſideriis, ſe propenſum, nec tamen iniquis acerbum exhibendo. Iudicibus quos conſtituerat ita præcepit Moſes: *Audite illos* (populos ſcilicet quibus præerant) *& quod iuſtum eſt iudicate, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus.*

Explicatur in quo ſita ſit affabilitas.

Deut. 1. 16.

Digitized by Google

Nulla erit diſtantia perſonarum, ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt. Hanc fortaſſis ob cauſam Salomon Deo gratias agens ait, *Et ſeruus tuus in medio eſt populi,* quod ſcilicet Dei beneficio intelligeret ſe Principem à Domino conſtitutum crebro cum populo agere, eorum lites componere, controuerſiaſque diſceptare debere, ac proinde nō in cubiculis regij palatij abditum, & retruſum, ſed in omnium oculis ac conſpectu debere verſari, itaut facilis eſſet aditus tenuiſſimo cuique, ſatellitum, ac ſtipatorum multitudine neminem ſubmouente, parique aduerſus omnes æquitate, & æqualitate, vt non huic magis, quàm illi faueret: ſed quemadmodum, qui à plurimis circumſiſtitur, ſi in medio ſitus eſt, æque ab omnibus diſtat, æquè etiam vicinus eſt, ita omnibus adeſſet, aures præberet, negotiiſque quamprimum expeditis benignè dimitteret. Nec aliam ſanctus Dauid in ſua domo adminiſtranda rationem ſe tenuiſſe fortaſſe ſignificat, cum ait: *Parambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Quaſi dicat, ita vniuerſæ familiæ præeram, vt omnibus me præberem æqualem, ac facilem, cunctiſque ſi poſſem prodeſſem, ſatagerem certè nemini nocere.

3. Reg. 3. 8.

Pſal. 100. 3.

Affabilitatem maieſtati non officere, ſi prudentia regatur, eſſe autem Barbarorū & abiectioris conditionis ho-

2 Illud autem in primis ſibi Princeps perſuadeat, affabilitatem iſtam, & facilitatem, quam requirimus, ſi prudentia regatur, nihil officere maieſtati. Certe Moſes ſuam apud populum auctoritatem tuebatur, nec vſquam legimus propterea à populo minus habitum in honore, quod, vt ſcriptura teſtatur, eſſet *vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra.* Nec quiſquam ſapiens Eccleſiaſtici dictum culpauerit ita præcipientis;

Digitized by Google

pientis; *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et alibi, *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis.* Barbaros ſapit mores, vel ſolo aſpectu, cupere congredientibus eſſe terrori, vt quondam Aſſuerus, ad quem aliquando non vocata Eſther Regina, cum eſſet ingreſſa, *ſtetit contra Regẽ, vbi ille reſidebat, ſuper ſolium Regni ſui indutus veſtibus Regiis, auroque fulgẽs & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu. Cumque eleuaſſet faciẽ, & ardent ibus,* oculis, *furorem pectoris indicaſſet* (putabat enim Rex ad ſuæ maieſtatis contemptionem ſpectare ſi vel ipſa Regina ad illũ iniuſſa auderet accedere) *regina corruit, & in pallorẽ colore mutato laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput. Conuertitque Deus,* inquit *ſcriptura, ſpiritũ Regis in manſuetudinem. & feſtinus ac metuens, exiliuit de ſolio, & ſuſtentãs eam vlnis ſuis donec rediret ad ſe, ſuis verbis blandiebatur, quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere. Non morieris* (quaſi aliquid peccaſſet in legẽ, quæ inuocatos ad Rege accedere prohibebat) *non enim pro te ſed pro omnibus, hæc lex conſtituta eſt* (quaſi diceret, pertinet hæc lex ad cõmunes homines, te autem Reginã non adſtringit) *Accede ergo, & tange ſceptrũ. Cumque illa reticeret, tulit auream virgã, & poſuit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eam, & ait. Cur mihi non loqueris? quæ reſpondit, vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum. Cumque loqueretur rurſus corruit, & pene exanimata eſt. Rex autẽ turbabatur, & omnes miniſtri eius conſolabantur eam.* Hactenus ſcriptura. placuit enim integram hiſtoriam recitare, vt barbaricam gentis illius conſuetudinem; quæ à communium hominum conſpectu Regem ſubmouendo,

minũ immodicam quandam affectare maieſtatẽ.
Num. 12. 3.
Eccleſ. 3. 20.
Eccleſ. 32. 1.
Eccleſ. 15. 9.

uendo, ita maieſtatem illius exaſperabat, vt ad illius aſpectum homines conturbari cuperet, melius intelligeremus. Sed non tantum Barbarorum eſt iſta conſuetudo, eſt etiam infirmiorum & abiectioris conditionis hominum: cum enim ſibi optimè conſcij timeant ne ab aliis contemnantur, non ex virtutis opinione, ſed ex truculentia quadam oris, aſperitatéque verborum, ac minis aſcitam induunt maieſtatem, qua nihil aliud conſequuntur, quàm vt grauius odium incurrant ſubditorum. Horum ingenium graphicè deſcriptum habemus in Apologo Ioatham in libro Iudicum. Nam cùm Arbores ſibi Regem vellent deligere, Oleæque primò Principatum detuliſſent, tum ficui, tandem viti, omneſque imperium deprecarentur, quod fructibus ſuis, & liquoribus, operam dare mallent, quàm in Principatu fructuum ſuorum, & quietis iacturam facere, hac
Iud. 9. 14. ſpe deiecta *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera ſuper nos, quæ reſpondit eis. Si verè me Regem vobis conſtituiſtis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite; ſi autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Quantum enim olea, quantum ficus, & vitis fructiferæ in primis arbores ſterili rhamno, & ſpinarum dumtaxat feraci præſtant; tantum rhamnus & rhamno ſimiles Principes, qui arborum infructuoſarum inſtar habent, timentes, ne contemptui habeantur à viris primariis & virtutum commendatione præſtantibus, ab iis humilioris demiſſionis obſequium exigunt, ne placido quidem illos dignantes aſpectu, ſe maieſtate illa magis verendos ſubditis apparituros credentes. Quod ſi quid ſubditi fortè peccauerint, quo ſuam minui exiſtimationem

tionem putent, in eos ſtatim impotenter exardeſcunt. Sed nimirum ſua eos fallit opinio, veriſſimè enim dictum eſt à ſapiente: *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.* Cuius dicti ſententia eſt, manſuetudinem in agendo magis conciliare beneuolentiam, quàm quoſuis honorum gradus, aut quamuis maieſtatem, hæc enim metum potius incutit, illa verò animos hominum, ſibi adeô deuincit, vt in quamcunque voluerit partem, qui ita ſe gerit, illos poſſit inflectere. Aut quod ad rem noſtram etiam magis facit, ſenſus eſt, *In manſuetudine opera tua perfice.* Nam ſi comiter & humaniter cum ſubditis egeris, adeò non facies tuæ dignitatis iacturam, vt potius ſuper, id eſt præter gloriam, quam habes à potentia & Principatu beneuolentiam etiam omnium, & amorem conſequaris. Huius artis bene gnarus Abſalom, cum ad Regnum graſſaretur, voluntateſque populorum & ſtudia ſibi conaretur adiungere, non eos alia magis ratione ſibi deuinxit, quàm benignitatis & affabilitatis opinione; nam *manè conſurgens Abſalom, ſtabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Abſalom ad ſe, & dicebat: Ex vna Tribu Iſraël ego ſum ſeruus tuus. reſpondebatque ei Abſalom. Videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti, ſed non eſt, qui te audiat conſtitutus à Rege. Dicebatque Abſalom, quis me conſtituat Iudicem ſuper teram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuſtè iudicem? Sed & cum accederet ad eum homo, vt ſalutaret illum, extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum. Faciebatque hoc omni Iſraël venienti ad iudicium vt audiretur à Rege, & ſolicitabat corda virorum Iſraël.* vel vt

Eccleſ. 3. 19.

2. Reg. 15. 2.

Oſe.11.4. eſt in Hebræo, & Kaldæo, *furabatur corda:* nulla enim re magis homines trahuntur, quàm humanitate, hi ſunt enim *funiculi illi Adam,* quos Oſeas commemorat; hæc vincula charitatis, quibus ita vinciuntur animi, vt quos ita conſtrinxeris in id, quod velis, facile ducere poſſis, non repugnantes, aut reluctantes, aut ſe ab illis nexibus expedire molientes, ſed lætos, & alacres, nihilque magis optantes, quàm vt ei, à quo capti tenentur, in omnibus quantum poſſunt obſequantur.

Principem cum pauperibus præſertim affabilem eſſe debere.

Eſther 4. 2.

3 Remoueatur ergo à Principe typhus ille Perſicus, mos ille ſuperbiæ aboleatur, quo, ſi non vt olim lege prohibetur, certè multorum Principum, conſuetudine dicam, an abuſu? ſeruatur, *ne licitum ſit indutum ſacco aulam Regis intrare:* ſed potius audiant Reges Eccleſiaſtici conſilium ita præcipientis. *Congregationi pauperum affabilem te facito*, ſeque ita gerant, vt quantum fieri poteſt nemini neceſſitas incumbat molles aditus captandi, ſed ſuæ benignitatis fores recludant omnibus pauperibus æquè ac diuitibus. Nec forte myſterio vacat, quod in Deuteronomij loco huius capitis initio indicato, dicitur: *Imo paruum audietis vt magnum,* non è conuerſo, ita magnum vt paruum; neque enim hoc præcipere voluit Dominus, vt nobiles viri, aut magiſtratuum inſignibus illuſtres, contemnantur, aut minus honeſtè tractentur, quàm eorum dignitas poſtulat: ſed vt pauperes ita comiter, & cum amoris ſignificatione excipiantur, benignas eorum neceſſitatibus aures accommodando, vt ſe præ viris nobilibus, aut diuitibus deſpectui haberi, iure conqueri non poſſint. Hanc ſanè ob cauſam olim

Deut.1.17.

apud

Digitized by Google

apud Hebræos iudicia in ciuitatum portis exercebantur, vt ex multis Sacræ ſcripturæ locis cognoſci poteſt: cur autem id fieret, ea fuit cauſa, ſi diuo Hieronymo credimus, vt publicis tenuiorum præſertim hominum commodis ſeruiretur. *Ne agricola*, inquit D. Hieronymus, *litis cauſa veniens ciuitatis frequentia, & nouo terreretur conſpectu, nec vrbis habitator longè ab vrbe properaret.* Hæc ille. Ex quo cognoſcere facile poſſimus quantum à boni iudicis officio deflectant illi, qui ne ſe nimium, vt ipſi loquuntur deiiciant, non facile litigatores admittunt, ſed diutiſſimè in aulis, aut atriis præſtolari cogunt, & cum in præſentia poſſint negotia de quibus agitur expedire, in alium tamen diem reiiciunt, magnum ſcilicet inde ſuæ auctoritatis, & maieſtatis incrementum aucupantes. Præclarè Salomon. *Noli*, inquit, *prohibere benefacere eum, qui poteſt, ſi vales, & ipſe benefac. Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cras tibi dabo, cum ſtatim poſſis dare.* Primã huius effati partem ex Hebræo ita licet conuertere: *Ne prohibeas bonum ab eo, qui Dominus eius eſt, cum eſt in fortitudine manus vt facias.* Sententia verò hæc eſſe ad rem noſtram poteſt. Cum adſunt ciues & audiri volunt, (cuius rei Domini ſunt, id enim iure à Principe repetunt) vt eos hoc bono commodóque priuatos velis, ſi ferendo labori ſufficis, ſed illis faciles aures præbe, nihilque procraſtinatus quàm primum lite diſceptata, aut re, quam poſtulant conceſſa, aut ſi fuerit opus negata, dimitte; vt enim quod poſtulant non concedas, habent tamen vel eo nomine gratias, quod ſtatim dimiſſi ad ſua negotia potuerint reuerti, expenſiſque ſuperuacaneis parcere, quas ſæpenumero

Thren. 5. 24. Prou. 22. 22. & alibi.

D. Hier. in c. 5. Annos.

Prou. 3. 27.

Digitized by Google

mero peregrini magno rei familiaris diſpendio facere coguntur.

Etiã cum ijs affabilẽ eſſe debere Principẽ à quibus aliquando læſus fuit, ſed ijs noxas cõdonauit.

4 Illud tandem addiderim, affabilitatem hanc etiam ad eos à Principe porrigendam eſſe, à quibus fuerit aliquando violatus, ne ſcilicet ij, quos admiſſi criminis fodit conſcientia, ſuſpicari poſſint, non bona fide noxam à Principe fuiſſe condonatam, ſed illius adhuc hærere memoriam, aliquando fortaſſis magno cum ſubditi incommodo foras erupturam. Id verò facilius Princeps conſequetur ſi recolat, id quod, cum de Clementia ageremus, dictum eſt, Patrem ſcilicet patriæ ciuiumque eſſe debere, ac quemadmodum Ioſeph tantum non ad Regnum in Ægypto elatus, cum illatas à fratribus iniurias poſſet vlciſci, eos tamen humaniſſimè complecti voluit, & praua illorum conſilia diuinæ prouidentiæ prætextu mitigáre, eóſque quos ſceleris conſcientia videbat conturbatos, amantiſſimis verbis ad ſpem erexit, ita eos affatus. *Nolite pauere, neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra, miſit me Deus ante vos in Ægyptum. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate, huc miſſus ſum: qui fecit me quaſi Patrem Pharaonis, & dominum vniuerſæ domus eius, ac Principem in omni terra Ægypti. Oſculatuſque eſt Ioſeph omnes fratres ſuos, & plorauit ſuper ſingulos. Poſt quæ auſi ſunt loqui ad eum.* Item Princeps omnem ex animo memoriam detergat iniuriarum, verbis compellet blandis, exporrecta excipiat fronte: ita enim conſequetur, vt qui prius de illo fuerant malè meriti, pro malefactis obſequia rependere ſatagant, iniuriaſque Principi fideliſſimè ſeruiendo, compenſare nitantur.

Geneſ. 45. 5. 8. 15.

De

ed by Google

De fide, ac veritate Principis.

CAPVT XV.

HActenus diſputauimus de iuſtitia & clementia, cui affabilitatem propter quandam argumenti cognationem adiunximus, nunc de veritate, ac fide dicere ingredimur: inſigni virtute, & viro Principe digna: quam qui cum ſuperioribus hiſce coniunxerit, proſpera ſibi cuncta poterit polliceri. Sic enim affatur Dauid Regem illum ſuum, quem miris laudibus ornat in Pſalmo. *Intende*, inquit, *proſperè procede, & regna* vel vt eſt in Hebræo, *vehere, inequita, inſide*, qui habitus quia eorũ eſt, qui rerum potiuntur, propterea hac metaphora ad gubernacula Reipublicæ ſuum Principem vocaſſe videtur, quem iis videbat inſtructum ornamentis, quæ abſolutiſſimum regni alicuius præſidem maximè decent. Hæc autem, quæ ſint, ſubiicit, cum ait; *Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, deducet te mirabiliter dextera tua.* His enim tribus virtutibus, quæ cæterarum Principe dignarum chorum ducunt, modo quodam mirabili, ad eum finem aſpirabis, ad quem contendis. Pſal. 44. 5.

1 In hoc autem potiſſimùm veritas hæc, & fides ſita eſt, vt animo ſincero, & candido ſenſa mentis enuntiet oratio, nec aliud verbis, & ore prætendamus, aliud premamus pectore: in promiſſis verò atque conuentis conſtantia ſeruetur. Talem nobis virum exhibet Iobi hiſtoria, qui fuit *ſimplex & rectus*; talis ille, quem S. Dauid in Domini

In quo fides hæc veritaſq; ſita eſt.

Iob 1. 1.

ni tabernaculis habitaturum dixit, qui nimirum Pſal. 14.3. *loquitur veritatem in corde ſuo,* quod ſtatim explicat cum ait, *qui non egit dolum in lingua ſua;* qui non vt ille vafer, ac ſubdolus, *in corde & corde loquutus eſt,* Pſal. 11.3. corde nimirum duplici, *ſed viam prauam, & os bilingue deteſtatus*, moréſque eorum, *qui terram ingrediuntur duabus vijs,* Prou. 13. 8. nullum mendaciis, fraudibúſque circunueniendum putauit. Is planè, quem alio loco deſcribit Dauid, cum eum appellet Eccl. 2. 14. *mundo corde, qui non iurauit in dolo proximo ſuo*, nec Pſal. 23.4. *molitus eſt amico ſuo malum, qui in illo habebat fiduciam,* vel vt eſt in Hebræo, *non arauit malum.* Prou. 3. 29. Qua metaphora etiam alibi vſi ſunt ſacrorum codicum auctores, vt cum ait Eccleſiaſticus. Eccl. 7.13. *Noli arare mendacium aduerſus fratrem tuum, neque in amicum ſimiliter facias:* Quæque rem de qua agimus planè nobis ob oculos conſtituit. Quemadmodum enim aratores terram aratro proſcindunt, & humo ſabacta quædam ſpargunt ſemina, quæ aruorum gremio concepta paulatim exiſtunt, & adoleſcunt, donec ſolibus excocta matureſcant; ita qui proximo ſuo calumnias machinantur, materiam ad excipiendos inſidiarum ſatus diligenter præparant, tum occulta quædam ſemina iaciunt, eorum, quæ ipſi moliuntur, eáque diligenter diſſimulatione obducunt, donec ſuo tempore technæ, quas ſtruxerunt maturitatem adeptę, præclari artifices, Oſeæ 10. 13. *qui arauerunt impietatem, iniquitatem metant, & comedant frugem mendacij.* Nec diſſimilis Iobi Metaphora, qui genus hoc hominum, Iob 13.14. *Fabricatores mendacij* appellauit, id arbitror exprimens, quod dolos & mendacia concinnare dixerunt Dauid, & Salomon. Hic enim in Prouerbiis. Prou. 12. 19. *Teſtis,* inquit, *repentinus concinnat linguam menda*

mendacij : ille verò in Pſalmis. *Os tuum*, inquit, *abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Pſalm.49. 19.
Quemadmodum igitur, qui telis, verbi gratia, tomento fartis perſona, veſtibúſque intectis, ita aliquem aſſimulare ſtudent, vt intuentium fallat oculos, ita corporis molem, & habitum oris, & capillamenti colorem imitari ſatagunt, vt omnia aptiſſimè ſint compoſita ad decipiendum, nihilque omnino appareat, quod eius ſpeciem non exhibeat: ita qui mendacia adornant, ita illa veriſimilium narrationum velamentis obducunt, atque conueſtiunt, ita oculos faciémque conformant dum mentiuntur, vt ſimplicioribus nullo negotio fucum faciant. Huiuſmodi fraudum mirus fuit architectus Ioab, Dauidis exercitus Præfectus: nam Abner, & Amaſam, quamuis cordatos viros, fraudibus circumuentos interfecit. *Egreſſus*, inquit Regum hiſtoria, *Ioab à Dauid miſit nuntios poſt Abner, & reduxit eum à ciſterna Sira, ignorante Dauid. Cúmque rediſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Ioab ad medium portæ vt loqueretur in dolo, & percuſſit illum ibi, in inguine & mortuus eſt.* 2. Reg.3. 26. Amaſæ verò cædem, eadem hiſtoria ita exequitur. *Porro Ioab*, inquit, *veſtitus erat tunica ſtricta ad menſuram habitus ſui, & deſuper accinctus gladio dependente vſque ad ilia in vagina, qui fabricatus leui motu egredi poterat, & percutere. Dixit itaque Ioab ad Amaſam. Salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum. Porrò Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram, nec ſecundum vulnus appoſuit, & mortuus eſt.* 2.Reg.20. 8.
Ioab planè geminus Tryphon, qui cum Aſiæ Regno ad quod oculos adiecerat, immineret, 1.Mach. 12 40.

Timens

Timens ne forte non permitteret eum Ionathas, ſed pugnaret aduerſus eum, quærebat comprehendere eum, & occidere. Et exurgens abijt in Bethſan, & exiuit Ionathas obuiam illi, cum quadraginta millibus virorum electorum, in prælium, & venit Bethſan, & vidit Tryphon, quia venit Ionathas, cum exercitu multo, vt extenderet in eum manus, timuit. Et excepit eum cum honore, & commendauit eum omnibus amicis ſuis, & dedit ei munera, & præcepit exercitibus ſuis vt obedirent ei ſicut ſibi. Et dixit Ionathæ. Vt quid vexaſti vniuerſum populum cum bellum nobis non ſit? Et nunc remitte eos in domos ſuas, elige autem tibi viros paucos, qui tecum ſint, & veni mecum Ptolemaidam, & tradam eam tibi, & reliqua præſidia, & exercitum, & vniuerſos præpoſitos negotij, & conuerſus abibo, propterea enim veni. Et credidit ei, & fecit ſicut dixit, & dimiſit exercitum, & abierunt in terram Iuda. Retinuit autem ſecum tria millia virorum, ex quibus remiſit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo. Vt autem intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauſerunt portas ciuitatis Ptolemenſes, & comprehenderunt eum, & omnes qui cum eo intrauerant, gladio interfecerunt. Cúmque Ionatham haberet in cuſtodia inſidias ſibi bellè proceſſiſſe animaduertens, porro

1.Mach. 13.14. fraudibus fraudes nectere perrexit. *Vt enim cognouit Tryphon quia ſurrexit Simon loco fratris ſui Ionathæ, & quia commiſſurus eſſet cum eo prælium, miſit ad eum legatos, dicens. Pro argento quod debebat frater tuus Ionathas in ratione Regis, propter negotia, quæ habuit, detinuimus eum. Et nunc mitte argenti talenta centum, & duos filios eius obſides, vt non dimiſſus fugiat à nobis, & remittemus eum. Et cognouit Simon, quia cum dolo loqueretur ſecum, iuſſit tamen dari argentum, & pueros, ne inimicitiam magnam ſumeret*

ad

ad populum Iſraël dicentem, qina non miſit ei argentum & pueros, propterea periјt. Et miſit pueros & centum talenta, & mentitus eſt, & non dimiſit Ionatham. Tale Tryphonis ingenium, tales alij, quos commemorare piget, vt Ptolomæus, qui Ionathæ huius fratrem Simonem amicitiæ ſpecie deceptum cum ſociis obtruncauit in conuiuio. Tales Iacobi filij, qui Sorori Dinæ illatum ſtuprum vlturi, per fœderis pangendi ſimulationem, vt ſuſciperent Hebræorum ſacra, Religionémque, Regi Hemor, & filio eius Sichem, vniuerſæque Ciuitati perſuaſerunt, ſacrilegè ſanctis illis ceremoniis ad ſternendam vltioni viam abutentes, eo enim conſilio vt circumciſionis ritu initiarentur, illis auctores fuerunt, vt cum dolor ſuſcepti vulneris eſſet acerbiſſimus, ac propterea ipſi ad arma tractanda, reſiſtendúmque minus idonei, ſtupratorem cum parente necarent, vrbemque vniuerſam maſculis interfectis popularentur. Sed non eſt neceſſe plura perfidiæ exempla conquirere, cum multo ſit difficilius aliquem inuenire, qui in promiſſis ſeruet conſtantiam, quàm qui datam fidem, aut aliqua ductus cupiditate, aut odia perſecutus, violare non dubitet. Quare, Sapiens inquit, *Virum fidelem quis inueniet? quaſi procul, & de vltimis finibus ſit pretium eius*; ac proinde dicere poſſimus: *Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.*

1. Mach. 16.11. & ſeqq.

Prou. 25. 6.

Prou. 31. 10.

Eccleſ. 31. 10.

2 Hæc igitur in oratione ſimplicitas & veritas; hæc in ſeruandis promiſſis conſtantia Principi maximè cordi eſſe debet, vt nimirum iuxta ſapientis præceptum, *ſit firmus in ſententia ſua certa, & vnus ſit ſermo eius*, vt eſt apud Septuaginta, id quod in vulgata noſtra editione legimus, *Eſto firmus,*

Vniuerſim Principi hæc virtus commẽdatur.

Eccleſ. 5. 12.

firmus, in via Domini & in veritate ſenſus tui, & ſcientia, & proſequatur te verbum pacis & iuſtitiæ. Quam etiam conſtantiam præcedentibus verbis
Ibid. n. 15. commendauerat, cum in *omni vento ventilandum eſſe negauerat*, iuxta Septuaginta. Quæ metaphora ab agricolis deſumpta eſt, qui ventilabris cum aliquid aſpirat auræ, triticum à paleis ſecernunt, tritico vtpotè grauiore ſubſidente, paleis ventorum flabris alio temere abreptis. Id verò ſignificari videtur non cum primum aliqua compendij aut commoditatis ſpes affulſerit, continuo eam veteri mutato cõſilio proſequendam, ſed quemadmodum Agricolæ non omni aſpirante vento triticum ventilando purgant (neque enim verbi gratia, ſi turbinibus area perfletur, paleęque agantur in gyrum, & rurſus tritico admiſceantur, ventilationi locus erit) ſed opportuniorem ventum expectant; ita in iis negotiis, quę ſe offerunt, non facile viro cordato aliquid eſſe aggrediendum, aut repudiandum, ſed prius diligenter animaduertendum non modò an vtile & quæſtuoſum, ſed multo magis an virtuti, ac honeſtati conſentaneum ſit, hunceque ita agendi tenorem, perpetuo ac conſtanter retinendum. Vulgatæ verò editionis lectio, *non ventiles te in omnem ventum*, eandem continet conſtantiæ commendationem; ſuadet enim vt grauitatem induamus, cuius beneficio non facilè omni vento circũferamur, tanquam arundines, quas vel tenuiſſimæ auræ flatus in quamlibet inclinat partem, ſed in dictis factiſq; omnibus conſtantiã perpetuo teneamus. Quod cum in omnibus verum ſit, in Principe tamen præcipuè locum habet, vt enim docet Sa-
Prou. 16. 7. lomon: *Non decet ſtultum verba compoſita, nec Principem*

cipem labium mendax; vel vt eſt in Hebræo. *Non decet ſtultum labium excellentiæ vel auctoritatis, nec Principem labium mendacij vel falſitatis.* Et ſententia eſſe videtur, non minus Principem, imo multo magis dedecere mendacium, quàm ineptum aliquem hominem, & de triuio petitum, dedeceant verba auctoritatis, ſi nimirum nulla perſonæ, decorique habita ratione, loquatur vt Princeps Regna, & Imperia, bella & exercitus, conſilia, & magiſtratus crepet, quaſique nutritus in purpura, de rebus magnis arduiſque Reipubl. negotiis, quæ nimirum non intelligit, ſermones miſceat. Quemadmodum enim qui ſic ageret, meritò ſtultus haberetur, magnúmque ſibi dedecus compararet; ita Princeps ſi mentiatur, rem facit perſona, quam ſuſtinet, maximè indignam, nec ignominiæ turpiſſimam notam effugere poteſt. Vt verò hæc mendacij turpitudo magis appareat, paucula quædam delibabimus ex ſcripturis, quibus bene perceptis *Vanitatem, & verba mendacij longè faciat* à ſe noſter Princeps, candidámque ſimplicitatem adamet, & veritatem. Prou. 30. 8.

Fidelem Principē, & veracē, Deū ſummū Principē imitari.

3 Primò igitur mendax Princeps, à Dei optimi maximíque Principis ſimilitudine, qui prima veritas eſt, cum mentitur, abſcedit. Iſaias enim cum Dominum nobis exhibet in ſua prophetia, vt Principem, eiuſque mores, ac geſta deſcribit, *& erit*, inquit, *fides cinctorium renum eius.* quo loco vox, *Fides*, conſtantiam in dictis & factis, certitudinem veritatémque deſignat. *Non enim eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur*, ſed ſunt *cogitationes eius antiquæ fideles, Amen.* Sanè antiquæ, quia quibus olim in ſua æternitate conſtituit nos bonis gloriæ, aut gratiæ ornare, nulla lõ- Iſa. 11. 5. Num. 23. 29. Iſa. 25. 1.

 giſſimi

Digitized by Google

giſſimi temporis tractu, facta mutatione, cum conſtitutum tempus aduenerit decorat, illáque priuilegia, quæ per Prophetas ſuos pollicitus eſt Eccleſiæ, illi manent immutata, nec vllis, adeo
Pſalm.88. 35. irritatur offenſionibus noſtris, *vt quæ proceſſerunt de ore ſuo faciat irrita, ſed in æternum verbum illius*
Pſal.118. 89. *permanet & in generationem & generationem veritas eius.* Pollicitus fuerat Dauidi ſeruo ſuo nonnulla, quæ commemorantur in pſalmo, tum ſubdit,
Pſalm.89. 29. *in æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi*, hoc eſt, quod Dauid pro-
Ibid.n.36. miſi,& iuriſiurandi ſacramento confirmaui. *Nam ſemel iurauit Dominus in ſancto ſuo ſi Dauid mentiar*, ſumma fidelitate ſeruabo, teſtamentum enim meum, pactum ſcilicet, quod cum illo inij, fidele erit, ſtabile ſcilicet & firmum, quod nulla vnquam temporis longinquitate labefactari poterit. Hebraica enim phraſi, quod ſtabile eſt & diuturnum, fidele dicitur: ita Abigail Dauidem al-
1.Reg.25. 28. loquens. *Faciet*, inquit, *Dominus tibi Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, Domine mi, tu præliaris:* Et Iſaias, aquas perennes *Fideles* appel-
Iſa.33.16. lat, eodem ſermonis ſchemate. *Iſte*, inquit, *in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt.* Et Moyſes in Deuteronomio. *Augebit*, inquit, *Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas, & per-*
Deut. 28. 59. *ſeuerantes.* Τὸ *Perſeuerantes* in Hebræo eſt *fideles.* Sunt ergo Dei promiſſiones ratæ, firmæ, ſtabiles, nullo vnquam tempore mutabiles, quippe qui ipſa veritas eſt, nam vt eſt in Cantico Moy-
Deut 32. 4. ſis *Deus fidelis*, vel vt eſt in Hebræo, *Deus veritas*, vt tanto ante Moſes à Domino illuſtratus cecinerit, quod poſtea de ſe ipſo Chriſtus prædicauit,

uit, *Ego ſum via, veritas, & vita.* Domini igitur Ioan. 14.
mores, ac fidelitatem Princeps imitetur, vt quam 6.
habet cum Deo poteſtatis ſimilitudinem, dicto-
rum & conuentorum conſtantia tueatur.

4 Nec verò poteſt Princeps, eam quam cum Do- *Mendacem*
mino habet ſimilitudinem exuere, quin eadem *Dæmoni*
opera, antiquum illum mendacij parentem æmu- *ſimilẽ eſſe.*
letur, illiúſque ſe aſſectatorem, & diſcipulum
profiteatur. Quis enim quæſo primus fuit men-
daciorum artifex, & magiſter? ſanè diabolus, de
quo S. Ioannes ita loquitur: *Ille homicida erat ab* Ioan. 8.
initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in 44.
*eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia
mendax eſt & pater eius.* Dicitur autem ex pro-
priis loqui cum mentitur, quia mendacium, Dæ-
monis inuentum eſt, primus enim omnium men-
titus eſt, cum Parentibus humani generis in hor-
to voluptatis eſt pollicitus, *Eritis ſicut Dij ſcientes* Geneſ. 3.
bonum & malum. Homines verò cum mentiuntur, 5.
non loquuntur ex propriis, quia re aliena, alie-
nóque inuento vtuntur. Et propter eamdem
cauſam, idem dicitur mendacij Pater, illius ſci-
licet inuentor, & architectus: ſcripturæ enim
phraſi, qui primi aliquod artificium excogita-
runt, illius parentes dicuntur, vt alibi docui-
mus. Nullum eſt autem mendacij genus, quod
aut ipſe non inuenerit, aut nobis non commen-
det, vt illud amplectamur. Reperio enim in ſcri-
pturis mendacij nomine cenſeri actiones illas,
quæ ita ab aliquo proficiſcuntur, vt perſonæ illi
ita non conueniant, vt ſi illas exerceat, recedat
ab officio, alioque planè modo ſe gerat, quàm
illius ſtatus conditio videtur polliceri. Vt ſi quis
munus aliquod in Republica exerceat, quod exi-

mam requirat ſanctitatem, vt verbi gratia, ſacerdotis, ſi ſacerdos hic ſui gradus, & dignitatis oblitus; aut turpi lucro, aut corporis obſænis voluptatibus ſeruiat, mentitur, aliud enim quotidianæ illius actiones clamant, aliud promittit gradus, in quo conſtitutus eſt, & munus, quod obeundum ſuſcepit. Sic Ieremias, *A propheta*, inquit, *vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt mendacium.* & eodem capite: *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* Et D. Paulus ſuadens vt mendacium hoc fugiamus, quod in actionibus conſiſtit, ita ſcribit in epiſtola ad Epheſios, *Veritatem autem facientes per omnia creſcamus in ipſo.* Rurſus mendacium Idola ſignificat in ſcriptura, cum enim in templis verbi gratia, aut aris quaſi numen aliquid verum repræſentantia ſtatuātur, fallunt & mentiuntur, nam vt ait alicubi S. Paulus, *Idolum nihil eſt*, Id eſt Idolo, quod ſimulacrum quoddam eſt, nihil veri numinis correſpondet, quod illo ſignificetur: & ita D. Hieronymus illud Oſeæ accipit, cum populum reprehendit, quod *operati ſint mendacium*, quod ſcilicet Idolis ſeruierint, corúmque ſimulacra pro verorũ Deorum imaginibus coluerint. Tandem mendacium inanes hominum ſpes ſignificat, cum ſcilicet diuitiis plus nimium fidunt, honores & voluptates tanquam ſolida bona conſectantur, quos mēdacij redarguit Dauid, cum ait in Pſalmo, *Fili hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et Oſeas cum ait, *Ephraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum, tota die mendacium, & vaſtitatem multiplicat.* Dicitur paſcere ventum, id eſt vento nutriri, paritérque cum mendacio interitus ſibi cauſas veſtitatíſque conquirere.

Ierem. 8. 10.
Ibid. n. 5.
Ad Epheſ. 4. 15.
1. Cor. 8. 4.
Oſeæ 7. 1.
Pſalm. 4. 3.
Oſee 12. 1.

Digitized by Google

quirere. Nec diſſimilis Iſaiæ querela, cum falſas quaſdam, & nomine tantum telas, peccatores ſibi texuiſſe commemorat, quas ipſi fortaſſe, vt præclarum opus, & ingenioſum admirabantur, re tamen vera, plenum erat inanitatis, & nullis plane vſibus profuturum. *Telas*, inquit, *aranea texuerunt, tela eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis.* Horum ergo mendaciorum, quis verſutior architectus, quàm humani generis hoſtis Diabolus? Quis enim cuiuſuis conditionis hominibus ſuadet, vt muneris ſui obliti, ea conſectentur, quæ ad illos non pertinent, officiíque deſertores Paſtorem, Ducem, Doctorem, Concionatorem, Conſiliarium, Magiſtratúmue probum mentiantur? Quis credulas mortalium mentes ſuperſtitione impleuit, & ad muta ſimulacra colenda, quà vi tyrannorum, quà impiorum hominũ aſtu impulit? Quis falſa bona pro veris obtruſit, & rerum inanium admiratione cæcas ſtultorum mentes adeo defixit, vt pro illis conſequendis nullos non labores ſponte ſubirent, eóſque qui ea fuiſſent, etiam malis artibus conſecuti, beatos crederent, ac prædicarent? ſanè id Dæmonis calliditati atque verſutiæ acceptum referre debemus, qui nullum non mouit lapidem, vt à veri Dei cultu ad ſuperſtitionem, à veritate ad errorẽ, à virtutis caſtris ad vitia, quam plurimos poſſet mortales ſuis irretitos fallaciis deceptionibúſque traducere. Eſt ergo Principi turpiſſimum mentiri, & ſpiritus illius veteratoris, quaſi diſcipulum fieri, à quo mendaciorum, calumniarúmque genus omne profluxit, vnde & Diaboli nomen apud Græcos inuenit. Iſa. 59. 6.

5 Sed alia etiam turpitudo mendaces comitatur, *Seruile eſſe mentiri ac*

 tur,

Digitized by Google

proinde Principem maximè dedecere. tur, nam mentiri ſeruilis, & abiecti animi certiſſimum eſt argumentum, qui enim forti, & erecto ſunt animo, cum ſibi à nullo metuant, quod ſentiunt, liberè proloqui non verentur; qui verò timidiores ſunt & animo deiectiore, conſutis mendaciis, quæ celata cupiunt, prætexere conantur, vt quod virtute conſequi ſe poſſe diffidunt, ad ea ſaltem aſpirent calliditate mentiendi. Quare Dauid Regnum Chriſti deſcribens ſub eximij cuiuſdam Principis allegoria, tantam illius fore virtutem commemorans, vt illius noſtris hoſtes illi vel inuiti ſubiiciantur. *In multitudine,* inquit, *virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* quod vt melius intelligatur, aduertendũ eſt ſchemate quodam ſermonis non infrequenti alias in ſcriptura voces pro aliis poni, cùm ſcilicet res ſignificantur vel affines, vel coniunctæ, vel quarum vna ex alia ſequi ſolet: ſic fuga ponitur pro curſu concitatiſſimo, quod ij, qui fuga ſibi conſulere ſatagunt, timore pedibus alas addente quam citiſſimè currant: ita aliqui accipiunt illud Canticorum: *Fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnulóque ceruorum.* Sic conſolatio pro dolore ſumitur, quòd dolentiũ animas conſolatione lenire ſoleamus, qua ratione explicant aliqui illud Iſaiæ: *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Quia ergo ſeruis, & ſeruili animo præditis hominibus mentiri eſt ad modum familiare, hinc fit vt locutione ſcripturæ pro eodem capiantur ſeruire, & mẽtiri, atque propterea teſtimonij illius dauidici ſenſus eſt maximè litteralis. *In multitudine virtutis tuæ ſeruient tibi inimici tui*, ſéque etiam non volentes ſubiicient, ſeruorúmque more qui inuiti ſeruitutem ſeruiunt, mentientur. Idémque fortaſſe ſignifi

Pſal. 65.3.

Cantic. 8. 14.

Iſa. 1.24.

ſignificatur alio Pſalmo cum dicitur. *Inimici Do-* Pſalm. 88.
mini mentiti ſunt ei. & quod legimus in Deutero- 14.
nomio : *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla*
calcabis. nam illud, *Negabunt te inimici tui,* eſt apud Deut. 33.
70. ψεύσονταί σε οἱ ἐχθροί σου quod vertere poſſis, 29.
Mentientur tibi inimici tui. Principes ergo quorum
conditio à ſeruorum ſtatu longiſſimè diſtat, quàm
ſe abiiciant, conſiderent cum mentiuntur; nam
quicquid præclarum & illuſtre ſecum affert exi-
mia illa poteſtas quam habent in Rempub. men-
daciorum dehoneſtamento planè corrumpunt,
ipſíque ſibi turpiſſimam infamiæ notam, loquen-
di iſta vanitate conciliant, quod docuit olim ſa-
piens; *Mores*, inquit, *hominum mendacium ſine ho-* Eccleſ. 20.
nore & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione, vel 27.
vt alij interpretantur: *Familiaris homini mendaci*
eſt ignominia, ſuumque dedecus comitatur eum aſſiduè.
Sed vulgata noſtra editio aliquid amplius vide-
tur innuere, ſcilicet tam eſſe turpem, ac pra-
uam iſtam mentiendi peruerſitatem, vt etiamſi
temperans alioqui ſit aliquis, aut liberalis, aut
aliis virtutum ornamentis conſpicuus, tamen
mores illi, quantumuis laude digni, penitus ia-
ceant, & debitó honore careant, ſi qui illis præ-
ditus eſt, mendax appellari merito poſſit: veriſſi-
mè enim eodem capite dixit Eccleſiaſticus. *Op-* Eccleſ. 20.
probrium nequam in homine mendacium, & in ore in- 25.
diſciplinatorum aſſiduè erit.

6 Nec verò ſibi ſatis conſulunt, qui ſe à men- *Mendaciũ*
tiendi conſuetudine abduci non timent, quod ſe *vix latere*
tam multis mendaciorum inuolucris veritatem *poſſe.*
obducere poſſe confidant, vt nullo vnquam tem-
pore fraudum appareat, mendaciorúmque turpi-
tudo: ea enim veritatis vis eſt, vt ſi non ſtatim, cer-

tè temporis longinquitate aliquibus ſe prodat indiciis, nonnunquam etiã omnibus perruptis im-
Geneſ. 27. 28. pedimentis in lucem clariſſimã emergat. Vendiderãt Ioſephum fratres, illum in Ægyptum peregrini mercatores abduxerant, veſtéque ſanguine imbuta ſeni parenti filij mortẽ probauerant, quis tam bellè concinnatum mendacium retegendum aliquando crediđiſſet? Retectum tamen eſt, tantíque ſceleris auctoribus perniciem peperiſſet, niſi Ioſephus fraternæ charitatis non oblitus maluiſſet beneficiorum magnitudine fratrum immanitatẽ ſuperare, quàm illatas iniurias in memoriam reuocando de ſontibus, vt facile potuiſſet, vindi-
Prou. 10. 9. Luc. 12. 2. Exod. 2. 11. ctam ſumere. *Qui deprauat vias ſuas, manifeſtus erit*, inquit Salomon, *& nihil opertum eſt, quod non reuelętur, neque abſconditũ, quod non ſciatur.* Hoc ſanè pręclarè Moyſis nobis oſtendit hiſtoria, qui cum omnia circum oculis luſtraſſet, priuſquã manus Ægyptio inferret, ſe tamen deprehenſum ſentit. Hoc verò cum in omnibus locum habet, tum pręcipuè in principibus, in quos omnium oculi, atque ora conuerſa ſunt, quorum omniũ dicta, factáque diligentiſſimè obſeruantur, ab aulicis pręſertim, qui eos perpetuò circumſiſtunt, fitque frequenter, vt quæ ipſi arbitris ſemotis occultè patrata crediderunt, in vulgus tamẽ miris quibuſdã modis ema-
Pſal. 122. 2. nent, à domeſticis prius animaduerſa, *Oculi enim ſeruorum in manibus dominorum ſuorum*, qui diligẽter explorant, quid faciat, quid loquatur, nec infrequenter quid moliatur facturúſque ſit, aut expiſcãtur à conſciis, aut ipſi probabilibus ducti coniecturis, Principíſque naturæ cognitione diuinant.

Mendaciũ Reip. plurimũ nocere.

7 Sed ſi mendacium hoc duntaxat afferret incommodi, quod opus mendacibus conciliaret turpi

turpitudinem, eſſet ſanè tolerabilius malum, nam ei tantum noceret, qui illius auctor eſſet, & culpam peccantis pœna comitaretur. Nunc verò adeò Rebuſpubl. incommodat, vt ſi veritas à Ciuitatibus exulet, omnia publica priuataque negotia perturbentur neceſſe ſit, eóque res deducatur, vt communis vita amplius retineri non poſſit. Quid enim aliud ſunt Reſpubl. quàm corpora quædam inter ſe ita compacta, atque connexa, vt mutuis membrorum officiis, ſibi inuicem ſinguli ſeruiant, atque ita non ſolum vitam tueantur ea parando, quæ ad victum ſunt neceſſaria, ſed ea etiam quæ ad ornatum cultumque corporis, ſenſuúmque oblectamenta ingenioſa voluptas excogitauit? Quemadmodum autem ſi in Luc.11.11.
humano corpore, cum ſtomachus cibum appetit, illi mentiretur manus, & panem poſtulanti porrigeret lapidem, aut petenti piſcem, ſerpentem daret, aut ouo indigenti offerret ſcorpionem, veneno in viſceribus concepto totius humani corporis ſtructura corrumperetur: ita in qualibet Republ. *Cum frater fratrem circumuenit in negotio,* 1.Theſ.4.6.
illéque decipitur, qui ſimpliciter gradiebatur Reipubl. partes, quæ prius mutuis inter ſe officiis nexæ erant, & aptæ, diſſociantur, totáque Reipub. ratio prorſus euertitur. Vidit hoc D.Paulus, qui ad Epheſios ſcribens: *Deponentes*, inquit, *mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Epheſ.4.25.
ſtatimque cur ita faciendum ſit, rationem ſubdit, *quoniam ſumus inuicem membra.* Eccleſiaſtici vero auctor adeo magna importare incommoda mendacium exiſtimauit, vt illud cum furto compoſuerit, imò etiam deterius eſſe pronuntiauerit, ſi fuerit frequens. *Potior*, inquit, *fur quam* Eccleſ.20.27.

aſſiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hæreditabunt. Bene iſta inter ſe vitia copulauit, nam ferè ſe mutuo comitantur, concordiam vtraque tollunt, ignominiámque auctoribus ſuis conciliant, omniaque confundunt, ipſumque mendacium, furtum quoddam eſſe videtur, dum ei veritas ſubtrahitur, cum patefacienda fuiſſet. Cur autem deterius furto mendacium ſit, ea fortaſſis cauſa afferri poteſt, quod nobiliora bona mendaces ſubducant, quàm fures; nam quantula tandem iactura videbitur rectè rem æſtimanti, ſi mihi è re familiari, aliquid quis furto ſublegerit? ſi verò inuadat in famam, meque apud alios traducat, proſcindatque mendaciis, aut ſi mihi falſam aliquam pernicioſamque opinionẽ quis obtrudat pro vera, quàm grande hoc malum eſt, ſi modo veritatis pretium ſcimus, de qua illud merito
Iob 28.15. dici poſſit, quod habemus apud Iob; *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius, non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretioſiſſimo vel ſapphiro. Nõ adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vaſa auri. Excelſa & eminentia non memorabuntur comparatione eius, non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componetur.* Tandem illud addi poteſt, eos qui furantur, eo frequenter adigi, vt ſibi ad victum parent neceſſaria: quo etiam nomine Salomon illorum
Prou. 6. 30. culpam extenuat, cum ait: *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit, furatur enim vt eſurientem impleat animam, deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet:* damnúmque quod intulerunt, pecuniam refundendo reparari poteſt; qui vero mentitur aſſiduè proximiſque

miſque damnum infert, aut famam illorum violando, aut prauis dogmatibus decipiendo, aut promiſſa, quæ illi rata putauerant, non adimplendo, linguæ furit intemperantia, itaque frequenter loquitur, vt damnum, quod ſuis obtrectationibus infert, nulla ſit arte reparabile. *Quis eſt homo, qui vult vitam*, inquit Dauid, *& dies videre bonos?* Pſal. 33. 13.
Quaſi dicat, eſt ne aliquis, qui vitam in pace velit traducere, & abſque moleſtiis? Nihil enim, vt arbitror impedit, quo minus locũ hunc, quem de æterna vita alij interpretantur, etiam ad dies, vitamque quam in hoc mundo viuimus extendamus: *Prohibe*, inquit, *linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Hoc enim ſi diligenter præſtiteritis, & omnia rixarum fomenta facile abſtuleritis, & vitam poteritis in pace propagare, proximorúmque veſtrorum amantes, omnibuſque amabiles. Quod ſi priuatorum hominum mendacia, & infidelitas ita Rempubl. perturbant, ac peſſundant, quid de Principe ſentiendum erit, cuius negotia plura ſunt, & grauiora, & ad commune Ciuitatis, aut Regni bonum pertinentia? *corruat in platea veritas* (in curia nimirum, ſubſelliiſque magiſtratuum) *& æquitas non poſſit* Iſai. 59. 14.
ingredi, fiat veritas in obliuionem, vt de ea alicubi loquitur Iſaias, vel vt Daniel, *In terram proſtrata ſit*, Dan. 8, 12.
perditus planè erit Reipub. vniuerſæ ſtatus, quod & Iſaias indicauit, qui euerſam Rempub. illa debilitate veritatis metaphora nobis ob oculos ponere ſtuduit.

In mendacio culpam eſſe, grauiterque à Deo puniri.

8 Sed nullum nos damnum, aut incommodum quantumuis grande magis à perfidia, & mendacio deterrere debet, quàm numinis offenſio. Fruſtra enim ſunt, qui mendacium neceſſitatis cuiuſdam

iuſdam prætextu honeſtare conantur, eius eſſe commodum, ac bonum vſum nonnunquam affirmantes non minus quàm medicamentorum, quibus bene valentes minimè vtuntur, ſed ea cum ęgritudine corporis tentantur, coguntur admittere. Sed hunc errorem apertiſſima teſtimonia ſcripturarum iugulant, ea etiam, quæ ab illis prima facie ſtare videntur. Vt cum ait Eccleſia-
Eccleſ.7. 14. ſticus, *Noli velle mentiri omne mendacium, aſſiduitas enim illius non eſt bona.* non enim monet ſapiens ab aliquibus dumtaxat mendaciis abſtinendum, aliis, leuioribus, v.g. permiſſis, ſed idem eſt ac ſi dixiſſet. Ne prorſus mentiaris, quemadmodum in Leuitico dicitur, iuxta Hæbraicum contextum,
Leuit. 3. 17. *Omnem adipem, & omnem ſanguinem non comedetis.* Senſus is eſt, quem vulgatus expreſſit, *Nec ſanguinem nec adipem omnino comedetis:* quod verò additur, *aſſiduitas enim illius non eſt bona,* idem eſt ac ſi dictum eſſet, eſt valde mala; ita enim loquitur interdum ſcriptura, vt cum dicitur in Prouerbiis
Prou.24. 23. *Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bonum*; hoc eſt valde malum; omnem verò dubitandi anſam planè præcidunt Salomon & Zacharias: ille enim
Sap.1.11. ita loquitur in libro Sapientiæ, *Os, quod mentitur,*
Zachar.8. 17. *occidit animam*; hic in ſua prophetia, *Vnuſquiſque,* ait, *malum contra amicum ſuum, ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus.* Rurſus ex grauitate pœnarum, quibus mendacia pernicioſa vindicantur, præſertim cum iuramenti religio violata eſt, de culpæ magnitudine licet capere
Apoc.21. 8. coniecturam. *Omnibus mendacibus* dicitur in Apocal. *pars eſt in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod*
Pſal.11.4. *eſt mors ſecunda*; & Dauid in Pſalmo, *Diſperdet,* inquit,

Digitized by Google

inquit, *Dominus vniuerſa labia doloſa.* Et auctor Eccleſiaſtici, *Si fruſtrauerit*, inquit, *fratrem*, illum ſcilicet decipiendo, *delictum illius ſuper ipſum erit*, *&* *ſi diſſimulauerit*, errorem ſcilicet ſuum corrigere, *delinquit dupliciter: & ſi in vacuum iurauerit, non iuſtificabitur: replebitur enim retributione domus illius.* Expertus hoc eſt Pharao, & Ægyptiorum exercitus vniuerſus, nam pôſtquam *Conuerſum eſt cor eorum vt odirent populum eius, & dolos facerent in ſeruos eius, poſuit in eis verba ſignorum ſuorum, & prodigiorum in terra Cham. Miſit tenebras, & obſcurauit, conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum. Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum. Dixit & venit cœnomyia, & cinifes in omnibus finibus eorum, poſuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipſorum, & percuſſit vineas eorum & ficulneas eorum & contriuit lignum finium eorum. Dixit & venit locuſta, & bruchus, cuius non erat numerus. Et comedit omne fœnum in terra eorũ, & comedit omnẽ fructum terræ eorum. Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.* Expertus etiam eſt Sedechias Rex Iuda is, qui à Nabuchodonoſor Regno donatus eſt, quod ita narratur in hiſtoria Regum: *Et conſtituit Matthaniam patruum eius pro eo, impoſuitque nomen ei Sedechiam*; additur verò in libris Paralipomenon, eum fidem Regi Nabuchodonoſor datam, iuramentóque firmatam feſelliſſe. ita enim dicitur. *A Rege quoque Nabuchodonoſor receſſit, qui adiurâuerat eum per Deum.* Vt autem huius iuriſiurandi ſemper memor eſſet, illiuſque religione contineretur in officio, eum Sedechiam voluerat appellari, quaſi vindicem Dei iuſtitiam ſcelus illius puniturum indicaret, ſi fidem datam irritam facere,

Eccleſ. 23. 13.

4 Reg. 24. 17.

2. Paral. 36. 13.

Loco citato. cere, non dubitaſſet, ſed cum ille à Nabuchodonoſor defeciſſet (quæ defectio inter Sedechiæ crimina numeratur in Paralipomenis) ab eo victus, & captus eſt, qui in perfidiæ pœnam *Filios eius occidit coram eo, & oculos eius effodit vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem:* quam pœnam de perfido, ac periuro Rege captam ſcriptura probat, cum ait de Nabuchodonoſor, *Locutus eſt cum eo iudicium*, quod etiam repetitur à Ieremia; loqui autem iudicium, idem eſſe crediderim, quod ſimili dicendi formula ſcriptura appellat *Facere iudicium,* hoc eſt à Iuſtitiæ, æquitatis, virtutiſque præſcripto non diſcedere, vt cum à Domino dicitur Abrahamo: *Scio enim quod precepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ, poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, vt faciant iudicium, & iuſtitiam.* & filiis Iſraël præcipitur in Leuitico: *facietis iudicia mea, & precepta mea ſeruabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus veſter.* Hoc ergo merito in perfidiæ vltionem Sedechias paſſus eſt. Nec verò deeſſent alia exempla, ex ſcriptura petita, quibus quod contendimus probaretur, ſed pro noſtri inſtituti ratione iſta ſufficiunt.

4 Reg. 24. 7.

4. Reg. 25. 6.

Geneſ. 18. 19.

Leuit. 18. 4.

Cõſideratè Principem loqui & promittere debere.

9 Quomodo igitur Princeps in promiſſis, obſtringendaque fide ſe gerere debeat, videamus. In primis autem ſuadeo, vt non temerè quidquam polliceatur, ſed tunc demum, cum rem etiam atque etiam conſiderauerit, & quid fieri expediat probè intellexerit; quod enim de Fideiuſſore dixit Salomon ad ſponſores omnes, quacunque tandem ratione nomine promiſſi teneantur, extendi poteſt: *Fili mi, inquit, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus.*

Prou 6. 1.

Fac

Digitized by Google

Fac ergo, quod dico, fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis. Sanè aptiſſimè Sapiens ſuſceptæ obligationis vinculum nobis ponit ob oculos, cum illud laqueum appellat, quo ſe qui promiſit conſtringi paſſus eſt, manumque qua fidem dedit, quaſi clauo apud extraneum defigi paſſus eſt, ſuadetque vt nullum non moueat lapidem, vt ſe expedire quacunque poſſit ratione contendat, idque vt intelligatur melius, feſtinationis, curſus, curæ peruigilis, & ferarum, laqueis aucupum, ac venatorum implicatarum, appoſitiſſimis metaphoris explicat. Quare ſapienter etiam Eccleſiaſticus admonet, *Aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos.* Quibus verbis, vt nobis ſtateram paremus docet, ne ſcilicet temerè verba effutiamus, ſed antequam proloquamur aliquid, illud ad ſtateræ examen vocemus, accuratéque pendamus, quid eloquendum ſit, quid ſilentio premendum, quid vtile poſſit eſſe, quid noxium; quia verò vt ſuadet alicubi Salomon cum ait, *Veritatem eme,* nullis parcendum eſt ſumptibus vt illam tandem nanciſci poſſimus, aurum, argentúmque conſlandum dixit, vt ex illo ſtateram iſtam veri examinatricem, prudentiæque certiſſimam normam, aut conficiamus ipſi, aut ab aliis dato quantumuis grandi pretio comparemus: eſt enim omnibus ſanè neceſſaria prouiſio diligens, ne in verbis, aut promiſſis concipiendis aliquid inconſulte proloquantur; ſed multo etiam diligentior cautio adhibenda Principibus viris, iiſque

Eccleſ. 18. 29.

Prou. 23. 23.

que omnibus, quorum apud alios magna eſt au-
ctoritas; quorum ſingula verba, non vt notantur
diligenter, ita fideliter referuntur. Dixerat Chri-
Ioan 21. 22. ſtus de Ioanne, *Sic eum volo manere donec veniam,*
quid ad te? tu me ſequere. Exiit ergo ſermo iſte inter fra-
tres, quia diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei
Ieſus, non moritur, ſed ſic eum volo manere donec ve-
Ioan. 2. 19. *niam, quid ad te?* Rurſus dixerat Dominus, *Soluite*
templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: Sed
teſtes, quos merito falſos Euangeliſta appellat,
Matth. 26. 61. eum dixiſſe aſſirmarunt, *Poſſum deſtruere templum*
Dei, & in triduo reædificare illud. Quare merito re-
Prou 17. 9. prehendit Salomon eum, *qui altero ſermone repetit,*
aliam enim huiuſmodi homines rebus faciem
inducunt, & cum inter loquendi formulas, latum
ſit diſcrimen, omnia confundentes, bene ſapien-
terque locuto, dum falſum affingunt, infamiæ
alicuius nota, quæ illi fraudi eſſe poſſit, impuden-
ter aſpergunt. Nec tantum ſtateræ illius vſus ne-
ceſſarius eſt, vt ſatisfiat iis, quibuſcum agit Prin-
ceps, ſed etiam vt ſuæ conſulat conſcientiæ, ne
poſtquam ſuam pollicitatione aliqua fidem ob-
ſtrinxerit, ſi inconſultò ſe longius prouectum in-
tellexerit, quàm eſſet opus, conſcientiæ ſtimulis
fodiatur. docet hoc Salomon cuius eſt illa moni-
tio, *Eſt qui promittit & quaſi gladio pungitur conſcien-*
Prou. 12. 18. *tiæ.* quod alij vertunt, *Temere effutire perinde eſt at-*
que gladio perfodere. conſcientiam ſcilicet, quod in
idem recidit: eſt enim ſenſus. eſt qui temerè ali-
quid promittit, & poſtquam promiſit pœniten-
tia ductus, conſcientia promiſſionis pungitur,
quaſi gladio. Huiuſmodi Herodis promiſſio, qui
cum temere promiſiſſet ſaltatrici puellæ, vel di-
midium Regni ſui, ſi illud poſtulare voluiſſet,
con

contriſtatus eſt, cum Ioannis Baptiſtæ caput in diſco poſtulatum eſt, nam virum ſanctitate clariſſimum magnifaciebat, *& libenter illum audiebat,* Marc. 6. *& audito eo multa faciebat.* Quanquam omnia iſta 20. poſthabuit, vitamque ſanctiſſimo Prophetæ truncato capite eripere, vt promiſſi fidem liberaret, adulteræque filiæ poſtulatum impleret, non dubitauit. Inconſultè etiam Dauid, vir alioqui ſanctiſſimus, & Deo in primis carus, qui ſe vitam Nabali Abigailis marito erepturum, minatus eſt, minaſque iuriſiurandi religione firmauit, ita enim locutus eſt: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc* 1. Reg. 25. *addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent* 22. *vſque mane, mingentem ad parietem.* Inconſultè inquam, nam nec alia ſuberat cauſa propter quam Nabali violentas manus iniiceret, quàm propter iniurias, quibus fuerat laceſſitus; eas autem illata morte priuata auhoritate vindicare iure non poterat. Nec ſi in Regem fuerat inunctus à Samuele, continuò etiam Regni adminiſtrationem acceperat, ſed tantùm erat ſacra illa ceremonia ad Regnum deſtinatus, vt tunc eius gubernacula capeſſeret, cum Saul è viuis exceſſiſſet; quod verò Nabal, pro acceptis beneficiis ingratitudinem rependerat, non eum capitis reum conſtituebat, imo nec tam atrociter vitium illud fuiſſet vindicandum, ſi pactum aliquod aut contractus, qui tum inter eos nullus erat, interceſſiſſet: iam verò domum illius exſcindere, qui iuſtitiæ titulo nihil deberet, omnibus etiam, qui ad illum pertinerent ad vnum extinctis, ad nimiam ſanè vindictæ libidinem ſpectare videtur. Prudenter verò Abigail, quæ cum mariti ſui mortem aptiſſimis verbis deprecaretur, peccati religionem Dauidi

viro Deum timenti iniiciendam putauit, ita enim
Ibid. n. 30. poſt multa locuta eſt: *Cum ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ locutus eſt bona de te, & conſtituerit te Ducem ſuper Iſraël, non erit tibi hoc in ſingultum, & in ſcrupulum cordis Domino meo, quod effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe te vltus fueris, & cum benefecerit Dominus Domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* Hanc verò Dauidis temeritatem præter alios agnoſcit D. Auguſtinus, cuius illa ſunt
Sermo 1. de ſanctis. verba. *Quod Dauid iuramentum per ſanguinis effuſionem non impleuit, maior pietas fuit. Video Dauid pium hominem & ſanctum, in temerariam iurationem cecidiſſe, & maluiſſe non facere, quod iurauerat, quàm iurationem ſuam fuſo hominis ſanguine implere,* &c. *& iurauit Dauid temere, ſed non impleuit iurationẽ maiori pietate.* Et infra; *Ecce ſanctus Dauid, non quidem iratus ſanguinem hominis fudit, ſed cum falſum iuraſſe negare, quis poterit?* Hæc Auguſt. Ex quibus etiam obiter illud animaduerti poteſt non facile iuramenti religione interpoſita, quidquam affirmandum eſſe, aut promittendum, ne labes aliqua temerè
Ecclef. 23. 11. iurantibus adhæreſcat. *Sicut enim ſeruus,* inquit Eccleſiaſticus, *interrogatus aſſiduè à liuore non minuitur, ſic omnis iurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur;* cuius loci ſententia eſt, quemadmodum ſeruus, qui frequenter torquetur à Domino, quæſtionique ſubiicitur, ad eliciendam veritatem vibicibus, verberúmque veſtigiis exarata cute plagarum ſigna circumfert, ita qui frequenter iurat (eſt autem iuramentum quoddam quæſtionis genus, quo numinis violandi timore verum extorquetur) ſi quid peccet, quod in tanta frequentia eſt procliue, labem non facile abſtergendam contrahet.

Digitized by Google

10 Illud tandem addendum eſt promiſſa etiam inimicis facta, præſtanda eſſe, vt *quod ſemel egreſſum eſt de labiis noſtris, obſeruetur*, vt iubetur in Deuteronomio. Probat hoc egregiè Gabaonitarum impunitas, quibus fides à Ioſue data ſaluti fuit, quamuis illis poſt retectam fraudem parcere non teneretur, cum Gabaonitarum dolus promiſſo cauſam dediſſet, nec iuſiurandum illud iniquitatis vinculum eſſe poſſet, fuiſſet autem ſi eos impunitos dimittere coëgiſſet, quos delendos penitus Dominus imperaſſet. niſi dicamus potuiſſe Ioſue illos abſque noxa ſeruare, id concedente Domino, ad commendandam apud Gentes Hebræorum fidem. Sed D. Ambroſium, ita in libris de officiis diſſerentem audiamus. *Veterem autem iſtam, inquit, de dolo non iuriſperitorum formulam, ſed Patriarcharum ſententiam, ſcriptura diuina euidenter expreſſit, in libro teſtamenti veteris, qui Ieſu Naue inſcribitur. Nam cum exiſſet fama per populos, ſiccatum eſſe mare, in Hebræorum tranſitu, fluxiſſe aquam de petra, de cœlo diurnam miniſtrari alimoniam tot populi millibus abundantem, corruiſſe muros Hierico, ſacro tubarum ſono ictos, & vlulatu plebis arietatos, Getheorum quoque Regem vinctum, & ſuſpenſum in ligno vſque ad veſperam Gabaonitæ metuentes validam manum, venerunt cum verſutia, ſimulantes ſe de terra longinqua eſſe, diúque peregrinatos dirupiſſe calceamenta, detriuiſſe amictus veſtium, quarum veteraſcentium indicia monſtrarent. Cauſam autem tanti laboris emerendæ pacis, & ineundæ cum Hebræis eſſe amicitiæ cupiditatem, & cœperunt ab Ieſu Naue poſcere, vt ſecum firmaret ſocietatem. Et quia adhuc erat ignarius locorum, atque incolarum inſcius, non cognouit fraudes eorum, neque Dominum interrogauit, ſed cito credidit.*

Etiam inimicis ſeruandam fidem.

Deut. 23. 23.

3. de offic. c. 10.

Ioſue 3.

Ioſue 6.

Adeo ſancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in ſanctis, qui cæteros de ſuo affectu exiſtimant? & quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant, fallere quid ſit ignorant, libenter credunt, quod ipſi ſunt, nec poſſunt ſuſpectum habere, quod non ſunt. Hinc Salomon ait; Innocens credit omni verbo. Prou. 14. 15. *Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas. Hoc eſt innocentem eſſe, ignorare, quod noceat, etſi circumſcribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem eſſe in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis ſuæ deuotione inclinatus, vt crederet, teſtamentum diſpoſuit, pacem dedit, confirmauit ſocietatem, ſed vbi in terras eorum ventum eſt deprehenſa fraude, quod cum eſſent finitimi, aduenas ſe eſſe ſimulauerant, circumſcriptum ſe ſe populus Patrum indignari cæpit. Ieſus tamen pacem, quam dederat reuocandam non cenſuit, quia firmata erat, ſacramenti religione, ne dum alienam perfidiam arguit, ſuam fidem ſolueret. Mulctauit tamen eos vilioris obſequio miniſterij, clementior ſententia, ſed diuturnior. Manet enim in in officiis pœna veteris aſtutiæ hæreditario in hunc diem miniſterio deputata.* Hactenus Ambroſius. Itaque Ioſue fidem Gabaonitis ſemel obligatam, quia iuriſiurandi interceſſerat religio, ſanctè ſeruauit. qua in re ſanctus Imperator barbaris idolorum cultoribus ſimilis eſſe non ſuſtinuit, quibus fides pendet ex fortuna, quique religionem iuramenti qua ſe obſtrinxerant, nihili pendunt, parum aut nihil ſibi metuẽtes à Diis ſuis quamtumuis pacta violauerint, vt enim dicitur in libro Sapientiæ. Sap. 14. 29. *Dum confidunt in idolis, quæ ſine anima ſunt, malè iurantes nocere ſe non ſperant.* Hanc autem fidem à Ioſue Gabaonitis datam, adeo ratam voluit eſſe Dominus, vt famem Dauide regnante in vniuerſum

ſum populum immiſerit, quæ tres continentes annos tenuit, propter fœdus à Saule violatum: id autem quomodo acciderit, & qua ratione Gabaonitis à Dauide ſatisfactum ex hiſtoria Regum diſcamus, quæ ſic ait. *Facta eſt quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, & conſuluit Dauid Oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum eius ſanguinum, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis Rex dixit ad eos (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Iſraël, ſed reliquiæ Amorrhæorum, filij quippe Iſraël, iurauerant eis, & voluit Saul peruetere eos zelo quaſi pro filiis Iſraël & Iuda.) Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas: quid faciam vobis? & quod erit veſtri piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini? Dixeruntque ei Gabaonitæ. Non eſt nobis ſuper argento, & auro quæſtio, ſed contra Saul, & contra domum eius, neque volumus vt interficiatur homo de Iſraël. Ad quos Rex ait, Quid ergo vultis vt faciam vobis? qui dixerunt Regi. Virum qui attriuit nos, & oppreſſit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidem reſiduus ſit de ſtirpe eius, in cunctis finibus Iſraël. Dentur nobis ſeptẽ viri de filiis eius vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait Rex: Ego dabo. Pepercitque Rex Miphiboſeth filio Ionathæ filij Saul, propter iuſiurandum Domini quod fuerat inter Dauid, & inter Ionatham filium Saul. Tulit itaque Rex duos filios Reſphæ filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni, & Miphiboſeth, & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, & dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino, & ceciderunt hi ſeptem ſimul occiſi in diebus meſſis primis, incipiente meſſione hordei, &c.* Ex his ergo, quæ diximus ſatis patet etiam hoſtibus fidem datam ſeruandam eſſe. Qua-

2.Reg. 21. 1.

re ſi conſtitutus ſit cum hoſte, aut locus aut dies prælio, magnæ perfidiæ ſit, aut loco præuenire, aut tempore, aut ſi tu bellica virtute ſuperatus tributum pendere, aut obſides dare coactus; aut contra victor hoſtes tuos liberos dimiſſurum te fueris pollicitus, ſi fecerint imperata, grande ſit piaculum fallere fidem, & honeſtate contempta, ſolius vtilitatis habere rationem; hoc enim non ſolum eſt turpe apud omnes gentes, ſed à Deo perfidiæ vindice, admiſſi ſceleris pœnas accerſit. Tandem ex dictis etiam colligitur quatenus verum ſit vulgare illud dictum quod multorum ſermonibus frequenter iactari ſolet, nimirum frangenti fidem, eam viciſſim eſſe frangendam. Neque enim ſententia eſt licere fallere fidem hæreticis verbi gratia, idolorum cultoribus, aut alioqui facinoroſis hominibus, qui obligatam Deo fidem, cum baptiſmo abluti ſunt, & Chriſti militiæ nomen dederunt, non ſeruant; ſed ſic accipiendum eſſe commune illud effatum, vt liceat non præſtare promiſſum, ſi viciſſim qui tibi aliquid pollicitus fuerit, ipſe non præſtiterit, tunc enim illius perfidia fidem tuam liberat. Moſes exempli cauſa poſtulabat ab Amorrhæo, vt per eius fines exercitum traducere liceret: *Tranſibimus,* inquiebat, *per terram tuam, publica gradiemur via, non declinabimus neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, alimenta pretio vende nobis vt veſcamur, aquam pecunia tribue, & ſic bibemus, tantum eſt vt concedas nobis tranſitum.* Si annuiſſet Amorrhæus, & Moſes promiſſis non ſtetiſſet, ſed milites tractus illius incolis violentas manus intuliſſent, aut cibariis acceptis debitis pecuniis fraudaſſent, ſi agros vaſtaſſent, vineas diripuiſſent, concuſſiſſent

Deut. 2. 27.

ſent

Digitized by Google

ſent agricolas, ferocitérque tractaſſent, quis dubitet Amorrhæum pacti obligatione ſolutum vim illatam prohibere, & ſuis finibus Iſraëlitas arcere potuiſſe conditione ab illis non impleta? Sed rem de qua agimus aptius etiam & expreſſius ponunt ob oculos exploratores ab Ioſue miſſi in Iericho, qui cum in meretricis Raab domo latebras quæſiuiſſent, *Anima noſtra,* aiebant, *ſit pro nobis in mortem, ſi tamen non prodideris nos, cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te miſericordiam ac veritatem.* expreſſius autem conditionis vim paulo poſt explicantes: *Quod ſi nos prodere volueris,* inquiebant, *& ſermonem iſtum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento, quo adiuraſti nos.* Niſi ergo aliquid tale inciderit, quo ſoluti promiſſis cenſeri poſſimus, etiam cum hæreticis, aut infidelibus conuentorum conſtantiam ſeruare debemus. Alij, quod eodem recidit, ita docent promiſſum ſeruandum, ſi poſſit abſque noxa, & niſi quid inciderit quod rei faciem planè aliam inducat, vt cum D. Paulus, qui ſe Corinthum iturum receperat eo tamen non iuit, quod interuenientibus nouis cauſis, conſilium mutare iure potuiſſet.

Ioſue 2. 14.

Ibid. n. 20.

2. Cor. 1. 15.

De liberalitate Principis.

CAPVT XVI.

Quomodo hic accipiatur liberalitas & de eius affinitate cũ iuſtitia.

ANtequam de liberalitate dicere ingrediamur, illud aduertendum eſt, non ita nos preſsè de illa loqui vt diſtinguitur à miſericordia, aut

aut amicitia, ſed ita illam accipere, vt ſiue ex contemptione pecuniæ affectuque aduerſus illam moderato quis largiatur; ſiue alienæ calamitatis paupertatiſue miſeratione commotus; ſiue, vt amicitiam colat, ac tueatur, id totum liberalitati tribuamus. Hic autem eſt de virtute iſta dicendi locus, cum de virtutibus agimus, quæ ad alios referuntur, & cum Iuſtitia affinitatem habent, nam in ſcripturis erogatio iſta pecuniæ, Iuſtitiæ nomine appellatur, vt cum dicitur in Pſalmo:
Pſal. 111. 9. *Diſperſit, dedit pauperibus. Iuſtitia eius manet in ſaculum ſaculi*: & apud S. Matthæum præcipit Dominus;
Matth. 6. 1. *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Quo loco Græcus cõtextus ἐλεημοσύνην habet, vt etiam legit D. Chryſoſtomus loco Pſalmi proximè citato. Huc etiam referri poteſt, quod
Prou. 21. 26. habemus in Prouerbiis, *Qui negligit damnum propter amicum, iuſtus eſt.* Prior enim huius verſiculi pars periphraſim quamdam liberalis hominis cõtinere videtur, qui ſuarum pecuniarum non habet rationem, ſed cum aliqua amici neceſſitas inciderit, illas animo liberali profundere non veretur. Quem etiam loci huius ſenſum ex verſione Pagnini confirmare poſſumus, qui particulam illam, *qui negligit damnum*, vnico expreſſit verbo, *Abundans.* quod ad rem noſtram valde facit. Quis enim alius abundantis nomine propter amicum cenſeri melius poteſt, quàm liberalis, cui licet anguſta res ſit, ſi tamen neceſſitas exigat, abundanter depromit, quod amico tribuat, amoréque honeſtatis, quæ in virtute latet, pecuniæ parcendum non exiſtimat?

De liberalitatis vti-

2 Porrò de liberalitate illud in vniuerſum dici poſſe videtur radicem illam eſſe bonorum omniũ, nam

nam ſi de auaritia veriſſimè dictum eſt ab Apoſtolo, *radix omnium malorum eſt cupiditas*, ſanè liberalitas, quæ cum illa aduerſa fronte pugnat, omnium radix bonorum merito poterit appellari. Ac ſanè de honeſtatis & gloriæ bono nõ multum fortaſſe repugnauerint ij ipſi, qui aſtrictiores ſunt in expendendis pecuniis; vtilitatem verò adeò à liberalitate ſeparabunt, vt potius per eam multa fortunarum damna Principibus, & priuatis importari contendant. Quem errorem vt eximamus, primò hoc de vtilitate caput breuiter exequemur, tum etiam de honeſtate paucula quædam, quæ ad rem noſtram faciunt ex ſcripturis noſtro more delibabimus. Ac primò quidem Principis præcipua cura in eo eſſe debet, vt regnum, quod à maioribus ſuis accepit, aut virtute propriâ comparauit, omnibus, quibus iure poteſt artibus ſtabiliat, eáque omnia amoliatur, quæ minus firmam illius poſſeſſionem, minúſque aut à domeſticis turbis, aut ab externis bellis ſecurã reddit. Hoc autem liberalitas præſtat inprimis, de qua ita loquitur Salomon in Prouerbiis. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur Clementia thronus eius*: vel, vt vertit Vatablus, *Beneficientia, & Fides ſeruant Regem*; *Beneficentia ſuffulcitur ſolium eius*. Illius enim Principis magnitudo ſtabilis & fundata eſt, qui ita à ſubiectis populis diligitur, vt nihil aliud publica omnium vota expetant, quàm eum incolumem eſſe. Non enim corporis ſtipatores, armatíque ſatellites, non munitarum arcium muri odio proſequentium ciuium vim ſatis arcere poſſunt, quæ aut ſibi facilem aditum inuenire non neſcit, aut ſi omnia clauſa repererit, & obſepta, perrumpere

litate quã redũdat in Principes.

Prou. 20. 29.

Digitized by Google

tamen quidquid obſtat poteſt, iiſque quos odit parare perniciem. At verò Ciuium beneuolentia certiſſimæ ſecuritatis parens eſt, quæ nullis artibus facilius conciliatur quàm beneficentia ac liberalitate: multi enim, vt Principis ope indigent, ita ad illius amicitiam obrepere ſatagunt, illíque bene eſſe deſiderant, vt illius liberalita-
Prou.19.6. te, quàm diutiſſimè frui poſſint: *Multi colunt perſonam potentis*, inquit Sapiens, *& amici ſunt dona tribuentis*, vel vt ex Hebræo verti poteſt; *Multi colunt perſonam liberalis, & omnes amici ſunt dona tribuentis.* Nec verò fucatam ſemper hanc amicitiam dixeris, tamdiu duraturam apud homines iuſtos, quamdiu ex Principis fontibus aliquid ſe haurire poſſe ſperabunt, qui ſi repente exaruerint, etiam amicitia perenni ad eum diem liberalitate irrigata, penitus exareſcet. Vt enim concedam initio, non Principis magis virtutem iſtos ſuſpicere & amare, quàm propria commoda conſectari, non tamen adeò dura ſunt hominum pectora, vt beneficiis continentibus, aut repetitis non molliantur, eóſque quos prius vtilitatis tantum aucupandæ cauſa colebant, etiam ex animo beneuolentia complecti non incipiant, cupiántque ſi ſe dederit occaſio in eos, à quibus beneficiis ornati ſunt, non tantum beneuolam mentem oſtendere, ſed etiā regerere beneficia, nam vt
Prou. 22. 9. ait Sapiens in Prouerbiis, *Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera. animam autem aufert accipientium.* Cuius loci ſententiam eam eſſe putat Ianſenius, vt dicatur munera accipientes adeo dantibus obſtringi, vt quæ eſt humana fragilitas fermè ad quodlibet agendum ſint parati, vt donatoribus gratificentur, quod quamquam peſſimè

mè ſit, cùm nullus cum æternæ ſalutis periculo aliis placere, aut ſeruire debeat; oſtendit tamen id de quo agimus, veriſſimum eſſe, maximã ſcilicet eſſe vim liberalitatis, quæ accipientes, ita de ſe ſuſpenſos habet, vt quicquid libuerit, poſſit de illis ſibi polliceri. Sed alius fortaſſe non incommodus ſenſus, & ad rem noſtram accommodatiſſimus dici poteſt, vt nimirum dicantur donantes animas accipientium auferre, quia ſummæ illas ſibi aſtringunt beneuolentiæ vinculis, iuxta id quod in Hebræo contextu de Abſalone dicitur cum populis blandiebatur eóſque ſollicitabat. *Furabatur corda virorum Iſraël:* ita ergo liberales 2.Reg.15.
furantur animas eorum, in quos benefici ſunt, 16.
dum eos ſibi humanitatis & liberalitatis ſignificationibus raptos adiungunt. *Inuenerat Ioſeph gra-* Geneſ. 39.
tiam coram Domino ſuo, & licet fratrum ſuorum 4.
iniuria ſeruitutem ſeruiret, adeo tamen Domini animam furatus eſt, vt totius domus adminiſtratorem illum, ac tantum non Dominum conſtitueret. Hoc ergo beneficium, prolixaque iſta in ſeruum liberalitas, Ioſephi animam maximè ingenuam adeò abſtulit, vt adoleſcens id ætatis domina vltro inuitante *non acquieuerit operi nefario* eamque reddiderit rationem, quam his verbis ſcriptura expreſſit. *Ecce Dominus meus omnibus mi-* Ibid.n.8.
hi traditis, ignorat, quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ eius vxor es, quomodo ergo poſſum hoc malũ facere, & peccare in Deum? Quaſi diceret, qui poſſum ego tantum ſcelus admittere, quod diuinis mandatis aduerſatur, in eũ præſertim à quo tam multis ſum ornatus beneficiis, qui cum me inter mediaſtinos, ad abiectiſſima quæuis

uis domus munia deſtinare potuiſſet, mihi tamen domum ſuã, pecunias, prouentúſque omnes cre- didit, neque quaſi alterum vniuerſæ familiæ harum conſtituit? Poſſum equidem tam benigni, & liberalis heri cauſa multos exantlare labores, & quælibet, quantumuis dura perpeti; eam verò quam de mea in eum fide opinionem concepit, fallere ſanè non poſſum.

iberalitatē honeſtam eſſe, quia pecunia in eos inferūtur ſua ad vos facta ſunt.

3 Sed iam de honeſtate liberalitatis aliquid dicamus quæ ſatis ex eo perſpicitur, quod qui in expendendis tractandíſue pecuniis tenax non eſt, is non vt ſeruus ille euangelicus defodit pecuniam, vnde inertiæ nomine reprehenſus, & infamia notatus, in tenebráſque exteriores eiectus eſt; ſed theſauris ſuis ita vtitur, vt recta præſcribit ratio, quare omnium ore celebratur. Non enim ignorat illud Eccleſiaſtici, *Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Quemadmodum enim vir aliquis omnium laudandarum artium ſcientia abſolutiſſimus, *ſi non deriuet foras doctrinæ ſuæ fontes*, eóſque ita recludat, vt qui indigent haurire poſſint, quantum ſatis ſit ad reſtinguendam ſitim, fruſtra in doctrinis comparandis, quarum nullus ſit vſus, laborauerit: ita qui pecuniarum vſum ignorat, & in auro congeſto pauper eſt, ſanè fruſtra theſaurum illum comparauit: quo enim diuitiæ, ſi iis vti cum opus fuerit, nõ conceditur? In quo etiam aliud eſt ſtultitiæ genus, quod dum pecuniarum tenaces, illis omnino parcunt, quaſi illas perpetuo ſibi habere poſſint, grauiter falluntur; nam vel vtiliter & honeſtè in amicos, alióſque humanæ vitæ neceſſarios vſus erogantur, vel certè relinquuntur ab inuitis, qui nihil cum ex hac vita eſt

Matth. 25. 4.
Eccleſ. 41. 7.
Pſal. 5. 16.

eſt excedendum, auferre poſſunt, aut etiam quod frequenter accidit, furto ſublatæ, aut aliquo alio caſu, repente pereunt, vt eas quodammodo putes auolaſſe. Vidit hoc Salomon, qui docuit in Prouerbiis diuitias facere *ſibi pennas vt aquilæ, & volare in cœlum.* Quaſi nimirum indignantes, quod arcis incluſæ, ſeruitutem indignam ſeruiant, ad ea non adhibitæ ad quæ factæ ſunt, ac propterea hominum iſtorum *vanitati non volentes ſubiectæ, & quaſi parturientes, & ingemiſcentes, in libertatem ſe conantur aſſerere*, ac propterea ſibi pennas aptant, quibus à cuſtodia euolantes, libertatem optatam nanciſcantur.

Prou. 23. 5.

Rom. 8. 20.

5 Sed ex eo etiam liberalitatis honeſtas intelligi poteſt, quod qui ad dandum ſunt procliues, Deum imitantur, qui diuitiarum ſuarum theſauros largè effundit, adeo vt non hominibus tantum, ſed brutis etiam animantibus ratione carentibus, & ad paſtum abiectis, ea omnia ſuppeditet, quæ neceſſaria ſunt, & eorum naturæ conſentanea. *Oculi enim omnium*, vt inquit Pſaltes, *in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.* Ipſe enim ille eſt, *qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum, qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Id verò liberali prorſus animo facit, vt conſentaneas naturæ ſuæ operationes exerceat, non quaſi hominibus aut alijs indigens creaturis, veriſſimè enim dixit de ſe in Pſalmis, *Quoniam mea ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero non dicam tibi, meus* eſt

Liberales Deũ imitari. Principeſq; liberalis titulum affectare.

Pſal. 144. 15.

Pſal. 146. 8.

Pſalm. 49. 10.

Digitized by Google

eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Verùm ita agit,
Act. 20. quia iuxta Christi Domini verbum, *Beatius eſt ma-*
35. *gis dare, quàm accipere:* qui enim aliquid accipit,
actum exercet vtilem, ſéque quodammodo illis
rebus, quas accipit, egenum profitetur; qui verò
aliis tribuit, nec ab alio cui dat, quidquam ex-
pectat, honeſtum exercet actum & quaſi non in-
digens ea quibus abundat, cum egentibus com-
municat. Quare Chriſtus Dominus veræ ac ſoli-
dæ gloriæ parandæ in largiendo rationem cum
vellet oſtendere, eis docet eſſe benefaciendum, à
quibus nihil propter paupertatem rependi poſ-
Luc. 14. 12. ſit: *Cum facis*, inquit, *prandium, aut cœnam, noli
vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos,
neque vicinos diuites, ne forte te & ipſi reinuitent, &
fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium voca pau-
peres, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia
non habent retribuere tibi.* Quam etiam agendi ra-
tionem, ſeruandam docuerat in mutuo dando,
Luc. 6. 35. quod genus eſt quoddam beneficij. *Mutuum,* in-
quit, *date, nihil inde ſperantes.* Diuinum ergo quid-
dam eſſe videtur, cum res fert omnibus ita tri-
buere, vt non cauponum more, aut fæneratorum
ponantur beneficia, quid redditiuri ſint, qui
acceperunt ſupputando, datámque pecuniam ex-
penſam ferendo, ſed animo liberali, virtutis, ho-
ſtatíſque amore illis largiendo, apud quos largi-
tionis beneficium bene collocetur. Id ſenſerunt
Principes qui benefici appellari cupiebāt, vt Chri-
Luc. 22. ſtus docuit, cum ait ad Diſcipulos. *Reges gentium
dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos,
benefici vocantur.* Videtur autē Dominus cum hoc
diceret, Hebraica vſus voce, aut certè ad eam
reſpexiſſe qua Principes נְדִיבִים appellantur, cu-
ius

ius vocis primaria radix eſt, נדב. Quod verbum largum, & munificum eſſe ſignificat, ſpontéque & liberaliter aliquid largiri, idque nomen Principes inuenerunt apud Hebræos, quod Principem liberalem atque munificum eſſe conueniat. Quare Dauid *ſpiritu principali*, poſtulat à Domino confirmari, vel vt Kaldæus interpretatur *ſpiritu munificentiæ*, vt nimirum adeò in poſterum alicui non noceat, vt fecerat Vriæ, vt potius cum omnibus ſit liberalis, & largus, vt bonum decet Principem. Eſt autem eo loco Pſalmi vox נְדִיבָה quæ ab eadem radice deducta, munificentiam ſignificat, aut quod idem eſt, ſpiritu Principe dignum, liberalem ſcilicet & munificum; *Homo indigens* (inquit Salomon) *miſericors eſt & melior eſt pauper, quàm vir mendax*, in textu verò Hebræo, huius dicti pars prior, ſic habet: *Deſiderium hominis beneficentia eius.* & ſenſus eſt, eſſe in hominum animis, quoddam inſitum deſiderium quo benefici, largi, liberaléſque haberi velint, & prædicari. Verùm quia aliqui hanc laudem affectant, qui eam minimè merentur, propterea ſubditur, *Et melior eſt pauper, quàm vir mendax*, quaſi dicat: Præſtat autem pauperem eſſe, ac propterea aliis largiendi facultate deſtitutum, quàm diuitiis abundare, & cum auarus ſis, velle tamen tuam beneficentiam, quam nõ exerces, ab omnibus prædicari. Nec ab hoc loco Prouerbiorum abludit alius locus eodem libro, vbi dicitur: *Multi homines miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?* quorum verborum ſentẽtia duobus præcipuè modis accipi poteſt. Alius eſt proximè explicatæ ſententiæ perſimilis, multos ſcilicet eſſe, qui ſuam frequenter prædicent libe

Pſalm. 50. 14.

Prou. 19. 22.

Prou. 20. 6.

liberalitatem, & beneficentiam, quam exercent in alios, difficile tamen eſſe fidelem virum inuenire, qui ſcilicet in hoc ipſo, in quo ſe laudat non mentiatur, aut qui iis adiunctis circumſtantiis largiatur, vt norma virtutis exigit. Vel etiam ſenſus eſſe poteſt, multos eſſe, qui laudent, & prædicent eum, qui in ipſos eſt beneficus, ſed laude iſta cõtentos, cum ſe offert occaſio, beneficium non rependere, nec par pari referre, vt poſtulat fidelitas, æquitas, ratióque gratitudinis. Ita enim ſe res habet, multi vitio laborant ingratitudinis, poſtquam acceperunt, multi verò cum dant, inani gloriæ velificantur, dumque liberales, & munifici, largi audire volunt, adeo *in ſinum eorum quibus benefaciunt, beneficia non abſcondunt*, vt potius quantulumcumque tribuerint, *tuba canant ante ſe*, omniúmque per ora cupiant volitare, qui in eo quidem non falluntur, quod beneficentiæ comitem eſſe intelligunt gloriam, in eo autem non mediocriter peccant, quod quæ Dei amore, aut ſtudio virtutis largiri debuiſſent, ea de cauſa tantum tribuunt, vt hominum laudem conſequantur, quod totum ad inſignem quandam pertinet inanitatem.

Matth. 6. 2.

In dando, ſed maximè in reddendo beneficio liberalitatẽ requiri.

5 Cum verò in dando beneficio, laudabilis ſit liberalitas, in reddendo tamen eſt neceſſaria, nec menſura pari, ſed vberiore reddendum eſt. *Etenim*, inquit D. Ambroſius, *ſuperiorem non eſſe in referendo beneficio, hoc eſt minorem eſſe; quoniã qui prior cõtulit, tempore ſuperior eſt, humanitate prior. Vnde imitanda nobis eſt in hoc quoque natura terrarum, quæ ſuſceptum ſemen multiplicatiori ſolet numero reddere, quàm accepit. Ideo eſt tibi ſcriptum, ſicut agricultura eſt homo inſipiens, & tanquam vinea homo egens ſenſus, ſi reliqueris*

1. Offic. cap. 31.
Prou. 24. 30.
Iuxta Septuaginta.

reliqueris eum deſolabitur: ſicut agricultura ergo etiam ſapiens, vt tanquam fænerata ſibi maiore menſura ſemina ſuſcepta reſtituat. Terra ergo non ſpontaneos fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit, ac reddit. Vtrumque debes quodam hæreditario vſu parentis, ne relinquaris ſicut infœcundus ager. Eſto tamen vt aliquis excuſare poſſit, quòd non dederit, quomodo excuſare poteſt, quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet. Ideo pulchrè Salomon ait, ſi ſederis cænare ad menſam potentis, ſapienter intellige ea, quæ apponuntur tibi, & mitte manum tuam ſciens, quod oportet te talia præparare. Hæc Ambroſius. Huius vitij reum agebat Salomonem, quamuis amicè & amanter, Hiram Rex Tyri, cuius ſingularia in Salomonem promerita recenſentur in Regum hiſtoria. Nam cùm Salomon in templi ſtructuram ligna cedrina ſuccidi optaſſet in Syluis Libani, quæ in Tyriorum Regis erant ditione, & in Latomiis lapides cædi. *Cum audiſſet Hiram verba Salomonis, lætatus eſt valde, & ait. Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium ſapientiſſimum, ſuper populum hunc plurimum, & miſit Hiram ad Salomonem dicens. Audiui quæcumque mandaſti mihi, ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis. Serui mei deponent ea de Libano ad mare, & ego componam ea in ratibus in mari, vſque ad locum, quem ſignificaueris mihi, & applicabo, ea ibi, & tu tolles ea, præbebiſque neceſſaria mihi, vt detur cibus domui meæ. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.* Quanta

Prou. 23. 1.

3. Reg. 5. 7.

Digitized by Google

verò fuerit operarum multitudo, ligna cedentium & onera cõuehentium, ex quo etiam lignorum, lapidúmque multitudo quanta fuerit, coniicere poſſumus, ita narratur: *Elegitque Rex Salomon operarios de omni Iſraël, & erat indictio triginta millia virorum. Mittebátque eos in Libanum, decem millia per menſes ſingulos viciſſim, itaut duobus menſibus eſſent in domibus ſuis, & Adoniram erat ſuper*
3. Reg. 9. 10. *huiuſmodi indictione. Fuerúntque Salomoni ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, abſque præpoſitis, qui praerant ſingulis operibus numero trium millium, & trecentorum præcipientium populo & his, qui faciebant opus. Præcepitq́ Rex, vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos, quos dolauerunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiram.* Salomonem ergo Rex Hiram amanter, vt dixi, accuſauit, quod tam multis beneficiis non ſatis dignam vicem rependiſſet, quod eodem libro ita narratur. *Expletis autem annis viginti, poſtquam ædificauerat Salomon duas domos, id eſt domum Domini, & domum Regis (Hiram Rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina & abiegna, & aurũ iuxta omne, quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ, & egreſſus eſt Hiram de Tyro vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei, & ait: Hæcine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi frater? & appellauit eas, terram Chabul, vſque in diem hanc.* Non eſt autem exiſtimandum vt obiter hoc dicamus oppida illa fuiſſe, ita Tyriorum Regi donata, vt in illius poſſeſſionem planè tranſirent, in iiſque ipſe ius diceret, ſed tantum oppidorum eorum ad certum aliquod tempus aſſignatos fuiſſe prouentus, qui ex vectigalibus

galibus, & tributis colliguntur, vt lignorum, lapidum, operarúmque pretium, quibus Salomoni opem tulerat, compenſarentur. Nam ſi Hebræi agros ſuos, alterius tribus hominibus vendere non poterant, *ne commiſceretur poſſeſſio filiorum Iſraël, de tribu in tribum*, vt dicitur in libro Numerorum, nec niſi vſque ad Iubilæi annum; ſanè multominus in alienigenarum poſſeſſionem tranſire poterant, eius præſertim, qui cum eſſet cultor Idolorum, à vera religione ſubditos ad impietatem traducere potuiſſet. An verò iure conqueſtus ſit Hiram qui regionem illam *terram Chabul* appellauit (id eſt terram diſplicentiæ, ſeu vt alij interpretantur, terram tenacitatis, quod lutoſa eſſet, aut arenoſa, ita vt per eam ingredientium retineret veſtigia) non facile dixerim, nam ſapientiæ Salomonis id parum conſentaneum eſſe videtur: contra verò prolixa conſtánſque Tyrij liberalitas, mutuis continentibúſque cum Dauid & Salomone officiis confirmata, iniuſtæ querelæ locum relinquere non videtur. Num. 36. 7. Leuit. 25. 15.

6 Illud verò in primis ſeruandum cenſeo in liberalitate, vt hilari vultu tribuamus, & explicata fronte, verbis etiam non malignis, & vix exeuntibus, ſed in quibus volentis animi & liberalis emineant notæ. Corrumpit enim beneficij gratiam, qui cum aliquid petitur, adducit frontem, vultum auertit, occupationes ſimulat, longis ſermonibus, & de induſtria non inuenientibus exitum occaſionem aufert poſtulandi, & variis artibus properantes neceſſitates eludit. *Ne dicas*, inquit Sapiens, *amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis.* Nam non ſponte tributa, ſed extorta iſta ſunt beneficia, plúſque dilatio *Dandum hilariter.* Prou. 3. 28.

 cruciat,

cruciat, quàm res tandem accepta delectet. Ve-
Prou 13. 12. riſſime enim dictum eſt à Salomone, *Spes quæ differtur, affligit animam:* ac quemadmodum teſte D.
2. Cor. 9. 7. Paulo, *Hilarem datorem diligit Deus*, ita homines, quibus cordium intima penetrare non licet, comitate ſermonis, & vultus hilaritate, ex quibus de animis faciunt coniecturam, maximè ca-
Eccleſ. 35. 11. piuntur; quare monet Eccleſiaſticus, *In omni dato hilarem fac vultum tuum*, duplo enim gratius hilaritatis commendatione beneficium venit, quod ſi ab expugnato per vim animo exprimitur, non habemus illi gratiam, quod tandem voluerit, ſed quod tamdiu noluerit ſtomachamur. Hoc plane Pharaonis ingenium, qui poſtulatam à Moyſe facultatem, cum populo in deſertum abeundi, vt Deo ſuo ſacra operarentur, tamdiu rem
Pſal. 104. 28. traxit, donec *Miſit Dominus tenebras & obſcurauit, conuertitque aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum, edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum, dixit, & venit cynomya, & cinipbes in omnibus finibus eorum, poſuit pluuias eorum, grandinem, ignem comburentem in terra eorum*, cæteríſque plagis, quæ in Exodi libro, & pſalmo indicato commemorantur, attrita eſt Ægyptus vniuerſa, quæ tandem mala vel ab inuito, & reluctante profectionis inſtituendæ facultatem extundere potuerunt. Eos verò, qui ita dant, nullus dixerit liberales, quamuis enim poſtulantium precibus fatigati tandem tribuant, animus tamen inuitus eſt, atque ideo non liberalis, cum non ex ipſis rebus, quæ conceduntur, ſed ex voluntate benefaciendi, ſpectanda ſit liberalitas, quæ parua etiam munuſcula extollere poteſt, ſordida illuſtrare, & rebus omnibus, quæ

Digitized by Google

quæ tribuuntur qualeſcumque tandem illæ ſint, pretij modum imponere. *Si enim*, inquit Diuus Paulus, *voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt, non ſecundum id quod non habet.* Sic Dominus *reſpiciens eos, qui mittebant munera ſua in Gazophylacium diuites, vidit & quandam viduam pauperculam mittentem æra, minuta duo, & dixit. Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit:* nam alij opibus abundantes, quamuis largè tribuerent, non tamen propterea, aut de victu aliquid, aut de cultu corporis detrahere cogebantur; illa verò pauper tanto ad tribuendum affectu ducebatur, vt duobus illis minutis in arcam iniectis, nihil ſibi reliquum faceret, quo vitam propagare poſſet, præter ſpem, quam in eo fixam, locatámque habebat, cui ſe cum munera offerret, largiri intelligebat.

2.Cor.8. 12.

Marc. 12. 4.

7 Eſt autem diligenter videndum, cui & quantum detur, vt liberalitatis modus ratione regatur, ſine qua perit omnis honeſti ratio, & licet Deum imitari glorioſum ſit, qui omnibus tribuit, cum etiam piratis maria pateant, & ſceleratis ſol non minus oriatur, quàm probis, vt dicitur à Christo Domino, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos:* quia tamen vera illa bona, quæ ſepoſuit amicis ſuis, non omnibus tribuit Dominus, ſed iis duntaxat, qui probatis moribus, & diuinæ legis obedientia ad ea capeſſenda viam ſibi muniuerint, iiſque digni fuerint, facile poterit intelligere Princeps, *vt omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant*, rationi conſentaneum eſſe, vt perſonarum ratio habeatur, & dignitatum, & promeritorum in Rempub. Nec minus ſpectandum eſt

Videndum cui, & quantum detur.

Matth 5. 45.

1.Cor.14. 40.

Digitized by Google

quantum detur, in quo præclarè mihi ſenior Tobias filio ſuo præcepiſſe videtur. *Quomodo potueris,*
Iob 4. 8. inquit, *ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum*
Leuit. 2. 13. *libenter impertiri ſtude.* Nam in Leuitici lege præſcribitur. *In omni oblatione tua offeres ſal*, vt nimirum intelligamus quidquid tribuimus condiendum ſole prudentiæ, quæ largitionum modum ita moderatur, vt non minus ab auaritia, quàm à prodigalitatis extremo recedatur. *Nam Regis*
Pſal. 98. 4. *honor*, qui plurimum in largitate conſiſtit, *iudicium diligit.* Ita Artaxerxes Perſarum Rex pecuniæ modum præſcribit, quem Iudæis in Patriam
1. Eſdr. 7. 21. redeuntibus tribui voluerat. *Ego*, inquit, *Artaxerxes Rex, ſtatui atque decreui omnibus cuſtodibus arcæ publicæ, qui ſunt trans flumen, vt quodcumque petierit à vobis Eſdras ſacerdos, ſcriba legis Dei cœli, abſque mora detis, vſque ad argenti talenta centum, & vſque ad frumenti coros centum, & vſque ad vini cados centum, & vſque ad batos olei centum, ſal verò abſque menſura.* Cur autem ita ſit agendum, in promptu ratio eſt. Nam licet multi ſint prouentus Regij, diuéſque ſit ærarium multis in eo the-
Eccl. 5. 10. ſauris repoſitis, tamen quia, *vbi multa ſunt opes, multi ſunt, qui comedunt eas*, vt ait Sapiens; idcirco prudenter tantum depromẽdum eſt, quantũ præſcripſerit ratio, cuius munus erit proſpicere, ne tantum exhauriantur regij theſauri, vt ſi bellum ingruerit, aut alia Reipub. neceſſitas, adeo pecuniarum, quæ nerui belli ſunt, inopia laboretur, vt Reſpub. detrimentum aliquod graue patiatur, aut illius incurrẽdi adducatur in diſcrimen. Stulta enim prodigorum illorum vox eſt, qui nihil aliud ſpectantes quàm quod præſens eſt, ventri indul

indulgent, & voluptatibus, quæ multis prodigendarum pecuniarum cauſa ſunt, & iis conſe-ctandis & aucupandis intenti. *Comedamus*, inquiunt, *& bibamus, cras enim moriemur*. & illa vſurpant verba quæ ſunt apud Salomonem, *Venite & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Qui autem hoc vitæ genus inſtituunt, nullámque voluptatem oculorum, aut ventris non conſectantur, quia in ſumptus ad iſta neceſſarios, multæ ſunt parandæ pecuniæ, ſtatim inde conſequitur, vt nulla ab iis iuſtitiæ ratio habeatur, ſed dicant, *Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo noſtra, lex iuſtitiæ; quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur.* Qui loquendi modus tyrannorum proprius eſt, *qui ſceptrum exactoris* præ manibus habentes, id agunt, vt non *ceſſet exactor, nec quieſcat tributum, ſed virga dominantium, baculoque impiorum cædunt populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubijcientes in furore gentes, & perſequentes crudeliter.* Sed de inexplebili auaritia, eorum qui deglubunt potius, quàm tondent, & emungendi finem non faciunt, donec eliciant ſanguinem, paulo poſt erit dicendi locus.

Iſa. 22. 13. Sap. 2. 6. Ibid. n. 10. Iſa. 9. 4. Iſa. 14. 4. Prou. 30. 33.

Cum dederit Princeps, ne improperet ei, cui dedit.

8 Illud tandem admonendi ſunt Principes, vt quando eos Deo ſimiles diximus fieri, cum largiuntur, ita illius morem imitentur, *qui cum det omnibus affluenter, non tamen improperat*, vt ait D.

Iacob.1.5. Iacobus. Quemadmodũ enim in accipientis memoria perpetua accepti beneficij recordatio hærere debet, adeo fixa, vt illius obliuio nunquã ſubeat, ita qui tribuit, ita ſe cum accipiente gerere debet, ac ſi nunquã tribuiſſet. Lacerat enim animũ, ac premit frequens meritorum cõmemoratio, & quodammodo etiam, eum, qui accepit, ingratum pronuntiare videtur, quaſi non ſatis apud alios acceptum prædicet beneficium. Quare Eccleſiaſticus, cum nonnulla erubeſcenda commemoraſſet, & hoc ſubdit. *Erubeſcite ab amicis de ſermonibus improperij, & cum dederis non improperes.* (Eccleſ.41. 26.) Honeſtius enim de beneficiis quæ in alios contulimus ipſi tacemus, quæ nimium prædicare eorum eſt, qui acceperunt: & monet Sapiens, *Laudet te alienus & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* (Prou. 27. 2.)

An Principi liceat diuitijs augendis ſtudere, & quibus artibus augeri poßint.

CAPVT XVII.

Licere Principibus theſauros colligere, & quæ rationes ſuadẽat, vt id fiat.

1 PRiuſquam de auaritia, quæ liberalitati opponitur, dicere aggrediar, quærendum eſt, liceátne Principibus ad rem faciendam, theſauróſque coaceruandos attentis eſſe: cum verò probatum fuerit licere, artes quædam proponendæ erunt, quibus citra noxam, pecuniarum magnam vim, ſibi parare facile poſſint. Tandem

dem proximis capitibus de auaritia nonnulla diſputabuntur, quibus nimiam pecuniarum colligendarum cupiditatem deteſtandam, ac proinde compeſcendam eſſe demonſtremus. Principio igitur poſſit aliquis ambigere, liceatne Principi theſauros colligere, cum Dominus Deuteronomij lege olim futurum in ſuo populo Principem inſtituens, id facere vetuerit, *Non habebit,* inquit, *argenti & auri immenſa pondera.* Sed quid loci huius ſenſus ſit, ex ipſis verbis, ſatis intelligitur: nam nimia cogendæ pecuniæ cura reprehenditur, præſertim cum quis *facit diuitias, & non in iudicio,* non autem moderatum, & rationis præſcripto conſentaneum theſauri colligendi ſtudium. Vt enim ingentes diuitiæ Principum animos ſui confidentia inflant, & in alios parum æquos reddunt, ita paupertas deſpicabiles facit, & accipiendæ à potentioribus iniuriæ opportunos, quare Salomonis, qui *Coaceruauerat ſibi argentum & aurum, & ſubſtantias Regum ac Prouinciarum,* ſapientiſſimum votum legimus in Prouerbiis: *Mendicitatem,* inquit, *& diuitias ne dederis mihi.* Cur autem pecuniæ parandæ ſint à Principibus, in promptu ratio eſt, nam præclarum ſunt, quietem agenti, tranquillæque Reipubl. ornamẽtum, perturbatæ verò aut bellis externis implicatæ, ſubſidium neceſſarium. Parum enim eſt ſapere, ac conſilio, ac prudentia bonum eſſe, niſi quæ acutè videris, etiam exequi, eáſque omnes difficultates & impedimenta, quæ obiiciuntur expugnare poſſis, quod fermè pecunia præſtare ſolet. Quare Sapiens *Corona,* inquit, *ſapientium diuitiæ eorum;* nec corona tantum, qua illorum frontes honeſtiores reddantur, ſed præſidium etiam, muni-

Deut. 17. 17.

Ierem. 17. 11.

Eccleſ. 2. 8.

Prou. 30. 8.

Prou. 14. 24.

Digitized by Google

mentum, & murus, *ſubſtantia* enim *diuitis*, *vrbs fortitudinis eius*, teſte Salamone, quod ipſum alio etiam loco, totidem ferè verbis repetiit cum ait;
Prou. 18. 11. *Subſtantia diuitis vrbs roboris eius, & quaſi murus validus circumdans eum.* nam cum *pecuniæ obediant*
Eccleſ. 3. 19. *omnia*, neceſſe eſt eum, qui illis abundet, omnia etiam habere præſidia, rerum bene gerendarum; eum verò, qui à pecunia malignè ſit inſtructus, iis omnibus deſtitui adiumentis, quibus Reipub. difficilibus temporibus, incommodis omnibus obuiam ire potuiſſet. Quare ille apud Iſaiam, cui Principatus deferebatur, illum, paupertatem ex-
Iſai. 3. 7. cuſando, ita deprecatur: *In domo mea*, inquit, *non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me Principem populi.* Quemadmodum igitur prudens Paterfamilias, ea parat æſtatis tempore, quæ menſibus hibernis vniuerſæ familiæ vſui eſſe poſſint,
Prou. 10. 5. iuxta ſapientis conſilium dicentis; *Qui congregat in meſſe filius ſapiens eſt, qui autem ſtertit in æſtate, filius confuſionis.* & alio loco pigrum ad formicam, ſedulum & induſtrium animal mittentis, quæ ore trahit, quodcumque poteſt, & aceruo addens, in-
Prou. 6. 6. genti labore, victui neceſſaria congerit: *Vade*, inquit, *ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quia cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* ita Princeps, qui ſibi Reipublicæque conſultum eſſe cupit, colligendæ pecuniæ ſtudium nullo vnquam tempore negligere debet, vt parata ſemper habeat opportuna Reipubl. præſidia, largitérque cùm fuerit opus, ea poſſit depromere, quæ ſapienter, & prouidè repoſuerat, cum nulla neceſſitas vrgebat.

Poſſe

Digitized by Google

2 Poſſe autẽ ſapientes ſibi pecunias bonis artibus parare, docet ſapientum primus Salomon, qui illuſtri quadam Proſopœia ſapientiam inducens de ſe ipſo magnificè prædicentem, ita loquentem facit, *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* Et eodem libro de Sapientia diſſerens, *In ſiniſtra,* inquit, *illius diuitiæ & gloria.* Et in libro Sapientiæ, *ſi diuitiæ,* inquit, *appetuntur in vita, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia?* Hi autem ferè fontes ſunt, ex quibus theſauros ſibi Principes comparant, propria latifundia; mercatura claſſibus in longinquas regiones miſſis; auri, argentique fodinæ; tributa & vectigalia, quæ Principi penduntur à Republ. De iſtis autem ſingulis breuiter aliquid dicendum eſt.

Induſtria diuitias à ſapienti Principe augeri poſſe.

Prou. 8. 18.

Prou. 3. 16.

Sap. 8. 5.

3 Ac de agris quidem propriis, gregibus, & armentis à ſe poſſeſſis, ita ſcribit Salomon in libro Eccleſiaſtæ: *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & & conſeui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium, poſſedi ſeruos, & ancillas, multámque familiam habui, armenta quoque & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem.* Similes Iobi diuitiæ, de quibus in eius hiſtoria ità ſcribitur. *Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis.* Nulla hic agrorum mentio, vel quod illis temporibus, propter infrequẽtes habitatores terræ poſſeſſio nullo fermè eſſet in pretio; vel quod ex iugis boum, ingentique famulitio de terræ à Iob poſſeſſæ amplitudine capere liceat cõiecturam, quod vtrumque verum eſſe crediderim, alterum quidem, quia

Primus modus augendi diuitias lati fundiis parendis.

Eccleſ. 2. 4.

Iob 1. 3.

auri

antiquis illis temporibus multos fuiſſe, eoſque ampliſſimos terræ tractus, qui cum à quoquam occupati non eſſent, in nullius venerant poſſeſſionem. Alterum verò, quia conſuetudine etiam Latinę linguę iugum pro iugero promiſcuè accipitur, vt iugum ſit terræ ſpatium illud, quod iuncti boues vno die exarare poſſunt, & fauet Septuaginta interpretatio, qui vertunt ex Hebræo. *Et opera magna erant ei ſuper terram.* Ampliſſimas autem fuiſſe Iobi diuitias facilè appatebit ſupputanti, quantum telluris inuertere poſſint boues mille, præſertim ſi non reſtibiles illos agros fuiſſe dicamus, qui nimirum quotannis ſeruntur, ſed nouales, & requietes, qui alternis tantum annis ſubiguntur. Et adhuc ampliorem Iobi poſſeſſionem fuiſſe iudicabimus, ſi in agris proſcindendis aſinarum illarum quadringentarum vſus erat, quod probabile ſit, ex loco quodam Iſaiæ, vbi
Iſai. 30. 24. huic operi addicuntur. *Tauri,* inquit, *tui, & pulli aſinarum, qui operantur terram, commiſtum migma comedent ſicut in area ventilatum eſt.* Quod autem dicitur de Iob, *Et familia multa nimis,* eodem re-
Iob 1. 3. ferri poteſt, & fauet Hebraïca vox עֲבֻדָּה *ghanda,* cuius radix עבד quæ ad vtrumque ſignificandum, & ſeruitutem, quæ hominibus, & culturam, quæ agris impenditur, traduci poteſt, ſicut apud Latinos bene dicimus Parentes, Magiſtratus, Principes, & agros etiam, & vineas colere: quare agricolæ ab Hebræis עֹבְדִים *ghouedim* dicuntur, עֲבָדִים *ghanadim* autem ſerui, voce ab eadem radice deducta, exiguo ſanè vocis ſono diſtincta, nec maiore diſcrimine, quod attinet ad ſignificationem, quàm ſint hæ duæ voces Latinæ *ſeruus,* & *ſeruiens,* cum ex illis etiam duabus vocibus Hæbraicis,

Digitized by Google

braicis, quas adduxi, prima participium ſit, ſecunda nomen, vtrumque ab eadem radice profectum. Hinc in Geneſi, quod habemus, *Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola,* in Hebræo eſt *ſeruiens terræ,* vel *colens terram.* Sed quamuis nullus eſſet vſus boum, aſinarúmve in terræ ſolo vertendo, maximus tamen ex iis, cæteriſque armentis prouentus percipi poterat, capitibus, quæ ſubinde naſcebantur diſtrahendis. nam camelis v.g. veteres illi Arabes, apud quos agitabat Iob, vtebantur ad pugnandum, & tempore etiam pacis ad onera ſarcinaſque conuehendas, nec illorum carnes in cibis auerſabantur. Ex ouium etiam gregibus non modica vtilitas capi poterat, quæ multis modis hominibus commodant, lacte, carne, velleribus, nam de bobus & aſinis dictum eſt. Faciléque crediderim Salomonem in cuius equilibus, tam multa equorum millia ſtabulabantur, eos non in vſum tantum belli paratos habuiſſe, ſed ex tam copioſo armento pullos etiam expetiuiſſe, quibus venditis pecuniæ plurimum inferret in ærarium. Ac Iobi quidem hunc fuiſſe prouentum facile ſibi perſuadebit, qui animaduerterit aſinarum pullis inſidere ſolitos fuiſſe viros etiam Principes, habitaque in deliciis iumenta illa in Palæſtina, orientiſque ſolis regionibus, ea forte de cauſa, quòd corporis mole ſatis procera, viribus ad ferendum validis, molliſſimo etiam greſſu incedentia ſeſſores non ſuccuterent. De filiis Iair, qui Hebræi populi iudex fuit, ita narratur in ſcriptura, *Iair Galaadites iudicauit Iſraëlem per viginti & duos annos, habens triginta filios ſedentes ſuper triginta filios aſinarum.* Et de Abdon filiis ita habemus eodem libro. *Abdon habuit quadraginta*

Geneſ. 4. 2.

3. Reg. 4. 26.

Iud. 10. 1.

Iud. 12. 14.

ginta filios, & triginta ex eis nepotes, aſcendentes ſuper triginta pullos aſinarum. Ex quibus colligere poſſumus Principe viro digniſſimũ ſtudium eſſe, equorum armenta generoſiſſima poſſidere, quibus inſtruendo equitatui, cum poſtulauerit neceſſitas, vti poſſit, foréque ſtudium illud quæſtuoſum, dum generoſa ſoboles, ſubinde ſuccreſcens, aut pretio, aut aliis rebus commutatur. Sed redeamus ad agros, quos ſibi plurimos, imò omnes emiſſe Pharaonem habemus in ſacra Geneſeos

Geneſ. 47. 18. hiſtoria, quod ita narratur. *Venerunt quoque anno ſecundo, & dixerunt ei. Non celabimus Dominum noſtrum, quod deficiente pecunia, pecora ſimul defecerunt, nec clam te eſt, quod abſque corporibus & terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur te vidente? Et nos & terra noſtra tui erimus, eme nos in ſeruitutem regiam, & præbe ſemina, ne pereunte cultore redigatur terra in ſolitudinem. Emit igitur Ioſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius, à nouiſſimis terminis Ægypti, vſque ad extremos fines eius, præter terram ſacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis.* Ad hunc modum Pharao omnia latifundia, eſcis, quibus vitam propagare poſſent, ſuppeditatis, ſui iuris fecit, quamuis ea poſtea propriis dominis remiſit, vt ea colerent, ac poſſiderent, quinta duntaxat fructuum parte ſibi reſeruata: quam conditionem læti, & alacres Ægy-

Geneſ. 47. ptij admiſerunt, nam cum dixiſſet Ioſeph, *Quintam partem Regi dabitis. quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum familiis & liberis veſtris. Qui reſponderunt: Salus noſtra in manu tua eſt, reſpiciat nos tantum Dominus noſter, & læti ſeruiemus Regi. Ex eo tempore, vſque in præſentem diem in vniuerſa terra*

terra Ægypti, Regibus quinta pars ſoluitur, & factum eſt, quaſi in legem, abſque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. Ex quo prouentuum magnitudo, quos regio ærario Ioſephus addidit, facile apparet, cum animo reputanti cultiſſimi regni frugumque feraciſſimi amplitudinem, fidem Ægyptiorum, qui non ſua tantũ, ſed ſe ipſos Regi propter accepta beneficia obnoxios eſſe ſentientes, quod promiſerant, integrè perſoluebant, tanquam legi nulla ratione violandæ, aut labefactandæ ad amuſſim obſequentes.

4 Altera cenſus regij, augendique ratio, ex auri, argenti metallorumque fodinis petitur, idemque iudicium de ſalinis, lapicidinis, aut ſyluis expetitorum lapidum aut lignorum feracibus: ſolent enim huiuſmodi poſſeſſiones Principum eſſe, ex quibus mirum quantum prouentuum poſſit exiſtere, ſi diligenter ſepoſitos à natura, intimiſque terræ viſceribus abſtruſos theſauros inueſtigare quis ſciuerit, & in lucem producere. Ideo in ſacris litteris, cum Palæſtinæ feracitas commendatur inter cæteras eximias laudes, quibus ornatur à Moſe, metallorum mentio non præteritur. *Cuius,* inquit, *lapides ferrum ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur.* Et in Machabeorum hiſtoria vbi Romanorum potẽntia, quæ vulgante fama ad Iudæ Hebræorum ducis aures peruenerat, deſcribitur, ita de Fodinis habetur: *Et audierunt quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quod in poteſtatem redegerunt metalla argenti, & auri, quæ illic ſunt,* &c. Maxima verò cura operi huic Romanos inſtitiſſe, vt pote quæſtuoſiſſimo, diſcimus ex Polybio, qui in fodinis ad Carthaginem nouam in Hiſpania teſtatur, *non minus quadraginta*

Alter modus augendi regij cẽſus ex fodinis, lapicidinis, ſyluis, ſalinis, &c.

Deut. 8. 9.

1. Machab. 8. 3.

ta hominum millia aſſiduè in opere verſari. Et ſanè iure optimo tanto ſtudio negotium hoc vrgebant, nam qui metallis eruendis operam dant, ſine furto diuitias rapiunt, & abſque vlla nundinatione, citra bellorum, maríſve pericula, citra iniuſtam aliorum criminationem, aut oppreſſionem, eas quas in ſuo ſinu tellus reconditas habet opes, quæ inertes alioqui iacuiſſent, depromunt, & ad Reipubl. vſus, commodumque conuertunt. Reperio etiam in ſcriptura, lapidibus, ligniſque ex ſyluis quæſtum feciſſe Hiram Tyri Regem; nam vt ha-
3. Reg. 9. bemus in Regum hiſtoria, *Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, iuxta omnem voluntatem eius, Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.* Præter hunc autem annuum prouentum, quid poſt annorum viginti decurſum Tyrio Hiram tribuerit Salomō, narrat Scriptura in Regum hiſtoria, quæ ſuperiore capite deſcripſimus. Ex ſalinis etiam ſiue ſalis foſſilis ſint, ſiue eius, qui in locis, ad id deſtinatis, effuſo mari, & in illud aquæ dulcis riuis deductis paratur, reliquiſque adhibitis, quæ illius rei artifices præſcribunt, vtilitas non modica Principibus exiſtere poterit, nam cum ſcri-
Iob 6.6. ptura teſte, *non poſſit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum,* nulli non homines etiam tenuiſſimi, ſalis expetunt conditura; eæ verò res, quæ humanis vſibus magis accommodatæ ſunt, imò neceſſariæ cum à plurimis expetantur, pluris etiam æſtimantur, pretióque maiore à propolis venduntur, ex quo amplior ad Principes vtilitas manat. Quare Demetrius Iudæorum gentem eximij alicuius beneficij ſignificatione ornaturus illis

lis remittit *arcas ſalinarum*, velut habent Septuaginta τὰς τοῦ ἁλὸς λίμνας *ſalis ſtagna*; quod tamen idem eſt, nam ſtagna iſta, quæ vocant Septuaginta, nihil aliud ſunt; quàm areæ quædam, ad vſum ſalis conficiendi comparatæ, in quas cum aqua, quæ in ſalem concreſcit, immiſſa eſt, ſtagni cuiuſdam ſpeciem exhibet: cum verò has remittit areas, omnem eum prouentum remittit, quem ex ſalinis illis capiebat, quem non exiguum fuiſſe ex eo coniicere licet, quod, vt dixi, magni alicuius beneficij loco vna cum tributorum, ac decimarum, coronarúmque penſitatione, quæ Regi tribuebantur, remittuntur. 1.Machab. 11.25.

Tertius modus ex mercatura.

5 Sequitur vt de mercatura dicamus, quam modis omnibus in ſuis ciuibus fouere, & augere Princeps debet: quamuis enim artificia multa ſint, quæ iis ſordida ſunt à quibus exercentur, Principi tamen maximè honorificum eſt, ſi tenuiorum etiam opificum ſtudia, & ingenia artibus omnibus excitet ad rem mercatoriam, quantum potuerit promouendam; mirum enim eſt, quàm beatæ ſint, & opulentæ ciuitates illæ, quæ ab inſtitoribus frequentantur, præſertim ſi adiacentis maris beneficio, cum exteris, longéque ſepoſitis nationibus communicare poſſint. Satis hoc indicat elegantiſſima Tyri deſcriptio, quæ eſt apud Ezechielem. *O Tyre tu dixiſti. Perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita. Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum: abietibus de Sanir extrúxerunt te*, & cætera, quæ per maris allegoriam ſubiiciuntur; mox verò quæ tantæ opulentiæ ac fœlicitatis eſſet cauſa explicatur, *Carthaginenſes*, inquit, *negotiatores tui, à multitudine cunctarum diuitiarum, argento, ferro, ſtanno, &* Ezech.27.3. Ibid.n.12.

 plum

plumbóque repleuerunt nundinas tuas, Græcia, Thubal, & Moſoch, ipſi inſtitores tui, mancipia, & vaſa ærea aduexerunt populo tuo. De domo Thogorma, equos, & equites, & mulos aduexerunt ad forum tuum: filij Dedan, negotiatores tui, inſulæ multæ, negotiatio manus tuæ, dentes eburneos, & hebenninos commutauerunt in pretio tuo. Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gemmã, & purpuram, & ſcutulata, & byſſum, & ſericum, & chodchod (genus eſt pretioſi lapidis) *propoſuerunt in mercatu tuo. Iuda & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo balſamum, & mel & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis. Damaſcenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuerſarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi. Dan, & Græcia, & Moſel in nundinis tuis propoſuerunt ferrum fabrefactum: ſtacte, & calamus in negotiatione tua. Dedan inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum, Arabia & vniuerſi Principes Cedar, ipſi negotiatores manus tuæ cum agnis, & arietibus, & hædis venerunt ad te negotiatores tui. Venditores Saba & Reema ipſi negotiatores tui, cum vniuerſis primis aromatibus, & lapide pretioſo, & auro, quod propoſuerunt in mercatu tuo. Haram & Chene, & Edem negotiatores tui: Saba, Aſſur, & Chelmad venditores tui. Ipſi venditores tui multifariam inuolucris hyacinthi, & polymitorum gazarumque pretioſarum, quæ obuoluta & aſtricta erant funibus. Cedros quoque habebant in negotiationibus tuis. Naues maris, principes tui in negotiatione tua.* Quare mirum non eſt, quod ſtatim ſubditur à Propheta, *Repleta es, & glorificata nimis in corde maris*, nam ipſi inſtitores, qui permutandis mercibus operam dant, ad amplas ferè opes, pecuniáſque perueniunt, ex quibus, cum multi ſunt, totius ciuitatis conflatur opulen-

Digitized by Google

opulentia, ex qua dum vectigalia ſoluuntur & portoria, aut dum pro cenſu Principi aliquid erogatur, mirificis auctibus ærarium amplius fit, & locupletius. Suas verò opes, ſanè ampliſſimas, Salomon claſſibus acceptas referre debuit, quæ in Ophir aliaſque regiones profectæ cùm alias pretioſas merces multas, tum præcipuè ingentia auri pondera referebant, id verò ita narrat ſcriptura. *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt iuxta Ailath in littore maris rubri, in terra Idumea. Miſitque Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos viros nauticos, & gnaros maris, cum ſeruis Salomonis, qui cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad Regem Salomonem.* Et eodẽ libro dicit: *Sed & omnia vaſa quibus potabat Rex Salomon erant aurea, & vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo nõ erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.* Ratio autem tantarum diuitiarum ſtatim ſubditur, *quia claſſis Regis per mare, cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & ſimias, & pauos. Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia.* De claſſe etiam Regis Hiram dicitur, *ſed, & claſſis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretioſas. Fecitque Rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus regiæ, & citharas lyraſque cantoribus, non ſunt allata huiuſcemodi ligna thyina, neque viſa vſque in præſentem diem.* Itaque Zabuloni benedicẽs Moyſes & Iſacar ait, *qui inundationem maris, quaſi lac ſugent.* Hebraicus textus habet, *Affluentiam maris*, Septuaginta, *Diuitias maris*, opes nimirum per mare aduectas &

[Margin notes: 3. Reg. 9. 26. — 3. Reg. 10. 21. — 3. Reg. 10. 11. — Deut. 33. 19.]

theſauros abſconditos arenarum fodinarum ſcilicet. Septuaginta *habitantium prope mare.* Quas enim diuitias habent populi, mari circumcincti, eas cum aliis prouinciis per inſtitores communicare ſolent. Hoc autem diuitiarum ſuctu vix credi poteſt quantum ciuitates virium capiant & incrementi: quare Ezechiel Regem alloquens Tyriorum ait, *In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem.* ex Hebræo, cum Pagnino in Lexico vertere poſſis *Multiplicare feciſti opes tuas.* & de Babylone idem Propheta alibi loquens, *In vrbe*, inquit, *negotiatorum poſuit illam*, Septuaginta habent, *In vrbe murata.* Quæ enim ciuitas mercatorum opibus abundat, iis quaſi mœnium ſepimento munita eſt. Quo etiam ſermonis ſchemate alibi vtitur ſcriptura, cum de priuatorum diuitiis loquitur, iis enim, cum amplæ ſunt, & ingentes, vim quandam tribuunt, & robur, ita apud Iob legimus, *Diuites confortatos diuitiis.* Et apud Micheam dicitur, *Interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuerſæ terræ.* Tò *Fortitudinem*, Chaldæus vertit *pretioſam pecuniam.* & Salomon *Subſtantia*, inquit, *diuitis vrbs fortitudinis eius, pauor pauperum, egeſtas eorum.* Quod autem in magnis vrbibus paſſim factitari videmus, vt celebriores aliqui vici, qui propius diſtant à foro, & prætorio, ac propterea frequentiores ſunt, ita ab opificibus incolantur, vt non promiſcuè habitent, ſed vicus vnus aurificibus v.g. alter fabris ferrariis, aut lignariis, tertius ſutoribus tribuatur, etiam in ſcriptura reperio ſeruatum ab Eſdra, cum Ieruſalem ciuitatum Palęſtinæ frequentiſſimam inſtauraret: nam vici, in quo aurifices, negotiatores, ſeruta etiam venden

Ezech. 28. 5. — Ezech. 17. 4. — Iob 21. 7. — Mich. 4. 13. — Prou. 10. 17.

tized by Google

vendentes ſedes ſuas haberent, mentio eſt: ita enim legimus in ſecundo eius libro. *Poſt eum ædificauit Melchias filius aurificis vſque ad domũ Nathineorum & ſeruta vendentium, contra portam iudicialem & vſque ad cænaculum anguli, & inter cænaculum anguli in porta gregis ædificauerunt aurifices & negotiatores.* Facit autem huiuſmodi vicorum diſtributio non ſolum ad ciuitatis ſpeciem, quæ ex ordine exiſtit, ſed emptoribus etiam non parum commodat, cum variarum rerum propolas, non paſſim tota vrbe diſſipatos quærere cogantur, ſed eos in vnum collectos habeant; vt ſi minus apud vnum aliquem, quod optauerant, nanciſci poſſint, idem apud alium, nulla temporis facta iactura reperiant. Quod in vulgata editione habemus apud Ezechielem, *Mater tua quaſi vinea in ſanguine ſuo ſuper aquam plantata eſt*, Septuaginta paulo aliter legerunt: nam Tò *in ſanguine tuo*, ὡς ἄνθος ῥοᾶς, *ſicut flos malogranati* interpretati ſunt; non enim legiſſe videntur in textu Hebræo vt nunc habemus בְּדָמְךָ bedammecha, in ſanguine tuo, ſed ſimilibus litteris כְּרִימוֹן cherimmon, *ſicut malum granatum.* Aptiſſimè autem ad rem noſtram Ieruſalem, de qua hic ſermo eſt, opulenta ciuitas, maximéque frequens, malo granato comparatur. Vt enim in hoc malo ſub vno corticis complexu plurima grana inter ſe vniuntur, eaque ſuis quæque loculis ordinatè inſerta, folliculiſque, & membranulis diſcreta continentur: ita in bene inſtituta ciuitate, ciues omnes, qui quà ciues ſunt, eiuſdem quaſi coloris participes ſunt, variis tamen locis tribuuntur, vt vel liberalibus, & nobili viro dignis muneribus ſe impendant; vel mechanicis, ſellulariiſque opificiis, vt

2.Eſdr.3.30.

Ezech.19.10.

cuiuſque ſtatus, ac fortunæ exiguunt, ſuis quique locis, foris, vicíſque contributi.

Quartus modus ex tributis, vbi etiam docetur ea moderata eſſe debere.

6 Sed iam aliquid de tributis dicamus: quod ex propoſitis capitibus, ex quibus pecunia iure confici poteſt à Principe, quartum erat. Poſſunt ergo Principes tributa imponere Reipubl. ſiue rebus venalibus, quæ importantur, aut exportantur ex vrbibus, ſiue ſingulis capitibus, pro cenſus cuiuſque ratione, obligatio imponatur aliquid ſoluendi, quod in Principis ærarium inferatur, vnde pro neceſſitatis ratione depromi poſſit, quantum ſatis fuerit, vt illi cum inciderit occurratur. Cum enim Principes publicæ tranquillitatis cuſtodes ſint, ea omnia imperandi facultatem habuerunt à Republica, quæ ad illam parandam, ac tuendam neceſſaria ſunt. Quia verò multi ſumptus in hanc rem neceſſariò fieri debent, qui in Reipublicæ commodum redundant, æquum eſt pecunias à Republ. ſuppeditari, quæ huiuſmodi erogationibus ſatis eſſe poſſint. Quare Chriſtus Dominus cauillandi, & calumniandi occaſionem quętentibus Phariſæis reſpondit, *Reddite ergo*
Matth. 22. 21. *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* & D. Paulus ad Romanos ſcribens, *Ideo,* inquit, *& tri-*
Rom. 13. 6. *buta præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributū, tributum: cui vectigal, vectigal.* Ea autē moderatione Principes exigere debent, vt nihil amplius quàm neceſſitas imperat repetatur. Acriter Micheas in eos Principes inuehitur, qui cum Paſtores populorum eſſe debuiſſent, non lanas tantum detondent, ſed pelles etiam detrahunt, & carnes im-
Mich 3. 1. mani crudelitate deuorare non dubitant. *Audite,* inquit, *Principes Iacob, & duces domus Iſraël. Nunquid*

Digitized by Google

quid non veſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pelles eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ? Et Salomon ab eadem Paſtoris allegoria non diſcedens, *ſufficiat*, inquit, *tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ:* & alibi, *qui nimis emungit, elicit ſanguinem.* Similis Ezechielis conqueſtio, & increpatio, *ſufficiat*, inquit, *vobis Principes Iſraël: iniquitatem, & rapinas intermittite, & iudicium, & iuſtitiam facite, ſeparate confinia veſtra à populo meo, ait Dominus.* Tò *confinia* ex Hebræo verti poteſt *tributa*, vel vt vulgari ſermone dicimus. *Angarias.* quare Dominus iam dudum miſeratus populi ſui calamitatem, qui Principum quorumdam iniquitate bonis fuerat ſpoliatus, continentibus pecuniarum exactionibus, vt per Iſaiam conqueritur cum ait, *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt*, ita graue iugum leuius ſe facturum pollicetur, ait enim apud eundem Prophetam, *Et ponam viſitationem tuam, Pacem*, vel vt ex Hebræo conuerti poteſt, *Tributum tuum.* Ponam inquit pacem, quia pecuniarias exactiones, quibus non minus populus meus atteritur quàm bello, ita ceſſare faciam, vt in magna pace ac tranquillitate vitam traducant. Principum autem intereſt humaniter ſe gerere, in tributis exigendis, nam nulla populis grauior ſeruitus videtur, quàm ſi perpetuis exactionibus ſe videant exhauriri, támque atrociter hanc calamitatem ferunt, vt in apertas etiam ſeditiones, interdum incluſus dolor erumpat. Cum Imperij gubernacula capeſ-

Prou. 27. 27.
Prou. 30. 33.
Ezech. 45. 9.
Iſai. 3. 12.
Iſai. 60. 17.

3.Reg.12. ſeret Roboamus, *multitudo Iſraël locuta eſt ad eum*
3. *dicens. Pater tuus duriſſimum iugum impoſuit nobis, tu itaque nunc imminue paululum de Imperio Patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo, quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi.* Sed Roboam capto ad deliberandum tempore ſenioribus qui conſilia ſaniora ſuggerebant non auditis, adoleſcentium ſecutus ſententiam, ferociter reſpondit; atque ita qui exigui prouentus iacturam facere noluit, quam ſubditorum beneuolentia abundè compenſaſſet, maiore parte regni ſpoliatus eſt, támque grauiter verborum aſperitate animos ſuorum offendit, vt nec ipſe, nec in regno ſueceſſores, regni ſciſſuram potuerint vnquam reſarcire. Paucula hæc ad cupiditatem frænendam in exigendis tributis addere placuit, quia in hoc procliuius multo eſt, vt Principes iuſtitiæ limites tranſiliant, quàm in aliis augendi ærarij modis, quos hoc capite numerauimus.

An ars chimica diuitiis parandu vtilis eſſe poſſit.

7 Tandem poteſt inquiri quid de arte chimica ſentiendum ſit, vtrum ſcilicet digna videatur cui ſtudeant Principes vt ærarium locupletent, aut certè faueant hanc ſcientiam profeſſis, iis nimirum, qui in perueſtigatione deſudant rationis alicuius, qua viliora metalla in pretioſiora & nobiliora tranſmutent, cuiuſmodi ſunt aurum, & argentum. Non deſunt qui artificium hoc vtile eſſe credant, & vero etiam aliis vt ita ſentiant perſuadere conentur, illíque ab inuentoribus auctoritatem conciliare contendant: illius enim vt generis humani, parentem conſtituunt Adamum, propterea quod ſapientiſſimus fuerit, aut Mo-
Act.7.22. ſen, quem ex ſacris litteris in omni Ægyptiorum ſapientia eruditum fuiſſe ſcimus, aut Salomonem

propter

propter eandem rationem, quod ſcilicet in Regum libris dicatur præceſſiſſe ſapiētia orientales omnes, ac nominatim Ægyptios, quos iſti artis chimicæ peritos faciūt in primis, à quibus etiam chemia ars ipſa dicatur, quaſi chamia, deducto vocabulo à Cham filio Noë, quem toti illi tractui nomen dediſſe conſtat; Ægyptum enim terram Cham vocari patet ex Sacris litteris, vt cum dicitur in Pſalmo, *qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham,* & alibi, *Percuſſit omne primogenitum in tabernaculis Cham.* Adde libellum circumferri nomine Salomonis inſcriptum, qui huius artis præcepta contineat. Et vero ſimile eſſe putant hoc artificium Salomonem non latuiſſe, qui cum eſſet mortalium omnium ſapientiſſimus, in naturæ ſe penetrabat arcana, occulta veſtigando, quamobrem etiam botanicem ſcriptis ſuis illuſtrauit, ſtirpiúmque omnium ſcientiam, *diſputans à cedro, quæ eſt in libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete,* perſequens etiam *volucrum naturas, iumentorum, piſcium reptiliúmque,* vt credibile videatur eam partem interioris amænioríſque philoſophię, quę auro faciendo inſiſtit, ab eo minimè neglectā fuiſſe. Quod etiam confirmari poteſt ex eo quòd artificium hoc ſapientiæ tribui videtur in Sacris litteris, cum de ea prædicant his verbis, *Quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia,* &, *quis horum quæ ſunt magis quàm illa eſt artifex?* Ex quo colligi poſſe videtur, ſapientiū ſolertia rationem excogitatam fuiſſe qua verū aurum conficiatur, quandoquidem Sapientia eorum quæ ſunt generatim architecta, & opifex pronuntiatur. Tandem ex immenſis Salomonis diuitiis argumentum etiam ducitur, cum

3. Reg. 4. 30.

Pſal. 105. 22.

Pſalm. 77. 51.

3. Reg. 4. 33.

Sap. 8. 5. 6.

Chryſopæũ calluiſſe: quomodo enim tanta pretioſorum metallorũ vis Ieroſolymis eſſe potuiſſet, vt argentum & aurum quaſi lapides haberentur, vt dicitur in Paralipomenis, niſi ex viliori materia, arte fuſoria, impurioribus metallis liquatis, excoctis, defæcatis, & ad ſuperiorem ſpeciẽ adductis magna illa diuitiarum vis parta fuiſſet? Hæc Chimici, qui, vt ego quidẽ ſentio, fruſtra ſibi Salomonem patronum aſciſcunt, nam in primis chemiæ nomen à chamo deductum non eſt, alioqui chamia dicenda fuiſſet, potius quàm chemia, nec loca, quæ ex libro ſapientiæ afferuntur, quidquam probant, cum ibi præcipuè de diuina ſapientia rerum omnium creatrice ſermo ſit, aut ſi de humana ea accipere velimus, dicere poſſimus ſapientiam metaphoricis mentis diuitiis eſſe locupletem, aut etiam externis ſed non chimico vt iſti volunt artificio comparatis. Liber ille de chemia pſeudepigraphus eſt, nec illum vt Salomonis agnoſcunt ſapientes. Ingentes verò Regis huius theſauri, donis, vectigalibus, tributis, claſſéque in Tharſis, & in Ophir deſtinata, comportati & congeſti ſunt, vt ſcriptura non vno loco teſtatur. Nec ſi Salomon ſapientiſſimus fuit, etiam chimicæ operam dediſſe credendus eſt, ſimul enim nouerat fallacibus eã niti experimentis, difficillimúmque eſſe ita omnia quæ cõſpirare debent miſcere, & attẽperare, & materiæ operatrices effectricéſque cauſas admouere & applicare, vt optata illa metallorũ conuerſio conſequatur. Et ſanè ita paſſim vſu venire ſolet. Vt enim concedamus aliquando contigiſſe vt poſt multa tentata ſemel aut iterũ Chryſopæo alicui conatus ſuccederet, aliis tamen propemodũ infinitis aberrare

2. Paralip. 1. 15.

rare contigit, adeo vt prudentium non ſit fallacis artificij illecebra duci, & verum, ac ſolidum aurum quod tenent profundere, vt inanes quaſdam ſpes conſectentur, & captent. Sentio ergo huic malo, ſi gliſcat in rempublicā, legibus occurrendum, ſtatuendúmque quod alicubi ſeruari audio, vt nemini liceat chimicem exercere, aut profiteri, niſi Principis permiſſu; ſic enim fiet vt ſeges ſubducatur multarum fraudum, quibus metallis adulteratis fucus fieri ſimplicioribus facile poſſit: ſuperſtitioſis etiam obſeruationibus, quæ in res huiuſmodi facile irrepunt, aditus præcludetur, & tandem bene merebuntur Principes de priuatis familiis, quarum bona curioſitate & ſpe noxia prouecti aliqui fornaculis fuſoriis intabeſcentes dilapidant. Qui vtinam Sapienti auſcultarent cum ait, *In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari, multipliciter, & in pluribus operibus eius* (Dei ſcilicet) *non eris curioſus, multos enim ſupplantauit ſuſpicio eorum* (vana ſcilicet ſpes, qua lactantur dum meliores ſemper artificij toties ludificantis ſucceſſus expectāt) *& in vanitate detinuit ſenſus eorum.* Eccleſ. 3. 24.

De Auaritiæ turpitudine, damnis, eiuſdémque remedijs.

CAPVT XVIII.

1 NVllum ferè in Principe viro tetrius vitium inueniri poteſt quàm auaritia, ſi præſertim imperij poteſtate ad ſuam explendam cūpiditatem abutatur: nam quæſtui habere Rempub. *Auarus in ſacris literis ferarū quarundā beſtiarum*

nominibus appellari, & quæ huius rei ſit cauſa. Vbi etiam de auaritia inſatiabilitate.

pub. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium. quare nonnunquam ſacrarum litterarum oracula cum ſermo incidit de auaris, tanquam de teterrimis, ferociſſimíſque belluis loquuntur, aut certè hominibus ipſis belluis deterioribus, cuiuſmodi latrones ſunt, qui publicas obſidentes vias peregrinos intercipiunt, pecunia ſpoliant, & vitam etiam immani crudelitate eripiunt. *Leo rugiens*, inquit Salomon,

Prou. 28. 15. *& Vrſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem.* Qua etiã metaphora Dauid vſus eſt, quod

Prou. 33. 13. enim habemus in Pſalmo *Diuites eguerunt, & eſurierunt*; ex Hebræo verti poteſt *Leones eſurierunt.* Quemadmodũ enim Leones venatu ſibi victum parant, & cum cibi naturale deſiderium ad quærendam prædam eos euocauit, in animalia, quæ habent obuia, violentiſſimè ſæuiunt, ea diſcerpunt, dilacérant, deuorant, & ſi prædam facile nanciſci non poſſint, ſaltus montéſque diſcurrunt, vt aliquid ſibi parent; quo famem, qua ſtimulantur exſaturent: ita auarus latentis lucri ſolertiſſimus indagator eſt, & vbi prædam inuenerit, feræ belluæ inſtar habet, quæ expleri non poteſt, nam licet cupiditati, quæ ſemper augetur, pabulum ſuggerat, adeo tamen non extinguitur habendi fames, vt potius pecuniarum incremento, tanquam nouo habendi irritamento vehementius excitetur. Hi enim ſunt,

Pſal. 51. 5. de quibus ait Pſaltes; *Dilexiſti omnia verba præcipitationis* vel *deuorationis*, vt verti poteſt ex He-

Pſal. 34. 5. bræo. Hinc opulentorum vota deſcribens Dauid, *Ne dicant*, inquit, *deuorauimus eum*, nimi-

Ibid. n. 10. rum de quo eodem Pſalmo dicitur; *Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum, & pauperem*

Digitized by Google

rem à diripientibus eum. Metum verò pauperum Pſal.123.
alio Pſalmo, *Cum exurgerent*, inquit, *homines in* 2.
nos, fortè viuos deglutiſſent nos, &, *Benedictus* Ibid. n.6.
Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum: & Iob eadem deuorandi vſus metaphora, *Diuitias*, inquit, *quas deuorauerat, euomet.* Iob 20. 5.
Et idem ſignificare videtur illa Domini per Iſaiam pollicitatio, *Longè fugabuntur, qui abſorbebant te.* Iſa.49.19.
Sed Prædones etiam, vt dixi, appellantur, ita enim accipio illud apud Iob, *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manibus eorum.* Iob 12.6.
Quæ vltima verba Principis periphraſim continent, qui Dei voluntate, aut permiſſione, ita Rempub. adminiſtrat, vt omnia in manu, hoc eſt in poteſtate, habere dicatur. Aptiſſimè autem deuorandi metaphora inexplebilem auarorum cupiditatem ponit ob oculos: quemadmodum enim voraces beſtiæ, vt Leones aut lupi non facile carnibus occiſorum animalium explentur, ita auari quantumuis creſcat pecunia, habendi tamen deſiderium non minuitur, ſed dum ad maiores diuitias aſpirare perpetuò contendit, augetur etiam libido colligendi vt veriſſimè pronuntiauerit Salomon, *Auarum non impleri pecunia.* Itaque Iſaias Eccleſ.51,
diuites reprehendens, qui vicinorum agrorum 9.
dominis ſummotis, poſſeſſiones ſuas, aut domos amplificare ſtudent, eorúmque ingenium, eadem opera deſcribens, *Væ*, inquit, *qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Iſa. 5.8.
Quemadmodum ignis ſi materiam, quæ flammis poſſit abſumi corripuerit, nõ prius comburẽdi finem facit quàm pabulum ac fomentum omne

omne deficiat, ita diues quaſi ignis cuncta populatur, nec vnquam habendi deſiderio modum facit, donec cuncta deuorauerit. Quare Salomon
Prou. 30. 14. de auaris ita ſcribit in Prouerbijs, *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* ſtatímque ſubdit: *ſanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, Affer Affer.* Inſaturabilis nimirum cupiditas in duobus ſpectatur, imò verò in quatuor, quæ numerantur à ſapiente eodem loco
Ibid. n. 15. cum dicit. *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit ſufficit. Infernus & os vuluæ, & terra quæ non ſaturatur aqua. Ignis verò nunquam dicit ſufficit.* Hiſce metaphoris ſignificari videtur vlciſcendi cupiditas, quæ multos per mutuas cædes ante tempus demittit ad infernũ, ad ſepulchrum ſcilicet, quod ſcripturę vulgata phraſi inferni fere nomine deſignatur. Libido etiam, tactúſque voluptates quæ maximè vigent in fœminis, tãdémque diuitiarum, honorúmque cupiditas, quibus ſe in altum homines conantur attollere, ad ignis modum, cuius natura eſt in ſublime ſemper emitti. Tale ergo auarorum ingenium, qui talia nomina in Sacris litteris meritò nacti ſunt. Sed aliqua ſubiiciamus ex quibus intelligi poſſit, quantopere vitium hoc, cum omnibus, tum Principibus potiſſimum deteſtandum ſit.

Auaritiã deteſtandã quia ſeruitus eſt Idolorum.

2 Ac primò quidem illud omnes commouere debet, me quidem iudice, quod qui auaritiæ ſtudent, duriſſimam ſeruitutem ſeruiunt, nunquam excutiendam, niſi ipſi cupiditati modus aliquis imponatur. Id ſanè D. Paulus nos docuit, cum
Coloſſ. 3. 5. ad Coloſſenſes ſcribens ita præcipit, *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem,*

tionem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus. Nec aliud ſenſit Iſaias cum ita ſcripſit, *Abſtuli terminos populorum, & Principes eorum deprædatus ſum:* quod enim vulgatus dicit, *Principes*, ex Hebræo *theſauros* verti poteſt, quos auari tanquam Principes ſuos colunt, & quodammodo adorant, ac frequenter inuiſunt ſeruorum more, qui ſubinde ſiſtunt ſe Dominis ſuis, vt videant ſi in aliquo opera illorum vti velint. Quare Hebræis diuitiæ, viſitatio dicuntur nonnunquam, vt apud Iſaiam, cum dicitur *ſecundum magnitudinem operis, & viſitatio eorum, ad torrentem ſalicum ducent eos:* ſententia autem eſt, iuxta peccatorum magnitudinem, futurum etiam eſſe punitionis modum, eóſque qui peccauerunt, ducendos eſſe ad torrentem ſalicum, quem aliqui Euphratem interpretãtur, coniecturam eo capientes, quod qui in captiuitate ſedebant ad Euphratem, In ſalicibus dicuntur organa ſuſpendiſſe. Sed tamen ex Hebræo verti poteſt; *Et opes ſuas ad torrentem ſalicum deferent*; ac ſi dicat, inquit, Rabbi Abraham, ad locum alium ſuas diuitias deferent, nec diſſimilis Rabbi Dauid interpretatio, qui ſenſum hunc eſſe putat: Diuitias eorum hoſtes ad torrentem ſalicum, qui erat prope vrbem Moab, deferent, vt eas inter ſe partiantur. Eadem igitur vox & viſitationem ſignificat, & diuitias, quod diuitias ſuas auari frequenter viſitare conſueuerint. Ac quemadmodum Idola adeò reuerentur eorum cultores, vt propius manus admouere non audeant, ne fortè temeritatis pœnas ferant, qui res ſanctas communibus manibus attrectare non dubitauerint: ita auari pecuniis ſuis, quaſi ſacris

Iſa. 10. 13.

Iſa. 15. 7.

Pſal. 136.

par

Digitized by Google

parcunt, nec audent eas conuertere in vſus ſuos
Eccleſ. 14. 3. ac ſuorum, vt verè dixerit Eccleſiaſticus: *Viro cupido, & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini liuido* (qui ſcilicet ſibi aliiſque pecuniæ vſum inuidet) *ad quid aurum?* in quo magnam animaduertere licet humani cordis deceptionem, nam vt ibidem dicitur *qui aceruat ex animo ſuo* (id eſt toto ſuo conatu) *iniuſtè alijs congregat, & in bonis illius, alius luxuriabitur. Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Quaſi dicat, qui totus in eo poſitus eſt, vt pecunias, quâ iuſtè, quâ iniuſtè congreget, eas non ſibi ſed aliis parat, qui auari diuitiarum iſtarum collectoris immemores, iis ad voluptates captandas abutantur prodigè: nec eſt, quod quiſquam ſe putet ab auaro quidquam accepturum, nam ſi ſibi ipſi, cum opus habet, non prouidet, vt idolo pecuniarum ſuarum parcat, proculdubio conſequens eſt, vt credamus neque erogaturum pecu-
Ibidem. niam, vt aliorum neceſſitatibus proſpiciat: *& non iucundabitur in bonis ſuis; qui ſibi inuidet, nihil eſt ipſo nequius, & hæc redditio eſt malitiæ eius:* dum enim genium ſuum ſordidus homo defraudat, vt pecunias multas colligat, dat peccati ſui iuſtas pœnas, nam multa ſibi ſubtrahendo, quæ natura deſiderat, ſe ipſum macerat, & tandem cum pecuniis pepercerit, hæredem plerumque accipit, qui, quod minimè vellet, eas, omne voluptatis genus ſectando, largè profundit. Quanquam etiam videmus fieri nonnunquam, vt pecuniæ poſſeſſioneſque auarorum bonos hæredes nanciſcantur, & in vſum cedant Eccleſiarum, aut piorum virorum, Deo ipſas ad meliores vſus conuertente, iuxta ea, quæ legimus in libro S.
Iob 27. 16. Iob: *Si comportauerit quaſi terram argentum, & ſicut lutum*

lutum præparauerit veſtimenta, præparabit quidem, ſed iuſtus veſtietur illis, & argentum innocens diuidet. Quod ita vſu veniſſe diſcimus ex ſcriptura, nam opes multæ Laban datæ ſunt Iacob, quod ipſe teſtatus eſt, cum ait, *Tulit Deus ſubſtantiam Patris veſtri, & dedit mihi.* Regna etiam eorum, qui Palæſtinam tenuerant, filiis Iſraël data ſunt, & regnum ad quod Saül fuerat euectus, poſtquam illo excidit, Dauid collatum eſt, qui propterea experimento edoctus ita canit in Pſalmo. *Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.* Hanc autem auarorum ſtultitiam de qua ſermo nobis erat, cognouerat Salomon, qui ita in Eccleſiaſte ſcriptum reliquit. *Rurſum deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub Sole ſtudioſiſſimè laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudaui, & ſolicitus fui, & eſt quid tam vanum? Vnde ceſſaui, renuntiauitq́; cor meum vltra laborare ſub Sole*, coaceruandis nimirum pecuniis, ſapientiorique cõſilio me ad fruendum iis quæ paraueram conuerti. Nam *hanc ratus ſum partem meam, ſi vterer labore meo:* hic enim finis diuitiarum eſt, vſus earum; quare D. Paulus ad Timotheum ſcribens, ait, *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarũ, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum.* In quibus verbis duo notãda ſunt, quæ ad rem noſtram faciunt. Alterum eſt, quod diuitias à Domino docet ſuppeditari, non vt arcis recondantur, ſed vt cum opus eſt ad noſtros, aliorúmque vſus liberaliter depromãtur. Alterum eſt, quod ſperare iubet non in incerto diuitiarum,

Geneſ. 31. 9.

Pſalm. 36. 34.

Eccl. 2. 18.

1. Tim. 6. 17.

Digitized by Google

ſed in Deo viuo, quoniam ſcilicet diuitiæ, quæ pro Deo habentur ab auaris, numen quoddam mortuum ſunt, quod eos audire non poteſt, nec illis prodeſſe, niſi ipſum Idolum, cui prius ſeruierant, vice mutata ſeruire coegerint, illud ſci-

Exod. 32. 20.

licet comminuendo, vt olim Moſes aureum vitulũ, quem Iſraelitæ pro Deo colucrant, & egentibus propinando, cauendóque ne id accidat,

Iſa. 2. 7. Oſe. 2. 8.

quod apud Iſaiam legimus, *Repleta eſt terra argento & auro, & repleta eſt idolis.* Et apud Oſeam cum ait: *Hæc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal:* hoc autem accidit, cum diuitiis congeſtis ita ſeruitur à poſſeſſoribus, vt illas quodammodo pro Deo colant.

Hanc ſeruitutẽ turpem eſſe, quod Dei ſeruituti repugnet.

3 Hæc autem ſeruitus, cùm multis modis homine eſt indigna, tùm præſertim, quod cum ea ſeruitute, quam Deo cõditori noſtro multis ex capitibus debemus, conſiſtere non poteſt: veriſſimum enim eſt Chriſti Domini pronuntiatũ, *Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ:* quem locum explicans Chryſoſt. *Hoc loco*, inquit, *& animo prorſus toto perhorreſcamus, & corpore, intelligentes iſtud, quod Chriſtũ dixiſſe memorauimus, ex aduerſo ſcilicet Deum aurumq́; conſiſtere, & componi: ſi igitur iſtud ſono quoque ſermonis horribile eſt, quãto eſt horribilius, cum ipſis operibus tyrannis auri, Dei timori præfertur?* Et rurſus eadem homilia. *Non hoc ſolo vobis*, inquit, *diuitiæ nocent modo, ſed contra vos latrocinantiũ armant manus, nec quia magno cum cumulo intellectum veſtræ mentis obtenebrant; verum etiam, quod vos à ſeruitute Dei diuellunt, & rei mortuæ pecuniarum ſcilicet captiuos efficiunt, ſatis proculdubio ex vtroque lædentes dum & earum vos ſeruitio ſubiugant in quas oportuerat*

Matth. 6. 24.
Hom. 22. in Matth.

exer

exercere dominatum, & à Dei vos obſequio excludunt, cui ſupra omnes profectò ſeruire, & neceſſarium eſt vobis pariter & commodum. Hæc Chryſoſtomus, qui quod paulo ſupra notauimus, ex diuo Paulo diuitias ſcilicet idolum eſſe mortuum, cui ſeruire turpe ſit, expreſſius ipſe pronuntiauit eodem ſpiritu imbutus, quem ex Apoſtoli ſcriptis hauſerat, cuius erat ſtudioſiſſimus. Porrò diuitiarum ſeruitutem, quam auari ſeruiunt, Chriſti Domini repugnare ſeruituti, ſatis explicauit Apoſtolus cum eorum texens catalogum, qui à Dei regno excludendi ſunt, auaros etiam numerat: *An neſcitis*, inquit, *quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Et huius rei cauſam indicat, ad Timotheum ſcribens, quia humanæ cupiditatis propenſionem odoratus hoſtis humani generis, diuitias, quaſi eſcam illicem nobis oſtentat, vt illa per oculos animo blandiente in eius laqueos nos inducere nō dubitemus. *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Quod ipſum affirmat Eccleſiaſticus cum ait; *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Itaque Dauid potentes auaros, qui pauperes iniuſtis modis opprimunt, deſcripturus commune peccatorum nomen, quod aliis etiam conuenit, tanquam proprium acccommodauit, indicans auaritiam à ſcelere nunquam diſſociatam inueniri, cunctorúmque malorum radicem, ita peccatores eos facere in quibus reperitur, vt abſque vllo addito peccatores per antonomaſiam nuncupentur: in

1. Cor. 6. 9.

1. Tim. 6. 9.

Eccleſ. 11. 10.

Pſalmo enim quodam Iudices increpans, qui peruertunt iuſtitiam, & diuitum pecuniis corrupti, aut potentiã veriti, cauſas illis contra inopes ad-
Pſal. 81. 2. iudicant: *Vſquequo*, inquit, *iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*, eos peccatores appellans, qui pauperes, viduas & pupillos, de ſua poſſeſſione iniuſtè deiiciunt; hi autem auari ſunt, qui propriis quibus abundant diuitiis non contenti, aliorum agellis, aut domibus imminent, in eáſque per ſummam iniuriam inuadunt. Meritò etiam peccatoris nomenclaturam meretur auarus, ſi criminis grauitatem ſpectemus: nam cum quædam peccata ſint, quæ adeò diuinam prouocant iuſtitiam, vt in cœlum dicantur clamare, quaſi vindicem, numinis dexteram ad percutiendum excitent; in his illud auarorum genus continetur, quod à Dauide deſcribitur; nam D. Ia-
Iacob 5. 4. cobus ait, *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Eccleſiaſtici verò auctor hos pares ijs facit, qui ſanguinem fundunt innoxium, quod peccatum (vt
Geneſ. 4. 10. de homicidio Cain ſcriptura teſtatur) in cœlum clamat. *Qui effundit*, inquit, *ſanguinem, & qui fa-*
Eccleſ. 34. 27. *cit fraudem mercenario fratres ſunt.* Eſt autem admodum procliue diuitibus, tenuioribus hominibus iniuriam in aliquo facere, nam cum paria propter humilitatem ſtatus reponere nõ poſſint, nec audeant fortibus verbis, ſi in aliquo violati fuerint, exerere libertatẽ, diuitum violentiæ ſunt magis opportuni; quare monet ſapiens tenuioris fortunæ homines, ne ſe ditioribus ſocios adiungant, aut vlla ratione, quantum fieri poteſt,

com

communicent, ne ex hac conſuetudine multiplicia incommoda reportent. *Pondus, inquit, ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat; & ditiori te; ne ſocius fueris: quid cõmunicabit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, confringetur. Diues iniuſtè egit, & fremet; pauper autem læſus tacebit. Si largitus fueris, aſſumet te, & ſi non habueris, derelinquet te: ſi habes, conuiuet tecum, & euacuabit te, & ipſe non dolebit ſuper te. Si neceſſarius illi fueris, ſupplantabit te, & ſubridens ſpem dabit, narrans tibi bona, & dicet quid opus eſt tibi? & confundet te in cibis ſuis, donec te exinaniat bis, & ter, & in nouiſſimo deridebit te, & poſtea videns derelinquet te, & caput ſuum mouebit ad te.* Hoc ferè potentiorum ingenium; quo diligentius Principi cauendum eſt, ne quando ampliorem, quàm vllus alius in Republica poteſtatem nactus eſt, ita cum tenuioribus hominibus agat, vt clamor eorum, quos iniuſtè vexauerit, numen irritet ad vindictam, ſed vt ſupra dictum eſt Patrem ſe populi eſſe meminerit, qui adeo ſubditos expilare, & fortunis euertere non debet, vt potius hoc illi diligentiſſimè curandum ſit, vt vnicuique ſua poſſeſſio tuta, & ab iis, qui in aliena inuolant bona, ſarta & tecta ſit, verùm hanc rationem à parentis munere, quo Princeps in Republica fungitur, vrgebimus infra, locis ex ſcriptura iuxta noſtrum morem allatis. Eccleſ. 13. 2.

4 Sed alia etiam eſt huius ſeruitutis conditio, quæ illam valde laborioſam reddit. Hæc autem in eo poſita eſt, quod auaris plurimi ſunt exantlandi labores, & exhauriendæ moleſtiæ, vt ad eas peruenire poſſint diuitias, quas cogitatione, & cupiditate præceperunt. Ac quemadmodum Iſraëliticus populus dum Pharaonis impe- *Hanc ſeruitutẽ duram eſſe, ac laborioſã, ideoq; defugiẽdam.*

rio preſſus, lutum totos dies tractare cogebatur,
Exod.1.13. paleáſque colligere. Nam *Ægyptij, qui oderant filios Iſraël, eos affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris luti & lateris, omniq́; famulatu, quo in terra operibus premebantur:* ita qui aurum tractantes cumulos illius aggerare ſtudent, pluſquam credi poſſit à non expertis fatigãtur. Et quãuis ad Principes labor iſte pertinere non videatur, qui more mercatorum maria, ac terras compendia ſectantes non diſcurrunt, ſed ſolo imperio cenſum augent; tamen ſi nimia rem faciendi cupiditate tenentur, ea cura proculdubio coquuntur, quæ omnibus auaris eſt communis, nec laborare, & affligi animo non poſſunt, cum ſe populorum obtrectationibus lacerari ſciunt, ac diris in vulgus deuoueri. Quare in libro Iob argentum dicitur laſſitudinum, quod nimirum dum illud colligũt mortales, vehementer & vſque ad laſſitudinẽ fatigentur: quod enim
Iob 22.25. quodã capite legimus: *Erit Omnipotens contra hoſtes tuos, & argentum coacervabitur tibi:* ex Hebræo verti poteſt, *Argentũ laſſitudinum tibi,* nam vox תּוֹעָפוֹת à radice יעף deducitur, quæ fatigare, laſſaréque ſignificat, & ſenſus eſſe poteſt, idem cum eo, quem Vulgatus expreſſit, magna tibi coaceruabitur argenti copia, in quo conquirendo, computandóque multorum induſtriæ, & vero etiam corpora fatigentur: verè enim diuitias colligentibus vſu venit, vt multis modis laboribus ſint obnoxij: quod ſibi accidiſſe teſtatur Iacob, qui in domo Laban ſoceri ſui, ad amplas pecoris armentorúmque diuitias, in quibus ſita erat æui illius opulentia, aliquot annorum decurſu peruenerat. Nam abitus ſui afferens cauſas, excuſ-
ſíque

ſique ſeruitutis iugi, quod ad illum diem tolerauerat; *Die noctúque*, inquit, *æſtu vrebar & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis, ſicque per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi: niſi Deus Patris mei Abraham & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes: afflictionem meam, & laborem manuum mearum reſpexit Deus, & arguit te heri.* Multa enim talia pati neceſſe eſt non eos ſolum, qui cum paupertate luctantur, ſed etiam eos, qui cum diuites ſint, ad vlteriorem, pinguiorémque fortunam aſpirare contendunt, quod iugum Principibus etiam viris, ſuo modo, vt ſupradiximus, ferendum eſt. Geneſ. 31. 40.

5 Sed nimirum ſtultus eſt labor iſtorum, plerumque enim accidit, vt quæ diuitiæ malis artibus ſunt partæ, eædem malè dilabantur, & quaſi aceres aut glumæ, aut modicus vapor, vento rapiente, diſpereant, iuſto Dei iudicio auarorum cupiditatem, in eo ipſo in quo peccarunt, puniente. *Qui congregat theſauros lingua mendacij, vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis*, vel vt ex Hebræo verti poteſt, *Operatio theſaurorum in lingua mendacij, vanitas impulſa quærentium mortem. Vanitatem impulſam* intelligit Sapiēs aliquid valde leue aut tenue, quod facile abſtrahitur, diſſipatur, & euaneſcit, idcirco Theodotio vertit ἀτμὸς φερόμενος *vapor, aura tenuis, halitus* qui fertur, aut rapitur. Eadem verò ſimilitudo vocibus aliquantulum diuerſis, ſed idem ſignificantibus, eo ſpectat, vt intelligant omnes, malis artibus quæſitas pecunias (idem enim eſt quod ad propoſitum noſtrum attinet, ſiue mendaciis decipiendo, ſiue per violentiam rapiendo, aut extorquēdo in alienas res inuadas) non eſſe diuturnas: quare alibi

Laborē qui ferēdus eſt in hac ſeruitute, malè collocari, quod ſcilicet malè parta malè dilabātur. Prou. 21. 6.

Prou. 11. 24. idem Salomon; *Alij*, inquit, *diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Et S. Iob, eorum, qui multos theſauros

Iob 28.18. colligunt, inanem laborem arguens: *Ædificauit*, inquit, *ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum.* Quemadmodum enim qui autumni tempore vineas cuſtodiunt, temporariam quandam caſam ex ramalibus excitant, & ſtramine, ſtatim poſt abſolutam vindemiam diſſipandam: & quemadmodum tinea lignum excauando ſibi domunculam quandam, aut cauernulam conſtruere videtur, quæ tamen ad breuiſſimum tempus durat, nam ligno arroſione illa labefactato, & confracto etiã tineæ domus perit, imo ſibi perniciem illam comparat, & conciliat, dum ſibi domum ædificare videbatur; ita qui iniuſtè aliena rodendo, rem ſuam amplificare ſtudet, perniciem ſibi certiſſimam ſtruit. Græcus interpres eãdem ſimilitudinis vim retinuit, voce mutata, nam vertit, *Euaſit domus eius ſicut tinea, & ſicut aranea*, nullus enim neſcit aranearum telas multo labore diligentiáque contextas tenuiſſimis filis artificio prorſus mirabili ita ductis, vt ratione carentis animalis ſolertiam omnino ſuperare videantur, aut vento diſſipari, aut incidente lapillo, aut folio perforari, totúmque laborem in eis contexendis impenſum momento temporis interire. Hanc autem ſimilitudinem etiam vſurpauit Bal-

Iob 8. 14. dad eodem libro cum ait. *Sicut tela aranearum fiducia eius: innitetur ſuper domum ſuam, & non ſtabit, fulciet eam, & non conſurget. Humectus videtur antequam veniat Sol, & in ortu ſuo germen eius egredietur ſuper aceruum petrarum, radices eius denſabuntur, & inter lapides commorabitur.* Et Iſaias, qui

Digitized by Google

qui cum violatam iuſtitiam fuiſſet lamentatus, iniuſtos hos homines aranearum telas ait texuiſſe, quas tamen eum vſum non eſſe habituras confirmat, quem ipſi voluiſſent, ac ſperauiſſent: *Telas*, inquit, *aranearum texuerunt, telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis, opera eorum opera inutilia.* Et Ieremias Sellum Ioſiæ Regis Iuda filium acriter reprehendens, quod auarè regnaſſet & iniuſtè, quòd ſcilicet vt ipſe loquitur, *Eius oculi, & cor ad auaritiam, & ad ſanguinem innocentium fundendum, & ad calumniam, & ad curſum mali operis* intenti fuiſſent, ac propterea (quod nos diuitibus ferme contingere affirmamus) breuem, imo nullam ex raptarum diuitiarum poſſeſſione lætitiam percepturum, fruſtráque mercedes eorum, qui eas fuiſſent promeriti per iniuſtitiam retenturum: *Væ*, inquit, *qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia, & cænacula ſua non in iudicio: amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem eius non reddet ei.* Quod etiam confirmat Iob, qui potentes iſtos potentia impotenter abutentes, eas diuitias quas congeſſerunt prius docet eſſe relicturos, quàm frui poſſint: *Diuitias*, inquit, *quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus*, prius ſcilicet quàm in ſuccum eius, qui eas deuorauerat, ſanguinémque tranſeant; cui ſimile illud Ezechielis, *Argentum eorum foras proiicietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit. Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam ſuam non ſaturabunt, & veſtes eorum non implebuntur, quia ſcandalum iniquitatis eorum factum eſt.* Quod idem alia metaphora eleganter expreſſit Salomon cum ait, *Non roborabitur homo ex impietate*, contra quam accidit iuſtis, de

[Margin notes: Iſai. 59. 6. — Ierem. 22. 17. — Ibid. n. 13. — Iob 20. 15. — Ezech. 7. 19. — Prou. 12. 3.]

Digitized by Google

quibus ſubdit, *& radix iuſtorum non commouebitur,*
Iob 15.29. quod etiam Iobi pronuntiatum eſt, qui ait; *Non ditabitur, neque perſeuerabit ſubſtantia eius, neque mittet in terram radicem ſuam.* Vt quod Ezechiæ Regi dictum eſt, qui in diuitiis inaniter fuerat gloriatus, multò magis in eos quadret, qui non peccato dumtaxat iactantiæ peccant, ſed etiam iniuſti-
4 Reg.20. 15. tiæ, dum aliena per iniuriam rapiunt, *Ecce,* inquit, *dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui, vſque in diem hanc, in Babylonem.* Nam quemadmodum *ſubſtantia,*
Prou.13. 11. *quæ paulatim colligitur manu, multiplicabitur,* ita *feſtinata* ea nimirum, quæ malis artibus ab auaro,
Prou. 28. 20. qui ditari feſtinat, collecta eſt, *minuetur; qui enim*
Prou.20. 21. *feſtinat ditari, non erit innocens, & Hæreditas ad quam feſtinatur, in principio benedictione carebit.*

6 Parum ergo prudentèr, parúmque conſultè faciunt, qui in diuitiis ſpes ſuas omnes collocant: quod ſanè vitium adeo latè patet, vt propterea ſcriptura ſatis frequenter cum de diuitiis incidit ſermo, eas appellet robur aut fiduciā, quod ſcilicet in earum poſſeſſione robur ſitum eſſe, plerique hominum ſibi perſuadeant, & qui illis abundant, ſe firmiſſimo præſidio munitos eſſe falſa perſuaſione confidant; quaſi in illis tantum omnia poſita ſint, parum interim iuſtitiam curantes, aut Dei bonorum omnium largitoris iuſſa, legeſque, qui regnum Dei prius quærendū præcipit & iuſtitiā eius, tuncque hæc alia omnia vitæ, rerumque publicarū, ſeu præſidia, ſeu ornamenta abundè ſuppeditanda. Quare Baldad Suhites apud Iob

Colligitur ex dictis, diuitiis nō eſſe fidendum.

Iob 18.12. potentibus iniuſtis malè precatur his verbis: *At-*
Ibid.n.14. *tenuetur fame robur eius:* & paulo poſt, *Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius.* & eodem libro ſanctus
Pro

Propheta, ſe ab horum eximens conſortio, omnéque auaritiæ crimen amoliens, quippe qui non ſperaſſet in pecuniæ theſauris; *Si putaui*, inquit, *aurum robur meum, ſi obrizo dixi, fiducia mea.* Eodem etiam ſpectat illud Salomonis, *Subſtantia diuitis vrbs roboris eius, & quaſi murus validus circumſtans eum.* Et illud Baruc, *Vbi ſunt Principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? qui in auibus cœli ludunt, qui argentum theſaurizant, & aurum in quo confidunt homines?* Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet, quod eſt hominum fiducia, & robur, eorum opinione.

Iob 31.24. Prou. 18. 11. Baruch 3. 16.

7 Sed aliud etiam incommodum ſecum affert auaritia. Nam populo, auarorum quorumcunque capita execrabilia facit, & innumeris diris frequentiſſimè deuouenda. Id de quodam auarorum genere docet ſapiens cum ait, *Qui abſcondit frumentum, maledicetur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium.* has autem vulgi deuotiones, & populi dolentis vota, non vt inania verba, & in irritum iactata contemnenda eſſe ſapienter monet Eccleſiaſticus cum ait: *Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopia ſua, cor inopis ne afflixeris; & non protrahas datum anguſtianti. Rogationem contribulati ne abiicias, & non auertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram, & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius, exaudiet enim eum, qui fecit illum.* Maledictionis autē iſtius quam Dominus exaudit, effectus quis ſit, exprimitur à Moſe in Leuitico, & Deuteronomio. *Fruſtra*, inquit, *ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus deuorabitur. Conſumetur incaſſum labor veſter, non proferet terra germen,*

Principem auarũ eſſe non debere, quia auaritia odioſum facit populo & periculum amittendi Principatus creare poteſt.

Prou. 11. 26. Eccleſ. 4. 2. Leuit. 26. 17. & 20.

Digitized by Google

germen, nec arbores poma prabebunt, immittámque in vos beſtias agri, qua conſumant vos, & pecora veſtra, & ad paucitatem cuncta redigant, deſertaque fiant via
Deut. 28. 16. *veſtra.* Et in Deuteronomio: *Maledictus, inquit, eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledicta reliquia tua. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terra tua, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua, qua tu facies, donec conterat te, & perdat ve-*
Ibid. n. 30. *lociter.* Et poſt nonnulla, *Domum adifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Aſinus tuus rapiatur in conſpectu tuo, & non reddatur tibi. Oues tua dentur inimicis tuis, & non ſit qui te adiuuet. Fructus terra tua, & omnes labores tuos comedat populus, quem ignoras, & ſis ſemper calumniam ſuſtinens, & oppreſſus cunctis diebus, & ſtupens ad terrorem eorum, qua videbunt oculi tui. Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis, quia locuſta*
Ibid. n. 38. *deuorabunt omnia. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vaſtabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo, quia defluent, & peribunt. Omnes arbores tuas, & fruges terra tua rubigo conſu-*
3 Reg. 12. *met.* Huius maledictionis vim expertus eſt Roboam, qui vt ſæpius memorauimus, afflicti nimiis exactionibus populi preces non admittens, decem integras Regni ſui partes, duabus dumtaxat retentis amiſit, & non multo poſt anno ni-
3 Reg. 14. 25. mirum quinto Regni eius *Aſcendit Seſac Rex Ægypti in Ieruſalem, & tulit theſauros domus Domini, & theſauros regios, & vniuerſa diripuit; ſcuta quoque aurea, qua fecerat Salomon,* Regiſque opulentiſ-
ſimi

Digitized by Google

ſimi filius, anguſta admodum ditione circumſcriptus, theſauriſque plurimis ſpoliatus, tantùm Regis nomen, poteſtatémque non amiſit.

8 Vt autem faciliùs poſſit Princeps gliſcentes auaritiæ impetus comprimere, quædam illi frequenter, mente voluenda proponam, quibus affectus ſuos componat, & amplius habendi cupiditatem minuat. Ac primò quidem illud recolendum eſt, quod ſupra poſuimus reges ac Principes inſtar habere Patrum in Republ. ac propterea eorum curas eo ſpectare debere, non vt filios ſuos exhauriant tributis, ac vectigalibus grauioribus impoſitis, ſed potius vt eos, ſi qua ratione poſſint locupletent. quare par eſſet Principẽ eum induere affectum, quem ſe habuiſſe S. Paulus oſtendit cum ait: *Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos; non enim debent filij theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis.* Quod idem probat Chriſti Domini dictum, nam cum Dominus diſcipulis comitantibus veniſſet Capharnaum, acceſſerunt, *qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei. Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait, etiam: & cum intraſſet in domum, præuenit eum* IESVS, *dicens, quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum vel cenſum? à filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit ab alienis. Dixit illi* IESVS. *Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos,* &c. Si enim Princeps non ſua tantùm compendia ſpectare velit, ſed ſubditorum, quaſi filiorum, ea dumtaxat exiget, quæ ad Reipubl. neceſſitates ſubleuandas, neceſſaria ſunt, ac proinde in populorum commodum redundant, quod non tam ſibi, quàm ſubditis theſaurizare eſt; eas verò exactiones omnes, tanquam ſuperuacaneas, & ab auaritia profe

Principem non debere auarū eſſe, quia populorum eſt pater.

2. Cor. 12. 14.

Matth. 17. 23.

Digitized by Google

profectas reſecabit, quæ explendis Principis cupiditabus potius deſeruire videbuntur, quàm opportunitati publicæ cõmodare. Non enim amantis parentis, aut domini eſt eum filium, aut ſeruum, quem ſe totum videt impendere in parentis obſequiũ, grauioribus etiam quàm ferre poſſit oneribus velle vexare. *Non lædas*, inquit Eccleſiaſticus, *ſeruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam, ſeruus ſenſatus ſit tibi dilectus, quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas eum.*

Eccleſ.7. 2.

9 Paſtoris etiam nomen, quod Principi conuenit, & mũnus, quod in Republ. ſuſtinet, auaritiam ſuadent deteſtari. Idcirco Salomon à re paſtoritia metaphoram mutuatus, *Qui fortiter*, inquit, *premit vbera, ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem.* eandem verò ſequutus metaphoram Ezechiel, luculentè & copiosè in eos paſtores inuehitur, qui gregis bonum poſthabentes, paſcebant potius ſemetipſos, ſuis cupiditatibus magis ſeruientes, quàm neceſſitatibus gregum, quos variis modis vexabant, non tantum lac emulgendo, detondendo lanam, ſed etiam deuorando, & vulneribus aut morbis, ſi quos incurrebant, medicinam non faciendo. Eſt autem locus planè inſigins & qui multorum aliorum inſtar eſſe poſſit. *Væ*, inquit, *Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos, nonne greges à Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate*

[...]dem pro[...]atur, quia [...]ſt Paſtor [...]opulorum. [...]rou.30. 2.

[...]zech.34.

tate imperabatis eis & cum potentia, & diſperſa ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor, & facta ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei, in cunctis montibus, & in vniuerſo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat inquam qui requireret. Propterea Paſtores audite verbum Domini. Viuo ego dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eo quod non eſſet paſtor. Neque enim quæſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant. Propterea Paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipſe ſuper Paſtores, requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos vt vltra non paſcant gregem, nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in eſcam. Hoc ingenium Principum eorum, qui Tyrannico more populos gubernantes nihil minus propoſitum habent, quàm ſubditorum ſuorum bonum. Quanto ſapientior paſtor Iacob, qui fratris ſui Eſau ſocietatem defugiens, neceſſitatem gregum armentorumque prætendit, quibus cùm ſeruire deberet, nimis in ambulando vrgere non poſſet? *Noſti,* Geneſ. 33. 13. inquit, *quòd paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum, quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur in vna die cuncti greges.* Et propter hanc fortaſſe cauſam, quædam in ſacris ſcripturis reperiuntur, quæ ita præcepta ſunt, vt iis Dominus, cuius ſpiritus mirum quantum ſuauis eſt, etiam ipſis brutis animantibus rationéque carentibus proſpicere voluiſſe videatur, vt nimirum intelligerent ij, qui populorum paſtores ſunt, quam

quam humaniter ratione præditos homines tractare debeant, ſi etiam beſtiis in quibuſdam, legis veteris præſcripto, parcendum erat. Nam in libro Exodi, vbi hebdomadaria Sabbathi quies

Exod. 23. 12. præſcribitur, dicitur, *ſex diebus operaberis, ſeptimo die ceſſabis.* Huius autem præcepti ratio cum affertur, non ſolum dicitur *Vt refrigeretur filius ancillæ tuæ & aduena*, ſed dicitur etiam, *vt requieſcat bos, & aſinus tuus.* & in Deuteronomio legimus,

Deut. 20. 10. *Non arabis in boue ſimul, & aſino*, ne videlicet totum iugi pondus in aſinum mole corporis minorem recumbat, & plus iuſto fatigetur. & eodem

Deut. 25. 4. libro præcipitur, *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas*: nimis enim durum videtur ſi iumentum quod magno labore, in gyrum actum, ſpicas terit, & grana ex ariſtis excutit, pauculas peleas in cibum carpere non poſſit, quibus inter laborandum reficiatur. Sed quod legibus hiſce diuinis præceptum eſt, ſponte ſua à iuſtis ac piis

Prou. 12. 19. hominibus fieri affirmat Sapiens cum ait: *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia.* Cuius dicti ſententia. Iuſtus non hominum tantùm ſibi commiſſorum rationem, ſed & iumentorum ſuorum curam gerit, prouidetque ſolicitè, ne plus æquo in laborando exigatur ab eis, & ne quid eis deſit eorum, quæ neceſſaria ſunt: ex quo facile quilibet intelligat iuſtos multo [illegible] præſtare diligentius erga familiares ac ſubdi[illegible]. Imo Dominus ipſe, de quo dici-

Sap. 11. 25. tur in Sapientiæ libro, *Diligis Domine omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Niniuem ſicut fuerat comminatus, pepercit euertere, non hominum tantum miſertus ſed etiam iumentorum, quæ nimirum nihil peccauerunt, & quodam-

modo

Digitized by Google

modo iam pœnitentiam egerant ſaccis inſtrata, & ieiunio macerata, ita enim legimus in Ionæ prophetia, qui cum doleret hederam vermis arroſione exaruiſſe, audiuit à Domino: *Tu doles ſuper hederam, in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret, quæ ſub vna nocte periit, & ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam & iumenta multa.* Quemadmodum ergo, & diuinæ legis mandato, & recta etiam ratione dictante ab ipſis iumentis, plus exigendum non eſt, quàm eorum vires patiantur, ne dum ipſa nimio labore atterimus, etiam nobis, quibus ſeruiunt noceamus: ita multo magis cum hominibus agendum eſt, quibus maior debetur reuerentia, & à quibus vberiores in Principem vtilitates redundant. *Homo*, inquit Iob, *cum mortuus fuerit & nudatus, atque conſumptus vbi quæſo eſt?* Ita ſi perpetuis exactionibus ſemper aliquid à ſubditis extundatur, migrationem cogitant, alioque fortunis tranſlatis, in regno in quo vixerant ſolitudinem faciunt, apparetque tandem veriſſimum eſſe, quod Salomon dixit in Prouerbiis, *Rex iuſtus erigit terram, vir auarus deſtruit eam, & qui tributa extorquet, euertit eam.* Et Eccleſiaſticus, *Rex inſipiens*, inquit, *perdet populum ſuum, & ciuitates inhabitabuntur per ſenſum prudentium*, imo ſe ipſum euertit, nam *cum omne opus corruptibile in fine deficiat*, vt ait idem Eccleſiaſticus, *& qui illud operatur abit cum illo*, abeuntibus enim incolis, ciuitateque ad infrequentiam redacta, ſtultitiæ ſuæ pœnas Princeps in primis dabit. Huius autem nimiæ in populis exhauriendis auaritiæ exemplum habemus in Pharaone, qui cum populum indigno

Ionæ 4.10.

Iob 14 10.

Prou. 29. 4.

Eccleſ. 10. 3.

Eccleſ. 14. 20.

Digitized by Google

premeret ſeruitio, paleaſque, quæ prius ſuppeditabantur, ſubtraheret, & nihilominus imperatum laterum numerum exigeret, rem eò deduxit, vt miſerante Domino, populi ſui calamitatem, ex Ægypto ſexcenta hominum millia armis ferendis idonea proficiſcerentur, regnumque tam multis capitibus immipueretur, ex quibus antea multa ad Regem manare commoda neceſſe erat. Vt interim taceamus de ea clade, quam accepit, cum rubri maris vorticibus hauſtus eſt, vnà cum exercitu vniuerſo.

10 Sed facilius fortaſſis huic malo remedium

Remedium præcipuum auaritiæ proponitur, vt ſcilicet Princeps cupiditates ſuas intra modũ ſuarum viriũ moderetur.

facerent Principes, ſi ſuis moderarentur affectibus, ſuaſque cupiditates intra potentiæ & opulentiæ ſuæ modum continerent. Nam ſi Princeps non admodum diues Salomonem imitari velit, qui de ſe ita ſcribit: *Omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaueram*; ea nimirum, quæ eodem capite deſcribit

Eccleſ.2. 10.

his verbis, *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & conſeui cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium* &c. Quæ proſequitur in eandem ſententiam, ſuas delicias atque opes enumerans, quas congeſſerat. Si inquam Princeps tantos concipiat ſpiritus, vt ſe plus æquo velit attollere, atque ita ſe in profundendis pecuniis, cum ſe dant occaſiones, gerere, ac ſi largiſſimi, & vberrimi prouentus eſſent, illiſque oneribus, quæ ſubit, ferendis idonei, proculdubio multa iniuſtè patret neceſſe eſt, dum pecuniam omni ſtudio corradere ſatagit, & modò ærarium fiat locupletius, iura omnia,

Ibid.n.4.

omnia, ſiue humana, ſiue diuina pro nihilo habet. Talis Moabitarum ſuperbia, quam per Ieremiam reprehendit Dominus cum ait, *Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſublimitatem eius, & arrogantiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis eius, & quod non ſit iuxta eam virtus eius.* Quod ipſum de Ægypto dixit Iſaias cum ait, *Superbia tantum eſt, quieſce.* Quod autem de Moab dixerat Ieremias, ab Iſaia etiam totidem fere verbis repetitur. *Audiuimus*, inquit, *ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde, ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius pluſquam fortitudo eius.* Huiuſmodi Principem deſcribit Eliphaz apud Iob, cum ait inter cætera, *Tetendit aduerſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt,* &c. & paulo poſt. *Habitauit in ciuitatibus deſolatis, & in domibus deſertis, quæ in tumulos ſunt redacta.* Quæ verba non impiorum miſeriam, ſed potius felicitatem, qua in hac vita fruuntur, diuitias & potentiam oſtendunt: nam ſenſus eſt, tantum fore ſuperbi hominis typhum & ſuperbiam, vt quod aliqui Reges, & Imperatores fecerunt, ciuitates alioqui infrequentes, & ab incolis deſertas excitare rurſus nitantur propemodum à fundamentis, inſtauratis mœnibus, templis, prætoriis, arcibus: qua in re pecuniarum vim prope infinitam conſumi neceſſe eſt. Hunc autem eſſe ſenſum, ex eo confirmari poteſt, quod eiuſdem libri capite tertio deſcribens Iob eum, cui omnia ad voluntatem fluunt, ait. *Cum Regibus, & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines.* Cuius dicti eadem eſt ſententia vt expoſuimus. Cum ergo Principem talis aliqua inceſſerit cupiditas, ab exigendis per omne nefas pecuniis vix temperare poterit. Quod autem de

Ierem. 48. 29.

Iſai. 30. 7.

Iſai. 16. 6.

Iob 15. 23.

Ibid. n. 28.

Iob. 3. 14.

Digitized by Google

inſanis fabricis dictum eſt, ad alia omnia tranſferri poteſt, in quibus pecuniarum plurimum inſumitur, ita Antiochus, cum pecuniam ad immoderatos ſumptus & munera deficere animaduertiſſet, ad rapinas ſacrilegas eſt conuerſus. *Et vidit* (inquit ſcriptura) *quod defecit pecunia de theſauris ſuis, & tributa regionis modica, propter diſſenſionem, & plagam quam fecit in terra, vt tolleret legitima, quæ erant à primis diebus, & timuit, ne non haberet vt ſemel, & bis in ſumptus, & donaria, quæ dederat ante larga manu, & abundauerat ante Reges, qui ante eum fuerant, & conſternatus erat animo valde, & cogitauit ire in Perſidem, & accipere tributa regionum, & congregare argentum multum. Et Rex Antiochus perambulat ſuperiores regiones, & audiuit eſſe ciuitatem Elymaidem in Perſide nobiliſſimam & copioſam in argento, & auro, templumque in ea locuples valde, & illic velamina aurea, & loricæ, & ſcuta, quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo, qui regnauit primus in Græcia, & venit & quærebat capere ciuitatem, & deprædari eam, & non potuit, quoniam innotuit ſermo his, qui erant in Ciuitate, & inſurrexerunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum triſtitia magna & reuerſus eſt in Babyloniam.* Cum ergo potiundæ Ciuitatis, theſaurorúmque diripiendorum ſpe excidiſſet, triſtique inſuper nuntio rei à ſuis ducibus in Iudæa infæliciter geſtæ fuiſſet perculſus, *Expauit & commotus eſt valde, & decidit in lectum, & incidit in languorem præ triſtitia, quia non factum eſt ei ſicut cogitarat, & erat illic per dies multos, quia renouata eſt in eo triſtitia magna, & arbitratus eſt ſe mori. Et vocauit omnes amicos ſuos, & dixit illis. Deceſſit ſomnus ab oculis meis, & concedi, & corrui corde præ ſolicitudine, & dixi in corde meo, In quantā tribulationem deueni, & in quos fluctus*

[Margin: 1.Machab. 3.29. — beside "tiſſet, ad rapinas…"]
[Margin: Ibid.n.8. — beside "infæliciter geſtæ…"]

Digitized by Google

fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum, qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate mea? Nunc verò reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem, vnde & abſtuli omnia ſpolia aurea, & argentea, quæ erant in ea, & miſi auferre habitantes Iudæam ſine cauſa. Cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala iſta, & ecce pereo triſtitia magna in terra in aliena. Hoc Tyrannorum ingenium, qui cum proximorum regnorum dominatum cogitatione, cupiditateque præceperint, omnéſque theſauros ſpe deuorauerint, ſi in irritum conatus ceciderint, nec factum ſit eis ſicut cogitauerant, perinde commouentur & dolent, ac ſi iniuſtè aliquid paſſi eſſent, cum ij ſint, qui alios inuadentes iniuſtè violant. Ita Nabuchodonoſor Rex Aſſiriorum cum Medorum Rege Arphaxad ſuperato, *miſiſſet ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damaſco, & Libano, & ad gentes, quæ ſunt in Camelo & Cedar, & inhabitantes Galileam in campo magno Eſdrelo, & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem, vſque ad Ieruſalem & omnem Terram Ieſſe, quouſque perueniatur ad terminos Æthiopiæ*; conatuſque fuiſſet, vt gentes iſtæ omnes iugum ſeruitutis acciperent, ſéque ſuæ adiungerent ditioni, idque facere detrectaſſent, & quos ipſe legauerat nuntios, nullo honore proſequuti eſſent, ſed repulſam paſſos irritos remiſiſſent, quaſi iniuria aliqua vltro ab eis prouocatus eſſet adeo exarſit, vt belli aduerſus eos gerendi cogitationem ſuſciperet, quaſi illatam iniuriam vindicaturus. *Tunc indignatus Nabuchodonoſor Rex aduerſus omnem terram illam, iurauit per thronum, & regnum ſuum, quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.* Quanto melius Reges iſti ſuas frænantes cupiditates, & intra modum fortunarum ſuarum

Iudith 1.7.

Ibid.n.12.

coërcentes, bonis quibus affluebant fruerentur, *iucundique eſſent & dilecti in poteſtate ſua*, vt dicebat Antiochus, tantiſque ſumptibus, quos colligendis exercitibus fecerant peperciſſent, imo ſibi ipſis, quos multas curas continenter exercuiſſe & exediſſe neceſſe eſt (vt de Antiocho videmus) quem etiam fluctibus illis triſtitiæ, quos memorauit, ſcriptura ibidem docente, hauſtum fuiſſe

Eccleſ.14.9. ſcimus. Sed nimium *inſatiabilis eſt oculus cupidi, in parte iniquitatis*, id eſt non expletur auarus, etiamſi partem quam iniquè optauit, fuerit conſecutus, *Non ſatiabitur donec conſumat areſaciens animam ſuam.* cupidus enim aliis inuidet, inuidiáque tabeſcit, & macreſcit, & vniuerſim quicumque cupiditatibus ſuis tradunt ſe, in quamcumque partem ipſæ incubuerint, rapiendos, nuſquam quietem animi tranquillitatemque conſequentur: nam hydropicis ſimiles ſunt, qui quo plus aqua-

Eccleſ.1.8. rum hauſerint, plus ſitiunt, *nec enim ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur*; cumque multa pretioſa, oculiſque aut aliis ſenſibus blandientia comparauerint, alia præterea exoptant, nec vllus modus eſt, aut finis, quia radix omnium malo-

1.Timot.6.10. rum non præciditur, quam cupiditatem eſſe diſcimus ex Apoſtolo. Sapienter igitur monet Eccleſ.

Eccleſ.10.4. cum ait: *Si ſpiritus poteſtatem habentis, aſcenderit ſuper te, locum tuũ ne dimiſeris, quia curatio faciet ceſſare peccata maxima.* Quem locum iuxta litteralẽ ſenſum interpretationem hanc recipere poſſe puto. Si te inuaſerit cupiditas aliqua, quales frequenter in iis excitantur, qui poteſtatem in alios habent, quia Principes ſunt, caue ne de ſtatu illo deiiciaris, quem recta præſcribit ratio: nam ſi perturbationem illam ſedaueris, eique medicinã feceris,

multas

multas euitaueris culpas, quibus illi implicantur, qui oculos cupiditatis ad ea, quæ aliena ſunt adiicientes, omnem lapidem mouent, vt id quod optauerunt, malis etiam artibus conſequantur.

11 Illud etiam ſibi perſuadeat Princeps plus ſapientiæ ac conſilio fidendum eſſe, quàm theſauris: nam ſine ingentibus pecuniis ac diuitiis Princeps ſapientia res ſuas moderatur & tractat, vt ſibi & populis paret incolumitatem. Princeps verò inſipiens, quamuis Salomonis diuitias habeat, vt contigit Roboamo, omnia tamen prudentiæ, ac conſilij inopia perdit, vt ex eiuſdem Roboami hiſtoria, de qua ſæpius diximus, clariſſimè patet. *Hanc quoque ſub ſole vidi ſapientiam,* inquit Eccleſiaſtes, *& probaui maximam. Ciuitas parua, & pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitionem per gyrum, & perfecta eſt obſidio. Inuentuſque eſt in ea vir pauper & ſapiẽs, & liberauit vrbẽ per ſapientiam ſuam.* Et Chriſtus Dominus ait, *Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia, cuiuſquam vita eſt ex his, quæ poſſidet.* Quemadmodum enim hominis vnius ſalus non ex eo pendet, quod multas diuitias parauerit, quibus ea ſibi poſſit coëmere, quæ ad victum, & cultum neceſſaria ſunt; ita totius Reipubl. incolumitas non in eo vertitur, quod pecuniarum abundet copia (quamquam non ſit negandum plurimum hoc prodeſſe, vt ſupra dictum eſt) ſed potiùs illius ſecuritas, Principis, ciuiumque virtuti accepta ferenda eſt, quæ ſi adſit, & pericula amoliri, & commoda omnia importare in Rempubl. poteſt: ideo Dauid in Doëg Idumæum inuehitur, *quod ſperauerit in multitudine diuitiarum ſuarum, & prævaluerit in vanitate ſua,*

Poſſe etiam Principem non admodum diuitẽ ſibi Reipublicæq́; proſpicere.

Ezech. 9. 13.

Luc. 12. 15.

Pſal. 51. 9.

vel vt vertit Kaldæus, *Fortis factus ſit in pecunia ſua.* quæ reprehenſio in omnes eos conuenit, qui Deo virtutéque poſthabita, diuitiarum tantum ſubſidia, cura intentiore conquirunt.

De fortitudine Principis, & animi magnitudine.

CAPVT XIX.

Quid ſit fortitudo de qua hic diſputãdũ: & quatenus corporis fortitudo requiratur in Principe.

1 FOrtitudo, de qua in hoc capite diſputamus, eſt moralis virtus, per quã animus erga ea, quæ ſunt acerba, & terribilia, ita rectè ſe habet, vt neque prauè timendo, neque temerè audendo deſciſcat propter illa ab officio rectæ rationi conſentaneo. Cum igitur hoc ſit virtutis huius officium, ſatis intelligitur corporis imbecillitatem viriumque tenuitatẽ impedimento eſſe non poſſe, quo minus fortitudinis laudem conſequi, & tueri poſſimus. Quanquam autem in Principe viro, bonum corporis habitum, firmaſque vires, & laboris patientes omnino neceſſarias eſſe non dicimus, cum illius munus vigore potius mentis indigeat, quàm firmitate membrorum; tamẽ quia labores aliqui, in bellis præſertim, Principibus ſubeundi ſunt; qui viribus firmis ſunt à natura inſtructi, eas diligenter tueri; qui paulo ſunt imbecilliores, eas quantum induſtria conſequi poſſunt, augere debent, vt neceſſitate ingruente ferendis laboribus pares eſſe poſſint. Id verò vt Principi contingat etiam magis optandum eſt, quod frequenter accidit, vt qui valido ſunt corpore

Digitized by Google

pore, periculis etiam repellendis, aut excipiendis animo ſint præſentiore, minúſque frangantur aduerſis: quanquam etiam, vt dixi, fieri poteſt vt imbecilla corpora ingentes animos verſent in pectore, quod ſapiens docuit cum ait; *Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam.* Prou. 18. 14. Porrò in Sacris litteris nonnullos reperio viros in Republica Principes, magnis fuiſſe viribus inſtructos. Nam Caleb vir primarius, ita de ſe prædicat in libro Ioſue: *Hodie octoginta quinque annorum ſum ſic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum, illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum;* Ioſue 14. 10. Multo verò mirabilius Samſonis robur, qui Leones tamquam hædos lacertorum violentia lacerauit, Iudic. 14. 6. funes iniectos, quibus conſtrictus erat, ita diſrupit, *ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi*, aſinique arrepta mandibula *interfecit in ea mille viros,* Iudic. 15. 24. tandémque cum in hoſtium ſuorum poteſtatem veniſſet, columnas domus, quibus innitebatur, ita concuſſit, vt ingenti ruina procumberet, Philiſtæorúmque ingentem ederet ſtragē, *multóque plures interficeret moriens,* (nam ipſe domus ruina oppreſſus eſt) *quàm ante viuus occiderat.* Iudic. 16. 30. nec diſſimilis Dauidis fortitudo, qui de ſe ipſo, Saüle audiente, ita commemorat in Regum hiſtoria. *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos, nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* 1. Reg. 17. 34. Porrò victus, corporiſque voluptatum temperantia, corporis valetudo ſuſtentatur, & vires augentur,

de qua virtute paucula quædam, quæ in hanc ſententiam diſputari poſſent, tunc perſtringemus, cum de ea paulo poſt diſſeremus.

De fortitudine quæ ſpectatur in faciẽdis & ſuſtinẽdis aduerſis.

2 Quoniam autem, vt ex allata definitione colligitur, fortitudinis eſt mediocritatem quandam inter timorem, audaciámque conſtituere, timor autem non ſolùm ſegnes efficit ad aggrediendum ea, quæ videntur ardua, ſed etiam molles in eis perpetiendis, quæ dura ſunt, vt in angoribus animi tolerandis, cum res aduerſæ incidunt, de vtráque parte diſputandum erit. Eſt autem ſapientis viri ac fortis, cum difficilia tempora incidunt, curas graues, quas mente verſat, ita premere, vt quantum fieri poteſt, nullũ triſtis aut deiecti animi ſignum deprehẽdi poſſit; ſed quemadmodum rebus proſperis non exultat, ita duris & malè cedentibus, triſtitiæ ac timoris motus comprimat.

Eccleſ. 27. 12.

Homo ſanctus, inquit Eccleſiaſticus, *in ſapientia manet ſicut ſol, nam ſtultus vt luna mutatur:* qui enim ſanctus eſt, ſuáſque animi perturbationes ita cõpreſſit vt rationi pareant, eundem ſemper tenorem ſeruat, ſempérque ſibi ſimilis eſt: qui verò ſunt animo puſillo, & anguſto, vel nimis efferuntur rebus ſecundis, vel deprimuntur aduerſis; illúdque cernitur diſcrimen, in duplici hoc hominum genere, quod in ſolis lunæque ſyderibus; nam ſol maſculum quodammodo ſydus, non ex altero ſuum lumen mutuatur, nec modò clarum eſt, modò obſcurum, ſed eodem ſemper tenore clariſſimum; luna verò fœmineum ſydus ac molle nunquam eundem retinet ſtatum, ſed cum à ſole, cuius radiis incenditur, lumen mutuetur, quantum ad ſolem accedit, vel ab eo recedit, creſcit pariter vel ſeneſcit, interdũ etiam luminis

luminis defectum patitur, cum ſcilicet terræ obiectu lumen ſolis intercipitur; ita qui maſculo animi vigore deſtituuntur variam pro temporum viciſſitudine, ac varietate faciem induunt, quique ſe *in æternum mouendos* non putarant, ingruentibus curis, ac ſolicitudinibus, vel etiam periculis repentè conturbantur, & franguntur. Huius rei præclarũ exemplũ habemus in Roboamo, qui tumoris & iactantiæ pleniſſimus iuxta iuniorum conſilium populo reſpondit duriter, ac planè vt ipſi ſuggeſſerant, cum dixerant; *Sic loqueris populo qui dixit tibi, Pater tuus aggrauauit iugum noſtrum, tu ſubleua, & ſic reſpondebis eis. Minimus digitus meus groſſior eſt lumbis Patris mei. Pater meus impoſuit vobis graue iugum, & ego maius pondus apponam: pater meus cecidit vos flagellis, ego verò cædam vos ſcorpionibus.* Sed quanta eſſet Roboami fortitudo paulo poſt euentus oſtendit, nam *ſurrexit Ieroboam filius Nabat ſeruus Salomonis filij Dauid, & rebellauit contra Dominum ſuum, congregatique ſunt viri vaniſſimi & filij Belial, & praualuerunt contra Roboam filium Salomonis: Porrò Roboam erat rudis, & corde pauido, nec potuit reſiſtere eis.* Ex quo apparuit ita frequenter accidere, vt qui ſe magnificè iactant, & glorioſè, cum ſe ſe obtulerit occaſio fortiter faciendi, ignauia, & pauore torpere, contra verò fortes, nec ſuas res laudare intemperanter ſolitos eſſe, & cum in diſcrimen veniendum eſt, animo eſſe præſenti & erecto, vt Salomon monuit ſapienter, cum ait: *Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit, &, ſicut leo ad nullius pauebit occurſum.* Vix autem credi poteſt, quantopere Principis metus ac perturbatio cæteris omnibus, qui ab illius nutu pendent, nocere ſoleat. Nam priua-

Pſal. 29.7.

2. Paralip. 10. 10.

2. Paral. 13. 6.

Prou. 12. 21.

Prou. 30. 30.

ti

ti etiam vnius timor, ne dum Principis, cum aliis etiam communicatur, faciléque quaſi vulgato morbo, cunctos inuadit: quare in Deuteronomio præcipitur, vt cum ad bellum cum hoſtibus gerendum produendum erit, *duces per ſingulas turmas audiente exercitu proclament, quis eſt homo formidoloſus & corde pauido: vadat & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt.* Quod accidiſſe videmus Iſraëli cum reuerſi exploratores, qui iuſſu Moſis promiſſam à Domino regionem perambulauerant, laudauerunt quidem ſoli vbertatem ac pinguedinem, ſed omnia in maius attollentes, incolarum fortitudinem, corporúmque vaſtitatem, vrbium munitiones ciuiumque frequentiam ita commemorarunt, vt populi animis perculſi de terra illa occupanda penitus deſperarent. Nam illius cultores fortiſſimos eſſe dixerunt, vrbes verò grandes atque muratas, gigantum ſtirpem alere, ac tandem terram eſſe huiuſmodi vt habitatores deuoraret, incolas verò tantæ proceritatis, vt ipſi exploratores cum illis comparati quaſi locuſtæ viderentur. Ita quidem ipſi locuti ſunt, quantum verò metum populus omnis conceperit, & quam obdurato animo conſtituerint in Ægyptum potius reuerti, ad veterem illam, duriſſimámque ſeruitutem; quàm Moſe duce, ad certiſſimum, vt ipſi exiſtimabant, interitum ruere, ſcriptura narrat his verbis. *Igitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurati ſunt contra Moyſen, & Aaron cuncti filij Iſraël, dicentes: Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & in hac vaſta ſolitudine; vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores*

Deut.20. 5. & 8.

Num.14. 1.

Digitized by Google

res ac liberi noſtri ducantur captiui. Nonne melius eſt reuerti in Ægyptum? Dixerúntque alter ad alterum: Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Qua verò ratione ſeditio compreſſa ſit, & quæ pœna rebelles, & ſeditioſos, conſecuta ſit, legat, qui volet loco indicato. Hoc autem vulgi ingenium exploratum habuit Iudas Machabæus dux fortiſſimus, qui cum Antiocho Rege pugnaturus, Deuteronomij legi parens; *Cum conſtituiſſet duces populi, tribunos & centuriones, & pen-* 1. Mach. 3.55.
tacontarchos, & decuriones, dixit his, qui ædificabant domos, & ſponſabant vxores, & plantabant vineas, & formidoloſis, vt redirent vnuſquiſque in domum ſuam ſecundum legem. Si igitur vel vnus meticuloſus, metum ſuum cum reliquis facile communicat, quamuis ab illius arbitrio non pendeant: quanto magis populum, aut exercitũ metus Principis conturbabit, cuius vnius imperium expectant omnes, quemque ſapientia, & animi magnitudine cæteris præſtantiorem adeò arbitrantur, vt eo timente, timere, aut fugam capeſſere, iam non turpe, ſed neceſſarium eſſe videatur. Prouocabat Golias in valle Terebinthi ad ſingulare certamẽ fortiſſimos quoſque Iſraëlitarũ, nec vllus in tanta multitudine reperiebatur, qui cum illo congredi auderet, imo pauore marcebant in tabernaculis, & attonitis ſimiles ſtupebant: *Audiens autem Saül*, inquit Regum hiſtoria, *&* 1. Reg. 17. 11.
omnes Iſraëlitæ ſermones Philiſthæi huiuſcemodi ſtupebant & metuebant nimis; facile crediderim, tanto metui cauſam non magis attuliſſe proceri illius gigantis immania membra, aut caſſidem æream, ſquamatamque loricam, quàm pauorem Principis; quem animo conſternato, conſilij inopem

pem intuebantur. Nihil enim aliud quàm ingentem aliquam cladem expectare poteſt, qui timore proſtratos viderit bellatorum animos, ac præſertim ducis. Propterea ſapienter meretrix illa Ierichuntina certiſſimam ſe dicebat capere coniecturam victoriæ, quam Iſraelitæ conſecuturi erant, quod ciues ſui ingentem aduenientis exercitus metum concepiſſent.
Ioſue 2.9. *Noui*, inquit, *quod Dominus tradiderit vobis terram, etenim irruit in nos terror veſter.* Huius autem fortitudinis in aduerſis præclarum ſpecimen edidit S. Dauid, nam cum Abſalonem magna regni pars ſequeretur, illúmque ad regni gubernacula conaretur admouere, repentini mali violentiæ reſiſtere quidem non potuit, ſed impetum, quem ſuſtinere non valebat, ſapienter declinauit: nam cum ei nuntiatum
2.Reg.15.13. fuiſſet. *Toto corde vniuerſus Iſraël ſequitur Abſalon*;
Ibid.n.23. nō tamen propterea animo conſternato ſe mœrori dedit, ſed cum *flerent voce magna*, quicumque illū comitabantur, & abeuntem è ciuitate deducebant, ipſe tamen in diuinæ prouidentiæ conſilio acquieſcens, nihílque perturbatus, calamitatis
Ibid.n.25. magnitudine, & atrocitate, *Si inuenero*, inquit, *gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam* (Arcam ſcilicet fœderis) *& tabernaculum ſuum. Si autem dixerit mihi, non places, praſto ſum, faciat, quod bonum eſt coram ſe.* Cúmque tanto in diſcrimine verſaretur, de ſuorum potius ſalute, quàm de ſuo periculo ſolicitus, Ethai Gethæum, qui ſe Regi comitem volebat adiungere, Sadoc quoque & Abiathar Sacerdotes in vrbem reuerti iuſſit, ne, ſi profugum ſequi pergerent, eodem periculo inuoluerentur. Quoniam autē timor mentem perturbat, ne quid facto opus ſit diſpicere
poſſint

Digitized by Google

poſſint ij qui periclitãtur, ſe eo vacuum ſatis probauit Dauid, cum Chuſai Arachitem *ſciſſa veſte & terra pleno capite* obuiam habuit, qui cum Regem ſuum ſequi vellet, optimo ſanè conſilio à Rege dimiſſus eſt, vt cum Sadoc, & Abiathar Sacerdotibus ab Abſalone ſtare ſe ſimularet, occultè tamen Regi faueret, & Achitophelis aſtuta cõſilia diſturbaret. *Si veneris mecum* (inquit Dauid Chuſai alloquens) *eris mihi oneri; ſi autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Abſalon: Seruus tuus ſum Rex: ſicut fui ſeruus patris tui, ſic ero ſeruus tuus, diſſipabis conſilium Achitophel. Habes autem tecum Sadoc & Abiathar ſacerdotes, & omne verbum quod audieris de domo Regis indicabis Sadoc, & Abiathar ſacerdotibus: ſunt autem cum eis duo filij eorum Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar, & mittetis per eos ad me omne verbum quod audiueritis.* Eandem verò animi cõſtantiam perpetuo tenuit, donec Abſalone extincto, & regnò & ſuis reſtitutus eſt. Nihil attinet hoc loco dicere de Iobi in aduerſis tolerandis patientia & animi æquitate, cuius vox *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, omnium ore celebratur, cum non Regibus tantum, qualem & ipſum fuiſſe non leuibus probatur coniecturis, ſed omnibus planè hominibus patientiæ exemplar propoſitus ſit, vt diſcant, qui ærumnis, doloribúſque conflictantur quomodo ſe in illis perferendis gerere debeant: quod ipſum de Tobia affirmare poſſumus, nã de vtriuſque ita ſcribitur in hiſtoria Tobiæ: *Hanc autem tentationem ideo permiſit Dominus peruenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicut & ſancti Iob.* Hanc ergo fortitudinis partem, quæ in malis conſtanti animo perpetiendis conſiſtit, ad ſe

Ibid.n.32.

Ibid.n.33.

Iob 1.21.

Tob.2.17.

Digitized by Google

ſe etiam pertinere Principes putent, nam frequenter accidit potentiſſimis etiam Regibus, vt ad voluntatem res, quæ geruntur minimè fluant, multæque exiſtant, perturbationis, timoris, aut certè mœroris cauſæ, quibus cedendum non eſt, ſed contra potius obſiſtendum, animúſque vincendus; quod qui faciunt non minorem merentur laudem, quàm qui admotis machinis, & exercitibus arces munitiſſimas quatiunt, & in poteſtatem redigunt, iuxta ſapientis dictum, ita pronuntiantis, *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Quem locum explicans D. Gregorius homilia quadam, *Minor eſt ergo victoria*, inquit, *vrbes expugnare, quia extra ſunt, quæ vincuntur. Maius autem eſt, quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſeparatur, & ſemetipſum ſibimetipſi ſubiicit, quando cum patientia in humilitate tolerantiæ ſternit.*

Prou. 16. 32.

Homil. 35. in Euang.

An fortitudini repugnet edere ſigna doloris.

3 Fortitudini autem non repugnat in priuatis, aut publicis calamitatibus ſigna quædam doloris edere, quemadmodum ſcripturis frequenter legimus fortiſſimos ſapientiſſimóſque viros, iuxta æui illius morem veſtimenta ſcidiſſe, cùm primùm triſti aliquo nuntio aures eorum perculſæ ſunt. Sic Iacob ad conſpectum cruentæ illius tunicę, quam Ioſeph nati ſui ſanguine infectam putauit: ſic Iob, & Dauid; ille, cùm in caput filiorum ſuorum domum procubuiſſe, & ſub ea oppreſſos iacuiſſe; hic verò, cum fuſis Hebræorum copiis Saulem Ionathámque in bello cecidiſſe cognouit, veſtes in argumentum, ſignificationémque doloris ſcidiſſe leguntur. Quod etiam fecit Ioſuë cum ad Hai infeliciter ab Iſraële pugnatum eſſet, Domino propter vnius dumtaxat

Geneſ. 37. 34.

Iob 1. 20.

2. Reg. 1. 11.

Digitized by Google

xat ſcelus in multorum capita ſæuiente. Huc etiã ſpectat lapidearum confractio tabularum, quas Moſes cum de Monte deſcenderet, & populum in religionem, conflato adoratóque vitulo, peccaſſe comperiſſet, comploſas colliſáſque comminuit. Neque enim ad conſtantiam pertinet ad mala, quæ nobis diuinitus intentantur, non commoueri, vt egregiè docuit D. Gregor. explicãs illud Iob, ſcidit veſtimenta ſua. *Nonnulli*, inquit, *magna conſtantia philoſophiam putant, ſi diſciplinæ aſperitate correpti, ictus verberum doloréſque non ſentiant. Nonnulli verò tam nimis percuſſionum flagella ſentiunt, vt immoderato dolore commoti, etiam in exceſſu linguæ dilabantur. Sed quiſquis veram philoſophiam nititur tenere, neceſſe eſt vt inter vtraque gradiatur. Nõ eſt enim pondus veræ virtutis inſenſibilitas cordis, quia & valde inſana per ſtuporem membra ſunt, quæ & inciſa ſentire dolorem nequaquam poſſunt. Rurſus virtutis cuſtodiam deſerit, qui dolorem verberum vltra quam neceſſe eſt ſentit, quia dum nimia afflictione cor tangitur, vſque ad impatientiæ contumelias excitatur, & qui per flagella corrigere male facta debuerat, agit vt nequitia per flagellum creſcat. Contra inſenſibilitatem quippe percuſſorum per prophetam dicitur. Percuſſiſti eos, nec doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Contra puſillanimitatem verò percuſſorum per pſalmiſtam dicitur. In miſeriis non ſubſiſtent, in miſeriis namque ſubſiſterent, ſi æquanimiter aduerſa tolerarent. At poſtquam mente inter flagella corruunt, quaſi inter illatas miſerias ſubſiſtendi conſtantiam perdunt.* Hæc aliáque S. Doctor in eandem ſententiam. Princeps ergo in publicis præſertim calamitatibus, quibus Rempublicam affligi contigerit, ſenſum doloris oſtendat: hac enim ſignificatione

Ioſue 7. 6.
Exod. 32. 19.
D. Greg. l. 2. moral. cap. 16.
Ierem. 5. 3.
Pſal. 139. 11.

exhibita,pietatem in patriam,charitatem in ſuos oſtendet, dum ea quibus ipſi premuntur infortunia ad ſe etiam pertinere profitetur: quare ſibi apud omnes beneuolentiam conciliabit, tandémque ſummi Principis Chriſti exemplum imitabitur, qui Ieroſolymæ impendens excidium animo præcipiens ſolutus eſt in vberes lacrymas, ſuæ gentis miſeratione commotus.

Luc.15. 41.

Magnitudinis animi eſſe minus ſecundos rumores qui ſparguntur, negligere.

4 Fortitudinis etiam & magnitudinis animi eſt, minus ſecundos rumores, qui de Principibus viris aliquãdo ſparguntur, magno animo ferre, nec ſtatim aut lubricum linguæ ad pœnam trahere, aut eorum, quæ iactantur, impatientia officium prodere. Exemplo ſit Moſes, qui cum populum Ægypto eduxiſſet, iamque ſuorũ ceruicibus barbarorum gladios, qui proximè aberant, impendere videret, ipſe verò cum vniuerſo exercitu, quâ maris planitie,quâ immanium mõtium dorſo interclusus cogeretur in anguſtum, nec arma aut tela muniendis corporibus, aut hoſtibus propulſandis ſuppeditarent,imminentíſque mali expectatio vulgi linguas in ductorem acueret, inuidiam tamen erecto animo paſſus eſt, & ipſis vt confiderent, diuini auxilij ſpe propoſita, auctor factus eſt. *Cúmque appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſraël oculos, viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valde, clamaueruntq́ ad Dominũ, & dixerũnt ad Moyſen. Forſitan nõ erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos vt moreremur in ſolitudine, quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex Ægypto dicentes. Recede à nobis, vt ſeruiamus Ægypiis? Multo enim melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine. Et ait Moyſes ad populum. Nolite timere, ſtate & videte magnalia Dei, quæ facturus eſt hodie. Ægyptios enim quos nunc*

Exod.14. 10.

nunc videtis, nequaquam vltra videbitis, vſque in ſempiternum. Quod Moſi, id Principibus omnibus vſu venire ſolet, vt etiam cum moderatè ſubditis præſunt, malè audiant, quibuſdam rerũ ignoratione, aliis perturbatione aliqua animi, pleriſque intemperantia linguæ obloquentibus. Quã- quam verò latere Principes iſta nõ poſſunt, quando maximè etiam arcana, & quæ in cubiculorum penetralibus quis loquutus eſt, aut cum animo ſuo meditatus, per delatores, regiis auribus accidunt, vt docet ſapiens, *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit ſententiam:* nihilominus Principibus propterea iraſcendum ferè non eſt, ne forte vitia, quæ obiiciuntur, videantur agnoſcere, ſed potius fortiter ferendum: ſic enim fiet vt quæ obiiciuntur ſpreta citius exoleſcant. iuſtitia potius, cæteriſque virtutibus, quibus Principes de ſubditis bene mereri conſueuerunt, curandum vt populorum voluntates ſibi adiungant, quamquam ne tum quidem cum his artibus vſi fuerint, auſim polliceri ab obtrectatoribus fore ſecuros, *Iniquos,* vt ait Dauid, *odio habent:* ſcelera vindicant? inclementes audient, aut crudeles: ſontibus ratione ducti condonant? pœna aut legis aliqua obligatione bene de republ. meritos ſoluunt? iam remiſſi, languidi, & in legum cuſtodia, negligentes appellantur. *Sæpe aliquid,* inquit D. Greg. *à maioribus diſpenſatoriè agitur, aut præcipitur, quod à minoribus error putatur, quod bene bobus calcitrantibus inclinata illa teſtamenti arca ſignauit, quam quia caſuram credens leuiter erigere vo-*

Eccl. 10. 20.

Pſal. 118. 113.

D. Greg. 5. moral. cap. 10. 2. Reg 6.

lum, mox ſententiam mortis accepit. Quid eſt enim mens iuſti, niſi arca teſtamenti, quæ geſtata à bobus calcitrantibus inclinatur, quia nonnunquam etiam, qui bene præeſt, dum ſubiectorum populorum confuſione concutitur, ad diſpenſationis condeſcenſionem ex ſola dilectione promouetur: ſed in hoc, quod diſpenſatoriè agitur, inclinatio ipſa fortitudinis caſus putatur imperitis. Unde & nonnulli ſubditi contra hanc, manum reprehenſionis mittunt, ſed à vita protinus ipſa ſua temeritate deficiunt: Leuites verò quaſi adiuuans manum extendit, cum delinquens vitam perdidit, quia dum infirmi quique fortium facta corripiunt, ipſa viuentium ſorte reprobantur. Et paulo poſt. Unde rectè Leuites idem Oza dicitur, quod videlicet, robuſtus Domini interpretatur, quia præſumptores quique, niſi audaci mente robuſtos, ſe in domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta, velut infirma indicarent. Hactenus Gregorius. Satius itaque eſt, cum animo reputare Regium eſſe, cum bene feceris male audire, eóque impenſius curare vt Deo, cui omnis noſtra militare debet induſtria, reliquis omnibus ſpretis, placeamus, & cum Apoſto-
1 Cor. 4. 3. lo dicere; *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.*

De fortitudine quæ cernitur in aggrediendo.

5 Altera fortitudinis pars in audendo poſita eſt, vt nimirum nulla arduarum, terribiliúmue rerum formidine deterriti, ea aggrediamur, quæ recta præſcribit ratio: in quo temeritas in primis vitanda eſt, quod illi non faciunt, qui nulla ſpe bonæ frugis ſe dant in pericula, ex quibus incolumes euadere nulla ratione poſſunt. Cuius rei exemplum illuſtrius in Sacris hiſtoriis non reperio, quàm Pharaonis, & Ægyptiorum

Digitized by Google

ptiorum, qui cum Hebræos inſecuti fuiſſent, vt illos reuocarent in ſeruitutem, cúmque Iſraëlitæ in vlteriorem ripam ſuperato mari rubro, quod illis patuerat Diuino miraculo, traieciſſent, auſi ſunt cum vniuerſo exercitu per eandem viam hoſtes inſequi: cuius tamen temeritatis pœnas ſtatim dederunt, aquis, quæ vtrinque in aggeris modum ſteterant refluentibus, & vorticibus ita multitudinem illam abſorbentibus, vt ne vnus quidem ſuperſtes relinqueretur, qui tantæ cladis nuntium ferret in Ægyptum. Nec temeritatis effugerunt notam *Ioſephus Zachariæ filius, & Azarias Princeps virtutis*, qui dixerunt. *Faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus pugnare aduerſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt.* Verùm, quia temerarius fuit eorum conatus, *quia non audierunt Iudam, & fratres eius exiſtimantes fortiter ſe facturos; fugati ſunt vſque in fines Iudaæ, & ceciderunt illo die de populo Iſraël ad duo millia viri, & facta eſt fuga magna in populo.* Et ſubditur paulo poſt, *In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in prælium.* Par Azaëlis temeritas, quam etiam par exitus eſt conſecutus, nam cum Abner Princeps exercitus Isboſethi Saülis filij cum exercitu Dauidis infeliciter pugnaſſet, fugáque ſibi conſuleret, Aſaël Saruiæ Dauidis ſororis filius, qui *curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de capreis, quæ morantur in ſyluis perſequebatur Abner; & non declinauit ad dexteram neque ad ſiniſtram, omittens perſequi Abner. Reſpexit itaque Abner poſt tergum ſuum, & ait: Tu ne es Aſaël? Qui reſpondit, ego ſum. Dixitque ei Abner. Vade ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, & apprehende vnum ex adoleſcentibus, &*

Exod. cap. 14.

1. Machab. 5. 56.

Ibid. n. 61.

Ibid. n. 67.

2. Reg. 2. 18.

Digitized by Google

tolle tibi ſpolia eius. Noluit autem Aſael omittere, quin vrgeret eum. Rurſumq́ locutus eſt Abner ad Aſaël; Recede, noli me ſequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum. Qui audire contempſit, & noluit declinare. Percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit, & mortuus eſt in eodem loco. Abſit ergo à viro Principe temeritas, quæ tanto eſt in illo periculoſior, quãto aditis temere periculis, rebus infeliciter geſtis, maius Reipublicæ detrimentum creatur, quàm ſi priuatus aliquis homũcio in aliquod ſe vitæ diſcrimen coniiciat, à quo Reipub. ſtatus, & tranquillitas non dependet. Ea verò adſit fortitudinis pars, quæ ſpectatur in periculis, arduiſque negotiis aggrediendis, difficultatibus, quæ iter impeditum, ac difficile reddunt, ſuperatis. Huius fortitudinis exemplum habemus in Caleb in libro Numerorum, qui cum animaduertiſſet populum, non audere Palæſtinorum terram inuadere, quam illis promiſerat Dominus, territum inani quadam monſtrorum ſpecie, quæ exploratores ſe vidiſſe iactabant, murmur ſubortum dictis compeſcere conatus eſt, metúque perculſis animos addere, vt ſperarent ſe proculdubio eas omnes pertũpere difficultates poſſe, quibus promiſſionis terram putabant obſeptam, ſibíque perſuaderent, ſe ad illius poſſeſſionem, modo auderent, non ita multo poſt peruenturos eſſe. *Aſcendamus*, inquit, *& poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.* Et quamuis alij, qui terram illam luſtrauerant, contra niterentur, dicerentque, *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt*; vrgere tamen non deſinebat, animóſque addere quantum poterat conabatur,

Num. 13. 31.

batur, dicens : *Ne timeatis populum terræ huius, quia ſicut panem, ita eos poſſumus deuorare.* Nec ſilentio inuoluenda Abrahami fortitudo, qui cum Loth conſanguineum ſuum à quatuor Regum exercitu captum audiuiſſet, *numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & perſecutus eſt vſque Dan, & diuiſis ſocijs irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos: & perſecutus eſt eos vſque ad Hoba, quæ eſt ad læuam Damaſci, reduxitque omnem ſubſtantiam, & Loth fratrem ſuum, cum ſubſtantia illius, mulieres quoque & populum.* Quamuis autem non dicatur in ſcriptura copiarum Regum illorum quatuor, quanta fuerit multitudo, par tamen eſt credere, multo plures milites habuiſſe in caſtris quatuor Reges, quàm potuerit Abraham in tanta celeritatis neceſſitate contrahere. Atque propter hanc cauſam crediderim numerum militum Abrahami, in ſacra hiſtoria expreſſum fuiſſe, vt quicumque factum illud legeret, intelligeret, egregiæ fortitudinis facinus ab eo patratum fuiſſe, qui cum tumultuaria illa paucorum vernaculorum manu, copioſum Regum nonnullorũ exercitum aggredi nõ dubitauit. Aliud ſanè eximium fortitudinis exemplum, imo nõ vnicum tantum, ſed multiplex ſpectare licet in Machabæis, qui Mathathiam filium Ioannis, qui ſicut Phinees, zelatus eſt legem Domini, audacter ſecuti, Mathathia proclamante, *Omnis qui zelum habet legis ſtatuens teſtamentum, exeat poſt me,* auſi ſunt poſt ſacrilegè nefarium hominem, auitæ religionis violatorem, trucidatum, bellum aduerſus Antiochum Regem potentiſſimum, eiuſque duces ſuſcipere, & fortiter gerere; & quamuis numero eſſent haud paulo inferiores, acie tamen decerne-

Num. 14. 19.

Geneſ. 14. 14.

1. Machab. 2. 27.

re veriti non ſunt, ſecundis etiam euentibus hoſte non ſemel cæſo, & in fugam acto, aſſertáque genti ſuæ libertate, ex quo magnam ſibi bellicæ

Ad Hebr. 11.32. fortitudinis gloriam pepererunt. *Sed deficiat me tempus enarrantem, de Gedeon, Barac, Samſon, Iephthe, Dauid*, & reliquis quamplurimis, qui *fortes*

Ibid. n. 34. *facti ſunt in bello, caſtraque verterunt exterorum.* Nam vel ex vno Machabæorum libro plurima afferri poſſent, quæ ad abſolutiſſimam fortitudinis ſpeciem ob oculos ponendam mirificè facere poſſent.

Primum adiumentũ ad fortitunem conſequendã, de ea ſcilicet à Deo poſtulanda. Prou. 8.14.

6 Aliquot ergo proponamus adiumenta, quæ ad fortitudinis vim exercendam, cum opus fuerit, non parum prodeſſe poterunt. Ac primò quidem, quod eſt cum aliis virtutibus ac Dei donis commune, meminerimus eam eſſe à Domino poſtulandam, nam vt dicitur in Prouerbiis, *Mea eſt fortitudo & ſpiritus* ille *fortitudinis*, cuius inter cætera dona meminit Iſaias; dicitur *ſpiritus Domini*, à quo nimirum largiente proficiſcitur: & in Deu-

Iſa. 11.2. Deuter. 8. 17. teronomio admonentur Iſraëlitæ, *ne dicant in corde ſuo, Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterũt*; ſed recordentur Domini Dei ſui, quod ipſe vires præbuerit. Quod egregiè præſtitit S.

Pſal. 17.1. Ibid. n. 33. Dauid, cuius illa verba ſunt in Pſalmo, *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum. & Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam, qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me. Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti vt arcum æreum brachia mea, dilataſti greſſus meos ſubtus te, & non ſunt infirmata veſtigia mea. Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt*

runt ſtare: cadent ſubtus pedes meos, & præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me, & inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti, clamauerunt, nec erat, qui ſaluos faceret ad Dominum, nec exaudiuit eos, & comminuam eas, vt puluerem ante faciem venti & lutum platearum delebo eos: quibus addit S. Vates alia nonnulla in eandem ſententiam ex quibus, quod ipſe probè intelligebat, omnibus conatur perſuadere, ſe quicquid nactus erat fortitudinis, & potentiæ, qua hoſtium ſuorum ſuſtinebat impetum, eoſque cladibus atterebat, diuinum eſſe munus à Domino conceſſum, à quo bona omnia nobis proueniunt, ac proinde in eo dumtaxat eſſe gloriandum, cuius beneficio fieret, vt ea perficere poſſemus, ad quæ manus admoueremus. Quare hanc S. Dauidis fortitudinem extollens D. Ambroſius de illo ita ſcribit, ſanè eleganter. *Nunquam (Dauid) niſi conſulto Domino bellum adorſus eſt, ideo in omnibus victor præliis, vſque ad ſummam ſenectam manu promptus, bello aduerſus Titanas ſuſcepto, ferocibus bellator miſcebatur agminibus, gloriæ cupidus, incurioſus ſalutis.* Propter hanc eandem cauſam S. Iob hoſtes ſuos ad certamen prouocare, aut de illis ſibi victoriam polliceri non prius audet, quàm ſibi Numen adſit, cuius fretus potentia, nullius declinat congreſſum, nullúmque defugit aduerſarium, quantumuis virium confidentia ferocientem, ſed victorem ſe in pugna futurum certiſſimè ſtatuit, deque eo pollicetur triumphum. *Pone*, inquit, *me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.*

Lib. 1. de off. c. 35.

Iob 17. 3.

7 Alterum fortitudinis adiumentum à Prudentia petendum eſt, neque enim robore tantum corporum, ac violentia lacertorũ depugnandum eſt,

Secundum adiumentum, de iuuanda for-

Digitized by Google

titudine induſtria adminiculis. eſt,ſed vires conſilio regendæ ſunt, quæ licet longè inferiores videantur, frequenter tamen accidit, vt aduerſarios ſuos deiiciant, victoriamque conſequantur. Quæ bellua leone ſæuior aut fortior, de quo dicitur in Prouerbiis: *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum:* & nihilominus hominum longè imbecilliorum induſtria, ita domantur leones, vt etiam ſub iugum miſſi legantur aliquando. Quod etiam in aliis belluis ferociſſimis locum habet, quare S. Iacob. *Omnis,* inquit, *natura beſtiarum, & volucrum & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana.* Cum igitur venitur in certamen fortitudinis compoſitis v. g. exercitibus, non tantùm ſtolidè de fortitudine corporum decertandum eſt, quod belluarum proprium eſt, ſed quod humanam decet ſolertiam, ingenij etiam vires exercendæ ſunt, & exerendæ, quod adeo à fortitudine alienum non eſt, vt multorum fortiſſimorum ducum exemplis probari poſſit id, quod aſſerimus.

Prou. 30. 30.

Iacob. 3. 7.

Geneſ. 14. 15.

Nam Abraham cuius paulò ſuperius mentionem fecimus, cum quatuor Regum exercitus ſuperare ſe poſſe diffideret, ſi illos interdiu explicata acie prouocaſſet ad pugnam, nocturnis vſus tenebris nihil minus opinantes aggreſſus eſt; tantúmque abeſt, vt hoc aliquid, de fortitudinis gloria detrahat, vt addat quaſi cumulum, ſingularis cuiuſdam ſolertiæ militaris eximiam laudem, ſtulti enim ac furentis eſt in pugnam ruere, & totius corporis niſu in id quod ſemel inuaſeris incumbere, cum fieri videamus frequenter, vt qui hunc pugnandi modum ſectantur, ſe ipſos hoſtium telis induant imprudenter, cum interim qui conſilio rem gerunt, vel leui corporis declinatione

natione maxima pericula euadere poſſint. Hinc varius in bellis ſtratagematum vſus, vt cum Gedeon pauculis militibus, nam trecentos tantum ad eam expeditionem eduxit, facibus, teſtaceis lagenis incluſis inſtructos, de nocte ad Madianitarum hoſtium caſtra admouit, ad quæ cum peruentum eſſet, lagenis repente comploſis, micantium ignium ludibrio, in ſpeciem terribili, perculſi hoſtes clangentibus Gedeonis tubis, ita conturbati ſunt, vt *vociferantes, vlulanteſque fugerent*, luculentamque victoriam Gedeon nulla ſanguinis effuſione reportaret. Res autem quam tractamus de coniungenda nimirum cum viribus induſtria, non malè fortaſſis nobis exprimitur in Prouerbiis, cum fortis illius mulieris facinora deſcribuntur, quam cum dixiſſet Salomon, *manum ſuam miſiſſe ad fortia*, ſtatim ſubiungit, & *digiti eius apprehenderunt fuſum*, quod artificij genus exercetur induſtria. vt nimirum intelligeremus hæc duo non tantum in œconomicis officiis, ſed in aliis etiam publicis muneribus, ſiue pacis tempore, ſiue belli, ſemper coniungenda eſſe, vt ſcilicet fortitudini comes eſſet induſtria, ſine qua nihil præclarum perfici poteſt. Nec myſterio vacare videtur, quod apud Hebræos eadem vox חריץ fortem ſignificat, & ſolicitum. Quare quod S. Hieronymus Prou. cap. 21. vertit *cogitationes robuſti ſemper in abundantia*, ex Hebr. Pagninus & alij verti poſſe putant *cogitationes ſoliciti*, quod & alibi locum habet, cum eadem occurrit vox, vt in eodem libro Prou. cap. 12. & 13. videtur enim indicari ſolicitudinem iſtam ad virum fortem ita pertinere, vt ad perficienda, quæ fuerit aggreſſus, plerumque neceſſaria ſit. Neque fortitudini repugnat

Iud. 7. 21.

Prou. 31. 19.

Prou. 21. 5.

Prou. 12. 24.

Prou. 13. 4.

Digitized by Google

pugnat cum metus aut diſcrimen mortis inciderit, ad quædam ſe demittere, quæ alioquin vilia videantur, ſi tamen abſit noxa, nec diuinæ legi aduerſentur: nec enim mentiri licet, aut peierare, aut dolis graſſari. Quæ omnia repugnant rationi, & ſine peccato admitti non poſſunt. Sic Iſraëlitarum exploratores cum Ierico venißent, apud meretricem delituerunt; ſic Dauid apud Achis Getheorum regem ſtultitiam in loco ſimulauit; ſic Ionathas, & Achimaas Abſalonis arma fugientes, in puteum deſcenderunt, cuius os mulier velo quodam obduxit ne videri poſſent; ſic tandem D. Paulus ſporta per murum demiſſus eſt ab amicis, vt ab inimicorum violentia ſe ſeruaret incolumem.

Ioſue 2. 1.
1. Reg. 21. 13. & 22. 1.
2. Reg. 17. 19.
Act. 9. 25.
2. Cor. 11. 13.

8 Tertium adiumentum eſt, vt inanibus terroribus remotis, res quas aggreſſuri ſumus, vt reuera ſunt, conſideremus, non vt ſe nobis oſtendunt. Nam plerumque fit, vt metu perturbatis, quædam magna videantur aut terribilia, quæ ſi ſedato animo, detractaque perſona quæ ſenſibus noſtris illudit, ſuæ veræ faciei reddantur, ſatis appareat inanem illum fuiſſe metum; quo perculſi pueriliter formidauimus, vt ſcilicet nobis illud acciderit, quod alicubi dicit Regius Pſaltes. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Talẽ ſed falsò Zebul putauit eſſe Gaal, qui cum militum cuneos aduentantes vidiſſet è ſpecula, Zebul hoſtilis exercitus aduenientis admonebat, qui illũ timidorum more, ſine cauſa trepidare credens, *Vmbras,* inquit, *montium vides quaſi capita hominum & hoc errore deciperis.* & quidem opinio ſpeculatorem non fefellit, increpatio tamen Zebul nobis eleganter timidorum expreſſit ingenium, qui nihil non

De inanibus terroribus non formidandis.
Pſal. 13. 5.
Iud. 9. 36.

Digitized by Google

non timent, & ſi de nocte ſomniarint, ſibi mali aliquid accidiſſe, quaſi futuri euentus omen ſit, ſolicitè ſibi cauent, nec ad ea, quæ facienda ſunt aggredi audent, metu infauſti exitus retardati. Egregium huic rei probandæ teſtimonium ſuppeditaretur ex eodem libro Iudicum, ſi ſomnium, de quo ibi agitur, diuinitus ad Gedeonem confirmandum immiſſum non fuiſſet: quamuis autem ita ſit, tamen illa narratione ſatis oſtenditur quàm facile terriculamentis quibuſdam nullius momenti, mentes hominum quorumdam meticuloſorum percellantur. *Cúmque veniſſet Gedeon,* Iud. 7. 13.
inquit (ad caſtra ſcilicet Madianitarum) *narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo, & in hunc modum referebat, quod viderat. Vidi ſomnium & videbatur mihi, quaſi ſubcinericius panis ex ordeo volui, & in Caſtra Madiam deſcendere, cumque perueniſſent ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit. Reſpondit is cui loquebatur. Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraëlitæ,* &c. Ita duo illi diſſerebant Madianitæ, qui fortaſſis cum aliis communicato ſomnio ita exercitus illius milites affecerunt, vt cum primum increpuit Gedeonis tuba, in effuſiſſimam fugam verterentur. Sic Iſraëlitæ exploratoribus, quæ viderant in terra, quam luſtrauerant, in maius attollentibus, ac dicentibus: *Terra quam luſtrauimus, deuorat* Num. 13. 13.
habitatores ſuos, populus, quem aſpeximus proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra, quædam de genere gigantæo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur: adeo commoti ſunt & conſternati, vt ſibi eſſe putarent vtilius Ægyptum repetere, vbi duriſſimam ſeruiuerant ſeruitutem, quàm terram illam inuadere, quam vel ipſorũ exploratorum teſtimonio vber-

rimam

rimam eſſe didicerant, melléque & lacte fluentem, qui ſi populi aggredientis multitudinem ac vires, quodque caput erat, præſentiſſimum, quod ad eam diem experti fuerant, numinis auxilium perpendiſſent, fierique poſſe putaſſent, vt quæ dicebantur ab exploratoribus, non omnino certa eſſent, tanto ſuo malo, Domini eos ducentis Imperium non detrectaſſent.

De incommodorum, quæ timidos & remiſſos in aggrediendo conſequuntur, conſideratione.

9 Quartum adiumentum eſt, in mentem reuocare malorum & incommodorum magnitudinem, quæ eos ſequuntur, qui remiſſiores ſunt, & languidiores in agendo, contra verò bona plurima quæ fortitudinem, & ſtrenuitatem comitantur. Multus eſt Salomon in hoc loco tractando, idemque monitum frequenter inculcat, vt excuſſa pigritia nogotiis fortiter manum admouendam eſſe perſuadeat. *Egeſtatem*, inquit, *operata eſt, manus remiſſa, manus autem fortium diuitias parat.* (Prou. 10. 4.) *Et manus fortium dominabitur, quæ autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet.* (Prou. 12. 24.) *Et Pigredo immittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet.* (Prou. 19. 15.) Re enim vera ita eſt, qui magno animo imperium, aut negotium aliud quodcumque capeſſit, difficultates, quæ exiſtunt examinat, quæ adhiberi poſſint remedia ſolerter inueſtigat, & cum inueſtigauerit adhibet, & *quodcumque facere poteſt manus ſua, inſtanter operatur,* (Eccleſ. 9. 10.) omnes difficultatés diſcutit, omnes ſalebras complanat, greſſuſque ſuos dilatat, vt ſcriptura loquitur, vt confidenter poſſit incedere, & res ad publicum ciuitatis ſtatum pertinentes feliciter adminiſtrare, & promouere. Contra verò piger, & remiſſus omnia ita formidans, ac ſi ab illis extremum aliquod malum metuere deberet, dicit, vt eſt apud Salomon: *Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.* (Prou. 22. 13.)

ſum. Ex quo fit, vt cum per huiuſmodi difficultates, quas aggredi reformidat, muneri ſuo deſit, omnia peſſum eant, vt de eodem inerte ſapiens teſtatur, cum ait: *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat: quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. Parum inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conſeres vt quieſcas, & veniet tibi quaſi curſor egeſtas, & mendicitas quaſi vir armatus.* Prou. 24. 30.

10 Quintum adiumentum eſt, vt fortiſſimorum virorum exempla nobis ponamus ob oculos, vt eorum excitati exemplo nos etiam fortiter facere condiſcamus. Quamuis autem nonnulla hoc capite dicta ſunt, ex quibus de fortitudine virorum quorumdam eximiorum, quorum ſcriptura res præclarè geſtas cum laude commemorat, capere poſſumus coniecturam; placet tamen S. Ambroſij verba hic inſerere, quibus probat bellicam fortitudinem veræ fidei ſectatoribus non eſſe inuſitatam: quæ verba propterea affero, quia exempla duntaxat ex ſcripturis petita continent, ac proinde ſunt inſtituto noſtro accommodatiſſima, qui nullis aliis vtimur in hoc opere firmamentis, ad ea, quæ dicimus ſtabilienda, quàm iis, quæ ex ſacris Scripturis depromi poſſunt. *Quam fortis,* inquit Ambroſ. *Ieſus Naue, vt vno prælio quinque Reges captos ſterneret, cum populis ſuis? deinde cum aduerſum Gabaonitas ſurgeret prælium, & vereretur ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamauit. Stet ſol, & ſtetit, donec victoria conſummaretur. Gedeon in trecentis viris de ingenti populo, & acerbo hoſte reuexit triumphum. Ionathas adoleſcens virtutem*

De fortiū virorum exemplis & imitatione.

Lib. 1. off. c. 40.
Ioſ. 10.
Iudic. 7.

1.Reg.14. *tem magnam fecit in prælio. Quid de Machabæis loquar? Sed prius de populi dicam Patribus, qui cum eſſent parati ad repugnandum pro templo Dei, & pro legitimis ſuis, dolo hoſtium die laceſſiti Sabbathi, maluerunt vulneribus offerre nuda corpora, quàm repugnare, ne violarent Sabbathum! itaque omnes læti ſe obtulerunt morti. Sed Machabæi conſiderantes, quod hoc exemplo gens omnis poſſet perire, Sabbato etiam cum ipſi in bellum prouocarentur, vlti ſunt innocentium necem fratrum ſuorum. Vnde poſtea ſtimulatus Rex Antiochus, cum bellum accenderet per duces ſuos Lyſiam, Nicanorem, Gorgiam, ita cum Orientalibus ſuis, & Aſſyriis attritus eſt copiis, vt quadraginta, & octo millia in medio campi, à tribus millibus proſternerentur. Virtutem ducis Iudæ Machabæi de vno eius milite conſiderate.*

1.Machab. 6. *Namque Eleazarus cum ſupereminentem cæteris elephantem lorica veſtitum regia aduerteret, arbitratus quod in eo eſſet Rex, curſu concito in medium legionis ſe proripuit, & abiecto clypeo, vtraque manu interficiebat donec perueniret ad beſtiam, atque intrauit ſub eam, & ſubiecto gladio interemit eam, itaque cadens beſtia oppreſſit Eleazarum, atque ita mortuus eſt. Quanta igitur virtus animi primo vt mortem non timeret, deinde vt circumfuſus legionibus inimicorum in conſertos raperetur hoſtes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque manu vulnerata, molem beſtiæ ſubiret, ac ſuſtineret, poſt infra ipſam ſuccederet, quo pleniori feriret ictu, cuius ruina incluſus magis quàm oppreſſus, ſuo eſt ſepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis ſpectaculo defixi hoſtes inermem occupatum incurſare non auſi, poſt caſum ruentis beſtiæ ſic trepidauerunt, vt impares ſe omnes vnius virtuti arbitrarentur. Denique Rex Antiochus,*

qui

qui cum centum viginti millibus hominum armatus venerat, & cum triginta duobus elephantis, itaut ad ortum ſolis per ſingulas beſtias velut montes quidam armorum coruſco tamquam lampadibus ardentibus refulgerent, vnius territus fortitudine, pacem rogare. Itaque Eleazarus hæredem virtutis ſuæ pacem reliquit. Hactenus Ambroſius.

De perſeuerantia & conſtantia Principis.

CAPVT XX.

1 AD fortitudinem perſeuerantia pertinet, cuius pars potentialis eſt, vt morales Philoſophi loquuntur. Eius enim munus eſt animum perficere, & obdurare, vt licet diuturnitas operis moleſtiam afferat, in opere tamen inchoato perficiendo perſiſtatur, quamdiu recta ratio præſcripſerit. Nec multum differt conſtantia, cuius officium eſt efficere, vt firmiter perſiſtatur in bono contra difficultates ex quibuſcumque aliis circumſtantiis proueniant. De vtraque accipi poteſt illud D. Iacobi, *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Quem enim S. Apoſtolus *duplicem animo* dixit, is in Græco textu δίψυχος, appellatur, qua voce interpretes eum ſignificari volunt, qui in diuerſa rapitur, ac diſtrahitur, nec inſtitutum tenet, ſed ſubinde ad alia mentem & ſtudium applicat. Syrus in ſua paraphraſi hunc eundem ſenſum exhibuit, ait enim *dubius ſeu diuiſus mente ſua, & commotus in omnibus viis ſuis.* Has

Explicatur quid ſit perſeuerātia & conſtantia, vt hic accipitur, & Moſis & aliorū exemplo illuſtratur.

Iacob. 1. 8.

ergo virtutes, quæ tam modico diſcrimine ſeparantur hoc capite coniungemus, nam quæ de vna afferri poſſunt ad aliam etiam facile accommodabuntur. Occurrit autem inter alios omnes S. Moſes, quem perſeuerantiæ & conſtantiæ ſingularis abſolutiſſimum exemplar Principi ponamus ob oculos, qui diuturno tempore plurimas exhauſit moleſtias in opere complendo, quod Deo mandante ſuſceperat, populi nimirum ex Ægypto educendi, & in promiſſionis terram inducendi, quod tamen decus Ioſue Moſis ſucceſſori reſeruatum eſt. Primum enim quot repulſas à Pharaone paſſus eſt, abeundi facultatem Iſraëlitis denegante, & rem in longum trahente, vt non dierum tantum, aut menſium, ſed annorum etiam aliquot ſpatium, non improbabilibus argumentis, putent aliqui interceſſiſſe, ab eo tempore, quo primum abeundi in deſertum facultas poſtulata eſt, vſque ad illud, quo tandem malis fatigatus & fractus Pharao, expreſſam tot cladibus diſcedendi poteſtatem conceſſit. Quas verò difficultates expertus non eſt cum populo illo duræ ceruicis & refractario, is *cui* vt inquit S. Stephanus, *noluerunt obedire Patres noſtri ſed repulerunt, & auerſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum dicentes ad Aaron. Fac nobis Deos, qui præcedant nos. Moyſes enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, neſcimus quid factum ſit ei, & vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulacro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum.* Quæ ſcelera quantum mœroris Moyſi afferrent, facilè quis æſtimare poteſt, & ex illius etiam facto cognoſcere, cum in tanti vindictam ſacrilegij multa ciuium ſuorum millia in caſtris cædi iuſſit. Adde moleſtiſſimam iuris dicendi

Act. 7. 30. Exod. 32. 2.

dicendi ſolicitudinem, quam aliquamdiu, in tanta populi multitudine, tamque multis controuerſiis, quantas in ea extitiſſe par eſt credere, ſolus ſuſtinuit. Nam *ſedebat Moyſes vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à manè vſque ad veſperam*, quamquam laborem cum aliis minoribus iudicibus poſtmodum partitus eſt, Iethro illius ſocero modum illum agendi reprehendente, dicebat enim: *Non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris tu, & populus iſte, qui tecum eſt: vltra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere*. Nec verò paucis aliquot diebus, aut menſibus, ſed ſolidis quadraginta annis tantæ gubernationis tædium deuorauit. Hoc ego ſanè præſtantiſſimum perſeuerantiæ paradigma eſſe exiſtimo. Nam ſi multi reperiuntur; qui onera iſta gubernationum libenter ſubeant, magiſtratuſque ambiant, non eſt ſanè mirum, ſua enim commoda, ſuos honores, ſuos quæſtus, & compendia quærunt: at eum qui inanibus honorum titulis nihil moueatur, qui auaritiæ non ſeruiat, ſed diuinæ tantum vocationi parendi ſtudio tantos, tam diuturnos labores ſuſtineat, cum præſertim pro beneficiis in Rempublicam collatis obtrectationes rependuntur, & conuitia, hunc ego excellenti perſeuerantia & conſtantia præditum affirmo. Hoc autem paſſus eſt Moſes, de quo S. Dauid canit in Pſalmo: *Et irritauerunt Moyſen in Caſtris Aaron ſanctum Domini*. Nec tamen cum iſta pateretur, quidquam de ea beneuolétia remiſit, qua populum illum complectebatur, ſed peccantem, ſceleribuſque diuinam prouocantem vindictam, ita apud Dominum imminentia, & debita ipſis mala deprecando tuebatur, vt ſe pro illis aut mactandum, aut de libro

Exod. 18. 14.

Ibid. n. 17.

Pſal. 105. 16.

Digitized by Google

vitæ, in quo ſe ſcriptum nouerat, delendum offerret, tantùm vt à ſuorum ciuium ceruicibus impendentem perniciem auerteret. *Obſecro*, dicebat, *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*; tamdiuque Dominum precibus fatigando inſtitit, donec quod volebat impetrauit. in quo etiam illud obſeruatione dignum eſt, non ſua Moyſen commoda, aut honorem ſpectaſſe, cum tanto niſu imminentem populo calamitatem conabatur amoliri, quippe qui ſi voluiſſet, magnæ ipſe gentis Parens ac Princeps eſſe potuiſſet Domino illi pollicente, *Faciam te in gentem magnam*: ſed ſuum ipſe vrgere propoſitum maluit, ſuiſque poſthabitis commodis populum ſibi creditum eſſe optauit incolumem, quod etiam diu oratione luctando conſecutus eſt. Hoc igitur Princeps conſtitutum habeat apud ſe, cum ſemel re bene per ſe ipſum perpenſa, aut in conſilium adducta, ſententia ſteterit, in ea permanendum eſſe, nec vllis difficultatibus, blanditiis, precibus cedendum, ſed omnia perſeuerantia, ac conſtantia perrumpenda. Talem in arrepto propoſito conſtantiam & perſeuerantiam in SS. Ioſeph, & Iob agnoſcit & prædicat D. Hieronym. cuius illa ſunt verba: *Ioſeph vnum habebat propoſitum placere Deo, hoc nulla varietate temporis immutatum eſt, nec fratrum inuidia, nec conditione ſeruitutis, nec ætatis illecebris, nec Dominæ repromiſſis, nec ſquallore carceris, nec poſtea tumore Ægyptiæ poteſtatis, ſed ſemper vnus fuit, & varietatem temporum redimens, malos dies vertit in bonos. Hoc idem eſt de Iob ſentiendum, quod per varia tentamenta vexatus, nec diuitiis nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec ſolitudine, nec poſtea bonorum omnium*

reſtitu

Exod. 32. 32.

Ibid. n. 19.

Lib. 3. in epiſt. ad Epheſ. c. 4.

Digitized by Google

reſtitutione mutatus eſt. Hæc D. Hieronymus. Quare D. Paulus cum vereretur, ne forte veniret in ſuſpicionem apud Corinthios leuitatis cuiuſdam quod propoſitum Corinthum veniendi, vt pollicitus fuerat, mutaſſet, hanc ſuſpicionem, abſtergere conatur diligenter. *Cum ergo hoc voluiſſem,* inquit vt ſcilicet venirem ad vos, *nunquid leuitate vſus ſum? aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito.* Græc. *βουλεύομαι,* id eſt, delibero, & ſtatuo, vt nimirum leuitate quadam, mobilitateque naturæ, ac mutabilitate, aut (quod ij facere ſolent, qui carnis ſectantur prudentiam) mea dumtaxat commoda, aut lucra ſecutus, ita mutaui ſententiam *vt ſit apud me, eſt, aut non.* Se autem ab iſto agendi modo vehementer abhorrere propterea probat, quod in docendo vanus nunquam fuerit aut fallax, ſed ſemper idem ac ſibi conſtans, *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo, eſt, aut non.* Par igitur non eſt credere eum, qui nunquam in docendo fefellerit, quamuis tam multos habuerit aduerſarios, támque grauibus periculis propterea caput ſuum obiecerit, deinde in tantula re voluiſſe cuiquam fucum facere.

2.Cor.1:17.

2 Porrò ad conſtantiam Principi commendandam illud opportunum eſſe crediderim quod Deus, cuius viuum quoddam ſimulacrum in terris Princeps eſt, voluntatis ſuæ propoſitum non mutat, vt de ſe ipſe teſtatur apud Malachiam cum dicit, *Ego Dominus, & non mutor.* & ſententia eſt. Nullus exiſtimet me nunc malos hominum mores probare quos antea ſolebam deteſtari, & auerſari, nam idem ſemper ſum, nec placitum meum in diuerſa diſtrahitur, ita vt modò in hanc partem propendeam, modò in illam, ſed ſemper eodem

Com̄edatur Principi conſtantia, quod cum Deo ſimilē facit.

Malach. 3. 6.

tenore conſtantiam ſeruo, eadem probans, eadémque improbans. Vbi notandum in Hebræo vocem illam, mutor, eſſe שִׁנִּיתִ, quod verbum inconſtantiam quamdam ſignificat, cum ſcilicet quis nunc hoc vult, nunc illud: cui opinor apud Græcos optimè reſpondere id, quod ipſi dicunt ἐνδοιάζειν ſiue ἐνδυάζειν, quorum verborum radix, eſt vox δύο, duo. Illi autem dicuntur ἐνδυάζειν, qui nō vnum volunt ſed duo, nunc ſcilicet hoc, poſtmodum illud. Quod inconſtantium eſt, & in eodem mentis propoſito minimè perſeuerantium. Idem verò ſignificat vox Hebræa, quæ eſt in contextu Malachiæ, nam eſt à radice שנה à qua deducitur שני & שְׁנַיִם duo. nec ſine myſterio dixit ego יהוה ſcilicet Dominus, eo vocabulo vtens, quod ab eſſe deriuatur vt ſignificaret ſe eum eſſe, cui conuenit ſemper eodem modo eſſe, & à quo omnis mutatio alieniſſima eſt. Hanc eandem Dei immutabilitatem humanæ mobilitatis contentione commendat etiam Balaam in libro Numerorum. *Non eſt*, inquit, *Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo & non faciet, locutus eſt & non implebitur.* & D. Iacobus in ſua Canonica epiſtola de Deo dixit. *Apud quem non eſt transmutatio nec viciſſitudinis obumbratio.* Hanc autem conſtantiæ laudem magnam, & humano faſtigio celſiorem eſſe putauit ſapientiſſima illa mulier Thecuitis, quæ Abſaloni reditum in Patriam impetrauit. quæ Dauidem laudans & in promiſſione ſtabilem reddere cupiens cum Angelo compararat verbis illis: *Fiat verbum Domini mei Regis ſicut ſacrificiū: ſicut enim Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur, vnde & Dominus Deus tuus eſt tecū.*

Num. 23. 19. Iacob. 1. 17. 2. Reg. 14. 17.

3 Nec

Digitized by Google

3 Nec verò, qui facile mutatur, à diuinæ tantum perfectionis imitatione, aut Angelorum longe abeſt, ſed inter homines etiam effugere non poteſt leuitatis, & ſtultitiæ cuiuſdam notam. Itaque omnes, qui honoratiorem aliquem locum occupauerint in Republ. hanc conſtantiæ laudem affectare ſolent. Quare Pilatus vrgentibus Iudæis, quibus gratificari ſtudebat, & in quorum gratiam ſcelus omnium grauiſſimum ſuſceperat vt ſcilicet innocentem Chriſtum cruci adiudicaret innoxium, ſe tamen è ſententia dimoueri non eſt paſſus, vt aliis verbis crucis inſcriptionem conciperet, ſed eam quam ſemel dictauerat retineri voluit, petenteſque vt eam mutaret, reiecit dicens, *Quod ſcripſi ſcripſi.* Et Chriſtus Dominus Ioan. Baptiſtam publicum veritatis præconem, egregiè laudare volens, eo nomine præſertim commendat, quod non inſtar arundinis, auræ cedens in quamlibet partem inclinaretur, ſed quod fortis eſſet, conſtans, rigiduſque ſatelles iuſtitiæ. *Quid*, inquit, *exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* & tandem Eccleſiaſtici auctor de inconſtantibus, & conſtantibus hoc iudicium profert. *Homo ſanctus in patientia manet, ſicut ſol: Stultus autem ſicut luna mutatur.*

Inconſtãtes etiã inter homines leuitatis infamia laborare.

Ioan. 19. 22.

Matth. 11. 7.

Eccleſ. 27. 12.

4 Sed alia etiam ratio afferri poteſt, propter quam par eſt, eum qui ad opus aliquod manum admouit, in eoque non nihil progreſſus eſt, inchoatum bonum proſequi debere, & vrgere, donec illud omni ex parte perfecerit, quia nimirum labor omnis, qui in promouendo illo opere vtiliter, & laudabiliter poſitus eſt perit, & in irritum cadit, ſi opus imperfectum relinquatur. Præclarè vt omnia, hoc docuit S. Gregor. & teſtimo-

Aliud incommodum proponitur, quod incurrunt ij, qui in bene captis non perſeuerãt, quod eorũ quæ iam facta ſunt iacturam faciunt.

Digitized by Google

niis ex ſacra Scriptura depromptis confirmauit.
Paſtor.p.3. admonit. 35. *Si inchoata*, inquit, *bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſubleuat, ipſa operandi remiſſio contra hoc quod operatum eſt, pugnat. Hinc eſt enim, quod per*
Prou.18. 9. *Salomonem dicitur, qui mollis & diſſolutus in opere ſuo fuerit, frater eſt ſua opera diſſipantis, quia videlicet qui capta bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione negligentiæ manum deſtruentis imitatur. Hinc Sardis Eccleſiæ*
Apoc. 3.2. *ab Angelo dicitur. Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant, non enim inuenio opera tua coram Deo meo. Quia ergo plena coram Deo eius opera inuenta non fuerunt, moritura, reliqua etiam, quæ erant geſta prædicebat.* Hactenus D.Gregorius.

Laudabilē eſſe conſtātiā in miniſtris, & magiſtratibus non facile à ſuis muneribus amouendis.

5 Sed his, quæ hactenus generatim diſputauimus, paucula quædam monita ſubiicienda ſunt, quæ huc ſpectant, & Principes magis peculiariter inſtruunt, qua ratione ſe gerere debeant. Primum eſt, valde laudabilem eſſe conſtantiam in adminiſtris aut ducibus, quos ſemel vt gubernationis ſuæ inſtrumenta adhibendos cenſuerit, retinendis, fouendis, & quatenus ratio recta præſcripſerit, amplificandis. Quamuis enim ſi in aliquo prauitas reperiatur loco mouendus ſit, & debitis mulctandus pœnis, alio in eius vicem ſubrogato, nec tunc turpe cenſeatur, imo valde honorificum, ſi ab omnibus dicatur illud, quod
Iob 4 18. eſt in libro Iob, *Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles:* id tamen paſſim factitare & quælibet offenſiuncula ita commoueri, vt quem omnibus honorum titulis cumulaueras, ſtatim deiicias, & inconſtantiæ nota non vacat, & prudentes ac cordatos homines ab illorum Principum aulis, qui huiuſmodi ſunt, deterret, & reuocat, vel ſi adhuc in illis hæreant, ſegniores reddit & timidiores in iis

vrgen

vrgendis, quæ Principis commoda, aut vtilitates promouere poſſent; illud enim tantum ſtudent, vt offenſionibus euitatis, res ſuas collocent in tuto. In quo ſanè optimam conditionem (vt in reliquis etiã omnibus) ij nacti ſunt, qui ſe ab illis aularum fluctibus ſubducentes, & arridentem pelagi malaciam ſuſpectam habẽtes, Dauidem audierunt monentem. *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Pſal. 145. 3. atque propterea eam vitæ rationem inſtituerunt, vt cum gaudio dicere poſſent, *Mihi adhærere Deo bonum eſt*, Pſalm. 72. 28. qui exhibita ſibi obſequia, & agnoſcit, & largè muneratur, nec ita noſtris culpis irritatur, vt irreconciliabiles cum ſeruis ſuis inimicitias gerat.

Cauẽdum Principibus ne eorũ conſtantia mulierum precibus infringatur.

6 Alterum monitum eſt, vt conſtantiam ſuam contra muliebres aſſultus bene muniat: fit enim frequenter vt Princeps recti tenax, & virorum in aula Principum precibus inuictus, vxoris aut filiæ, aut quod peius eſt ſcorti alicuius aulici frãgatur mellitis verbis, aut lacrymis, eaque concedat, quæ neganda fuerant; aut etiam ad ea deſignanda moueatur, quæ ſine aliorum iniuria fieri non poſſunt. Sunt enim mulieres quâ blãdiendo, quâ iraſcendo, & minando, quâ dolos nectendo, in iis, quæ obtinere volunt eblandiendis, admirabili arte inſtructæ, vt ſe ab illis iuſtitia & officio incolumi expedire facile non ſit. *Blandiebatur Sampſoni Dalida, quæ fundebat apud Sampſon lachrymas, & querebatur dicens. Odiſti me, & non diligis, idcirco problema, quod propoſuiſti filijs populi mei, non vis mihi exponere. At ille reſpondit: Patri meo, & Matri nolui dicere, & tibi indicare potero? Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum, tan-* Iud. 14. 6.

 démque

démque die ſeptimo, cum ei eſſet moleſta expoſuit, quæ ſtatim indicauit ciuibus ſuis. Iraſcebatur Iobi coniux marito ſuo, quem tot ærumnis circumuentum putabat, quod nimis conſtanter, iuſtitiam ſimplicitatémque coluiſſet, & quaſi vnguis in vlcere illius dolorem reddebat acerbiorem: nam
Tob.2.9. *dixit illi vxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* vel vt eſt in aliquibus Geneſis codicibus ita illum alloquebatur. *Quouſque perſeueras dicens, ecce adhuc pauliſper permaneam ſperans ſalutem meam? Ecce enim extincta eſt memoria tua, vteri mei labores atque dolores, quos cum angore tuli. Tu autem in vermium ſterquilinio conſides, ſub dio pernoctans, & ego errabunda, & ancilla locum ex loco peragrans, domúmque ex domo, ſpectans dum ſol occidat, & à laboribus acquieſcam, à doloribúſque qui me opprimunt. Loquere verbum aliquod aduerſus Deũ, & morere.* Perſimili modo exercitus eſt Tobias, nam cum ipſe domui ſuæ bene præpoſitus cauendum admonuiſſet, ne aliquid inferretur, quod furto ſublatum eſſet, vehemẽter vxor illius commota pietatem illius amarè irridere cœpit, vt eas, quas feciſſet eleemoſynas quaſi penitus inutiles exprobrare: dicebat enim. *Manifeſtè vana facta eſt fides tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt.* atque his, & aliis huiuſcemodi verbis exprobrabat ei. Sed nec Anna Tobiæ vxor, nec Iobi cõiux molles viros, & qui duris rebus frãgi poſſent, nactæ ſunt. Imbecilliorem Iezabel, quæ virum ſuum Achab
3.Reg.21.7. his verbis irridebat. *Grandis auctoritatis es, & bene Regis Regnum Iſraël. Surge & comede panem, & æquo animo eſto, ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ.* Quibus verbis adeo fractum eſt prius illud Achabi propoſitum, iuſtíque tenacitas, (quanquam

quam illud recti ſtudium non fuit, ſed potius abiectio quædam degeneris animi), vt qui prius vineæ cupiditatem ita comprimebat, vt triſtitia ac mærore propemodum contabeſceret, vxoris animatus verbis, conſenſerit audaciæ, eamque facinus impium ac deteſtandum patrantem non prohibuerit. Nec fortior Herodes, qui Ioannẽ Baptiſtam, quem ſanctitatis nomine venerabatur, quem libenter audiebat, quóque audito multa faciebat, impuræ tamen mulierculæ poſtulationi reſiſtere non ſuſtinuit, ſed annuit poſtulatis, magnaque iuſtitiæ peruerſione reus adulter in inſontem monitorem, capitalis ſupplicij pœnam ſtatuit, & quia Herodiadem *noluit contriſtare, miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.* Quanto ſapientius Salomon, ad quem cum Mater Bethſabee veniſſet, *vt loqueretur ei pro Adonia* (vxorem poſtulabat Adonias Abiſag Sunamitidem) eam quidem perhonorificè, vt matrem excepit, nam *ſurrexit Rex in occurſum eius, adorauitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum, poſitúſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius. Dixitque ei, Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam, & dixit ei Rex. Pete mater mea, neque enim fas eſt vt auertam faciem tuã. Quæ ait, detur Abiſag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor.* Sed cum Salomon, cauſis quibuſdam ductus, id omnino publicæ paci noxium iudicaret, adeo matri poſtulanti quod volebat non conceſſit, vt etiam Adoniam, quem his artibus ad regnum graſſari ſentiebat, iuſſerit interfici. Quam vtinam conſtantiam ad exitum vſque vitæ ſemper ſeruaſſet, ſic enim mulierum blanditiis & precibus ſuperatus,

Marc. 6. 26.

3. Reg. 2. 19.

tus, idololatriæ ſcelus grauiſſimum non ſuſce-
3.Reg.11. 4. piſſet. *Nam cum iam eſſet ſenex deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius. Sed colebat Salomon Aſthartbẽ Deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. Fecitque Salomon, quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit vt ſequeretur Dominum ſicut Dauid Pater eius. Tunc ædificauit Salomõ fanum Chamos idolo Moab, in monte qui eſt contra Ieruſalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant dijs ſuis.* Hic igitur tantus vir, quem vniuerſo Hebræorum Regno imo cæteris etiam nationibus admirationi fuiſſe ſcimus, propter ingenij, ſapientiæ, opulentiæ propemodum infinitæ magnitudinem, de conſtantiæ ſtatu mulierculis trahentibus miſerè deiectus & à veri Dei cultu ad Idolorum profanitates fœdè traductus eſt, vt vel hoc vno exemplo liquidiſſimo appareat, veriſſimum fuiſſe quod Dominus tanto ante prædixerat, cum populo ſuo vetuit ne gentilium idololatrarum filias ſibi vxores adiun-
3.Reg.11. 2. gerent, dicens: *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum.* Quod ſi in grauiſſimo religionis nogotio, in quo etiam aliis ſceleribus maculati homines conſtanter omnem labeculam auerſantur, euincunt tamen mulieres vt eiurata veteri religione muta ſimulacra Dæmonum colantur pro numinibus, Deo ipſo contempto cui grauiſſima infertur iniuria; quàm procliues fore putamus ad alia minora peccata, quæ cum Dei cultu non ita aduerſa fronte pugnant,

gnant, cuiuſmodi ſunt iniuriæ, rapinæ, cædes, quæ tamen, qui committere ſuſtinent, cum conſtantia, æternæ ſalutis iacturam faciunt, nulla humana ope reparabilem.

7 Illud tandem aduertendum eſt dum conſtantiam aut perſeuerantiam ſectamur, vt caueamus pertinaciam, quæ tunc potiſſimùm incurritur cũ poſt captum conſilium de aliqua re perficienda, aut etiã poſt eam inchoatam, nouæ aliquæ rationes apparent, quæ prius latuerant, quibus ſuadetur vt deſiſtamus ab incepto, nam rationi cedendum eſt, conſiliaque in melius mutanda. Nec verò huius rei pudere nos debet, nam cum ſint *incertæ prouidentiæ noſtræ*, vt dixit Salomon, debent etiam eſſe *cogitationes mortalium timidæ*, vt ibidem dicitur, vt ſcilicet, nunquam ſententiæ noſtræ ita adhæreamus, quin ſuſpicio aliqua nos ſubeat fieri poſſe, vt noſtra nos fallat opinio, ac proinde melius ſit rem illam contra quam aggreſſi fueramus, diuerſa omnino ratione, inſtituere, ac proſequi. Propterea dicitur in Eccleſiaſtico. *Homo ſapiens in omnibus metuet*, quippe qui experientia didicit, nonnunquam accidere, vt quæ nobis optima videbantur conſilia, appareant deinde deterrima, & maximè noxia. Eſt autem maximè vitandum genus illud pertinaciæ, quod omnium peſſimum iudico, cum ſcilicet, non ſolùm conſilia, quæ ab amicis, aut prudentibus conſiliariis ſuggeruntur, reiiciuntur, ſed nec ad aures admittuntur, ſunt enim aliqui *Sapientes apud ſemetipſos, prudentiæque ſuæ adeo innitentes*, contra quam præcipit Salomon, vt aliorum cogitata faſtidiant quaſi inutilia, aut minus bona, eaque etiam audire contemnant. Imo fieri poteſt vt eo deue

Ita amplectendã cõſtantiã, vt vitiũ Pertinaciæ nõ incurratur.

Sap. 9. 14.

Eccleſ. 18. 27.

Prou. 3. 5.

deueniatur interdum vt reſpuantur, aut non audiantur, quæ ſalutariter admonent alij, quia libidine v. g. vindictæ, aut alicuius alterius perturbationis clauduntur aures, ne ſi forte meliora conſilia ſuggerantur, pudeat in ea ſententia, quæ ſtetit, pertinacius hærere. In os optime quadrat
Pſal. 57.3. mea quidem ſententia illud Dauidicum. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudit vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Quemadmodum enim vulgari Philoſophorum placito traditum eſt, ſurdas aſpides cum à veneficis incantationibus vrgentur, aurem alteram terræ applicare, in alteram extremam caudam immittere, ne magico illo carmine ad illud adigãtur quod facere recuſant; ita pertinaces iſti *nolunt intelligere vt bene agant*, conſiliáque ſalutaria audire recuſant, quia veram ſalutem auerſantur, hi planè ſunt ij, de quibus dicitur apud Zachariam:
Zachar. 7.9. *Hæc ait Dominus exercituum dicens: Iudicium verum iudicate, & miſericordiam & miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo; & viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari.* Quæ ſanè capita hypotheſis quædam ſunt, & thema earum adhortationum, quibus viros Principes conſiliarij fideles & ſapientes admonere ſolent, vt ad virtutis normam actiones ſuas exigant, quæ ſi audire refugiant vt liberiùs peccẽt, iam in eos con-
Ibid. n. 11. uenit quod Propheta ſubdit. *Et noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam recedentem, & aures ſuas aggrauauerunt ne audirent.* Sed de conſiliariis audiendis alius erit dicendi locus.

De

De magnificentia Principis.

CAPVT XXI.

1 PRincipem, qui in Republica maxima eſt, parua non decent, ſed vt poteſtate gradú-que inter cæteros omnes excellit, ita par eſt in pecuniis expendendis cum opus aliquod faciendum eſt, ſordidum non eſſe, ſed ita largum, vt ſtatus ſui magnitudinis operi etiam amplitudo, & dignitas proportione reſpondeat, appareátque cogitationem illam, & adminiſtrationem rerum magnarum & excelſarum, ex ampla quadam & ſplendida animi propoſitione proficiſci quæ pecuniis non ſeruit, vt auari homines faciunt, & illiberales. Non deſunt autem in Scripturis ſanctis eximiæ cuiuſdam magnificẽtiæ exempla maximè illuſtria: ex quibus duo illuſtriora ſeligo, alterum Salomonis, alterum Aſſueri. Ac de Salomonis quidem magnificentia in Ieroſolymitano templo ornando dictum eſt, cum de religione diſputaremus; quare ſatis nunc fuerit Regiarum domorum, quas ſibi Rex ſapientiſſimus & opulentiſſimus ædificauit, vt in ſacris litteris proponantur, magnificentiam deſcribere: ita autem legimus in tertio libro Regúm. *Domum autẽ ſuam ædificauit Salomon tredecim annis & ad perfectum vſque perduxit. Ædificauit quoque domum ſaltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis; & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas, ligna quippe cedrina exciderat in columnas; & tabulatis cedrinis*

Explicatur quid ſit magnificẽtia, & Salomonis exemplum proponitur.

3. Reg. 7. 1.

drinis veſtiuit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis ſuſtentabatur. Vnus autem ordo habebat columnas quindecim contra ſe inuicem poſitas, & è regione ſe reſpicientes, æquali ſpatio inter columnas, & ſuper columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis & alteram porticum in facie maioris porticus, & columnas, & epiſtylia ſuper columnas. Porticum quoque ſolij, in qua tribunal eſt, fecit, & texit lignis cedrinis à pauimento vſque ad ſummitatem, & domuncula, in qua ſedebatur ad iudicandum, erat in media porticu ſimili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis (quam vxorem duxerat Salomon) tali opere quali & hanc porticum. Omnia lapidibus pretioſis qui ad normam quandam, atque menſuram, tam intrinſecus quàm extrinſecus ſerrati erant, à fundamento vſque ad ſummitatem parietum, & extrinſecus vſque ad atrium maius. Fundamenta autem de lapidibus pretioſis, lapidibus magnis decem ſiue octo cubitorum. Et deſuper lapides pretioſi æqualis menſuræ ſecti erant, ſimilitérque de cedro. Et atrium maius rotundum trium ordinum de lapidibus ſectis & vnius ordinis de dolata cedro. Porrò regiæ domui Libani magnificentiſſimæ luculentiſſima conueniebat ſupellex, qua illam Salomon inſtruxit, nam vaſa plurima aurea, thronúſque ex elephanto elegantiſſimo opere perfectus, in ea collocatus eſt, adeo vt omnia eboris candore, aurique flammea claritate ſplenderent. Quare eodẽ Regum libro dicitur. *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius; & trecentas peltas ex auro probato, trecentæ minæ auri vnam peltam veſtiebant, poſuitque eas Rex in domo ſaltus Libani. Fecit etiã Rex Salomon*

Digitized by Google

lomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde. non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. Sed & omnia vaſa quibus potabat Rex Salomon, erant aurea, & vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo. Ex quo ſatis intelligi poteſt quantam vim pecuniarum in tam egregio perficiendo opere effuderit Rex opulentiſſimus.

2 Alterum regiæ planè magnificentiæ exemplum habemus in Aſſuero Rege, quod accuratè & minutim deſcribitur ſtatim initio libri Heſter, in hæc verba. *In diebus Aſſueri, qui regnauit ab India vſque in Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem prouincias, quando ſedit in ſolio regni ſui. Suſan Ciuitas regni eius exordium fuit. Tertio igitur anno Imperij ſui fecit grande conuiuium cunctis Principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & præfectis Prouinciarum coram ſe, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. Cúmque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnẽ populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum, & iuſſit ſeptem diebus conuiuium præparari in veſtibulo horti & nemoris quod regio cultu & manu conſitum erat, & pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris, & carbaſini, ac hyacinthini, ſuſtentata funibus biſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei, & argentei ſuper pauimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide diſpo-*

Aliud magnificentiæ exemplum proponitur in Conuiuio Aſſueri.

ſiti erant, quod mira varietate pictura decorabat. Bibebant autem, qui inuitati erant aureis poculis, & alijs atque alijs vaſis cibi inferebantur. Vinum quoque vt magnificentia regia dignum erat abundans, & præcipuum apponebatur. Nec erat qui nolentes bibere cogeret ad bibendum, ſed ſicut Rex ſtatuerat præponens menſis ſingulos de Principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet. Hæc ibi, ex quibus quamuis ſtatim appareat quàm amplum, quámque Regio ſplendore ac magnificentia dignum fuerit hoc conuiuium, ſunt nihilominus ſingula illius adiuncta, vt res meliùs percipiatur ſeorſim conſideranda. Nam cum duplex epulum datum fuerit, alterum Principibus Regni, alterum populo ciuitatis, conuiuium Principum centum octoginta dies tenuit, hoc eſt menſes ſex, in quod tempus ſanè neſcio an vllum vnquam conuiuium productum ſit. Populi verò conuiuium breuiori quidem temporis ſpatio abſolutum eſt, ſeptem nimirum diebus, ſed populi frequentiſſimæ ciuitatis maxima multitudine quod temporis ſpatio deerat, abundè compenſatum eſt. Iam verò quantus fuerit conuiuarum numerus, cum vocati ſint non aulici tantùm, qui Regi perpetuo aderant, quorum maximam fuiſſe multitudinem par eſt credere, ſed centum viginti ſeptem Prouinciarum Præfecti, & proceres omnes, quos vicariis ſuo loco relictis adfuiſſe par eſt credere, vt res maiorem in tanta frequentia admirationem & ex mutuo conſpectu hilaritatem haberet; rurſus quanta exquiſitiſſimorũ ciborũ copia, Regis iuſſu parata fuerit, qui tam multis, támque egregiis viris tamdiu regio more epulum dare conſtituit, facilius cogitari poteſt, quàm dici. Acceſſit

etiam

Digitized by Google

etiam conuiuio magnificentia ex loci ornatu, in quo celebratum eſt, nam præterquam quod ad exhibendum conuiuium delectum eſt veſtibulum horti & nemoris, quod regio cultu, & manu conſitum erat, tentoria etiam quibus inumbrabantur menſæ & materiæ pretio, & artificij ſubtilitate, viſenda erant. Quod verò in vulgata noſtra editione habemus; tentoria columnis marmoreis fuiſſe ſuffulta, diſtinctius explicant Septuaginta, nam ita deſcribunt, *ſuper cubos aureos, & argenteos, & ſuper columnas parias, & lapideas.* Sūt autem cubi taxilli qui columnis, pilis aut pyramidibus, molibúſque eiuſmodi ſubſtruuntur, vt firmius inſiſtāt. Quod verò de ſmaragdino lapide, quo ex parte pauimentum dicitur inſtratum, quamuis propter lapidis pretium & raritatem fidem ſuperare videatur, tamen non in vulgata tantùm habetur, ſed etiam apud Septuaginta, qui verterunt ſmaragditem lapidem, apud quos etiam quædam de veſte ſtragula, & lectorum ornamentis adduntur, quæ vulgata non expreſſit. Sic enim habent. *Et ſtrata pellucida variè ornata floribus, in circuitu roſæ ſparſæ. Pocula aurea & argentea, & gemmatus calix propoſitus è talentis triginta millibus, vinum multum, & ſuaue quod ipſe Rex bibebat.* Ita habet latina interpretatio Romæ edita, quæ tamen minus exprimere mihi videtur, quid ſit, quod dicunt Septuaginta ἀνθράκινον κυλίκιον, ſignificant enim calicem paruulum quidem fuiſſe, quare & voce diminutiua κυλίκιον vſi ſunt, ſed quia ἀνθράκινον id eſt ex carbunculo excauato, vt puto, propterea pretio immani, quod expreſſerunt Septuaginta, non indignum, triginta enim talentorū millibus æſtimabatur, quæ

talentorum ſumma aureorum noſtrorum milliones, vt vocant, decem & octo efficit, ſi ſingula talenta Iudaica ſexcentos habere aureos, cum recepta opinione dicamus, par enim eſt credere Iudæorum ſcriptorem, Iudaicorum talentorum rationem ſecutum eſſe. Quod autem de vino dicitur in editione vulgata quæ habet; *Vinum vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.* & Kaldæus interpretatur, *dignum quod à Rege biberetur.* Dixerunt Septuaginta, *quod ipſe Rex bibebat.* Quod tandem attinet ad miniſtros, latinus noſter interpres Principes appellat menſis Præpoſitos, quos Septuaginta œconomos, Kaldæus voce Græca ἐπιτρόπους curatores habet, textus autem Hebræus appellat Magiſtros, ſeu Præfectos domus Regiæ. Conſtat ergo omnium ſententia viros fuiſſe primarios, & principes, quales ij eſſe ſolent in aulis magnorum Regum, qui domus Magiſtri vocitantur; qui aderant ipſi menſis vt conuiuas blandè exciperent, ſuis locis collocarent, & quaſi quidam ſympoſiarchæ, & modiperatores, ita conuiuio præeſſent, vt curarent omnia ordine fieri, & honeſtè, ne fortè aliquæ exiſterent turbæ, quales inter homines, mero calentes, ſuper menſis naſci ſolent.

An peccauerit Aſſuerus tam ſumptuoſo diuturnoq́ue conuiuio inſtruẽdo, & de eõ iuijs qua

3 Quod ſi quærat aliquis, peccaueritne Aſſuerus, tam diuturno, tam ſumptuoſo epulo tam multis conuiuis exhibito? Reſpondeo id ex cauſis, quibus motus eſt ad illud inſtruendum & celebrandum, iudicandum eſſe, & etiam ex eiuſdem adiunctis quibuſdam. Ac primò aliqui colligunt ex profanis ſcriptoribus celebrati conuiuij

uiuij cauſam fuiſſe reportatas ex hoſtibus victorias, quod ſcilicet Babylonios, Ægyptióſque rebellantes & Perſarum iugum excutere conantes armis domuiſſet, & ſanè huiuſmodi victorias iuſtiſſimam publicæ lætitiæ cauſam afferre, exemplis ex ſacra Scriptura depromptis, & communi gentium more, quem nullus iure poſſit reprehendere, probari poteſt. Sic Philiſtæorum Principes Sampſone, à quo multis cladibus fuerant attriti, tandem in poteſtatem redacto, *conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas, magno Deo ſuo, & epularentur dicentes. Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Sampſon in manus noſtras.* Sic Amalecitæ capta Siceleg, *diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ, comedentes & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem pro cuncta præda, & ſpolijs, quæ ceperant de terra Philiſtijm, & de terra Iuda. Nam, vt ait Iſaias, lætabantur, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda quando diuidunt ſpolia.* Altera epuli dandi cauſa non minus laudabilis ea fuit, quod regnandi tunc caperet initium. Nam Suſis præcipuus erat Regni thronus, in quo Reges ſedere conſueuerant, non quaſi ea cæremonia regni poſſeſſionem adirent, pridem enim regnare cœperat Aſſuerus, ſed quod ea adhibita tunc demum crederetur Rex omnibus numeris abſoluta inauguratione, in regni poſſeſſione collocatus. Huic autem epulo cauſam dediſſe ſolemnem hanc inaugurationem ſatis indicat Scriptura. Nam Septuaginta habent ὅτε ἐνεθρονίσθη, *cum in throno collocatus eſt.* Hebræus verò textus. *In diebus,* inquit, *iſtis cum ſederat* (id eſt ſedere inciperet) *Rex ſuper throno regni ſui, qui Suſis eſt, in*

In Principū inauguratione celebrata legimus in Scripturis.

Iud. 16. 23.

1. Reg. 30. 16.

Iſai. 9. 3.

Digitized by Google

anno Regni ſui tertio fecit conuiuiũ,&c. Kaldæus,*quãdo quæſiuit ſedere ſuper ſolio regni ſui, quod in Suſan.* Cum igitur celeberrimo apparatu concurſúque frequentiſſimo, huiuſmodi inaugurationes celebrari ſoleant, mirum non eſt, ſi tam celebre conuiuum Aſſuerus inſtituit. Sic cùm Dauid in Hebron Rex conſtitutus eſt, plurimi ex variis tribubus confluxere, quorum catalogum habemus libro primo Paralipomen. ſuperátque trecentorũ quadraginta millium numerum, híſque omnibus triduo epulum largè tributum dicitur. *Omnes iſti viri bellatores expediti ad pugnandum corde perfecto venerunt in Hebron vt conſtituerent Regẽ Dauid ſuper vniuerſum Iſraël, ſed & omnes reliqui ex Iſraël, vno corde erant, vt Rex fieret Dauid. Fuerúntque ibi apud Dauid tribus diebus comedentes & bibentes, præparauerant enim eis fratres ſui. Sed & qui iuxta eos erant vſque ad Iſachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in aſinis & camelis, & mulis & bobus ad veſcendum, farinam, palathas, vuam paſſam, vinum, oleum, boues, arietes ad omnem copiam, gaudium quippe erat in Iſraël.* Sic Adonias cum regnum affectaret, iámque illi immineret, Regis filiis omnibus, excepto Salomone, vocatis, epulare ſacrificium inſtituit, in quo fauſtis omnium acclamationibus ad regnum admoueretur, Rexque recepta illa formula, *Viuat Rex*, ſalutaretur, *Adonias autem filius Haggith*, inquit ſcriptura,*eleuabatur, dicens: Ego regnabo.* Et poſt nonnulla. *Immolatis ergo Adonias arietibus & vitulis, & vniuerſis pinguibus iuxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocauit vniuerſos fratrẽs ſuos, filios Regis & omnes viros Iuda ſeruos eius.* Et rurſus poſt aliqua cõmemorans, quibus verbis Nathan propheta

1. Paralip. 12.38.

3. Reg 1. 5.

Ibid. n. 9.

pheta, qui partes Salomonis ſequebatur, cum Rege Dauid expoſtulauerit, ita legimus. *Domine mi Rex, tu dixiſti: Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum? quia deſcendit hodie, & immolauit boues, & pinguia, & arietes plurimos, & vocauit vniuerſos filios Regis & Principes exercitus, Abiathar quoque ſacerdotem, illiſq; veſcentibus, & bibentibus corã eo, & dicentibus, Viuat Rex Adonias, &c.* Poterat ergo Aſſuerus iure optimo Principes ſuos, & populum ciuitatis excipere conuiuio, vt illi largioribus epulis, mutuáque ſympoſij hilaritate recreati eius lætitiæ eſſent participes, qua nouus Rex ipſa inauguratione perfundebatur, eóſque ſibi ea magnificentiæ ſignificatione deuinciret, vt conciliatis beneuolentia animis, promptiores eos haberet, & paratiores ad ea obſequia præſtanda, quæ ſubditi Principibus debent. Poſtrema cauſa conuiuij quam ſcriptura expreſſit, fuit, *Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ, multo tempore, centum videlicet, & octoginta diebus.* Propterea autem conuiuia, aut ſolẽnes inſtituere apparatus, vt inde capiatur ſuperbiæ fomentũ, & arrogantiæ, piaculum eſſe nemo non intelligit, dicente Apoſtolo. *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quare Ezechias quod Chaldæis theſauros ſuos per iactantiã oſtentaſſet, graues pœnas, Deo iubente, cõminatus eſt Iſaias propheta, vt quarto Regum libro narratur, & alio fortaſſe loco fuſius dicetur. Rurſus, qua ratione à peccato excuſari poſſit, tam diuturnum conuiuium non ſatis video: nam honeſtæ cuiuſdam hilaritatis cauſa amicos conuenire ad conuiuium laudabile ſanè eſt, & amicitiæ tuendæ of-

Ibid. n. 24.
Eſther 1. 4.
1. Cor. 4. 7.
4. Reg. 20. 13.

Digitized by Google

Luc. 18. 19. ficium conſentaneum. *Epulari autem quotidie ſplendidè*, ſympoſiáque multum frequentare, multa importat incommoda, quorũ aliqua à ſapiente tanguntur in Prouerbiis, cum ait. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fouea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino & ſtudent calicibus epotandis?* Cum verò omnes dedeceat ebrietas, tum maximè Reges, quibus Salomon præceptum illud tanquam à matre auditum præſcribit: *Noli Regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas, ne forte bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam afflictorum.* Effectus autem, qui conſequi ſolent, etiam hoc Aſſueri conuiuium conſecuti ſunt, nam ipſe potando hilarior factus eſt, vt ſi ebrius non eſſet, proximè tamen abeſſet à temulentia, parúmque prudenter vxorem Vaſthi iuſſit adduci, vt illius pulchritudinem omnibus ſpectandam, & admirandam proponeret, cui cum regina parere noluiſſet, Rex ira exarſit, eámque repudiauit, ſícque iuxta Sapientem. *Extrema gaudij luctus occupauit.* quamuis omnibus iſtis incommodis pro ſua ſapientia Dominus ad gloriam ſuam amplificãdam, nóſque ſalutaribus monitis imbuendos vſus eſt. Quamuis ergo regia magnificentia, qua Principibus & populo datum eſt epulum, ſit laudabilis, finis tamen iactantiæ, quem ſibi Rex propoſuit, temporíſque tam diuturni circũſtantia facti illius gratiam corrumpunt, faciuntque vt exemplum hoc Principibus proponi non poſſit, niſi moneantur ſimul, quid in eo peccatum ſit, ne ad eaſdem ipſi metas luxuriæ, & profuſionis immodicæ adhæreſcant.

Prou. 23. 29. · Prou. 31. 4. · Prou. 14. 13.

De Principibus magni-

4 Quoniam autem exemplis propoſitis Salomonis

monis & Aſſueri quales Reges deceant fabricæ, & conuiuia docuimus, facile erit, ex iis, quæ diximus coniicere, quomodo in reliquis expenſis, quæ occurrunt, vt in itineribus ſuſcipiendis, tribuendíſque muneribus munificus Princeps ſe gerere debeat. Huius autem rei ſi quis exemplum requirit, habet luculentiſſimum in Regina Saba, quæ cum Salomonis fama excita veniſſet ad Salomonem, eum regiis planè muneribus donauit, nam vt ait ſcriptura. *Dedit Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas. Non ſunt allata vltra aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Quia verò munera, quæ Principibus tribuuntur non ad eorum ſubleuandam inopiam, ſed (quemadmodum ea, quæ Deo offeruntur) ad teſtificandam eam, quam de eorum magnitudine & excellentia concepimus opinionem inſtituuntur, ideo ampla eſſe debent, & magnifica, & ad iſtam opinionem exprimendam idonea. Quare Dominus apud Prophetam holocauſtorum victimarúmque oblationes reiicit, ſi forte quaſi indigenti tribuantur, adeo enim tali animo factis ſacrificiis non placaretur Deus, vt potius tanquam inſigni contumelia, vt reuera eſſet, commoueretur in offerentem. *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt, ſi eſuriero non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Sed iis tantum ſe ſacrificiis delectari affirmat, quibus eius apud populos creſcit exiſtimatio, quibuſque debitam

ficentia in largitionibus.

3. Reg. 10. 10.

Pſal. 49. 9.

multis ex capitibus laudem tribuimus. *Immola,* inquit, *Deo ſacrificium laudis.* Ita Principes iis capiuntur muneribus, quæ eorum magnitudinem & excellentiam oſtendunt.

De Principis magnificentia in ædificando.

CAPVT XXII.

Studium ædificandi decere Principem: & de variis ædificiorum generibus, neceſſariis, vtilibus, aut ad voluptatem cõparatis.

1 ÆDificandi ſtudium Principes decet in primis, quo ſibi ſapientum, ac magnificorum nomen parant, & honeſtæ relaxationis cum à negotiis feſſi ſunt, iucundiſſimum leuamentum. Mirum enim quantum delectat moliri arces, muris vrbes circumdare, portus effodere, templa excitare, aut ædes regias, & cum operibus extremam manum artifices impoſuerint, ea tanquam fœtus ac partus à ſe in lucem eductos contemplari. Eſt autem triplex ædificiorum genus, quædam enim neceſſaria ſunt, quædam vtilia, quædam ad voluptatem dumtaxat comparata. De ſingulis breuiter paucula quædam attingemus. Atque in primis neceſſaria illa duco, ſine quibus ſecuritas ciuibus non conſtat, nec commercia tuta ſunt, nec vno verbo politica munera functioneſque exerceri commodè poſſunt. Huiuſmodi proculdubio fuit murorũ Hieroſolymitanorum inſtauratio ſub Nehemia, quam fruſtra Sanaballat prohibere conatus eſt, nam milites ſubmouere ſe paſſi non ſunt, ſed *media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum,*

2.Eſdr.4. 16.

Digitized by Google

bellum, & lanceæ, & ſcuta, & arcus, & lorica, & Principes poſt eos in omni domo Iuda ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium, vna manu ſua faciebant opus, & altera tenebant gladium, ædificantium enim vnuſquiſque gladio erat accinctus ad renes. Sentiebant enim nihil magis communiter in ciuitate viuentibus neceſſarium eſſe, quàm munitum aliquem locum habere vnde ad pugnam exirent, & quo iactati ab hoſtibus, quibus vndique premebantur, receptum haberent. Idem ſtudium ædificandi ciuitatum munitiones in aliis eiuſdem populi principibus fuit, nam de Salomone legimus in Paralipomenis, *Ædificauit Palmiram in* 2.Paral. 8.
deſerto, & alias ciuitates munitiſſimas ædificauit in 3.
Emath. Extruxitque Bethoron ſuperiorem, & Bethoron inferiorem, ciuitates muratas habentes portas, & vectes, & ſeras, Balaath etiam, & omnes vrbes firmiſſimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctaſque Vrbes quadrigarum & vrbes equitum, &c. De Roboam verò eodem libro: *Habitauit autem Roboam in Ieruſalem, & ædi-* 2.Paral.11.
ficauit ciuitates muratas in Iuda, extruxitque Bethle- 5.
hem, & Atam, & Thecue, Bethſur quoque, & Socho, & Odollam, nec non & Geth, & Mareta & Tiph, ſed & Aduram, & Sachis, & Azeca, Saraa quoque & Aialon, & Hebron, quæ erant in Iuda, & Benjamin, ciuitates munitiſſimas. Cumque clauſiſſet eas muris, poſuit in eis Principes, ciborumque horrea, hoc eſt olei, & vini: ſed & in ſingulis vrbibus fecit armamentarium ſcutorum, & haſtarum, firmauitque eas ſumma diligentia, & imperauit ſuper Iudam, & Benjamin. Porrò ad voluptatem illa ſpectant ædificia, quæ numerat Salomon in Eccleſiaſte, & quamquam à ſe conſtructa, tamen quod in eo genere nimius fuiſſet, ea damnat longo nimirum vſu ſapientior factus,

tandem

tandémque intelligens ſe in illis fruſtra deſudaſſe, cum omnia ad vanitatem, & afflictionem ſpiritus pertinerent. *Magnificaui*, inquit, *opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium*, &c. *Omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaueram.* Tandem vtilia ſunt quibus carere quidem Reſpublica poteſt, ſi tamen ea habeat, aut iis abundet, commoditatis alicuius non mediocris fructum percipit. Huius generis ſunt fontes aquarúmque deriuationes, portus, ampliores viæ, porticus, & explicatiores plateæ aut areæ, apothecæ laxiores ad publicam annonam condendam, triticum, vinum, ſal, aliaque huiuſmodi, qualia feciſſe Roboamum paulo ante memorauimus, qualia etiam parauit Pharao, vt hoc eodem capite infra paucis attingemus.

Eccleſ. 2. 4. 10.

2 Cæterum ædificationis vrgendæ tempus illud aptiſſimum eſſe videtur, cum pacato Regno quies domi eſt ab externis tumultibus, & bellis, quod vidit Aſa Rex Iudæ de quo legimus in Paralipomenis; *Ædificauit quoque vrbes munitas in Iuda, quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella ſurrexerant. Dixit autem Iudæ, ædificemus ciuitates iſtas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis & ſeris, donec à bellis quieta ſunt omnia.* Quibus in verbis facile quilibet animaduerterit propterea Regem conſilium ſuum Iudæ communicaſſe, & ad muniendas ciuitates inuitaſſe, vt libentius populi eam ſtipem erogarent, quæ ad ædificationis impenſas neceſſaria cenſebatur, quod forte regium

Quo tempore ædificatio vrgenda & quorũ expenſis ædificandum. 2. Paral. 14. 6.

æra

ærarium à pecuniis non bene iuſtructum, tanto operi faciendo par eſſe non poſſet. Porrò Principibus cauendum diligenter, ne immenſis, & intolerabilibus ædificationibus populos atterant,& exhauriant, à quo genere iniuriæ Nabuchodonoſor non abſtinuit, cui Habacuc propheta minas intentat illis verbis; *Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.* Cuius loci ſententia eſt, Væ Nabuchodonoſor impio, qui Babylonem magnificis ædificiorum ſtructuris anguſtiorem facit in ſanguinibus, hoc eſt opibus per iniquitatem, & rapinam, & iniuriam in pauperes, comparatis. Quæ loquendi formula vernaculæ noſtræ ſimilis eſt, eorum enim qui anguſtas res domi habent, ſupellectilem, pecuniolas, & reliqua bona, ſanguinem pauperum appellare cōſueuimus. Quò ſpectat etiam illud Eccleſiaſtici. *Panis egentium vita pauperum eſt; qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt*: & illud Micheæ: *Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate.* Sed Nabuchodonoſore etiam durius egit Pharao cum Iſraëlitis, quos ſeruilem in modum, ad opus faciendum,intentatis etiam verberibus adigebat. *Propoſuit itaque eis*, vt dicitur in Exodo, *magiſtros operũ,vt affligerent eos oneribus, ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni Phithom & Rameſſes.* Tò *Vrbes tabernaculorum*, 70. vertunt πόλεις ὀχυράς, *Vrbes munitas*, alij ex Hebræo *vrbes concluſas*, alij *granaria, apothecas*, ſeu *repoſitoria* interpretantur,in quibus publica frumenta,oleum vinúmve reconderetur. Quæcumque tandem eſſent fabricæ illæ, certum eſt Iſraëlitas indignis modis habitos, & vexatos fuiſſe, quæ agendi ratio cauenda Principibus eſt, ne in ſe ciuium odia, aut etiam arma conuer

Habac. 2. 12.

Eccleſ. 34. 25.

Mich. 3. 10.

Exod. 1. 11.

Digitized by Google

conuertant. Paſſus eſt hoc Salomon in ea ſeditione, quæ duce Ieroboam contra illum exarſit,
3.Reg.11.26. de qua hæc legimus in Regum hiſtoria. *Ieroboam quoque filius Nabath Ephrataus de Sareda, ſeruus Salomonis, cuius mater erat Sarua, mulier vidua, leuauit manum contra Regem, & hac eſt cauſa rebellionis aduerſus eum, quia Salomon ædificauit Mello, & coëquauit voraginem ciuitatis Dauid patris ſui.* Quod vt clarius intelligatur, ſciendum eſt inter ciuitatem Dauid, & templum à Salomone excitatum, mediam fuiſſe ingentem quandam inter duos montes voraginem quæ Mello dicebatur. Quia ergo à ciuitate Dauid ad templum adire cupienti, aditus non patebat propter interiectam illam voraginem, aggreſſus eſt Salomon duos montes ponte vno, vel vt aliis placet, duobus iungere, quorum ædificationem ſumptuoſiſſimam fuiſſe neceſſe eſt, dum pilæ immenſæ cuiuſdam altitudinis quæ pontem fulcirent excitantur, quæ res populos offendit, quorum communibus cum Rege ſumptibus opus promouebatur, & ad ſeditionem incitauit. Si ergo Salomon cuius ſapientia miraculo erat, ac proinde maxima apud ſuos auctoritate pollebat, tamen ædificiorum magnis, continentibuſque expenſis commotos & ad arma ſpectantes populos expertus eſt, videant noſtri æui Principes quid à ſuis timere poſſint, ſi nimium illos premere, & pecuniis in ædificia collatis exhaurire non dubitauerint.

3 Porrò quia magnificum Principem eſſe decet, meminerit quæcumque ædificare inſtituerit
De ædificiorum regioru magnificẽtia. celſitatem, & magnitudinem animi, pecuniarum ſuarum minimè tenacem exhibendam, ac proinde templa, portus, fora, curias, baſilicas, vias

publí

Digitized by Google

publicas, aquæ ductus, porticus & ſimilia, quæ molitus fuerit, amplitudine, maieſtate, deſcriptionis elegantia ſpectabilia eſſe debere. Præſtitit hoc Salomon in templi ſtructura, & ædium illarum, quas ſibi vxorique parauiſſe cognoſcimus ex Regum hiſtoria. Eas tres fuiſſe nonnulli exiſtimant, ac propterea aſſerunt alteram ſibi à Rege ædificatam, alteram filiæ Pharaonis quam duxerat in matrimonium, tertiam ad animi remiſſionem, & voluptatem inſtructam, quam domum ſaltus Libani indigitauerit. Colligi hoc videtur ex ſcriptura. Nam de prima dicitur: *Domum autem ſuam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vſque perduxit.* De ſecunda: *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis.* De tertia: *Ædificauit quoque domum ſaltus Libani.* Accedit ipſius Salomonis teſtimonium in Eccleſiaſte, vbi ait: *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos.* Verius tamen eſt, vnicam tantùm domum à Salomone ædificatam fuiſſe, ſed ampliſſimam vt magnum opulentiſſimúmque Principem decebat, eamque tribus partibus, quaſi totidem domibus diſtinctam, quæ aperta eſt ſcripturæ ſententia. Nam dicitur in tertio Regum: *Expletis annis viginti poſtquam ædificauerat Salomon duas domos, id eſt, domum Domini & domum Regis*, &c. Itaque quemadmodum nomine domus Domini plura comprehendebantur ædificia, plurimùm à ſe forma & magnitudine diſtincta, & diuerſorũ habitationi deſtinata, ita regias ædes domum appellauit, quanquam diuerſæ illarum partes eſſent Regis, aut Reginæ habitationi attributæ, quibus illa pars accedebat, quæ ſaltus Libani dicebatur. Par igitur eſt, domos Principum adeo amplas eſſe, vt non familiam tantùm regiam

3. Reg. 7. 1.
Ibid. n. 8.
Ibid. n. 2.
Eccleſ. 2. 4.
3. Reg. 9. 10.

Digitized by Google

regiam capiant, ſed etiam illarum pars magna habitatore vacua principibus viris ſi forte in Republ. noſtra peregrinentur, aut eorum legatis, vt cuiuſque eorum conditio poſtulauerit, lautè, liberaliterque excipiendis relinquatur.

Nec tamen cum hæc dico, auctor Principibus fieri volo vt difficillima quædam, & quibus natura contumaciter reſiſtit aggrediantur, cuiuſmodi eſſet iſthmi alicuius foſſio, aut perfoſſio montium, vallium ingentium complanatio, fluuiorum ex ſuo in alium alueum deriuatio, ne forte pro gloria quam aucupantur, ſtultitiæ notam incurrant, & offenſionem etiam populorum, qui in tam difficili opere cum naturæ pertinacia, Reipublicæ priuatoque incommodo luctari compellantur: quæ forte cauſa fuit inuidiæ in Salomonem excitatæ cum Mello ædificare inſtituit, de quo paulo ſupra dicebamus. Aquarum certè ductus, & excauationes foſſarum, quæ nauigiorum
Eccleſ. 24. 41. patientes ſint, quos ſcriptura *fluuios diorygas* appellat in libro Eccleſiaſtici, aut aquæ tramites, vtiles eſſe ciuitatibus nemo neſcit, in quibus ſi operam ſuorum collocauerit, & expenſas ex ærario publico ſuppeditauerit, rem ſanè commodam princeps faciet & commendatione dignam.

4 His addendum videtur non exiguam mereri laudem eos Principes qui ædificia vetera iam fatiſcentia, & ad ruinam vergentia, vel ea quæ hoſtium iniuria diſturbata ſunt, fulciunt, inſtaurant, reficiunt. Sic legimus Ioſiam Iudæorum Regem curaſſe, vt pecunia quam à populo Sacerdotes collegerant, curatoribus operis reficiendi & ſarciendi templi tribueretur. Scribæ enim templi in
4. Reg. 22. 4. hæc verba mandauit. *Vade ad Helciam Sacerdotem magnum,*

De veteribus ædificiis inſtaurandis.

magnum, vt conſletur pecunia quæ illata eſt in templum Domini, quam collegerunt ianitores templi à populo, deturque fabris per præpoſitos domus Domini, qui & diſtribuant eam his qui operantur in templo Domini ad inſtauranda ſarta tecta templi, tignariis videlicet, & cæmentariis, & iis qui interrupta componunt, vt emantur ligna, & lapides de lapicidinis, ad inſtaurandum templum Domini. Nec impari cauſa diſpar ſtudium Iudæ Machabæi, qui deuicto Lyſia Antiochi Epiphanis duce, Ieroſolymitanum templum gentilium profanitatum contaminatione pollutum purgauit, & vbi opus erat inſtaurauit. Qua de re in primo Machab. libro hæc legimus. *Et ædificauerunt altare nouum ſecundum illud quod fuit prius, & ædificauerunt ſancta, & quæ intra domum erant intrinſecus, & ædem & atria ſanctificauerunt.* 1. Machab. 4. 47.

De Maieſtate Principis.

CAPVT XXIII.

MAgnificentiæ Maieſtatem placet ſubnectere, quod hæc ſine illa ægrè conſiſtere poſſit; quodque eæ artes quibus paratur maieſtas, eiuſmodi ſunt corporis auguſtior cultus, ædium, palatiorum, hortorum amplitudo, frequens corporis ſtipatorum, ſatellitum, aulicorum, magiſtratuum, regnique procerum corona, domus luculenta, ſupellex, auro, argentoque renidens, curruum, equorumque multitudo, & varietas & alia, quæ ſunt generis eiuſdem, largiores ſumptus deſiderent, quos Princeps ad rem fa-

Mm cien

ciendam attentior, minimeque magnificus facere non ſuſtinet. Quamuis autem ſolidæ maieſtatis fundamentum eſt excellens virtus Principis, quæ nullis etiam externis ornamentorum apparatuumque adminiculis grato & iucundo introitu animis hominum illabitur, admirationémque ciet; quia tamen gradus ille virtutis ad paucos pertinet, extrinſeca quædam adiumenta contemnenda non cenſeo, de quibus deinceps dicendum eſt.

De Principis maieſtate in veſtibus & corporis cultu.

1 Et quidem quod ad veſtes attinet, eam ſemper obtinuiſſe conſuetudinem reperio, vt qui dignitatis excellentioris prærogatiua inter cęteros eminerent, cultu corporis honeſtiore vterentur, non tantùm vt faciliùs ab aliis dignoſci poſſent, ſed etiam vt externa illa ſpecies auctoritatem illis, & maieſtatem conciliaret. Cum Rebecca filium ſuum dolis ſubornauit, vt ad Patrem accedens, Eſau benedictionem acciperet, cauit etiam ne ſenex, cuius oculi caligauerant, attrectando, fraudem poſſet deprehẽdere; quare non tantum pelliculis hædorum, manuum, collique nuda protexit, *ſed veſtibus etiam Eſau valde bonis*, vt loquitur ſcriptura, *quas apud ſe habebat domi, induit eum.* Tò *valde bonis*, alij teſte Hieronymo legunt, *veſtimenta deſiderabilia*, Kaldæus *veſtes mundas* interpretatus eſt, Septuaginta *Pulchras*. Hæ autem omnes interpretationes eodem ſpectant, vt ſcilicet explicent veſtes illas pretioſas fuiſſe, mundas, vſu non detritas, quas fortaſſe in Sacerdotij vſum domi conditas haberet. Vt enim loco indicato docet D. Hieronym. tradunt Hebræi primogenitos Sacerdotum officio eſſe functos, & habuiſſe veſtimentum Sacerdotale, quo induti Deo

Geneſ. 27. 15.

In trad. Hebr. in Geneſ.

Deo victimas offerebant, antequam Aaron in Sacerdotem eligeretur. Ex quo colligimus ſtolam illam Eſau pulchram, ac deſiderabilem, inſigne fuiſſe Primogenitorum, & Sacerdotij, ita poſtulante dignitatis illius ratione, vt cultu illo honeſtiore à cæteris fratribus, qui Sacerdotes non erant, diſtingueretur. Eamdem conſuetudinem cultioris ornatus corporis in viris primariis indicat S. Iacobus cum ait. *Si introierit in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclara,* &c. Cum autem veſtis candida dicitur à Iacobo, non tam de colore albo videtur intelligendum, quàm de ſplendore ac nitore, qui in veſtibus etiam alterius coloris eſſe ſolet: & fauet vox Græca, non enim dicitur ἐσθῆτι λευκῇ ſed λαμπρᾷ, λαμπρὸς autem ſplendidum, niténſque ſignificat. Significat ergo veſtes pretioſiores, nitidiores, molliores, vno verbo, eiuſmodi veſtes quales ferre ij ſolent, qui in Principum aulis verſantur, de quibus Dominus dixit: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Porrò viris primariis regum amicis, cuiuſmodi forte ſunt Megiſtanes quidam, qui frequenter in aulis magnorum Principum verſantur, vſum purpuræ fuiſſe conceſſum legimus in ſcriptura. Ita Ionathæ Alexander cuius exemplar epiſtolæ habemus in Machab. hiſtoria. *Rex,* inquit, *Alexander, fratri Ionathæ ſalutem. Audiuimus de te, quod vir potens ſis viribus, & aptus es, vt ſis amicus noſter, & nunc conſtituimus te hodie ſummum Sacerdotem gentis tuæ, & vt amicus voceris Regis (& miſit ei purpuram, & coronam auream) & quæ noſtra ſunt ſentias,* &c. Et eodem libro rurſus dicitur.

Iacob. 2. 2.

Matth. 11. 8.

1. Machab. 10. 20.

1.Machab. tur. *Et ſcripſit Antiochus adoleſcens Ionathæ dicens,*
11.58. *Conſtituo tibi Sacerdotium, & conſtituo te ſuper quatuor ciuitates, vt ſis de amicis Regis: & miſit illi vaſa aurea in miniſterium, & dedit ei poteſtatem bibendi in auro & eſſe in purpura, & habere fibulam auream,* &c. Similibus honoris inſignibus Simonem honeſtauit Demetrius,
1.Machab. *& Rex Demetrius,* inquit ſcriptura,
14.38. *ſtatuit illi ſummum Sacerdotium. Secundum hæc fecit eum amicum ſuum & glorificauit eum gloria magna,*
Ibid.n.43. & populo poſt conceſſiſſe commemorat *vt ope-*
44. *riatur purpura & auro, & vtatur fibula aurea.* Primarij ergo viri, qui amicorum Regis nomine cenſebantur, hoc illis regio priuilegio indulgente, purpura indui poterant, aureiſque quibuſdam ornamentis vti, quæ alioqui Regum propria eſſe videbantur. Ipſorum verò Regum ornamenta fuiſſe pretioſiſſima, facile ſibi quilibet perſuadebit, & ſcripturæ teſtimoniis pluribus probari poterit. Certè Regina illa, quam celebrans Dauid à
Pſal.44. dextris Regis aſtitiſſe ait *in veſtitu deaurato*, vel vt
10. eſt in Hebræo, *in auro Ophir*, quamquam vox Hebr. כתם non tantùm aurum ſignificat, ſed illud cui artifices acceſſerunt manus, fundendo, poliendo, maculiſque variorum colorum exactè pingendo & variando, nam & aliquãdo pro colore accipitur in ſcriptura, vt cum dicitur in Thre-
Thren.4. nis, *Mutatus eſt color optimus*, & apud Iob, *Non*
1. *conferetur tinctis Indiæ coloribus*, vtrobique eſt vox
Iob 28.16. כתם nec abludit Aquilæ interpretatio, qui vertit ἐν βάμματι ὠφεὶρ *in tinctura Ophir.* Niſi forte veſtes peregrinis coloribus imbutas intelligat, cuiuſmodi illæ erant, quæ de Ophir, quæ Regio in India fuiſſe putatur, aduehebantur, quæ colore florido, vegeto, rutiloque magis oculis ſpectantium

tium blandiebantur: celebrantur enim Scripturæ ſacræ teſtimonio colores Indici, vt cum dicitur apud Iob, loco citato. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.* vbi etiam in Hebræo, & Græco eſt *chetem Ophir.* Talis Reginæ Eſtheris, atque adeo Aſſueri regius ornatus, de quo ita legimus in ſcriptura, *Die autem tertio* (Eſther) *depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & circundata eſt gloria ſua, cumque regio fulgeret habitu,* &c. Paulò verò poſt de Aſſuero loquens ita dicit. *Ingreſſa igitur* (eadem Eſther) *cuncta per ordinem oſtia, ſtetit contra Regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regiis, auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu.* Quibus in verbis notandum veſtimenta, quæ ornatus dicuntur, eſſe ferales veſtes, & ad mœrorem indicandum appoſitas, eas ſcilicet de quibus ſcriptura ita narrat. *Cumque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit,* Septuaginta *ἱμάτια στενοχωρίας ϗ πένθους, veſtimenta anguſtiæ & luctus.* Quod autem dicitur *circumdata gloria ſua,* de regio ornatu intelligendum eſt, quo eam indui oportebat, cum in publicum erat prodeundum, aut cum apparendum coram Rege, quod tempus ipſamet appellat, *Dies oſtentationis.* Græc. *ὀπτασίας* diceremus Italicum. *Nè i giorni che biſogna, che ſi laſſi vedere.* Qui dies opponebãtur diebus, vt ipſa vocat, *ſilentij.* Græc. *ἡσυχίας, quietis.* quibus ſcilicet domi aut in conclaui ſui gynæcæi priuatim deſidere licet. Veſtes autem quibus induebatur in diebus oſtentationis, Gloriæ nomine ſignificantur; hoc enim nomen, nonnumquam in ſcriptura, ad ornatum veſtium explicandum, ex quo gloria exiſtit, & maieſtas, adhibetur. Sic de Nicanore dicitur in Machabæorum hiſtoria.

Iob 28. 16.

Eſther. 15. 14.

Ibid. n. 9.

Eſther. 14. 2.

Cap. 14. 16.

2.Mach. 8.35. *Depoſita veſte gloria per mediterranea fugiens* , &c. Græcè τὴν δοξικὴν ἀποθέμενος ἐσθῆτα, *Depoſita veſte glorioſa*. & eiuſdem hiſtoriæ libro priore, deſcribens auctor, quàm fœliciter cuncta Iſraëlitis cederent, Remp. gubernante Simone Machabæo,

1. Mach. 14.9. poſt nonnulla alia commemorata. *Seniores*, inquit, *in plateis ſedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & iuuenes induebant ſe gloriam*. Græcè καὶ νεανίσκοι ἐνεδύσαντο δόξας. Vocat δόξας, & gloriam ornatiorem corporis cultum, qui gloriam quamdam maieſtatemque conciliat. Quare loco indicato Eſtheris hiſtoriæ Aſſueri maieſtas, quæ ex pretioſis veſtibus throno Regio, vultu etiam ad grauitatẽ, ſeueritatémque compoſito exiſtebat, deſcribitur, eadémque vox δόξα apponitur ad maieſtatem exprimendam: quod enim habemus in vul-

Eſther 14. 9. gata editione. *Ingreſſa igitur cuncta per ordinem oſtia ſtetit contra Regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium Regni ſui indutus veſtibus Regiis, auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu. Cumque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, &c. Et ingreſſa omnes ianuas ſtetit in conſpectu Regis, & ipſe ſedebat ſuper thronum Regni ſui, & omnem ſtolam ſplendoris ſui induerat, totus in auro, & lapidibus pretioſis, & erat terribilis valde, & eleuans faciem ſuam inflammatã gloria, in vigore furoris aſpexit*, &c. Quare Moſes ſummi Sacerdotis veſtes, quæ ad augendam muneris illius auctoritatem, & maieſtatem, Dominus voluit eſſe ex pretioſa materia, gemmis etiã appoſitis ornatas, dicit eſſe factas in gloriam & decorem. *Facieſque*, inquit, *veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem*. Cæterum quod ad rem attinet de qua agimus, non eſt neceſſe pluribus oſtendere, cultum corporis in primariis viris,

ac

ac præſertim Principibus laudabilem eſſe, & ad maieſtatem múneri illi neceſſariam, accómodatum; nam præter allata loca idẽ aliis ex ſcriptura productis teſtimoniis confirmari poſſet, vt Abrahami, Ioſephi, Dauidis, Danielis, Mardochæi, atque Iudithæ, & Iob, apud quem diſertè dicitur. *Si habes brachium ſicut Deus & ſimili voce tonas, circumda tibi decorem, & in ſublime erigere, eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtimentis.* Quaſi dicat, ſi te cum Deo ſummo Principe confers, quod conſequens eſt, ornamenta etiam quæ Principatum decent, aſſume, gloriam ſcilicet pretioſarũ veſtium; nam & ipſe Deus huiuſmodi veſtibus induitur, vt canit Dauid, *Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confeſſionem & decorem induiſti amictus lumine ſicut veſtimento.* Sed de Dei maieſtate paulo infra. Nunc videamus, nam quemadmodum veſtium pretium & ornatum laudabilem eſſe oſtendimus in viro Principe, ita etiã gratus aliquis eorumdem veſtimentorum odor arte quæſitus probari poſſit.

Genef. 24. 22. 30. 47. 53. Geneſ. 41. 42. 2. Reg. 12. 20. Dan. 5. 29. Eſther 9. 15. Iudith. 10. 3. Iob 40. 4. Pſal. 103. 1.

An odorũ vſu in veſtibus Principis laudabilis ſit.

2 Sanè crediderim moderatum vſum odorum in Principe laudari poſſe, non tantùm quia ad corporis incolumitatem prodeſſe poteſt, cum ſuauitate odoramentorum hominis cor delectetur, vt dicitur in Prouerbiis. *Vnguento & variis odoribus delectatur cor*; ſed etiam quia illorum vſum in ſcriptura reperio, non in molliori tantùm mulierum ſexu, ſed etiam in viris præſertim primariis. Itaque S. Dauid cum Principem illum laudaſſet à multis egregiis dotibus, quæ Regem ornant, quod ſcilicet eſſet *ſpecioſus forma præ filiis hominum, quod diffuſa eſſet gratia in labiis illius, quod propter veritatem & manſuetudinem, & iuſtitiam, quam dilexiſſet*, eſſet fœliciter in iis ad quæ ma-

Prou. 27. 9. Pſal. 44. 3.

nus admouiſſet deducendus, aliquid etiam addidit ad externum corporis cultum, de adoratis veſtibus mentionem inducens, *Myrrha*, inquit, *& gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis*, &c. nemo autem neſcit ex huiuſmodi aromatis ſuauiſſimũ odorem efflari. Bonus etiam ſenex Iſaac mirificè ſcribitur delectatus odore veſtimentorum filij ſui, quem Eſau eſſe putauit; nam ſtatim vt ſentit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Quam benedictionem ſic extulit Kaldæus. *Sicut odor incenſi, ex optimis aromatibus, quæ tandem offerentur in monte, vbi erit domus ſanctuarij, ſiue templum cui benedixit, qui viuit in æternum.* Metaphora ergo agri pleni ad flores vel fructus referenda eſt: nam verè cum tellus omnis noua florum pube veſtitur, tunc prata variis colorum picturis in certamen vſque luxuriant & campos omnes longè latéque violaria reddunt purpureos, ac ſuaueolentes. Imo ipſa tellus à cultoribus altius verſata halitum quendam gratiſſimum emittit, ex ſole conceptum, cui comparari ſuauitas nulla poſſit. Sponſæ verò in Canticis veſtimentorum ſuaueolentia his verbis commendatur. *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris:* quod in vulgata dicitur thuris, in Hebr. eſt לבנון *Leuanon*, quam vocem Septuaginta retinuerunt, nam verterunt *λίβανον.* Quemadmodum autem apud Hebræos לבנון & thus ſignificat, & montem etiam Libanum; ita apud Græcos *λίβανον*, eandem duplicem habet ſignificationem. Nemini autem mirum videri debet, ſi veſtimentorum fragrantia cum odore Libani montis comparatur; nam par eſt credere, montem illum in quo

Ibid. n. 9.

Geneſ. 27. 27.

Cantic. 4. 11.

quo plurimæ arbuſculæ & frutices optimi odoris naſcebantur, longè latéque gratiſſimum ſparſiſſe odorem: quare eodē loco indicato ſubditur non poſt multa. *Nardus, & crocus, fiſtula & cinamomum cum vniuerſis lignis Libani.* Ad odorem etiã referri poſſe videtur quod Saluator Dominus Salomonis veſtimenta cum liliis comparauit, non enim tantum eximius candor cōmendatur in liliis aut decens, ad modum calathi figura reſupinis ſe per ambitum labris pandens, ſed etiam odor planè admirabilis, qui ex illis efflatur, omnem poſt ſe æmulatricis artis conatum longo ſpatio relinquit. *Conſiderate*, inquit, *lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Quanquam illud monuerim cauendum eſſe in huiuſmodi abuſum, qui tunc accidit cum aut voluptas ſenſuum captatur, aut quod deterius eſt, cum ad luxum libidinéſque refertur: quo nomine filiarum Sion curioſa licentia reprehenditur in cultu corporis & odoramentis, quibus minatur Iſaias cum ait, *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Eum verò qui corporis cultum ſtatui decorum quæſiuerit, aut odores adhibuerit, culpa vocare crediderim, imo rem honeſtam, & perſonæ quam ſuſtinet conſentaneam. In quo non ſatis laudari poteſt Reginæ Eſtheris, rerum humanarum, honorum, Regiíque ſplendoris, qui in externo elucet cultu, deſpicientia, quæ licet ſumptuoſiſſimis veſtibus auro gemmíſque illuminatis veſtiretur, adeo tamen hoc vniuerſo cultu non abutebatur ad ſuperbiã, vt potius illud magna deteſta-

Ibid. n. 14.

Matth. 6. 28.

Iſa. 3. 24.

tione auerſaretur. Quare Dominum alloquens.
Eſther.14.15. *Noſti*, inquit, *quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorum, & omnis alienigenæ. Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud, quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei, & nunquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum vſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus Abraham.* Cui tantæ mulieris modeſtiæ ſi libet ſuperbi alicuius typhum opponere, nõ alius mihi quærendus eſt, quàm Herodes, de quo ita
Act.12.21. dicitur in actis Apoſtolorum. *Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat Dei voces & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit.* Quamuis autem præcipua tam atrocis mortis diuinitus illatæ cauſa ea ſit, quam D. Lucas expreſſit, quod ſcilicet aſſentatorum voces tanquam Deum ſalutantium, illique gratulantium non repuliſſet, ſed potius libens admiſiſſet, eiſque fuiſſet gauiſus; ſimul tamen punitam crediderim cedonoxiam illam, quam ex regiarum veſtium cultu captare ſtudebat apud vulgus: quod ſacer hiſtoricus videtur innuere, cum regiæ illius veſtis mentionem facit, & expreſſiùs Ioſephus eandem narrans hiſtoriam, cuius hæc ſunt verba. *Amictus veſte, tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radijs exorientis ſolis percuſſa & diuinum quendam fulgorẽ emittens venerationem cum honore incutiebat ſpectantibus.* Hæc Ioſephus.

3 Cæſaries etiam, & copioſior coma quibuſdam

dam gentibus fuit in vſu, vel vt pulchritudinem oris hilariorem redderent, vel vt auguſtiorem facerent. Ea etiam Principibus viris vſurpata. De Abſalon Dauidis filio, munditiarum, & cultioris capilli ſtudioſiſſimo, ita habemus in Regum hiſtoria. *Quando tondebat capillum* (*ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries*) *ponderebat capillos capitis ſui ducentis ſiclis, pondere publico.* Hos crines puellæ Ieroſolymitanæ expetebant, vt aſcititiis comis, vel deformitatem tegerent, vel meliore quàm eſſent forma ſpectantibus apparerent. Adde quod apud Nahum comatus, aut cæſarie promiſſa ſpectandus, Principis periphraſis eſt, quod fortaſſe eo tempore cæſaries inſigne Principum eſſet apud Aſſyrios (de quibus eſt ſermo) vt putat Ribera, vbi enim legimus *Cuſtodes ſui quaſi locuſtæ*, quod Pagninus vertit, Maiores, Rabbi Dauid Principes interpretatus eſt in librum radicum, alij verò *coronati*, verſio alia Hebraicæ proprietati inſiſtens, ita reddidit: *Comati tui locuſtas referunt.* Nec parum ad rem noſtram aptè cum locuſtis facta videretur à propheta comparatio, ſi de eo genere locuſtarum ſermo eſſet, quæ in Apocalypſi Regia quadam ſpecie deſcribuntur cum dicitur. *Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in prælium, & ſuper capita earum tanquam coronæ ſimiles auro, & facies earum tanquam facies hominum, & habebant capillos ſicut capillos mulierum.* Dauid etiam cum ſibi & Chriſto Domino proſpera cuncta, diuinitus afflatus, ominatur, *Inimicos eius*, inquit, *induam confuſione* (capite nimirum raſo) qui habitus eſt captiuorum, atque mœrentium: contra verò, *ſuper ipſum efflorebit*, germinabit, *ſanctificatio mea.*

De cæſarie promiſſoq; capillo.

2.Reg. 14. 26.

Nahum 3. 17.

Apoc. 9. 7.

Pſal. 131. 18.

mea. D. Hieronymus ex Hebræo, & Chaldæo, *Corona*, aut *Cæſaries*, hæc enim in vertice germinat, & in humeros diffluit, dicitúrque ſanctificatio, quia qui Nazaræorum ritu ſancti erant, diuinóque cultui per eam ceremoniam ſepoſiti, cæſariem nutriebant. Hic ergo mos fuiſſe videtur æui illius, quem poſtea ſæpius intermiſſum, & repetitum, noſtris temporibus, vt eſt rerum conſuetudinúmque viciſſitudo, iterum à quibuſdam reuocatur. Sanè ſi rem ipſam ſpectemus, parum refert ſiue alat capillum Princeps noſter, ſiue detonſo capite malit incedere. Itaque vel eâ quæ obtinet apud ſuos ſequetur conſuetudinem, vel ſi ea minus placuerit, nouam ipſe faciet: nam quod ab illo probari ſenſerint, alij etiam vſurpabunt, quandoquidem Principis ad exemplum, & aulæ proceres, & reliqui ciues ferè componi ſolent.

De ſtipatoribus, & cohorte militum corporis cuſtodum.

4 Ad Principis etiam maieſtatem pertinet cohortes habere corporis ſtipatorum, qui cum prodeundum eſt circumfuſi latera tegant, & incurrentibus periculis ſi fuerit opus ſe opponant, & & ſomnum etiam nocturnis excubiis muniant. Munus hoc apud Hebræorum Reges olim explesse legiones Cerethi & Pheleti colligitur ex ſcriptura. Quemadmodum autem videmus nunc Principes peregrino militi, ex Heluetia plerumque aut Germania accerſito, corporis cuſtodiam credere, ita olim factitatum coniectura ſatis probabili, ex eadem ſcriptura deducitur. Nam Cerethi vel Cretenſes fuerunt in Creta orti & educati, vel certè in Palæſtina nati ex aduenis Cretenſibus: nam quod apud Sophoniam legitur, *Væ qui habitatis funiculum maris gens perditorum*, in Hebr.

Sophon. 2. 5.

Hebr. eſt *Gens Cerethim,* & Septuaginta verterunt *Cretenſes.* Facile autem creditu eſt,Cretenſes nonnullos in Palæſtina vixiſſe, & regiones præſertim incoluiſſe oræ maritimæ, cum ex Inſula Creta in Palæſtinę continentem non admodum longa ſit nauigatio. Appellantur autem *interfectores* & *gens perditorum,*quod ipſi Regi eſſent pro lictoribus, & ad Principis iuſſa ad interficiendum, & ad perdendum prompti. Et hi forte ſunt de quibus dicitur in Canticis. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt,omnes tenentes gladios, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum.* Quanquam quod ad genus armorum ſpectat,quo vſi ſunt, eos Kaldæus interpres, arcu, ſagittis & funda inſtruit, nam pro Cerethi & Pheleti, vertit *ſagittarios*, & *fundibularios.* Eos verò lictores fuiſſe, videtur etiam ex eo capi poſſe coniectura, quod eorum dux Banaias Ioab & Adoniam iuſſu Salomonis interfecerit,vt in Regum hiſtoria narratur; & hi etiam forte ſunt, quos Saül legitur miſiſſe, *vt cuſtodirent Dauid, & interficerent manè.* Hæ verò militum legiones, quia fidæ admodum Principi ſuo erant,Dauidē ſecutæ dicuntur, cum fugeret Abſalonem. *Egreſſúſque Rex & omnis Iſraël pedibus ſuis ſtetit procul à domo, & vniuerſi ſerui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi, & Gethæi,pugnatores validi,ſexcenti viri,qui ſecuti fuerant eum de Geth pedites, præcedebant Regem.* Quamuis autem plerique exiſtiment Gethęos iſtos nō fuiſſe ex gente Philiſtinorum ſed ex filiis Iſraël, ſic autem appellatos, quod Dauid apud Regē Achis commorantem, & poſtea inde abeuntem proſecuti eſſent: id tamen non admodum exploratum eſſe mihi videtur, nec conuicturæ quibus nituntur

Cant. 3.7.
3.Reg.2.
1.Reg.19.11.
2.Reg.15.17.
Abulenſ.
2.Reg.15.
quæſt. 26.

Theodor. q.29.in 2. Regum. tur adeò firmæ, vt cõtrarium defendi cum Theodoreto,& ſcholaſticæ hiſtoriæ authore,aliqua ratione non poſſit. Eius ergo opinionis duo ſunt fundamenta. Alterum, quod Dauid vrbem Geth non habitaret, ſed Siceleg, quod oppidum Gentiles non incolebant, ſed Dauid tantùm cum ſuis: quare nec inde petere poterat Gethæos quos ſibi adiungeret, nec verò ſi potuiſſet eos ſibi adiungere ſuſtinuiſſet, ne forte aliquis Regis ſui damnis commotus, Dauid ad Regem Achis deferret, quod alterum eſt ſententiæ huius firmamentum: ſolertiſſima enim animi prouiſione cauebat Dauid, ne cum prædas è regno Achis egiſſet, incurſionum illarum, damnorúmque auctor haberetur, vt in hiſtoria Regum legimus libro 1.Reg.27. 9. primo. *Et percutiebat*, inquit, *Dauid omnem terram, nec relinquebat viuentem virum & mulierem, tollénſque oues, & boues, & aſinos, & camelos, & veſtes reuertebatur, & veniebat ad Achis. Dicebat autem ei Achis: In quem irruiſti hodie? Reſpondebat Dauid: Contra meridiem Iuda, & contra meridiem Ierameal, & contra meridiem Ceni. Virum & mulierem non viuificabat Dauid, nec adducebat in Geth, dicens: ne forte loquantur aduerſum nos.* Cæterum pro Theodoreto, quis diceret, Gethæos illos fuiſſe quidem de gente Philiſtinorum,ſecutóſque Ethai Gethæum,qui aliqua fortaſſe offenſione, exilio cauſam dante, patrium verterat ſolum, operámque ſuam Dauidi ad bellũ locauerat, aut corporis cuſtodiam, ſecutúſque fuerat Dauid abeuntem, nam primò ipſum Ethai Gethæum fuiſſe ex ſcriptura apertè 2.Reg.15. 19. conſtat,nam *dixit Rex ad Ethai Gethæum, reuertere, & habita cum Rege, quia peregrinus es, & egreſſus es de loco tuo.* Quemadmodũ ergo Ethai natione Gethæus

thæus non in exercitu tantum Dauid, ſed inter amicos etiam cenſebatur, ita probabiliter credi poſſe alios etiam ſexcentos Gethæos ſub Ethai meruiſſe, illiuſque auctoritatẽ ſecutos, cum illo ſub Dauid militaſſe. Quãuis autem Dauid Siceleg incoleret frequenter, tamen in aula Regis Achis verſatũ fuiſſe, credibiléque eſſe, habuiſſe eum ibi aliquos amicos, & factores, quamuis plures haberet aduerſarios, quos etiã ibi iniquos experiebatur, & gloriæ ſuæ obtrectatores, quorum tandem ceſſit inuidiæ, vt lib. 1. Regum hiſtoriæ cõmemorat ſcriptura, fieríque potuiſſe, vt tanta haberet Ethai fidelitatis pignora, vt ei, totique Gethæorũ cohorti, corporis ſui cuſtodiã credere prudenter poſſet, quemadmodum Achis Dauidi ſe credere conſtituerat, cui dixit: *Ego cuſtodẽ capitis mei ponam te cunctis diebus.* Quam etiam alienigenarum in ſe fidem in Pſalmo videtur Dauid celebraſſe, cũ ait: *Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu oris obediuit mihi.* Quę verba de Gethæis Bellarmin. intelligit in eum locũ. Quidquid hac de re ſentiendum ſit, ratio ſuadet prudenter peregrino militi potius, quam ex indigenis collecto Regium credi ſatellitium. Nam indigenarum fidelitas magis ſuſpecta eſſe poteſt quàm peregrinorum, hi enim præter ſua ſtipendia, quæ merentur in aliena patria occaſionẽ rerum nouandarũ non habent, nec plus huic ex Regni Principibus fauent, quàm illi, cum omnibus ſint æquè peregrini, & ignoti. Indigenæ verò, qui ex ciuibus ſuis alij ex aliis pẽdent, iiſque aut animi propenſione ſuapte ſponte, aut beneficiis deuincti adhærent, facilius in ſuſpicionẽ venire poſſunt, ne fortè ſalutem capútque Regis alicui prodant, quem regnum affectare vidẽt, aut

1. Reg. cap. 29.

5. Reg. 28. 2.

Pſalm. 17. 45.

aut alioqui Reipublicæ alia aliqua ratione incõmodare molientem. Quod verò diximus de Cerethi & Getheis, dicendum etiam eſt de Phelethi; cùm enim Phelethi legio cum legione Cerethi coniungatur, idem etiam illius munus fuiſſe credibile eſt, & nominis fauet etymologia: nam פלח ſiue פלא eſt *ſeligere, ſegregare.* ex quo fit Phelethi inde nomen nactos fuiſſe, quod ſelectorum militum manus eſſent ad Regis cuſtodiam deputatæ.

De Maieſtate in alijs quibuſdã quæ Principem circumſiſtunt, vt throno regio, &c.

5 Spectatur etiam maieſtas Principis in externis quibuſdam rebus, quæ illum circumſiſtunt, cuiuſmodi eſt thronus Regius, aut lectica, qua vehatur, & alia generis eiuſdem; & Rex quidem Salomon thronum mirabili artificio perfectum ex auro, eboréque elaboratum fieri iuſſit, cuius deſcriptio eſt in hiſtoria Regum. *Fecit etiã,* inquit,

3. Reg. 10. 18.

Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde. Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. Aptè autem ad maieſtatem Leones additi, quod animal propter prærogatiuam fortitudinis inter cætera facile obtinet principatum, ipſóque corporis habitu, licet arte tantum picturæ, aut ſculpturæ aſſimulatum ſit, terrorem quendam incutit, quod facit ad maieſtatem. De ferculo verò Salomonis magnificentiſſimo ita ſcribitur in Canticis. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit, propter filias Ieruſalem.* Hebraicam

Cantic. 3. 9.

braicam vocem, quam *Ferculum* noſter interpres, & cum illo cōſentientes Septuaginta φορεῖον verterunt, cum ſemel tantum in ſcriptura occurrat, hoc nimirum loco: alij aliter interpretati ſunt à vulgata editione, ſine idonea cauſa recedentes. Erat igitur *Ferculum* ſella quædam, aut lectica Salomonis, qua ipſe Rex cum Maieſtate circumferretur. Eius ferculi partes minutim ſcriptura deſcribit, vt operis artificium, materiæque ex qua fuerat elaboratum, pretium oſtendat, nam columellæ apſidi ſuſtinendæ, & fulciendæ, ex argento fuerunt. Reclinatorium, ſiue acclinatorium, cui ſcilicet humeri, brachiáque innitereniur fecit ex auro, aſcenſum, hoc eſt ipſum ſedile ex purpura, vel, vt alij volunt, ipſum integumentum, ac lecticæ teſtudo, media autem charitate conſtrauit, rebus ſcilicet, quæ multū amantur; & magni pretij ſunt, lapidibus nimirum pretioſis, mira arte diſpoſitis; nam Septuaginta habēt ἐντὸς αὐτοῦ λιθόστρωτον ἀγάπην, *in interiore ipſius opus lapidibus conſtratum ipſam dilectionem*: nam τὸ ἀγάπην poſitum eſt appoſitiuè, hoc ſenſu, quod ipſam dilectionem dixeris, adeo eſt amabile, pulchrum, pretioſum. Quinta autem edito ex lectis lapillis pretioſis ſcilicet opus coagmentatum ſignificat, ita enim habet τὸ μέσον αὐτοῦ ψηφολόγημα *medium eius electis calculis ornauit.* Adeo verò præclarum hoc fuit Salomonis ferculum, vt cum eo Salomon circumferretur regio inſignis diademate, ad eum ſpectandum filiæ Sion euocarentur. Nam ſtatim ſubditur: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Videtur enim ſpectaculum admirabile Ibid.n.11.

ſimul & iucundum, Regem illum, auro purpuráque nitentem, tam eleganti & pretioſo ferculo circumferri.

Ad maieſtatem facere ſi ſe Princeps in loco à vulgi conſpectu ſubducat.

6 Sed facit etiam ad maieſtatem ac reuerentiam, ſi ſe ſe in loco & tempore Principes ab hominum vulgarium præſertim conſpectu, & conſuetudine ſubducant, ne ſcilicet continuus aſpectus minus verendos ipſa ſatietate faciat, neue aliqua forte notent vitia, quibus ſine viuit nemo, quæ ſi frequenter in eorum oculis verſentur, nullo negotio deprehendant, ac propterea minoris faciant. Maior enim ſummæ poteſtati ex longinquo venit reuerentia. Fuit quorũdam mos iſte Perſarũ, vt ne ad interius quidẽ Regis atrium inuocatis penetrare liceret, ne dum ad eius cõclauia, aut conſpectũ, propoſita etiam capitis pœna, iis qui legẽ violaſſent. Quare Eſther Regina vel in ſummo populi eius periculo ad Aſſuerũ ingredi formidabat. *Omnes ſerui Regis* (inquit ipſa ad Mardochæum) *& cuncta, quæ ſub ditione eius ſunt, norunt prouinciæ, quod ſiue vir, ſiue mulier, non vocatus, interius atrium Regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur, niſi forte Rex aureã virgam ad eum tetenderit, pro ſigno clementiæ, atque ita poſſit viuere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non ſum vocata ad eum?* Hæc Regina Eſther, quæ tamen cũ vrgente Mardochæo, vt imminens toti Hebræorum genti periculum ab eorum ceruicibus depellere curaret, auſa eſt, Regi ſe ſiſtere, ſed magnitudine periculi, quod ſubibat, adeo commota eſt, vt repente *corruerit, & in pallorem colore mutato laſſum ſuper ancillulam reclinaret caput.* Sed non immerito videri poſſit alicui ſeuerior iuſto lex iſta, vt Abbati Ruperto viſa eſt, cuius

Eſther 4. 11.

Eſther 15. 10.

Lib. 8. de vict. verbi cap. 10.

ius iſta ſunt verba. Cur, inquit, tanta erat difficul- ,,
tas adeũdi Regem? Nimirũ hoc venerat ex nimia ,,
vẽtoſitate miſerę vanitatis, vt Rex magni Imperij ,,
plus homine putaretur habere aliquid, nec vilior ,,
fieret ex vſu publicæ viſionis; maximéque apud ,,
Perſas mos iſte ſancitus fuit, vt perſona Regis ,,
occultaretur ſub ſpecie maieſtatis. Ita Rupertus.

7 Ad Principis etiam maieſtatem, ſi vlla res alia maximè facit, aulicorũ, miniſtrorúmque lectiſſimorum numerus, qui illi aſtent; illum comitentur, prodeuntem, redeuntemque deducant. Sic Daniel cum diuinam maieſtatem, de Antichriſto iudicantem deſcribit, cum adiuncta nõnulla expreſſit, quæ ad Maieſtatem faciunt, tum hoc de miniſtrantium, aſſiſtentiúmque multitudine non prætermiſit; *Aſpiciebam*, inquit, *donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda, thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accenſus. Fluuius igneus, rapidúſque egrediebatur à facie eius. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies cẽtena millia adſiſtebãt ei.* Throni poſiti ſunt, maior enim auctoritas eſt, ſanctiórque Maieſtas; ſi Rex plures Principes circum ſe habeat ſedentes, quàm ſi ſolus ipſe ſedeat. Quare in Apocalypſi præter thronũ ſummi Iudices viginti quatuor ſedilia totidẽ ſenioribus poſita dicuntur, & Chriſtus Diſcipulis ſuis pollicitus eſt, fore vt & ipſi *ſederent ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Candor etiam veſtium ad maieſtatem facit, Deus enim lucis candore quodammodo veſtitur, vt non ſemel expreſſit ſcriptura, nam à Moſe dicitur Deus eſſe ignis conſumens, & à S. Dauid *amictus lumine, ſicut veſtimento*; & rurſus verbum

De miniſtrorũ numero & aula frequentia.

Dan. 7. 9.

Apoc. 4. 4.

Matth. 19. 28.

Deut. 4. 24.

Digitized by Google

Pſal. 103. 2. *in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genitus.* Tandémque in transfiguratione Christi
Pſal. 109. 3. veſtimenta *alba* fuiſſe dicuntur *ſicut nix.* Candor
Matth. 17. 2. verò capillorum præter æternitatem, quæ canitie ſignificatur, maieſtatem etiam ſanè verendam repræſentat. Porro thronus igneus, & rotæ igneæ curruli throno ſubiectæ, ad eandem pertinent maieſtatem augendam, vt etiam ignis ille à Dei throno, quaſi fluuius erumpens, quod etiam le-
Pſal. 96. 1. gimus apud Dauid, apud quem cum Dominus quaſi Rex deſcribitur præcedentis iſtius ignis
Ibid. n. 3. mentio fit. *Dominus*, inquit, *regnauit, exultet terra, &c.* Et paulò poſt, *ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, tandémque additur id, de quo nunc agimus, numerum propemodum infinitum Angelorũ Regio ſummi Principis throno aſtitiſſe, paratorum ad illius iuſſa capeſſenda, quod ad diuinam maieſtatem amplificandam non mediocriter facit. Quare frequens in ſcripturis multitudinis iſtius incidit mentio,
Iob 25. 3. vt cum legimus apud Iob *Nunquid eſt numerus militum eius, & ſuper quem non ſurgat lumen eius?* (diſſeritur autem eo loco de diuina maieſtate, quare
Ibid. n. 2. & ſtatim ante præmiſerat, *Poteſtas, & terror, apud eum eſt*, quæ maximè ad maieſtatem faciunt) &
Hebr. 12. 22. apud D. Paulum cum ait; *Acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam*; & in S.
Apoc. 5. 11. Ioan. Apocalypſi, *Et audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum,*
Pſalm. 67. 18. *& erat numerus eorum millia millium.* Et in Pſalmo, *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium,* Angelorum ſcilicet, qui tanquam auxiliares copiæ ad Eliſæum tuendum miſſi ſunt, ne veniret

in

Digitized by Google

in manus Regis Syriæ. Nam cum *Miniſter viri Dei egreſſus vidiſſet exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus, Eliſæo nunciauit, dicens. Heu, heu, heu! Domine mi, quid faciemus? At ille reſpondit: Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Cúmque oraſſet Eliſæus, ait. Domine, aperi oculos huius vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Sed vt à Diuinis ad humana deſcendamus, hanc Principum virorum Regi adſtandi conſuetudinem reperio apud Perſas, nam in libro Eſther legimus Reginam Vaſthi Principum virorum conſilio, qui Regi adſtabant, exauctoratam, regno excidiſſe. *Iratus*, inquit, *Rex, & nimio furore ſuccenſus, interrogauit ſapientes, qui ex more Regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges, ac iura maiorum, erant autem primi & proximi Charſena*, & cæteri, qui recenſentur, *qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant.* Quibus nimirum alij minoris poteſtatis & auctoritatis in Regis aula verſabantur, qui licet non ſemper, frequenter tamen Regi adeſſe conſueſſent, vt eius facerent imperata, & Maieſtatem augerent, tales illi erant, qui tempore conuiuij ab Aſſuero inſtructi præſidebant menſis vt omnia decorè fierent, & citra tumultum, qui in ſacra hiſtoria Principes appellantur. Memorat etiam ſcriptura in Dauidis aula complures fuiſſe, vt potè ſub Rege bellatore viros fortiſſimos, qui Regi & Regno non minus eſſent ornamento, quàm præſidio. Horum verò catalogus texitur in hiſtoria Regum, vbi etiam aliquorum egregia facinora commemorantur Eleazari, qui tam pertinaci ſpiritu, tantáque fortitudine

4. Reg. 6. 15.

Eſther 1. 13.

Eſther 1. 8.

Digitized by Google

2.Reg.23. contra Philiſthæos pugnauit, *donec deficeret ma-*
9. *nus eius, & obrigeſceret cum gladio Semma*, qui Phili-
ſtæos à campi lente pleni ingreſſu per vim pro-
Ibid.n.10. hibuit, *campúmque tuitus eſt, percuſſitque Philiſteos, & fecit Dominus ſalutem magnam*; trium fortium, qui cupienti Dauid hauſtum aquę de ciſterna, quę erat in Bethleem, irruperunt in caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam, & attulerunt ad
Ibid.n.18. Dauid. *Abiſai, qui leuauit haſtam ſuam contra trecen-*
Ibid.n.20. *tos, quos interfecit: Baiane, filij Ioiada magnorum operum de Cabſeel, qui percuſſit duos Leones Moab, & ipſe deſcendit, & percuſſit Leonem in media ciſterna in diebus niuis, ipſe quoque interfecit virum Ægyptium virum dignum ſpectaculo, habentem in manu haſtam. Itaque cum deſcendiſſet ad eum in virga, vi extorſit haſtam de manu Ægyptij, & interfecit eum haſta ſua.* Cæterorúmque fortium, quorũ nomina pergit commemorare ſcriptura, quæ qui volet legat loco indicato: quæ igitur Dauidis maieſtas cum tam fortibus, támque multis bellatoribus ſtipa-
Ibid n.39. tus incederet? ſunt enim quos hiſtoria Regum nominatim recenſet, *omnes triginta ſeptem.* Nec minus florens aulæ regiæ ſtatus Salomone regnante, quare diligenter ſcriptura plures commemorat nominatim ex Principibus viris, eorumque
3.Reg.4. munera quibus præpoſiti fuerant à Salomone.
1. *Erat autem*, inquit, *Rex Salomon regnans ſuper omnem Iſraël, & ſi Principes, quos habebat Azarias filius Sadoc ſacerdotis, Elioreph, & Abia filij Siſa ſcribæ.* Crediderim ſcribas Regi à ſecretis fuiſſe epiſtolis expediendis præpoſitos, Regiis decretis ac diplomatis. *Ioſaphat filius Abilud à cõmentarijs.* Kaldæus interpretatur *Præpoſitum ſuper monimenta.* 70. *Commonefacientem.* Pagninus in theſauro linguæ

ſanctæ

ſanctæ, commone factorem, vel à ſecretis, eum ſcilicet qui Regi reuocat in memoriam negotia, quæ gerenda ſunt, aut qui ſupplices porrigit libellos. Banaias filius Ioiadæ ſuper Exercitum, *Sadoc autem, & Abiathar ſacerdotes. Azarias filius Nathan, ſuper eos, qui exiſtebant Regi.* Qui verò fuerint hi, qui aſſiſtebant Salomoni, qualéque eorum munus ſcriptura non exprimit. Forte fuerint Regij Conſiliarij de quibus alicubi mentionem faciens ſcriptura aſſiſtendi vocabulum vſurpat. *Inijt,* inquit, *Conſilium Rex Roboam cum ſenioribus, qui aſſiſtebant corã Salomone patre eius, cum adhuc viueret.* Pergit Catalogus miniſtrorum Salomonis. *Zabud filius Nathan ſacerdos, amicus Regis. Amicus Regis,* dignitatem quandam importat, peculiarémque nomenclaturam, vt ij quos Rex eo honore dignatus eſſet, Amici Regis dicerentur, vt ex productis hoc eodem capite teſtimoniis colligi apertè poteſt. *Et Ahiſar præpoſitus domus, Adoniam filius Abdor ſuper tributa. Habebat autẽ Salomon duodecim præfectos ſuper omnem Iſraël, qui præbebat annonam Regi, & domui eius, &c.* Ex his ergo, quæ hactenus diximus ſatis patet, ad maieſtatem & decus Principis maximè facere, ſi ſelectiſſimos quoſque generis nobilitate, ac præcipuè virtute apud ſe habeat in aula, quorũ operâ vtatur, cum ſe ſe offert occaſio, cuiuſmodi miniſtros & aulicos deſcribere videtur Sapiens cum ait. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? corã Regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles.* Sapientis enim Principis eſt diligenter, ſolerterque inueſtigare ſintne aliqui, quorum eximia ſit laus in bellicis, vrbaníſue rebus tractandis, eúmque aulæ ſuæ tanquam præcipuum quoddam decus adiungere.

3. Reg. 12. 16.

Num. 1. Machab. 10.20. & 11. 58. & 14.38.

Prou. 22. 29.

De titulis Principũ. 8 Sed tituli etiam Principum aliquid conferunt ad maieſtatem, ideóque aut à populis ſuis Principibus pro virtutis modo impoſiti, aut ab ipſis ambitioſius etiã, quàm par fuiſſet, affectati. In ſacris literis Antiochus Syriç Rex appellatur *Illuſtris* & *Nobilis*, Græcè ἐπιφανὴς *Epiphanes*, quod idẽ ſignificat; qui tamen ob inſanũ in veros Dei cultores furorẽ, ſordidiſſimáſque cum quibuſlibet helluationes & ſcortationem ἐπιμανὴς, hoc eſt *furens*, ſeu *inſanus* veriùs appellatus eſt. Sic alij Syriæ Reges à titulis cõmendationem quæſiuêre, nam & νικάνορες & σωτῆρες, & καλλίνικοι, & κεραυνοὶ, atque adeo θεοὶ nuncupati ſunt. *Victores* ſcilicet, *hominum ſeruatores, illuſtrium victoriarum reportatores, Fulmina, Dij.* Sed Antiochum illum Epiphanem optimè in eum conueniente epitheto ſacra Machabæorum hiſtoria decorauit; quia enim plurimorum peccatorum fuerat cauſa, quæ ab illo auctore, quaſi à radice exorta ſunt, propterea eum *Radicem peccatricẽ* indigitauit, vt vel hinc appareat, quàm diuerſa inter ſe ſint hominum, Deíque iudicia; nam quos homines honorificentiſſimis cumulant titulis & laudibus attollunt ad ſydera, eos Deus tanquam ignobiles deſpicit, abiicítque iuxta id, quod Samueli dixit Dominus; *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnent me, erunt ignobiles.* Faciunt ergo tituli ad maieſtatem, ſi verè Principi conueniant, non adulatoria aſſentatione ſint inditi, ad ſcalpendas Principis aures. Quare magnus ille Princeps, qui cum in forma Dei eſſet, *paruulus tamen naſci dignatus eſt, cuius Principatus ſuper humerum eius;* tanto ante ab Iſaia titulorum præconio, quibus olim eſſet ornandus, celebrari voluit,

1.Machab. 1.11. 2. Mach. 4.7.

1.Machab. 11.

1. Reg. 2. 30.

Iſa 9.6.

luit, *Vocabitur*, inquit, *nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſaeculi, Princeps pacis.* Et inter mortales rerum geſtarum magnitudine & claritate Principes aliqui Magni nomẽ ſibi pepererunt, vt Alexander Macedo, cuius mentio eſt in ipſo ſtatim limine Machabæorum hiſtoriæ, in qua licet magnus non dicatur, ita tamen à bellica fortitudine, reportatiſque victoriis cõmendatur, vt hoc nomine non indignus, ipſius ſacræ Scripturæ teſtimonio cenſeri poſſit. *Et factum eſt*, inquit, *poſtquam percuſſit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egreſſus de terra Cethim, Darium Regem Perſarum, & Medorum conſtituit prælia multa & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ, & pertranſiit vſque ad fines terræ, & accepit ſpolia multitudinis gentium, & ſiluit terra in conſpectu eius, & congregauit virtutem, & exercitum fortem nimis, & exaltatum. & eleuatum eſt cor eius, & obtinuit regiones gentium, & Tyrannos, & facti ſunt illi in tributum*, &c. in ſacris etiam litteris ex Principibus aliqui Magni dicti ſunt vt Iob. *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* vt etiam Salomon, quem Regum hiſtoria docet *Magnificatum fuiſſe ſuper omnes Reges terræ, diuitiis, & ſapientia, & vniuerſam terram deſideraſſe vultum eius.* imo in libro Eccleſiaſtæ, prædicat Salomon de ſe ipſo, *Magnus effectus ſum.* Et Dauidi exprobrat Nathan propheta, ita Deo iubente. *Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra.* Et Moyſes etiam valde magnus dicitur in Exodo. *Fuit, inquit, Moyſes vir magnus valde in terra Ægypti coram ſeruis Pharaonis, & omni populo.* Quod etiam teſtatur Eccleſiaſticus, cum ait: *Dilectus Deo & hominibus Moyſes, cuius memoria in benedictione eſt.*

Ibidem. 1. Machab. 1. 1. Iob 1. 3. 3. Reg. 10. 23. Eccleſ. 1. 16. 2. Reg. 7. 5. Exod. 11. 3. Eccleſ. 45. 1.

ſimilem illum fecit in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum. & in verbis ſuis monſtra placauit. Glorificauit eum in conſpectu Regum, &c.

Ibid.n.7. Aaron etiam Moſis frater Excelſus dicitur. *Excelſum,* inquit, *fecit Aaron fratrem eius*, &c. Sed iſta ad virtutem potius & promerita, quàm ad cognomina ſpectare quis dixerit. Illud ſine dubio à re in Ægypto fœliciter & ſalutariter geſta Ioſepho Iacobi filio à Pharaone cognomentum, ſiue nomen impoſitum eſt, quod in Geneſi legimus, *Vertitque nomen eius, & vocauit illum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi*, quod nimirum imminens toti Ægypto à fame exitium prouidentia ſua, anteuertens depuliſſet, tótque hominum Myriadas ſaluas feciſſet. Voluit enim Pharao ad cætera ornamenta, & inſignia quibus Ioſephum magnificè ornauerat (*nam tulit annulum de manu ſua, & dedit illum in manu eius, veſtiuitque illum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit, fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Ægypti*) hoc etiam addere, ne quid ad viro Principi, & in aula Regia poſt Pharaonem ſecundo, maieſtatem conciliandam deſideraretur.

Geneſ. 41. 45.

Geneſ. 41. 42.

Cur Saul iam Rex Iſraëlis creatus, cõtra quam poſtulat ſũmi Magiſtratus maieſtas, boues ſecutus fuerit.

9 Sed priuſquam huic de maieſtate diſſertationi finem imponam, diſpiciamus, quid Sauli venerit in mentem, vt poſtea quam publica populi totius electione ad Regni gubernacula admotus, fauſtiſque acclamationibus ſalutatus, ritúque ſolemni inauguratus fuerat Rex à Samuele, depoſito regali ſceptro agreſtem aratri ſtiuam repeteret, ruſticoque operi intentus terram verſare, regiámque maieſtatem ad tam vilia miniſteria abiicere

Digitized by Google

iicere non erubeſceret, aut Religioni duceret. Hiſtoriæ ſeriem habemus in libris Regum, nam cum Naas Ammonites duris admodum conditionibus Iſraëlitis pacis ineundæ ſpem feciſſet, ſi nimirum ſinguli dextro lumine ſe paterentur orbari, *Venerunt nuntij in Gabaa Saulis, & locuti ſunt verba hæc, audiente populo, & leuauit omnis populus vocem ſuam, & flenit, & Ecce Saul veniebat ſequens boues de agro.* Crediderim Saulem multis è populo repugnantibus illiuſque imperium detrectantibus, in priuatæ fortunæ officiis adhuc aliquantiſper hærere, conſultum eſſe putauiſſe. *Filij enim Belial dixerant. Num ſaluare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera, ille verò diſſimulabat ſe audire.* Prudenter nimirum expectans donec inuidiæ deſideret feruor, quo eorum coquebantur pectora, qui hominem ex abiecta contemptaque conditione ad Regni claritatem repente emerſiſſe, æquo animo ferre non poterant, niſi forte populo regiam purpuram, lictorum ſecures aut gladios, aulicorumque frequentiam ſpectare nondum aſſueto, non fuerunt iſta repentè oculis inuidiosè ingerenda, præſertim poſt tam inſignem modeſtiam Iudicum, qui Rempublicam ad id vſque temporis clementi admodum imperio, nulloque potentiæ oſtentandæ apparatu, Iſraëli vniuerſo iura dederant. Tales cum alij fuerunt, tum Sangar filius Anath, qui vt erat ad ruris opera ſuccinctus vomere in teli vſum conuerſo ſexcentos obtriuit Philiſtæos, vt dicitur in hiſtoria Iudicum, *Poſt hunc*, inquit, *fuit Sangar filius Anath, qui percuſſit de Philiſtiim ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſraël.* Poſtea verò quam Saul ruſtico opere attritis manibus, ſibi

1.Reg.11.4.

1.Reg.10.27.

Iud.3.31.

ſibi pariter regnum, Reipublicæque ſalutem ſtabiliuit, ingentibus hoſtiũ copiis peſſumdatis, illuſtrique victoria reportata, maiori auctus apud
1.Reg.11. 2. populum exiſtimatione, *nam dixit Populus ad Samuelem, quis eſt iſte, qui dixit, Saul non regnabit ſuper nos? Date viros, & interficiemus eos,* ad regni tractanda gubernacula quietus aſſedit, populóque quem malis feſſum ad certam ſalutis ſpem erexerat, ius dicere pro officio ita inſtituit, vt ad ruris opera non amplius reuertiſſe memoretur.

De temperantia Principis in cibo, potu, & ſomno.

CAPVT XXIV.

DE temperantia in capiendo cibo, potúque aliquid Principibus præſcribere ita neceſſarium puto, vt frequens in eorum aulis eſt menſarum abuſus conquiſitiſſimis epulis, regio ſumptu inſtructarum, à quibus vtinam ſemper abeſſet luxuria, quæ immanibus paratas ſumptibus eſcas, conchilia, piſces, auiculas peregrino aliquo guſtu commendabiles, ex longinquo etiam accerſere adeo non veretur, vt huiuſmodi gulæ irritamenta, Principe dignas, ac tantùm non neceſſarias lautitias eſſe putet: in quo ſi pecuniarum tantùm eſſet profuſio, ferendum eſſet fortaſſe malum in hominibus abundantibus, celſioriſque fortunæ; ſed cùm etiam corpora hiſce corrupta deliciis, morbis tententur, ſitque in Principe viro ſanitatis aut vitæ iactura, non ipſi dumtaxat, ſed toti etiam Reipubl. pernicioſa,
quæ

Digitized by Google

quædam ex ſacris litteris more noſtro delibanda ſunt, quibus ſi fieri poſſit, peruerſitas iſta corrigatur.

1 Ac primò illud ſtatuendum eſt, naturam paucis, parabilibuſque cibis eſſe contentam, nam vt ait Eccleſiaſticus, *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* Quod idem docuit D. Paulus cum ait, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Quod ſi cui videtur hæc diſciplina aſtrictior, quàm vt homini elegantiori præſcribi debeat, aliquid amplius cum eodem Eccleſiaſtico indulgeamus. *Initium*, inquit, *neceſſariæ rei vitæ hominum, aqua, ſal, lac & panis ſimilagineus, & mel & botrus vuæ & oleum*, &c. Illud tamen meminerimus Parabile & expoſitum eſſe, quod natura deſiderat, nec vt id aſſequamur quod ſat eſt, neceſſe eſſe tentare maria, aut tanto labore ac periculo ſaltus, ſyluaſque peruadere. Ac primis quidem illis verè aureis ſæculis naſcẽtis mundi homines ſaltem pietatis ſectatores à carne abſtinuiſſe ſcimus, frugibúſque dumtaxat & pomis victitaſſe, quæ vel ſponte, vel cultu prouocata gignebat tellus, vel quod, vt aliqui putant, Dominus in vniuerſum carnium vſum vetuiſſet, vel, quod veriſimilius eſt, quia ſua ipſi ſponte carnes non attingerent. Quare Dominus poſt cataclyſmum cum herbarum, frugumque virtus aquarum eluuione facta eſſet hebetior, & ad corpora enutrienda minus idonea, ſibi non ingratum fore ſignificauit, ſi carnibus deinceps æquè ac oleribus paſcerentur. *Et omne*, inquit, *quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.* Quamuis autem facta ſibi poteſtate homines non inuiti

Naturam paucis parabilibuſq; cibis contentã eſſe.

Eccleſ. 29. 28.

1. ad Tim. 6. 8.

Eccleſ. 39. 31.

Geneſ. 9. 3.

ti

ti vſi ſint, exiguo tamen guſtu rerum parabilium, famem ſitimque ſedare ſoliti fuerunt; ex quo factum eſt, vt cum alicui etiam lautiores epulæ appararentur, recepta tamen ſacrarum litterarum phraſi panem comediſſe, & aquam bibiſſe dicatur, vt antiquæ frugalitatis veſtigia, ſi non in menſis, ſaltem in loquendi formulis reſideret, vt

Geneſ. 43. 35. cum dicitur in Geneſi de filiis Iacob. *Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Ioſeph meridie, audierant enim, quod ibi comeſturi eſſent panem.* Fuiſſe autem illud conuiuium ſatis ex eo apparet, quod

Ibid. n. 34. Ioſeph Benjamin fratrem ſuum melioribus miſſibus honorauit, & ex aliis eius hiſtoriæ adiunctis apparet. Sed res in ſcripturis vel mediocriter verſatis clarior eſt, quàm vt pluribus exemplis explicanda ſit. In ipſis porrò conuiuiis etiam procerum & Megiſtanum, cuiuſmodi proculdubio erat Abrahamus, nullæ cupediæ, aut ſcitamenta, nullæ ganeatorum ciborum deliciȩ, quæ in tam opulenta domo, ſi ita obtinuiſſet vſus, non defuiſſent, ſed omnia ſimplicia deſcribuntur, ita enim

Geneſ. 18. 6. legimus in Geneſi. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei. Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes; ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui feſtinauit, & coxit illum. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis.* Paucis ergo, quod initio dicebamus natura contenta eſt, nec eſt creditor moleſtus, paruóque dimittitur, ſi modò illi quod debemus tantùm dare inducamus in animum, non quod poſſumus, aut impotens voluptas ſuaſerit, cui dum homines intemperantius parent, plurima ſibi accerſunt incommoda.

Digitized by Google

2 Ac primò quidem ſanitas euertitur, quam ſimplicium ciborum vſus tuetur, ſaporum autem aceruatio, & varia cōdimenta corrumpunt. Conuiuio omnibus rebus apparatiſſimo, inſtructiſſimóque Aſſuerum, & Aman exceperat Regina Eſther, vt in illius hiſtoria legimus. Nam cum ſe Aſſuero Regina ſtitiſſet. *Quid vis*, inquit Aſſuerus, *Eſther Regina? At illa reſpondit: Si Regi placet, obſecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum, ad conuiuium quod paraui. Statimque Rex, Vocate citò Aman, vt Eſther obediat voluntati. Venerunt itaque Rex & Aman ad conuiuium, quod eis Regina parauerat. Dixitque ei Rex poſtquam vinum biberat abundanter, Quid petis vt detur tibi*, &c. Non igitur mirum ſi Rex vino languidus, ciboque confectus, *Noctem illam duxit inſomnem:* nam cum aſſis elixa miſcentur, turdis piſces, & conchylia, cum dulcibus tragematis, quæ in bilem verſantur, ſtomachus oneratur, mirum non eſt ſi tanta dapium varietate diſtentum corpus, partem vllam quietis capere non poteſt; ideo Salomon, *dulcis*, inquit, *eſt ſomnus operanti ſiue parum ſiue multum comedat, ſaturitas autem diuitis non ſinit eum dormire.* Ita enim experientia docet eum, qui diuino labore corpus exercuit, vbi cibo feſſas reſtituit vires, lectuloque fatigata membra compoſuit, arcto illum teneri ſomno, moxque ſopore curato corpore, ſurgere vegetum, vt intermiſſa repetat munia: qui verò temperantiæ modum excedunt eos, vinolentia, & cruditate quiete prohiberi, & cum mane conſurgunt, ventriculi, aluique conuulſione lancinari, nec priuſquam edormierint crapulam, rebus agendis aptos eſſe poſſe. Idem docet Eccleſiaſticus, *Vigilia*, inquit, *cholera & tortura viro infrunito: ſomnus*

Ciborum multitudinem valetudini incōmodare.

Eſther 5. 3.

Eſther 6. 1.

Eccleſ. 5. 11.

Eccleſ. 31. 23.

ſomnus ſanitatis in homine parco. dormiet vſque mane, & anima illius cum ipſo delectabitur. Virum infrunitum Eccleſiaſticus eum appellat, qui inſaturabili ingluuie plus ingerit cibi quàm poſſit concoquere. Quare in Græco eſt ἀπλήςῳ *inexplebili.* Quod verò dicitur anima illius cum ipſo delectabitur, in Græc. eſt, ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ. *Anima eius cum ipſo.* Nam ij quorum ars ventris ſagina eſt, nec viuere poſſunt diu, nec ſani eſſe, animuſque eorum nimio ſanguine & adipibus quaſi luto inuolutus, vt vigilans nihil tenue, nihil celeſte, ſed ſemper de ventris cogitat ingluuie, ita cum ſomno ſopitus eſt, immoderato paſtu, potúque obſtupefactus, abſurdis iactatur inſomniis, vt meritò mentis humanæ ſit expers; cum è contra hominis parcè, continenter, ſeuerè, ſobriéque viuentis ſomnia iucunda eſſe ſoleant, vt cum experrectus illorum meminerit, & inter dormiendum etiam, quod dicit Sapiens; *anima illius cum ipſo delectetur.*

Luc. 8 43.

Hinc opulentis etiam viris, aliquando accidit quod mulieri hæmoroiſſæ eueniſſe ex Euangelica diſcimus hiſtoria, quæ *erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, & in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab vllo potuerat curari,* ſed citius multi breuiore tempore cum morbo colluctati illius violentia abſumũtur. Quare Eccleſiaſticus. *Noli,* inquit, *auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam, in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adiiciet vitam.*

Eccleſ. 37. 32.

Periculoſiorem eſſe intemperãtiã in viro Principe. quia ex illius vita plerumque pendet publica quies.

3 Cum ergo, vt idem Eccleſiaſticus tradit, *Nullæ diuitiæ meliores ſint ſanitate corporis*, & vita, pro qua tuenda, vt dicitur in libro Iob *Pellem pro pelle,*

Digitized by Google

le, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua, id eſt, artum pro artu (vt haber Kaldæus) exponendo ſcilicet vt natura docet brachium v.g. pro capite, vt cum partis iactura totum corpus & vita conſeruetur (nam de pecuniis dubium eſſe non poteſt,quin morbis tentati eas largè effundere parati ſint, cum *melior ſit pauper ſanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillus, & flagellatus malitia, & melius ſit corpus validum quàm cenſus immenſus.*) Prudentia docet omni ope nitendum eſſe, vt ſanitas conſeruetur,Principibus præſertim viris, in quorum vita totius Reipubl.ſalus interdum periclitatur, vt v.g. cum nulla maſcula prole ſuſcepta in ipſo iuuentutis flore Princeps extinguitur, quod Alexandro Macedoni accidit, qui cum Macedonum arma tota Aſia circumtuliſſet, æternúmque bellica virtute decus ſibi ſuiſque peperiſſet, *Decidit in lectum, & cognouit quia moreretur, & vocauit pueros ſuos nobiles qui ſecum erant nutritis à iuuentute, & diuiſit illis Regnum ſuum cum adhuc viueret, & regnauit Alexander annis duodecim & mortuus eſt, & obtinuerant pueri eius Regnum vnuſquiſque in loco ſuo, & impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius, & filij eorum poſt eos annis multis, & multiplicata ſunt mala in terra.* Nam incitati cupiditate regnandi mutuis ſe ſe bellis impetiuerunt, mutuiſque attriti cladibus regnum in multas diſtraxerunt, aut verius lacerauerunt partes, cum multis hominum myriadibus conciſis totam Aſiam funeſtaſſent. Quod ſi Alexandro diutius vitam prorogare licuiſſet,legitimíque iure thori ſibi adiunxiſſet vxorem, & ex ea liberos ſuſcepiſſet, regia ſtirps iure hæreditario veniſſet ad Regnum, ciuiliúmque bellorum inter Alexandri duces cauſa ſubla-

Eccleſ. 30. 14.

Ibid.n.15.

1.Machab. 1. 6.

Digitized by Google

ta fuiſſet, quod inter ipſos ſæuum ſanè ac diuturnum exarſit, inque morem flagrantiſſimi incendij Aſiam vniuerſam populatum eſt. Quare prudenter Iſraelis duces cum Dauid proxime abfuiſſet à mortis periculo, vetuerũt illum amplius in aciem deſcendere, ne ſi forte in bello caderet, clades illa non tam Regem ipſum quàm Regnum

2. Reg. 21. 17. vniuerſum affligeret. *Tunc iurauerunt*, inquit ſcriptura, *viri Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiſcum in bellum ne extinguas lucernam Iſraël.* Cum igitur Princeps non ſibi tantum ſed Reipubl. viuat, ne ſuo vitio detrimenti aliquid capiat, diligenter cauere debet.

Vitam eorum qui voluptatẽ in cibis quærunt, nõ eſſe voluptuoſam.

In tract. primo quod nemo læditur niſi à ſe ipſo.

4 Nec verò exiſtimandum eſt, quod falsò putant aliqui, vitam eos viuere iniucundam, qui intempeſtiuis abſtinent conuiuiis, ſeuerioreque victus diſciplina cupiditates regentes & vbi opus ſit coërcentes, multa ſibi negant, cum potius iucundior multo ſit & hilarior. In quo argumento tractando aurea ſua illa eloquentia egregiè verſatur D. Chryſoſtomus, quibuſdam ex ſacra Scriptura productis teſtimoniis vel exemplis: cuius verba, quia ad rem noſtram faciunt & ex iiſdem fontibus argumenta deriuat, vnde & nos noſtra depromimus, dare non pigebit. Ac primùm ſi
„ placet, inquit, diuitum menſas, inopumque per-
„ pendamus, & conuiuas percontemur, vtri maxi-
„ mè liquidam ac germanam percipiant volupta-
„ tem, an qui ad inclinatum iam in occaſum diem
„ in ſtratis decumbunt, prandia cum cœnis iun-
„ gunt, ventrem diſtendunt, ſenſus hebetant, in-
„ genti epularum pondere nauigium obruunt ac
„ deprimunt, illúdque tanquam in naufragio cor-
„ poris demergunt; compedes, manicas, linguæ
im

impedimenta moliuntur,totúmque corpus ebrie- ,,
tatis illo deliciarum vinculo conſtringunt catena ,,
ferrea grauiore? qui non ſincerum capiunt, non ,,
verum ſomnum, non horribilibus liberātur ſom- ,,
niis & furentibus miſeriores? qui dæmonem vl- ,,
tro quemdam in animum admittunt, famulorum ,,
turbæ riſum mouent, vel tragædiam potius exci- ,,
tant,lacrymarumque cauſam modeſtioribus præ- ,,
bent? qui nihil intelligunt rerum humanarum, ,,
non dicere quidpiam valent, non audire ſed ra- ,,
ptim ad cubile ex menſa feruntur? An non vera ,,
voluptate perfunduntur, qui animo ſemper ex- ,,
cubant, languore omni abiecto, atque deſidia, ,,
qui modum neceſſitate metiuntur, ſecundis ,,
ventis vtuntur in curſu, cibi, potioniſque con- ,,
dimentum & voluptatem in fame ac ſiti ſibi ma- ,,
ximam ponunt? nihil enim æquè tùm voluptati ,,
tùm valetudini conducit, atque eſurientem, ac ,,
ſitientem, quæ ſint appoſita & parata contin- ,,
gere, ſatietatem in vna neceſſitate collocare, ne- ,,
ceſſitatis fines non tranſilire, neque corpori ma- ,,
ius onus imponere, quàm vires ferant. Quod ſi ,,
hæc minus mea tibi perſuadet oratio, vtrorum- ,,
que corpora, & ſingulorum animos explorato. ,,
Neque mihi quod rarò accidit, ac ſi qui altera ,,
quapiam de cauſa minus valent, adducas; ſed ex ,,
iis, quæ perpetuo frequenterque contingunt ſub- ,,
ducito rationes. Nonne firma ſunt illorum cor- ,,
pora, qui moderatum adhibent cibum, & ſenſus ,,
integri, quique ſuo facillimè funguntur officio? ,,
aliorum verò eneruata, languida, cera ipſa mol- ,,
liora,& morborum turba circumſeſſa? Etenim ad ,,
illos podagræ illico volitant, tremor membro- ,,
rum intempeſtiuus, ſenectus immatura, capitis ,,

Digitized by Google

,, dolores, neruorum diſtenſiones, ac diſſolutiones,
,, ſtomachi vitia, cibi faſtidium, aſſidua medicorum
,, opera indigent, aſſiduis medicamentis, quotidia-
,, na curatione. Iſtáne ſunt obſecro voluptatis? quis
,, hoc tandem dixerit modo norit, quid ſit volu-
,, ptas? tunc enim oritur voluptas, cum præeunte
,, cupiditate ſequitur illud, vt re concupita fruaris.
,, Quod ſi fruaris nullo tamen appetitu, voluptas
,, omnis pereat, & euaneſcat neceſſe eſt. Propterea
,, ſanè etiam ægroti quàm lautiſſimos cibos appo-
,, ſitos ita deguſtant vt nauſeare, turbarique vi-
,, deantur, quoniam abeſt deſiderium, quo fit vt
,, cum iucunditate potiamur: neque enim cibi,
,, potioniſque natura, ſed veſcentium apparentia,
,, cupiditatem parere, & voluptatem efficere con-
,, ſueuit. Quo circa vir ille ſapiens, qui ea optimè
,, norat, quæ pertinent ad voluptatem, & de iis
Prou. 27. 7. præclarè diſputare poterat, aiebat. *Anima ſatiata fauis illudit.* Quibus verbis oſtendit, voluptatem
,, non natura menſarum, ſed eorum, qui comedunt
,, affectione contineri, quapropter etiam vates cum
,, res illas admirabiles, quæ tum in Ægypto tum in
,, ſolitudine acciderant, recenſeret, id quoque in-
,, ter alia commemorauit videlicet *ex petra melle ſa-*
Pſal. 80. 17. *turauit eos.* Atqui petram melle manaſſe nuſquam
,, legitur; quid eſt igitur, quod ait? Nimirum quo-
,, niam labore confecti feſſi de via, ſiti ingenti ene-
,, cti, aquam gelidam nacti ſunt, cum ſitim pro
,, magno quodam haberent condimento, cumque
,, aquarum illarum propheta vellet iucunditatem
,, oſtendere, mellis nomine aquam vocauit; non
,, quod eſſet in mel aquæ natura conuerſa, ſed quod
,, voluptas aquæ, cum dulcedine illa certaret, quod-
,, que illi ſitientes aquarum in quas inciderant po-
tiren

tirentur. Cum igitur ita ſe res habeat, nec vllus, ,,
vel ſenſus totius expers quidquam poſſit obiice- ,,
re, nonne perſpicuum eſt liquidam, ſynceram, ,,
ingentem ex pauperum menſis manare volupta- ,,
tem, ex diuitum verò epulis faſtidium, ſatieta- ,,
tem, fœditatem, atque adeo (vt ſapiens iſle vir ,,
ait)res etiam iucundas videri faſtidiis adhæreſce- ,,
re? Hactenus Chryſoſtomus.

Sed voluptariorum. hominum quantumuis opulentorum propterea etiam minor eſt voluptas, quod minus diuturna; cum morbos conciliet intemperantia, ægrotique medicorum præſcripto iis cibis arceantur, qui licet palato ſapiant, integriſque concedi ſoleant, tamen quia valetudini noxij eſſe cenſentur, decumbentibus concedi minimè ſolent. Rem eleganter expreſſit Eccleſiaſticus, nam cum dixiſſet: *Melior eſt mors, quàm vita amara, & requies æterna, quàm languor perſeuerans,* addit, *Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro.* cuius dicti priorem partem ita habemus in Græcis Codicibus, *ἀγαθὰ κεχυμένα ἐπὶ στόματι κεκλεισμένῳ*, id eſt *bona effuſa, ori clauſo*, quod ſcilicet clauſum ægri ſit os, vel propter ſtomachi auerſantis nauſeam, vel quod ſeueriore medicorum diſciplina cibis expleri prohibeatur, ſi ſanitatem recuperare velit. Cum verò dicitur, *quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro*, alluditur ad veterum morem, qui extinctorum hominum ſepulchris apponebant epulas, quibus licet viuentes, qui vt mortuo parentarent, huic ſupremi diei celebritati intererant, veſci poſſent, tamen mortui ipſi epularum illarum prorſus eſſent expertes. Porrò veteris illius conſuetudinis, etiam Baruch meminiſſe vi-

Eccleſ. 30. 18.

Baruch.6. 31. detur cum ait, *Rugiunt autem clamantes contra Deos ſuos, ſicut in cœna mortui.* Pergit Eccleſiaſticus: *Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabitur.* Alia eſt elegantiſſima ſimilitudo eodem pertinens. Quemadmodum enim dapes & libationes idolis appoſitæ, ab iis non tanguntur, nec ipſa eis ad paſtum vti poſſunt, quippe, quæ vita & ſenſu carent, ita cibi quantumlibet ſuaues & exquiſiti ægrotantibus fruſtra apponuntur, cum vis morbi anorexiam fecit, aut medicorum dogmata illis interdicunt. Eſt autem ſimilitudo hæc vt ſuperior ex veteri libationum, ſacrificiorúmqumque ritu; quæ idolis offerebantur conſuetudine petita, cuius cum multa ſunt in ſcriptura teſtimonia tum eximium apud Danielem, cuius

Dan.14.2. hæc verba ſunt; *Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim* (menſuræ genus eſt, continentque ſingulæ artabæ ſextarios ſeptuaginta duos) *& oues quadraginta, vinique amphoræ ſex.* Cuius idoli Sacerdotes Regis, populorúmque ſimplicitati imponentes, quaſi Bel ea omnia vora-

Ibid. n.6. ret, mendacij coarguit Daniel, quod cum Bel *intrinſecùs luteus eſſet, & forinſecùs æreus, non comediſſet aliquando.* Pergit Eccleſiaſticus. *Sic qui effugatur à Domino & portans mercedes iniquitatis.* Qui

Eccleſ 30. 20. effugatur à Domino, in Græco cõtextu eſt, ὁ ἐκδιωκόμενος ὑπὸ κυρίου, id eſt, *qui perſecutionem patitur à Domino, aut quem Dominus perſequitur & infeſtat.* Aliquorum enim peccata Dominus ægritudinibus immiſſis vindicat. Quare idem Eccleſiaſticus

Eccleſ.38. 15. ait: *Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Et Dominus ei, quem ſana-

Iob 5. 4. uerat ad probaticam piſcinam. *Ecce ſanus factus*

es,

es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Tandem tertiam ſimilitudinem addit Eccleſiaſticus cum ait. *Videns oculis & ingemiſcens ſicut ſpado complectens virginem & ſuſpirans*, cui tamen propter concubitus impotentiam optata voluptate frui non licet. Ex quibus liquidiſſimo apparet eam quam voluptarij homines in epulis venantur voluptatem, minimè diuturnam eſſe, cum morbis voluptatum curſum intercipientibus, non conquiſitis tantum palati irritamentis, ſed communibus etiam beneualentium cibis (ita vi morbi poſtulante, quæ ingeſtis cibis naturam ſæuius depeculatur, atque depaſcit) carere coguntur.

Eccleſ. 30. 21.

5 Sed nulla eſt turpitudo, quæ fœdior ſit, aut plura importet incommoda, quàm ebrietas, de qua cum multa ſint in ſacris litteris, tum locus ſanè inſignis eſt in Eccleſiaſtico: *Diligentes*, inquit, *in vino* (id eſt vinum amantes, potatores) *noli prouocare*, in Græco eſt, *ἐν οἴνῳ μὴ ἀνδρίζου*, id eſt ne coneris in vino epotando tuam oſtentare ſtrenuitatem, laudem ſcilicet ex eo quærendo, quod ingentes calices exhaurire poſſis, ne in te quadret illud Iſaiæ. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.* Pergit Eccleſiaſticus: *Multos enim exterminauit vinum.* cum enim largius ventriculo infunditur, nec ſtomachi robore vincitur & edomatur, cor inuadit & cerebrum, totumque corpus concutit, & rationis vſum adimit, morbiſque materiam ac pabulum præbens, ſanitatem prorſus euertit: *Ignis probat ferrum durum, ſic vinum corda ſuperborum arguit in ebrietate potatum.* Quemadmodum ignis & tinctura, *βαφή*, ferri aciem, & fortem temperaturam *στόμωμα* (Italicè dicimus, *la tempera*) & probat

De intemperantia in potu, & ebrietatis malis.

Eccleſ. 31. 30.

Iſai. 5. 22.

& facit; ita qualis ſit homo facile cognoſcitur cum vino per ebrietatem immaduit. Sententia hæc Græcè ita habet, *κάμινος δοκιμάζει στόμωμα ἐν βαφῇ, οὕτως οἶνος καρδίας ἐν μάχῃ ὑπερηφάνων, Fornax probat aciem ſiue temperaturam in tinctura. ſic vinum cordis ſcilicet temperaturam probat in pugna ſuperborum:* nam cum mero potatorum animi incaluerunt, feruidius agunt, ſecreta produnt, operta recludunt, omnes artes, & ſimulatæ mentis induſtrias excutiente vino. Qualis autem homo ſit, & cuius temperaturæ, apertiùs etiam patet, *ἐν μάχῃ ὑπερηφάνων, in pugna ſuperborum,* cum ſcilicet quod in conuiuiis intemperantibus frequens eſt, ſæui aliqua occaſione orta contentio, dum alter alteri ſuperbè reſiſtit, vino madidi conuiuæ, linguæ intemperantia furentes, alios laceſſunt, verbáque mortifera proloquuntur, rediturasque per iugulum voces non continent, quibus exaſperati illi in quos cõuitia iaciuntur, ad arma proſiliunt, eaque deſignant, quorum paulò poſt, èbrietate diſcuſſa illos valde pœniteat, *aqua vita hominibus vinum in ſobrietate,* vita ſcilicet æquabilis ſeu commoda, *Si bibas illud moderatè, eris ſobrius. Quæ vita eſt, quæ minuitur vino?* id eſt, quis, dixerit eam eſſe vitam, quam is viuit, cuius dies propter vini crapulam minuuntur? quanquam etiam conuenientiſſimus ſenſus eſſe poſſit vitam illius, qui vino carere cogitur, infelicem eſſe, quod vinum ſobriè potatum vitam, vt paulo ante dixerat, cõmodam faciat, & æquabilem. *Quid defraudat vitam? mors.* quaſi inferat, ſi vinum dies ebrioſorum imminuit, quid aliud erit quàm mors quædam, cuius proprium eſt vitæ vſura homines defraudare? *Vinum in iucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem*

rem ab initio. Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum, ſanitas eſt animæ, & corpori ſobrius potus. Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera. Exempla cædium in conuiuiis paratarum non deſunt in ſcriptura. Nam Godolias in conuiuio ab Iſmahele filio Nathaniæ obtruncatus eſt, & Ammon Dauidis filius cum temulentus eſſet, occiſus eſt. Præclaram ſanè & elegantem deſcriptionem inſtituit S. Ambroſius multis, quæ ex ebrietate proficiſcuntur, conglobatis incommodis, illud etiam Ieremiæ dictum ſuo accommodans inſtituto. *Bibite & inebriamini & vomite, & cadite, neque ſurgatis*, &c. *Ebrietas*, inquit, *fomentum libidinis, ebrietas incentiuum inſaniæ, ebrietas venenum ſapientiæ. Hæc ſenſus hominum mutat & formas, & per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes* (alludit Sanctus Doctor ad illud Ieremiæ. *Equi amatores & emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat*) *ſi quidem naturali vapore corporis calidi & præter naturam vini calore flammati cohibere ſe nequeunt, & in beſtiales libidines excitantur, vt nullum tempus habeant, quod doceat indulgere concubitui. Vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excidunt. Hinc phreneſis periculoſa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens, ſemeſas epulas cum internorum viſcerum cruore fundentium. Mentior niſi eadem Dominus per Ieremiam locutus eſt dicens: Bibite & inebriamini & vomite & cadetis, & non conſurgetis. Hinc etiam vanæ imagines, incerti viſus, inſtabilis greſſus, vmbras ſæpe tranſiliunt*

Ierem. 41. 2.
2. Reg. 13. 28.
Ierem. 25. 27.
S. Ambr. de Elia. & ieiunio cap. 16.
Ierem. 5. 8.
Ierem. 25. 27.

ſicut foueas. Nutat his cum facie terra, ſubito erigi, & inclinari videtur, & quaſi vertatur timentes in faciem ruunt, & ſolum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi, murmur in auribus tanquam maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora. Canes ſi viderint, Leones arbitrantur, & fugiunt. Alij riſu ſoluuntur incondito, alij inconſolabili mærore deplorant, alij cernunt inconſolabiles pauores, vigilantes ſomniant, dormientes litigant, vita his ſomnium eſt, ſomnus his mors eſt, excitari nullis vocibus poſſunt, quantolibet ſtimulando impulſu petas; niſi reſipuerint, euigilare non poſſunt. Vnde bene Ieremias huiuſmodi hominem tanquam ſuperfluam creaturam deflendum putat. Quid eſt homo niſi ſuperflua creatura? Hactenus D. Ambroſius. Mirum igitur non eſt ſi Salomon à matre ſua eruditum ſe fuiſſe ait veriſ-
Prou. 31. 4. ſimo illo, vtiliſſimóque præcepto. *Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare virum, quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas, ne forte bibant & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pau-*
Oſee 4. 11. *peris.* Nam vt dicit Oſeas. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.* Ex quo ſequitur, vt iudicia peruertant, & iis quibus minimè deberent, cauſas adiudicent. Quare ſacerdotibus etiam, quorũ muneris erat de ſacris, & prophanis, de mundis & immundis iudiciũ ferre, vini vſus interdi-
Leuit. 10. 9. citur in Leuitico. *Vinum*, inquit, *& omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu, & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras, & vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatis filios Iſraël, omnia legitima mea, quæ locutus ſum ad eos.*

6 Tandem vt paucis multa complectar, nullum

tam

tam tetrum flagitium eſt, ad quod ebrietas, nimiáque ſaturitas homines non adducat, ea enim eſt mortaliũ vecordia, vt Dei muneribus ad ſuum malum, imo & ad Dei ipſius contẽptum, in quem erumpunt, abutantur. Populum Iſraëliticum Dominus *conſtituit ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo, butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimũ. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deũ factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauerunt eum in dijs alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. Immolauerunt Dæmonijs, & non Deo, dijs, quos ignorabant: noui recentéſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum, qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui, &c.* Ita planè illi, qui idolo in vituli ſpeciem fabrefacto, & populo ad adorandum propoſito dicuntur in Exodo *ſediſſe manducare, & bibere, & ſurrexiſſe ludere,* choreas ſcilicet ducẽtes more eorum, qui colebant idola. Et Salomon in Prouerbiis quantum ſibi hinc timuerit, oſtendit, cum ait ſe à Domino poſtulaſſe, vt victui dumtaxat neceſſaria tribueret, reſecatis ſuperfluis. *Tribue,* inquit, *tantum victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam quis eſt Dominus?* Et S. Iob cum videret filios ſuos conuiuiis operam dare, nam *Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas vt comederent, & biberent cum eis,* Non mediocriter timens, ne per licentiam lautioris cibi, potationíſque largioris, aliquot graue

Intemperantiam in cibo potúq; viam munire grauiſſimis peccatis.

Deut. 32. 13.

Exod. 32. 6.

Prou. 30. 8.

Iob 1. 4.

Ibid.n.5. ue ſcelus ſuſciperent *cum in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos, & ſanctificabat illos* (præparans ſcilicet vt futuro ſacrificio, quod pro ipſis offerendum erat, ritè expiati intereſſe poſſent) *conſurgénſque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis, Dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Quod dicitur obtuliſſe holocauſta pro ſingulis, Septuaginta ex Hebræo clarius vertunt, habent enim Κατὰ τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν *iuxta numerum eorum*, pro ſingulis ſcilicet ſingula ſacrificia. Immo addunt Septuaginta paucula quædam, quæ in vulgatis latinis editionibus non ſunt, καὶ μόσχον ἕνα περὶ ἁμαρτίας ὑπὲρ ψυχῶν αὐτῶν *& vitulum vnum pro peccato, pro animabus illorum*, hoc ſcilicet vrgens, vt eos ab omnibus quas contraxiſſent animi ſordibus ſacrificiis, & precibus expiaret, & propitiato numine ſubduceret diuinæ vindictæ, quæ intemperantium hominum furioſam licentiam & libidinem, nec ſemel nec leuiter vlta eſt.

Dan. 5.1. *Balthaſſar Rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille, & vnuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vaſa aurea, & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor Pater eius de templo, quod fuit in Ieruſalem, vt biberent in eis Rex & optimates eius, vxoréſque eius, & concubinæ. Tunc allata ſunt vaſa aurea & argentea*, &c. *bibebántque vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ligneóſque & lapideos.* Crapulæ, & ebrietati idololatriam, verique numinis, cuius vaſa profanabant, contemptum adiungentes. Sed illico vindex numinis manus adfuit,

Ibid. n.5. nam *in eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ Regiæ, & Rex aſpiciebat articulos*

culos manus ſcribentis. Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur. Cúmque poſt haruſpices, & coniectores qui adducti fuerant Daniel propheta Domini aduocatus adfuiſſet, characteres illos legit, & qua par erat tantum virum loquendi libertate vſus, veram prodigij cauſam elocutus eſt, quia, inquit, *non humiliaſti cor tuum, ſed auerſum dominatorem cœli eleuatus es, & vaſa domus eius allata ſunt coram te, & tu, & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibiſtis in eis, Deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneóſque & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque ſentiunt laudaſti: porro Deũ, qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas, nõ glorificaſti. Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus, quæ ſcripſit hoc, quod exaratũ eſt. Hæc eſt autem ſcriptura, quæ digeſta eſt. Manè, Thecel, Phares. & hæc eſt interpretatio ſermonis. Mane, numerauit Deus Regnum tuum, & compleuit illud. Thecel, appenſus es in ſtatera & inuentus es minus habens. Phares, diuiſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Quod à Daniele dictum, ita factum eſt. Nam *eadem nocte interfectus eſt Balthaſſar Rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſſit in regnum.* Sed grauior fuit ea vltio, pluréſque complexa, quàm legimus in Geneſi aduerſus quinque illas ciuitates, à quibus numinis naturæque legibus debita reuerẽtia prorſus exulabat. Nam ignis & ſulphur de cœlo lapſum, nefarios homines, eorúmque tecta, ac ciuitatem vniuerſam latè fuſo incendio prorſus abſumpſit; Nam Dominus, vt loquitur ſcriptura, *Pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo, & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem*

Ibid. n. 22.

Ibid. n. 30.

Geneſ. 19. 24.

gionem & vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia: ſcelerum verò tot, ac tantorum certiſſima origo ea fuit, quam memorat Ezechiel cum ait: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia & otium ipſius, & filiarum eius.* Ex quo illud conſequitur, eum, qui turpitudines flagitioſorum illorum auerſetur, inflictáſque diuinitus pœnas perhorreſcat, tãti mali non radices tantùm, ſed fibras etiam euellere debere, ne paulatim dum corpori cibo, potu cæteróque luxu blanditur, ad ea delabatur, quæ atrocioribus pœnis vindicari mereantur. Porrò ventris intemperantia, luxuriam induci, imo virtutum vniuerſitatem euerti, egregiè docet diuus Gregorius his verbis. *Quia*, inquit, *gulæ deditos luxuria ſequitur, propheta teſtatur, qui dum aperta narrat, occulta denuntiat, dicens. Princeps coquorum deſtruxit muros Ieruſalem, Princeps namque coquorum venter eſt, cui magna cura obſequium à coquis impenditur vt ipſe delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Ieruſalem virtutes ſunt animæ ad deſiderium ſupernæ pacis eleuatæ. Coquorum igitur Princeps muros Ieruſalem deijcit, quia dum venter ingluuie extenditur, virtutes animi, per luxuriam deſtruuntur.* Ita diuus Gregorius. Alludit S. Gregor. ad hiſtoriam, quæ habetur in 4. Regum & ad officium Nabuzardanis, qui licet in vulgata editione dicatur Princeps militiæ, aut exercitus, aut militum, appellatur tamen à Septuaginta ἀρχιμάγειρος. i. *coquorum Princeps.* Nam vox Hebræa ad vtrumque commodè trahi poteſt, eſt enim in Hebræo רב טבחים, eſt autem טבח deriuatum à radice טבח, quæ mactare ſignificat, iugulare, occidere; quia verò coquorum eſt, animalia quibus

Ezech. 16. 49.

Paſtoral. p. 3. admon. 20.

4. Reg. 25. 10.

bus ad cibos parandos vtuntur, mactare, & in fruſta ſecare, propterea טַבָּחִים appellati ſunt, quod nomen milites etiam ſignificat, qui cum hoſtibus confligentes homines mactant & iugulant.

7 Illud tandem Principi cauendum eſt, ne plus temporis ſomno indulgeat, quàm par eſt eum curando corpori impendere, cui tam multa negotia curæ eſſe debent, & ex quo tam multi pendent, quibus cum Principe agendum eſt: quare viros aliquos Principes inuenio in Sacris litteris, ſomno tempeſtiuè diſcuſſo, publicis negotiis operam dediſſe. Oportet Pharaonem membra è ſtrato ſummo manè corripuiſſe, nam Dominus Moyſi præcipit. *Conſurge diluculo, & ſta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas & dices ad eum, &c.* Abraham etiam dicitur manè conſurrexiſſe. Hebr. בַבֹּקֶר eo ſcilicet tempore, quo primùm illuceſcente die homines labores & opera repetunt, & vnuſquiſque nouæ lucis beneficio, artis ſuæ inſtrumenta inquirit. Ducitur enim vox בֹּקֶר à radice בקר, quæ ſignificat quærere: locum etiam clarius Septuaginta expreſſerunt, ita enim habent, ὤρθρισε δὲ Ἀβραὰμ τῷ πρωῒ id eſt *Manè autem ſurgens Abraham diluculo,* cum ſcilicet dies appeteret. Idemque alibi de eodem reperitur eodẽ loco, vt ſcilicet intelligamus ſolemne illi fuiſſe cum primùm euigilauerat, ſomno valere iuſſo, rebus agendis ſe impẽdere. De Iob etiam viro magno inter Orientales, & multorum iudicio Principe, dicitur in eius hiſtoria. *Conſurgenſque diluculo.* Et Abſalon, qui ſe populo probare tanquam regno aptum, dum eorum voluntates ſibi conciliare & adiungere ſtudebat, dicitur *ma-*

De intemperantia in ſomno.

Exod. 8. 20.

Geneſ. 19. 27.

Geneſ. 21. 14. & 22. 3.

Iob 1. 5.

nè

nè conſurrexiſſe, & iuxta introitum portæ ſtetiſſe, &c.
Tandem adeò verum eſt eos, qui diligenter ea, quæ muneris ſui ſunt, exequi volunt, bene manè conſurgere, vt Sacræ ſcripturæ phraſi, is qui diligenter aliquid & ſolicitè facit, ad illud faciendum, manè conſurgere dicatur. Certè Dominus,
Pſal. 120. 4. qui *neque dormitabit, neque dormiet,* de ſe ita loquitur apud Ieremiam. Ierem. 7. 13. *Et nunc*, inquit, *quia feciſtis omnia opera hæc dicit Dominus: Et locutus ſum ad vos manè conſurgens, & loquens, & non audiſtis, &c.* dicit ſe manè ſurrexiſſe, quia diligenter populi illius ſalutem ab exordio ipſo mundi, miſſis Prophetis & prædicatoribus procurauerat. Eadē verò phraſis rurſus occurrit in Ieremia, nec aliud quàm diligens ſtudium ſignificant formulæ illæ
Ierem. 11. 7. 25. 4. & 29. 19. dicendi. Prou. 8. 17. *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me* (ſapientiæ quærendæ diligenter inſiſtentes) *inuenient me.* Prou. 1. 28. Et *tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè conſurgent & non inuenient me.* Verba ſunt Sapientiæ vt ſuperiora) Pſal. 126. 2. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere,* quod idem eſt, ac ſi diceretur, ſi diuino auxilio deſtituti, domum aut ciuitatem ædificare aggrediatur quis, quantumuis conniatur, inanis erit omnis labor, & diligentia. Prou. 13. 24. *Et qui parcit virgæ, odit filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Tò *inſtanter*, in Hebræo eſt, *diluculo, quæſiuit ei diluculo correctionem,* vt Pagninus vertit, & alia huiuſmodi. Tandem Principibus illa peruerſitas vitanda eſt, quæ ex diuturno ſomno facilè exiſtit, vt ſcilicet officia lucis, noctiſque peruertant, ac quaſi turpe ſit, ac minimè regium id facere, quod populus, diem totum ſtertant, tuncque tandem cum publico omnium incommodo ad ſe adeuntibus aures præbeant, negotia

quæ

modo ad ſe adeuntibus aures præbeant, negotia quæ occurrunt, tractent, cum ſe noctis tenebræ intenderint, noctem facibus, cereis, funalibúſque vincentes: ferinus quodammodo eſt iſte mos, nam de belluis dicitur in Pſalmo. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi,* (eam nimirum quam diuina obtulerit prouidentia) *ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.* Cum enim illuceſcentem diem viderint, antra ſua, & luſtra repetunt, & in ſuis conditi cubilibus rurſus noctem præſtolantur. Huic verò egendi modo prorſus contraria eſſe debet agendi ratio, quam ſequuntur homines de quibus dicitur. *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* Hoc enim conſilio ſupremus ille rerum opifex ſolis lampadem hominibus accendit, vt diurno tempore ſuis inſiſterent operibus, quemadmodum etiam poſt ſolis occaſum tenebras effudit, vt per nocturnam quietem ſe ad ſomnum componerent, & vires fatigatas repararent.

Pſal. 103. 20.

Ibid. n. 24.

De temperantia Principis in voluptatibus tactus, ac primò de vitij huius occaſionibus.

CAPVT XXV.

Quanta ſit in paratis occaſionibus illecebra ad peccandũ.

1 DIcturus de Intemperantia in voluptatibus tactus, priùs ab iis occaſionibus exordiar, à quibus illæ plerumque in viris Prin-

 cipibus

cipibus exiſtere ſolent, vt nimirum qui ſalui eſſe volent, prius fomitem ac mali irritamentum excludant, quàm periculum trahant, quod vbi ſe intulerit, non facilè excuti poterit. Mirum autem quantum honeſtatem & virtutẽ amantibus proſit prima morbi ſemina elidere, occaſionéſq; ſubmouere, in quibus cum tenuis quædam eſſe videatur vis ad ſuadendum peccatum, fallit tamen opinionem noſtram; nam frequenter paruula ſcintilla neglecta magnum excitare ſolet incendium. Quantulus erat lapillus ille, qui per montem deuolutus, & pedibus ingentis illius ſtatua materiæ pretio, ſtructuráque admirabilis illiſus, eam tamen euertit, contriuit, & redegit in
Dan.2.34. puluere? *Abſciſſus eſt lapis*, inquit Propheta, *de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta*
Num.6.3. *ſunt vento, nullúſque locus inuentus eſt eis.* Quare Nazaræorum natio, quæ peculiaribus quibuſdam ceremoniis conſecrabatur Domino, cum à vino, liquoribúſque omnibus qui inebriare poſſent, Deo ita iubente abſtinere deberet, vuarum etiam ſiue recentium, ſiue aridarum guſtu prohibebatur, ea forte de cauſa, ne dulciſſimo guſtato fructu, vini etiam, quod ex vuis exprimitur, guſtandi cupiditate incenderetur. Cum ergo tanta ſit occaſionis vis ad animos etiam fortes, & virtutis cultura diligenter ſubactos, molliendos, quanto diligentius ſe ipſos ab occaſionibus abducere debent, qui animum ſuum dubium & in prauum inclinabilẽ eſſe animaduerterint? Quæ autem in primis occaſiones cauendæ ſint, ne ad

ſco

ſcopulos intemperantiæ impingamus, iam dicendum erit.

2 Ac prima quidem ſit Otiũ, de quo Sapiens ait: *Multam malitiã docuit otioſitas.* Qui enim otio torpent ac marcent, omnibus quidem vitiis ſed carnis potiſſimùm intemperantiæ fiunt opportuni. Quare Ezechiel cauſas enumerãs, per quas Sodomæ ciues ad tam nefaria flagitia delapſi fuerant, otium non præteriit. *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas Sodomæ*, &c. *otium ipſius & filiarum eius.* Circumiectorum ſcilicet pagorum, qui phraſi Hebr. filiæ dicuntur. Nec otiosè maléque collocati temporis crimen, aut pericula euitant incontinentiæ, qui voluptatibus, quæ ſenſibus corporis percipiuntur captandis, quaſi honeſta diſtinerentur occupatione, ſemper ſunt intenti, cuiuſmodi hominum ingenium & voces eleganter deſcripſit Salomon. *Venite*, inquiunt, *& fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ, vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Hæc enim oculorum ſenſuumque voluptates ad libidines præparant, quique illis indulgent, aut intemperantes ſunt, aut ab intemperantibus proximè diſtant, maximámque temporis iacturam facere cenſendi ſunt, quantumuis ſibi occupati, imo multarum rerum actu fatigati videantur. Et quidem voluptates iſtas venari intemperantium eſſe proprium oſtendit Salomon, cum impudentis illius ſcorti malè cautum adoleſcentulum ad

Otium eſſe occaſionem luxuriæ.
Eccleſ. 32. 29.

Ezech. 16. 49.

Sap. 2. 6.

peccatum allicientis inuitationes proponit: *In-*
Prou.7.16. *texui*, inquit, *funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum myrrha & aloe, & cinnamomo.* Hæc ſunt enim quaſi condimenta quædam illarum voluptatum quibus ætas illa facilè capitur. Quare ſapiens alio loco intemperantiæ huic ſalutare antidotũ præparans diſſoluénſque auctoritate ſua grauiſſima, eorum paralogiſmos, qui quoniã vita hominibus anguſtis concluditur limitibus, ideo confici putabant, quod ipſi dicebant: *Non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis, &c.* melius ſuggerit conſilium: *Non defrauderis*, inquit, *à die bono & particula boni doni non te prætereat.* Quaſi diceret, vtiliter pone tempus, quod cum anguſtum ſit, & rapidum, eiuſque multum ſomnus & neceſſariæ occupationes auferant, par non eſt, vt id, quod vtiliter collocari poteſt, temere prodigas, imò religiosè admodum illud debes expendere, & quomodo otium tuum diſponas diligenter ſubducere rationem, ne forte particula aliqua tam pretioſæ rei per imprudentiam aut ſocordiam malè pereat. Tò *particula boni doni. &c.* Græcè eſt μερὶς ἐπιθυμίας ἀγαθῆς, *particula boni deſiderij vel bonæ cupiditatis*, vt ſit conſilium luxurioſorum illorum conſilio, de quibus ſapientia loquitur, omni ex parte oppoſitum. Quemadmodũ enim illi malis obſequuntur cupiditatibus, eaſque explere conantur, omnémque adhibent diligentiam, ne occaſionis voluptuoſæ vitam traducendi particula ita elabatur, vt ea frui non poſſint, ita nos, qui ſobriam vitam viuere, & ad virtutis præſcriptum mores noſtros exigere cupimus, illud curere debemus, ne bonorum illorum cupiditatem, quibus incitamur

Sap. loco cit.

Eccleſ.14.14.

Digitized by Google

tamur ad honeſtatem capeſſendam, particulam vllam vitio noſtro irritã eſſe velimus. Hæc enim demum eſt magna ſapientia reputantes vitæ huius, quam viuimus, breuitatem ita viuere, vt numeros omnes impoſiti muneris expleamus, & vt ventris mancipiorũ eſt vox illa. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Ita ſapiẽtiæ alumnorum ſunt illæ: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Et. *Notum fac mihi Domine finem meũ, & numerum annorum meorum, quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi.* Quod tandem verius eſſe voluptatum ſectatores intelligent cum dicent. *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus, &c.* nam *Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam Nuncius percurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus, &c.* Ac quemadmodum pueri ex luto, fragmentiſque teſtarũ, aliiſque viarum quiſquiliis domunculas concinnant, quas aut ipſi paulo poſt, aut tranſeuntes viatores impacto calce diſturbent, in quibus licet luto ſordidi, & tanquam rem ſeriam agerent, vehementer occupati videantur, nullus tamen non intelligit eos tempus, & operã perdere: ita otioſi iſti homines ſeriarum vtiliumque rerum exercitatione vacantes, licet multa moliantur & agant, ſunt tamen penitus otioſi; quia licet per multa diſcurrant, nihil tamen agunt, quod ſolidam aliquam vtilitatem afferre poſſit, Imò dum occaſiones voluptatum indagant, ac perſequuntur, certiſſimam ſibi & aliis perniciem parant.

Iſa. 22. 13. 1. Cor. 15. 32. Pſal. 38. 5. Sap. 5. 6. Ibid. n. 9.

Digitized by Google

Etiam incuſtoditos oculos alioſq; ſenſus.

3 Altera intemperantiæ occaſio oculi ſunt, per quos dulce venenum in præcordia delapſum, pleriſque æternæ mortis eſt cauſa. *Hæc eſt enim mors illa, quæ aſcendens per feneſtras ingreditur domos noſtras, diſperdere paruulos de foris, & iuuenes de plateis.* Hi enim ſunt *paruuli illi vecordes iuuenes, qui tranſeunt per plateas prope angulum.* Quibus Sapiens tam multa ſuggerit, vt laqueos, quos illi adultera meretricio ornata cultu tetendit, poſſit euadere. Huc impegerunt Dauid, cum vxorem Vriæ detractis veſtibus ſe lauantem vidit. *Vidit*, inquit ſcriptura, *mulierem ſe lauantem, ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum, erat autem mulier pulchra valde.* Senes illi populi Iudices apud Danielem, qui *videbant Suſannam, quotidie ingredientem & deambulantem.* Ex quo factum eſt, quod ſtatim dicitur: *Et exarſerunt in concupiſcentiam eius, & euerterunt ſenſum ſuum, erant ergo ambo vulnerati amore eius.* Et Ægyptia illa Putipharis vxor; nam cum eſſet Ioſeph *pulchra facie & decorus aſpectu, iniecit Domina ſua oculos in Ioſeph, & ait: Dormi mecum.* Tandem ne plura, quàm neceſſe eſt, exempla congeram, *Videntes filij Dei, filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Pulchritudine enim vincti contra quam debuerant à miſcendis connubiis cum filiabus Cain, quæ filiæ hominum dicuntur, filij Seth, qui Dei filij appellantur (quod præ cæteris illius æui hominibus veteri parentum inſtitutione, pietatem iuſtitiámque ſanctius colerent) magno ſuo malo non abſtinuerunt. Quare Sapiens pluribus idem præceptum, de oculorum continentia in mulieribus aſpiciendis inculcat in Eccleſiaſtico. *Ne reſpicias*, inquit, *mulierem multiuolam*, Grecè μὴ ὑπάντα

Ierem. 9. 21.
Prou. 1.7.
2. Reg. 11. 2.
Daniel. 13. 8.
Geneſ. 39. 6.
Geneſ. 6.2.
Eccleſ. 9. 3.

τῇ γυναικὶ ἑταιριζομένῃ, non obtutum tantum, ſed etiam occurſum illius vt rem periculo plenam prohibens: *Ne occurras mulieri meretrici.* Et paulo poſt. *Virginem,* inquit, *ne aſpicias ne forte ſcandalizeris in decore eius.* Hoc enim eſt Chriſti Domini doctrinam amplecti, cuius illud dictum eſt: *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proyce abs te.* Sequitur Eccleſiaſticus: *Noli circumſpicere in vicis ciuitatis, nec aberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti ſunt, colloquium enim eius quaſi ignis exardeſcit.* Et Chriſti Domini Oraculum eſt. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eã in corde ſuo.* Cum ergo culpam contraxerit, pœna etiam huiuſmodi manet, adulterij perpetrati, aut certè cupiditate deſiderióque concepti. Quare mirum non eſt, ſi viri ſanctitate præcellentes, arctiſſimam ſibi oculorum cuſtodiam indixerunt, vt Iob, cuius ſunt illã verba. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine, quam enim partem haberet in me Deus deſuper & hæreditatem Omnipotens de excelſis?* Nec forte Dauidis votũ, cuius illa precatio eſt. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Quæ verba cum lego, muliebris pulchritudinis mihi venit in mentem, de qua Salomon pronuntiauit. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo,* omníſque ille aſcititius ornatus planè fucatus, & ad inſipientes inani quadam ſpecie fallendos factus. Huius mundi muliebris meminit Iſaias cum ait. *In die illa auferat Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras*

Ibid. n. 5. Eccl. 9. 7. Matth. 5. Iob 31. 1. Pſal. 118. 37. Prou. 31. 30. Iſa. 3. 18.

mitras & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & anulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina & acus, & ſpecula, & ſindones & vittas, & theriſtra. Mulieris verò hiſce ornamentis aut artificioſæ pulchritudinis inſtrumentis, quantũuis comptæ, *Vana*, inquit Sapiens, *eſt pulchritudo.* Imo Chriſtus Dominus, cuius vitæ actionibus ad omne virtutis genus inſtruimur, docuiſſe nos videtur quid eſſet agendũ, cum mulieres obuiæ ſunt, quæ cultu corporis, ætatiſque aut pulchritudinis illecebra periculũ ſtruere poſſunt; cum enim mulier

Ioan. 8.5. illa in adulterio deprehenſa illi ſiſteretur à Phariſæis, vt quo animaduerſionis genere illius adulterum vindicandum cenſeret, pronuntiaret; non in eam defixit oculos, ſed terram potius aſpexit, digito in terram ſcribens, vt intelligeremus multo magis nobis oculos deiiciendos eſſe, in quibus peccati fomes igne concupiſcentię facile corripi

Cantic. 4. poteſt. *Vulneraſti cor meum,* dicitur in Canticis, *in*

9. *vno oculorũ tuorum,* in Græco eſt ἐκαρδίωσας, *cor rapuiſti, cor abſtuliſti,* ictibus ſcilicet oculorũ quibus tanta vis ineſt, vt de continentiæ ſtatu viri etiam pręſtantiſſimi deiiciantur. Quare pręceptum Domini, quod Iſraëlitis olim datum fuiſſe legimus in libro Numerorum, transferamus ad nos. *Dixit*

Num. 15. *quoque Dominus ad Moyſen* (inquit ſcriptura) *loquere*

37. *filijs Iſraël, & dices ad eos vt faciãt ſibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes, ſed magis memores præceptorum Domini faciant ea, ſintque ſancti Deo ſuo.* Quemadmodum enim Hebræi fila quædam non texta in extrema

veſtis

veſtis ora dependentia circumferebant, vt legis à Domino traditæ memores perpetuo eſſent, imo vt ait S. Hieronymus, ſoliti fuerunt, acutiſſimas etiam ſpinas interſerere, quibus & cum ambularent, & cum ſederent compungerentur, eóque dolore diuinam legem in mentem reuocarent: ita nos legis Domini memores ſimus iuxta Salomonis præceptum, qui ait. *Conſerua fili mi præcepta patris ſui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. Cum ambulaueris gradiantur tecum, cum dormieris cuſtodiant te, & vigilans loquere cum eis, quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ, increpatio diſciplinæ.* Hoc autem ſi fecerimus id conſequemur quod quærimus, ſtatim enim ſubdit Sapiens: *Vt cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius.*

Prou. 6. 20.

Ibid. n. 24.

4 Sunt etiam intemperantiæ occaſiones ſaltationes, & choreæ, aliaque huiuſmodi aularum oblectamenta, in quibus viri cum mulieribus verſantur, colloquuntur, iocantur, aut eas etiam tangunt. Quare hanc occaſionem amoliri ſatagens Eccleſiaſticus, *Cum ſaltatrice*, inquit, *ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Et bona illa Sara, quæ poſtea iuniori Tobiæ nupſit, *Nunquam*, inquit, *cum ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* Hos autem luſus de quibus Sara, Hugo choreas eſſe interpretatur; hanc enim ſignificationem habet aliquando in ſcriptura verbum ludere, vt cum dicitur in Exodo. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Fuiſſe autem luſum hunc ſaltationem & tripudium, patet ex

De ſaltationibus aliiſque huiuſmodi luſibus.

Eccleſ. 9. 4.

Tob. 3. 17.

Exod. 32. 7.

Digitized by Google

voce Græca χοροὺς, quæ aut ipſam ſaltationem ſignificat, aut ſaltantium in vnam collectam multitudinem, & ex voce Hæbraica מחלת, quæ eſt ſignificationis eiuſdem. Nec minus Ieremias prophanos iſtos luſus auerſabatur, qui de ſe ipſo

Ierem. 15. 17. prædicat. *Non ſedi in conſilio ludentium, ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me:* tinniebant enim ambæ aures eius, cum graues illæ comminationes, quas Dominus intentat huiuſmodi oblectamentorum ſtudioſis auribus eius inſonarent. Harum autem minarum ſpecimen, qui vult, pe-

Ezech. 25. 6. tat ab Ezechiele, cuius illa ſunt verba. *Pro eo, quod plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gauiſa es ex toto affectu, idcirco extendam manum meam ſuper te, & interficiam te.* Septuaginta ἐκρότησας τὴν χεῖρά σου, καὶ ἐψόφησας τῷ ποδί σου, id eſt, *plauſiſti manu tua, & inſonuiſti pede tuo.* videtur autem τὸ κροτεῖν τὰς χεῖρας, καὶ ψοφεῖν τοῖς ποσὶ, exprimere actum ipſum ſaltandi, & ad numerum pedes terram pulſando, & manus certa quadam lege mouendi; ſic per proſepopœiam dicuntur flumina plaudere manu &

Pſal. 97. 8. exultare montes à S. Dauid. Apud Iſaiam etiam grauis comminatio eſt in filias Iſraël, quæ choreis & luſibus, & nimis exquiſito corporis orna-

Iſai. 3. 16. tu delectabantur; *Et dixit Dominus: Pro eo, quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.* Forerius vertit ex Hebr. *Propterea quia elatæ ſunt filiæ Sion & incedebant extenta gutture, & fallaces oculis ambulando & plaudendo ambulabant, & pedes ſuos laqueolis vinciebant.* Quid autẽ aliud ſunt ſaltationes quàm ambulare pedibus plaudendo, & laqueolis pedum, animos ſpectantium conſtringere, dum pedum

dum agilitatem ad numerum compoſitè ſe mouentium admirantur,& amant? Quod Herodi accidit,qui Herodiadis filiæ ſaltatione captus,Ioannis Baptiſtæ caput viri ſanctiſſimi, quem ipſe alióqui reuerebatur, & magnifaciebat,inter conuiuij lætitias amputare ſuſtinuit. Pergit autem Eſaias pœnas enumerans, quas huiuſmodi mulieribus inflicturus erat Dominus: *Decaluabit*, inquit, *Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*.& paulo poſt. *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium, pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio, & mœrebunt, atque lugebunt portæ eius, & deſolata in terra ſedebit.* vt nimirum paria ſceleribus ſupplicia reponantur, *& quantum glorificauerunt ſe, & in deliciis fuerunt, tantum detur tormenti & luctus,* in eoque ipſo plectantur in quo delicias quæſiuerunt: ſicut vice verſa,qui malis vexati fuerunt & preſſi, Deo illis fauente ad lætitiam emergunt, vt experientia doctus teſtatur Dauid, cum ait: *Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Quaſi diceret: Ego circumſtantium malorum mole obrutus mœrens iacebam ſacco amictus vt exterior corporis cultus, cum animi habitu conueniret, ſed tu Domine grata vice pro ſacco pannóſoque indumento lætitiæ, ſtolā mihi reddidiſti, & quia ſtatū meum deplorans, plangebam me, & pulſabam vt in magno luctu fieri ſolet pro planctu,chorum, tripudiumque reuocaſti. Eſſe autem hanc antitheſim in verbis iſtis Prophetæ expendētis vocem illam *planctum* & *gaudium* clarius apparebit. nam planctus Septuaginta κοπετός, eſt cum quis inter lamen

Iſai.3.17.
Ibid.n.24.
Apoc.18.7.
Pſal. 29.12.

mentandum aut pectus aut aliam corporis partem κόπτει, id eſt, pulſat, pro voce autem gaudium in Hebræo eſt מחול, quam vocem rectè vertas Chorum. Pulſum igitur, qui luctum comitatur, in lætiæ & alacritatis pulſum, quale eſt tripudium conuerſum dicit. Sed redeamus ad pœnas eorum, qui choreis intemperanter indulgent, inter quas illa maxima cenſenda eſt, quam expreſſit Iob
Iob 21.11. cum ait. *Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus, tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*, quæ tandem eſt vitæ eorum miſerrima cataſtrophe. Scio interpretes Hebræos, & aliquos Latinos vltimam hanc partem de deſcenſu ad infernum, de morte ſuaui, & quæ abſque longæ ægritudinis moleſtia contingat interpretari, vt hoc etiam ad fœlicitatem pertineat impiorum, quod illis vacent moleſtiis quibus multis & miſerabilibus modis decumbentes & cum longo luctantes morbo, ægroti vexantur. Sed D. Gregorius, Origenes, Beda & in Catena Philippus, hunc deſcenſum ad pœnam referunt, infernique cruciatus: quorum ſententiam ex recen-
par. prima adagiali. 197. tioribus ſequitur & confirmat Martinus del Rio in Adagialibus, nec certè alio deducendi videntur iſti chorearum agitatores cum habeant Dæmonem præſultorem, huc enim accommodari
Iſai. 13.31. poſſunt verba Ieremiæ cum ait: *Piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis.* Nam quænam dicamus commodius voluptatis delubra, quàm Principum palatia cum mulierum, virorúmque choris ſaltationi indulgent, cantibus, luſibus, potationibus.

Quæ

Quæ Syrenes cum videntur, audiuntur, tanguntur, parum cautis ſerpens in pectore malum relinquunt, tenue primum, & quod vix notari poſſit, ſed poſtea reſurgens, & gliſcens, totumque animum depaſcens. Quid autem aliud ſunt Piloſi illi, quàm id quod Kaldæus interpretatus eſt, qui *Dæmones* vertit? qui igitur ſapit, ſuæque conſcius eſt imbecillitatis, infirmum animum huiuſmodi occaſionibus blandè trahentibus ne committat, ne qui in ſicco vix ſtat, facilius labatur in lubrico.

5 Sed intemperantia etiam cibi, vinique, luxuriæ frequens occaſio eſt. Quare D. Paulus ad Epheſios ſcribens ait: *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.* admodum enim procliue eſt, vt venter mero æſtuans deſpumet in libidiné. Itaque idem Apoſtolus perfectum inſtituens Epiſcopum, inter cætera, quæ præcipit (quorum pleraque ad Principes etiam transferri commodè poſſunt) illud etiam tradit, *oportere epiſcopum non eſſe vinolentum.* in quem locum aptè ad rem noſtram ſcribit D. Hieronymus, Prohibet quoque, inquit, Epiſcopum eſſe vinolentum de quo ad Timotheum ſcribitur, non multo vino deditum. Quale eſt autem Epiſcopum (Principem) videre vinolentum, vt ſenſu occupato vel exaltet riſum contra grauitatis decorem, & labiis diſſolutis cachinnet, vel ſi paululum triſtis cuiuſdam rei fuerit recordatus, inter pocula in ſingultus prorumpat, & lacrymas. Longum eſt ire per ſingula, & inſanias, quas ebrietas ſuggerit explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, ſcyphum in faciem iacere conuiuæ: alios ſciſſis veſtibus in vulnera aliena proruere, alios clamare, alios dormitare, qui plus bibe

Intemperantiam in cibo, potuque occaſionem eſſe luxuriæ.

Epheſ. 5. 18.

Ad Tim. 1. 7.

1. Tim. 3. 3.

,, biberit fortior computatur, accuſationis occaſio
,, eſt, adiuratum per Regem frequentius non bibiſ-
,, ſe. Vomunt vt bibant, bibunt vt vomant. Dige-
,, ſtio ventris, & guttur vno occupantur officio.
,, Hoc vnum dixiſſe ſufficiat, quod ſecundùm Apo-
Epheſ. 5. 18. ſtolum *in vino luxuria eſt*, & vbicumque ſaturitas
atque ebrietas fuerint, ibi libido dominetur.
,, Specta ventrem & genitalia, pro qualitate vitio-
,, rum ordo membrorum. Nunquam ego ebrium
,, caſtum putabo, qui etſi vino conſopitus dor-
,, mierit, tamen potuit peccare per vinum. Mira-
,, mur autem Apoſtolum in Epiſcopis, ſiue presby-
,, teris damnaſſe vinolentiam, cum in veteri quo-
Leuit. 10. 9. que lege præceptum ſit: Sacerdotes cum ingre-
diũtur templum miniſtrare Deo, vinum omnino
Numer. 6. 3. non bibere, & Nazaræum, quam diu ſanctam
comam nutriat, & nihil contaminatum, nihil
,, mortale conſpiciat, & à vino abſtinere, & vua
,, paſſa, & à delicatiori, quæ ſolet ex vinaceis fieri
,, potione, omnique ſicera, quæ mentem ab integra
,, ſanitate peruertit. Dicat quiſque quod volet, ego
,, loquor conſcientiam meam, ſcio mihi abſtinen-
,, tiam & nocuiſſe intermiſſam, & profuiſſe repe-
,, titam. Hactenus Hieronymus. Quibus addi po-
teſt mulieres Madianitidas filios Iſraël docuiſſe,
Apoc. 2. 14. *Edere & fornicari*, vt dicitur in Apocalypſi, & in
libro Numerorum, ita ſuggerente Balaam, vt ni-
Num. 24. 3. & 25. 2. & 31. 16. mirum populum ſuum propter peccata iratus
Dominus deſtitueret, & Madianitis vincendum
traderet. Suadebant autem mulieres illæ Iſraëli-
tis vt de Idolothytis manducarent, non alia con-
ditione corporis copiam facturæ, niſi ſe ſe pro-
phanas illas carnes manducando, idololatriæ
labe contaminaſſent, vt etiam colligitur ex initio
vige

vigeſimi quinti capitis Numerorum. Sed quærat fortaſſe aliquis, quomodo Pergami Epiſcopus reprehendatur in Apocalypſi, quod habeat in ſua Eccleſia aliquos *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere & fornicari*: ita & ipſe habeat *tenentes doctrinam Nicolaitarum.* nam vt docerent Nicolaitæ Chriſtianos fornicari, non tamen vſquam legimus eos ad idololatriam pellicere ſtuduiſſe. Sed nimirum ventris indulgentia & ſeruitus, qua illum explere intemperantes ſatagunt, idololatria quædam eſſe videtur iuxta D. Pauli dictum, *quorum Deus venter eſt*, ac proinde Nicolaitarum praua dogmata, qui ventri & voluptatibus carnis obſequendum docebant, cum Balaami conſilio quod Madianitarum Principi ſuggeſſit, optimè conuenit, & inter vtroſque magna ſimilitudo intercedit. Docebant ergo Nicolaitæ non vt Madianitides mulieres de Idolothytis manducare (non enim fuerunt idololatræ, aut ad idololatriam trahere ſtuduerunt, vt dicebamus) ſed docebant ſeruire ventri parandis delicatioribus epulis, & pudendis libidinibus, ac ſi peccata non eſſent, operam dare: coniungebant autem cum libidine, gulæ intemperantiam, quia friget venus cum ciborum ac præſertim vini fomenta deſiderat, quibus ſi abundet, gliſcit, & feruet. Propter quam fortaſſe cauſam Aſſuerus in Principum, Satraparumque conuiuio, tunc demum Reginæ Vaſthi recordatus fuiſſe dicitur, eamque iuſſiſſe vocari, vt illius pulchritudo ſpectaretur à conuiuis, cum vino intemperantius hauſto incaluerat. *Cum Rex*, inquit, *eſſe hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero, præcepit ſeptem eunuchis, qui in conſpectu eius mini*

Apoc. 2. 14.

Philip. 3. 19.

Eſther 1, 10.

miniſtrabant, vt introducerent Reginam Vaſthi coram Rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis ac Principibus pulchritudinem illius, erat enim pulchra valde. Sed de intemperantia in cibo non eſt neceſſe plura dicere, cum ex ſupradictis multa peti poſſint, & ad argumentum præſens accommodari.

6 Ex his autem occaſionibus, quas enumerauimus, pleræque in Dauidis adulterio reperiuntur. Nam primò cum Ioab cum exercitu Ammonitas oppugnaret, & Rabba illorum oppidum obſiderent, ipſe domi deſidebat otioſus, ſaltem cum pulchritudine Berſabeæ captus eſt: nam *ambulabat in ſolario domus Regiæ,* Oculorum etiam captus eſt illecebra; nam cum oculos circumtuliſſet, *Vidit Mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum, erat autem mulier pulchra valde*, nec contigit ieiunum Dauidem hac libidinis tentatione pulſari; *nam poſt meridem* hoc contigiſſe ſacra narrat hiſtoria cum *de ſtrato ſuo ſurrexiſſet*, in quo nimirum poſt ſumptum cibum iacuerat ad meridiandum. Nec Dauidis cibos deliciis caruiſſe credibile eſt, vt potè regis, cuius etiam rei capere poſſumus coniecturam, ex eo, quod Vriam de domo Regis egredientem *ſecutus eſt cibus Regius*, lautus nimirum & opiparus, qualis Dauidis Regis eſſe ſolebat, qualemque eſſe decebat, qui aptè Regis amicò pro deliciis ad beneuolentiæ ſignificationem mitti poſſet, vt minùs mirum videatur ſi tribus hiſce occaſionibus in vnum conſpirantibus tentationis impreſſionem Dauid nón ſuſtinuit. Nec aliũde quàm ex enumeratis occaſionibus extitiſſe credenda eſt intemperantia Salomonis, qui ſeptingentas vxores, quaſi reginas, trecen

Exemplis Dauidis & Salomonis idem cõfirmatur.

2.Reg.11. 2.

Ibidem.

Ibid.n.8.

3.Reg.11. 3.

centáſque concubinas ſibi parauit, tanta libidinis impotentia, vt ab alienigenis mulieribus iuxta Domini præceptum non abſtinuerit. *Rex autem* Ibid.n.1. *Salomon*, inquit ſcriptura, *adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas, de gentibus ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël. Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim auertent corda veſtra vt ſequamini Deos earum.* Ac primò quidem abundabat otio, Iſraëlitici generis hoſtibus admiratione potentiæ ac ſapientiæ Salomonis obſtupefactis, nec arma in illum mouere audentibus. De hac autem pace ita ſcripſit Salomon ipſe ad Hiram Regem Tyri. *Nunc requiem dedit Dominus* 3.Reg.4. 5. *Deus mihi per circuitum, & non eſt Satan, neque occurſus malus.* Hinc ergo factum eſt, vt diceret apud ſe Salomon, *Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis.* Eccleſ.2. 1. Quod vt conſequeretur. *Feci*, inquit, *mihi cantores & cantatrices & delicias filiorum hominum,* in Græco Septuaginta eſt, ἐντρυφήματα, Aquila τρυφὰς, Symmachus σπατάλας vertit: ſnnt autē σπατάλαι, deliciæ, voluptates omnis generis, & σπαταλᾶν eſt in deliciis viuere, voluptariam vitam agere, omnis generis voluptates captando: quod ipſum ſignificat Salomon cum appellat *delicias filiorum hominum*, hoc eſt voluptates ac delicias quas in libidines & luxum, ingenioſi homines excogitarunt. Itaque & epulæ lautiſſimæ, vináque pretioſiſſima non defuerunt, & quod ad modum bibendi attinet, alij atque alij calices variè efformati, & in diuerſas figuras cælatorum induſtria ducti, hoc enim eſt, quod dicit feciſſe ſibi *ſcyphos & vrceos in* Eccleſ.2. 8. *miniſterio ad vina fundenda*, quam vini intemperan-

tiam poſtea ſapientior factus damnauit, ait enim:
Ibid. 2. 3. *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam.* Alia etiam non defuiſſe oblectamenta ſenſuum omnium cuiuſmodi ſunt ſaltationes, & ludorum varia genera, facilè crediderim. Quid enim aliud otioſus Princeps tam multis in aulam Reginis & concubinis inductis, in vineis, hortis, & pomariis conſitis cuncti generis arboribus iuxta piſcinas aquarum, in lætiſſimis ſyluis aquis irriguis, agitaret, quàm ſaltationes & tripudia, luſus, & cantus, & conuiuia, ex quibus ea de qua diximus tam ſapientis Regis, intemperantia carnis, & luxuria originem traxit?

De malis, quibus propter luxuriam corpora afficiuntur.

CAPVT XXVI.

Luxuriam properat ã adducere ſenectutẽ, morboſque.

1 CErtiſſimum eſt, pluribuſque ſacræ Scripturæ teſtimoniis probari poteſt, multis ægritudinibus corporis eſſe obnoxios eos, qui turpibus ſeruiunt voluptatibus, vitæque ſpatia illis fieri contractiora, quàm pro corporis conſtitutione, & viribus, quibus à natura fuerant inſtructi. Exempla non eſt neceſſe ex longinquo repetere, nam ille ipſe Salomon, de quo paulo ante locuti ſumus, cum quinquageſimũ primum ætatis annum agens mortuus ſit, aliquanto ante
3. Reg. 11. 4. mortem ſacræ litteræ Senem appellauerunt, ita enim legimus in Regum hiſtoria. *Cumque eſſet ſe-*

nex

Digitized by Google

nex; deprauatum eſt cor eius per mulieres. hoc autem ei accidiſſe putant anno fere 48. aut 49. ætatis, vt qui accuratius iſta ſcrutati ſunt ex probabilibus coniecturis, vt in re obſcura collegerunt, neque enim quanto tempore vixerit Salomon proditum reperitur in ſcriptura. Cauſa præcocis ſenectutis non alia commodius afferri poteſt, quàm in voluptatibus venereis intemperantia, & frequens cum tam multis vxoribus & concubinis congreſſus, quod cum Samolone, accidit etiam cæteris mulieroſis hominibus, quibus accommodari poteſt, quod dicitur in Deuter. *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.* Qui autem temperanter viuunt, & continenter, iis contingit etiam longæuitas, viridis, proſperáque ſenectus; qui verò voluptatibus hiſce plus æquo indulgent, iis corpus effætum, morbiſque pluribus obnoxium citius conſeneſcit. Quare Aſtarthe Dea Sidoniorum Venus à nonnullis eſſe putatur, quæ eadem Dea hominum natalibus, mortique Libitinæ nomine præſidebat. Itaque non ineptè quis dixerit Salomonem Veneris cultorem, (nam *colebat Salomon Aſtarthem Deam Sidoniorum*) citiùs ſenectutem contraxiſſe; ſapienter enim & ortum hominis & exitum è vita in huius Deæ tutela eſſe finxit antiquitas, quod putarent vt illius beneficio in hanc lucem homines emergunt, ita nimis frequenti eiuſdem vſu ad ſenectutẽ, & mortem properare. Quare dicitur apud Iob: *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius: & cum eo in puluere dormiet.* nam intemperantiũ oſſa, & corpora, quę prius bene valebant, ſucculenta erant, & valida: poſtmodũ cum veneris ignem conceperunt, arefacta ſunt, vt eorum quilibet merito Dauidicum illud vſurpare

Pined. de rebus Salomonis l. 8. c. 2.

Deut. 33. 25.

3. Reg. 11. 5.

Iob 20. 11.

Digitized by Google

Pſal. 101. 4. poſſit. *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Hanc autem ariditatem ex vitiis adoleſcentiæ contraxerunt, voluptatibus nimirum carnis, quibus illa ætas feruidior intemperantius indulget. De huiuſmodi autem voluptatibus locum hunc capiendum eſſe, illud ſuadere videtur, quod pro *vitiis adoleſcentiæ* in Hebr. eſt, *occultis*, quæ vox ad concubitum commodè referri poteſt, cum nulla tam impudens lupa reperiatur, aut perditus amator, qui iſta non tegat ſummotis arbitris omnibus cum patrantur. Dicuntur autem in puluere dormire cum intemperantibus, quia eos vitia, & vitiorum effectus ad mortem vſque & ſepulchrum comitantur, non tantùm propter conſuetudinis vim, quæ vix exui poteſt, ſed etiam quia contracti per intemperantiam morbi, nullo artificio delenda corporibus relinquunt impreſſa veſtigia, in eos

Nahum 2. 10. enim quadrat, quod alicubi dixit Nahum. *Cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium illorum ſicut nigredo ollæ.* Et

Ierem. 51. 30. quod eſt apud Ieremiam. *Deuoratum eſt robur eorum, facti ſunt quaſi mulieres.* Et in eos recidit in

Geneſ. 49. 4. Rubem iactata maledictio, de quo dicitur, *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas,* cur hoc? *Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Nec verò Sephora opportuniore artificio à filio intentatam ab Angelo mortem auertere potuiſſet, quàm eo quo vſa eſt, circumciſione videlicet; nam

Exod. 4. 25. *tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui.* Quod remedium vt Moſis primogenito peperit incolumitatem, ita per continentiæ virtutem circumciſis voluptatibus, vitam præſtare plurimis poſſet, quam temere prodigunt, Sapientem in Prouerbiis ſana conſilia ſuggerentem

rem non audientes, cuius illa ſunt verba: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis.* Quid autem aliud eſt *Dare annos ſuos crudeli*, quàm immodico libidinis vſu de annorum dimenſo ſibi aliquid detrahere? qui propterea crudeli dicuntur tradi, quia meretrices de quibus eo loco dictum eſt, non proſequuntur amore amaſios ſuos, ſed illud tantum agunt, vt pecuniam emungant, eóſque exhauriant, eos cum defecerint nummi, ingreſſu domus prohibituræ. Prou.5.9.

2 Quod ſi quis cauſam quærat, propter quam corporibus nocet intemperantia, ea eſt in promptu. Nam cum ſemen humanum ex meliori, ac præſtantiori ſanguine, quo corpora irrigantur, & aluntur conficiatur, illius frequens detractio ſanguinem minuit, vireſque debilitat. Et fortaſſis propter hanc cauſam ſanguinis nomine in ſacris litteris libido intelligitur, vt cum dicitur apud Oſeam: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Et in Pſalmo, *Libera me de ſanguinibus Deus.* Et apud S. Ioannem. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis.* Quia verò ex ſanguine vita noſtra dependet, licet ſanguis non ſit anima, frequenter tamen in ſcriptura animæ nomine appellatur, vt cum dicitur in Leuitico: *Anima omnis carnis in ſanguine eſt, vnde dixi filiis Iſraël, ſanguinem vniuerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt, & quicumque comederit illum, interibit.* Et in Deuteronomio. *Caue ne ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum* (animalium ſcilicet quæ numerauerat) *pro anima eſt.* Et in Geneſi dicitur, *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.*

Affertur ratio cur corporibus intemperantia noceat.

Oſeæ 4.2.

Pſal.50.15.

Ioan.1.13.

Leuit.17.14.

Deut.12.23.

Geneſ.9.4.

detis: in Hebræo expreſſius hoc etiam loco ſignificatur quod dicitur in proximè citatis locis ex Leuitico, & Deuter. ſcilicet animam ſanguine contineri. ita enim ad verbum. *Excepto quod carnem in anima ſua in ſanguine ſuo non comedetis.* Quaſi diceret, Excepto quod non comedetis ſanguinem in quo reſidet anima. Ex quo colligitur frequentem cum mulieribus congreſſum, multum de vitæ ſpatio detrahere; eos verò, qui ab illis abſtinent, longiorem vitam viuere, multiſque vacare ægritudinibus, quibus illi conflictantur, qui luxurioſi ſunt. Et ſanè vera eſt illa prædicatio, qua Ioachim Summus Pontifex, vniuerſuſque preſbyterorum cætus fortiſſimæ mulieri Iudith victoriam gratulantes, caſtitatem illius præ cæteris laudibus extulerunt: *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alterum neſcieris.* in quibus verbis notandum, fortitudinem ſanctæ mulieris caſtitati tribui, vt forte etiam tribuenda eſt vitæ prolixitas, nam de ea dicitur in extrema hiſtoria. *Manſit autem in domo viri ſui annos centum quinque & defuncta eſt, ac ſepulta, &c.*

Iudith 15. 10.

Iudith 16. 28.

3 Hæc igitur incommoda & multo plura, quæ ſciens prætereo, hominum corporibus creat intemperantia, tantam verò ſi de honeſtate agatur, conciliat turpitudinem, vt nullum vitium maius ſecum afferat. Præclarè tractat hunc locũ S. Paulus epiſt. 1. ad Corint. *Neſcitis*, inquit, *quoniam corpora veſtra membra ſunt Christi? Tollens ergo membra Chriſti, faciam mẽbra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur, erunt enim, inquit, duo in carne vna: qui autẽ adhæret Domino,*

Agitur de turpitudine intemperantia.

1 Corinth. 6. 15.

vnus

Digitized by Google

vnus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem, omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in nobis eſt, quem habetis à Deo & non eſtis veſtri. Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Quaſi dicat. O Corinthij maiorem in modum vobis auctor ſum, vt fornicationis turpitudinem fugiatis, qua nullum maius animæ, atque corporis veſtri dehoneſtamentum eſſe poteſt. Nam cum ſitis membra Eccleſiæ ac Chriſti, qui Eccleſiæ ipſius caput eſt, quàm indignum eſſe putatis hæc Chriſti membra in lupanar abiicere & ſcorti viliſſimi, per corporum commixtionem membra facere? Scitis enim quid olim dixerit Dominus, Erunt duo in carne vna, quod tam de legitimo thoro verum eſt, quàm de concubitu fornicario, ſi actus naturam dumtaxat ſpectaueritis. Hoc igitur dedecus admittere ſuſtinebitis, vt corpora veſtra ſancta, quæ Chriſti membra eſſe dixi, vnum cum meretrice corpus faciatis? Quanto honeſtius caſtiſſimos Domini amplexus, qui animas noſtras ſingulari beneficio ſibi deſponſauit, affectaretis? Sanè intelligeretis quàm bonum ſit adhærere Deo, & funiculis charitatis cum illo conſtringi. Fugite ergo fornicationem. Ac cætera quidem peccata, quæ quis admittit, aliam plerumque materiam habent à proprio perpetrantis corpore: qui autem fornicando peccat, non animum tantum peccati labe inficit, ſed corpus ipſum fœditatem quandam, turpitudinemque contrahit, vt non immerito iniuriam illi non mediocrem inferri dici poſſit, cum illius nitorem & pulchritudinem tollat, exhauriat etiam

Geneſ. 2. 24.

ac debilitet. Illud prætereà memineritis corporà veſtra Spiritus ſancti templum eſſe, quod libidinis turpitudine polluere ac prophanare grauiſſimum eſt. Præterquã quod vobis hoc impunè non licet, cum fornicatio ſit rei alienæ abuſus, corporis ſcilicet veſtri quod Domini eſt, qui ſanguine ſuo valoris immenſi pretio illud cõparauit. Glorificate ergo Deum in corpore veſtro, caſtum illud, impollutumque ſeruando. Hæc D. Pauli verborum ſententia in quibus illa potiſſimùm ratio continetur, quæ ad rem noſtram facit, quod qui fornicantur, ſe ipſos fœdent ac dehoneſtent, contumeliámque corporibus ſuis, quibus honos debetur, infligant. Quare de hoc crimine illud dici

Eccleſ. 10. 32. poteſt, quod eſt apud Eccleſiaſticum. *Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit, & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam?* id eſt. Quis iuſtum illum eſſe pronuntiet, aut honorem aliquem mereri putet, qui in ſe ipſum peccat, & corpus ſuum libidinis inquinamento deturpat? Huius autem turpitudinis exemplum habemus in magno Principe Salomone, cuius gloriæ magnitudo etiam

Eccleſ. 47. 19. Chriſti Domini ore celebrata eſt, qui *cum impletus eſſet, quaſi flumen ſapientia, diuulgatúmque eſſet nomen eius ad inſulas longè, & in cantilenis, & prouerbiis, & comparationibus miratæ eſſent terræ*, ad voluptates tamen ſe demiſit, & quam ſapientia, & rerum geſtarum magnitudine collegerat gloriam,

Ibid. n. 24. nequitia, & intemperantia penitus effudit, *& inclinaſti* (inquit Eccleſiaſticus) *fœmora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo,* in illud ſcilicet nimiam ſibi licentiam ſumens, eoque pluſquam pro poteſtate abutens: quanquam ex contextu Græco alius ſenſus elicitur, nam paſſiuus aoriſtus,

ſtus ἐνιζχοιάδην potius ſignificare videtur ſæuam libidinem corporíſq; dominationem paſſum Salomonem, cúmque funibus peccatorum, blandimentíſque corporis circumplicatum, in corporis ſui redactum fuiſſe ſeruitutem: quod quam indignum ſit non ſolùm tanto rege, ſed etiam homine, nemo non intelligit. Quare ſtatim ſubdit Eccleſiaſticus, *Dediſti maculam in gloria tua, & profanaſti ſemen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris ſtultitiam tuam.* Cuius peccati labem Salomon contraxit, etiam poſteaquam illud pœnitentia diluit (ſi vera eſt eorum ſententia, qui libidines ſuas, idololatriámque deteſtatum volunt antequam vita defungeretur) eius enim pœna ad filium, regníque hæredem tranſiit, imo & cæteri ſtultitiæ illius fuere participes: nam ſciſſo in duas partes regno, mirum quantum toti Iſraëlitarum reipublicæ incommodarit. Itaque Salomoni illud vſu venit, quod quodam loco Synagogæ Dominus exprobret per Ezechielem: *Ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis, ad omne caput viæ, ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum, & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti fornicationes tuas.* Hoc autem quàm turpe ſit, ex eo colligi poteſt, quod in Eccleſiaſtico dicitur de muliere fornicaria. *Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur*, auerſantibus nimirum illius turpitudinem. Quod quamuis de muliere potiſſimùm dictum eſt, pertinet tamen etiam ad viros, quibus mulieroſis eſſe & cum meretricibus frequenter verſari turpiſſimum eſt: præſertim ſi ſint alioqui, aut ſapientiæ, aut dignitatis laude, ac præſertim Principis aut Regis maieſtate

Ibid. n. 25.

Ezech. 16. 24.

Eccleſ. 9. 10.

ieſtate, vt fuit Salomon, commendabiles.

Turpitudinem incontinëtia parentum redundare in filios. vbi aliqua de nothis tanguntur.
Sap. 3. 15.

4 Cæterum antequam ab incómodis corporis transeamus ad vitia mentis, doceamus frequenter accidere vt parentũ incótinentia in filios redundet, quod non ſolum ab experientia dicere poſſumus, ſed etiam ex ſacris litteris, nam in Sapientiæ libro ita legimus. *Bonorũ laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ.* Quorum verborum ſenſum cum ſequentibus cohærentẽ ac commodum hunc eſſe poſſe puto. Filius eſt, quaſi fructus quidã, quem ex ſe parentes gignunt, & multis laboribus educant, qui ergo fuerit fertilis arbor & bona, fructus bonos faciens, cuiuſmodi illi ſunt, qui prolis tantum amore, non cupiditatis, ac libidinis impetu filiis procreandis dant operam, horum glorioſus erit fructus, & radix nouis pullulans filiorum bonorum germinibus non extinguetur, aut peribit quamuis vetula ſit, ſed exurgentibus propaginibus in illis viuet. *Filij autem adulterorum in inconſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur.* Græcè ſic habet prima pars, τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα, *Filij autem Mœchorum non perfecti:* nam propter frequentem coitum vis ſeminis hebetior, filios viribus infirmioribus procreat, ſi tamen procreat, quare dicitur, *& ab iniquo thoro ſemen exterminabitur,* id eſt, qui damnatũ concubitum, aut fornicationẽ frequentant, ij prolem non ſuſcipient, aut ita Domino in ſceleris vindictam ſtatuente, aut naturalibus cauſis id poſtulantibus: ſed quia Græca vox ἀτέλεστος ſacris non initiatum ſignificat, aliqui ſapientis dictum eò referunt, vt ſcilicet ſignificet nothos à ſacris arceri, quod notati ſint infamia, benéque cum ſequentibus ſenſus congruit: nam ſubditur: *Et ſi quidem*

Ibid. n. 16.

quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus eorum. Quaſi dicat. Sed fac ex damnato concubitu natum hominem bonis eſſe validíſque viribus, & longęuum, tamen tanquam viliſſimum caput ab omnibus contemnetur, & vt ad vltimam ſenectutem perueniat, tamen propter natalium vitium adeò non afficietur honoribus, vt etiam paſſim deſpiciatur. Quod ſi ἀτέλεςος ſacris non initiatum, aut ab illis prohibitum ſignificare dicamus, illud addere poſſumus probabile eſſe ſapientem ad Deuteronomij locum reſpexiſſe, in quo ſtatuitur, vt qui ſeorſum matrem habuiſſent, nec ipſi, nec ex ipſis progeniti, vſque ad decimam generationem Eccleſiam Domini poſſent introire, ſic enim habet lex. *Non ingredietur Mamzer, hoc eſt de ſcorto natus in Eccleſiam Domini, vſque ad decimam generationem.* retinuit interpres hebraicam vocem ממזר addita interpretatione Septuaginta virorum, qui verterunt ἐκ πόρνης, ex ſcorto. Quid autem ſit non ingredi Eccleſiam vſque ad decimam generationem, non eodem modo ab omnibus explicatur. Nam aliqui, Hebręi præſertim interpres, de connubiorum communicatione intelligunt, vt ſcilicet vetitum eſſet ſcortorum filiis vxores ducere ex Eccleſia Dei, hoc eſt ex filiabus Iſrael, ſed daretur vt ex proſelytis acciperent, qui cum non eſſent ex Hebræorum gente, ſe ſe tamen populo illi adiunxerãt, eorum ſuſceptis ſacris. Alij de loco ſancto intelligunt, quem ingredi poterant etiam ſacris non initiati, vt ſcilicet aliqui offerrent, comederéntque hoſtias pacificas, à quo tamen excluderentur Mamzeres, vt non minus immundi reputarentur, quàm tactu rei alicuius immundæ contaminati, leproſi,

Deut. 23. 2.

leproſi, vel gonorrhæam patientes, mulieréſque menſtruatæ, quæ eiuſdem loci ingreſſu prohibebantur. Tandem aliqui putant publicis tantum muneribus hac lege caruiſſe, nihilque aliud eſſe volunt non ingredi in Eccleſiam Domini, quàm à politicis reipub. dignitatibus arceri, quod minus vtiles ſint illis adminiſtrandis, vel quod parentum vitia imitentur, vel quod vitiorum, prauorúmque morum ſuſpicione, ab iis homines abhorreant, eóſque contemnant. Quęcumque ſit loci interpretatio, nobis ſatis eſt fuiſſe in ea repub. notatos infamia, parentúmque intemperantiam, quod dicebamus ſupra, filiis minimè nocentibus nocuiſſe, & parentibus voluptatem captantibus
Ierem. 31. in *vuis acerbis comedendis dentes filiorum obſtupeſcere*, quamuis filiorum culpa nonnunquam etiam intercedat, de quibus illud dici poteſt, quod de Ido-
4. Reg. 17. 41. lolatris quodam loco dicit ſcriptura. *Filij eorum, & nepotes, ſicut fecerunt Patres ſui, ita faciunt vſque in præſentem diem.*

De malis animi, quæ ex intēperātia proficiſcūtur.

5 Veniamus nunc ad damna, quæ animis hominum carnis infert intemperantia. In quibus non vltimo loco numerandum eſt, quod mentis lumen, quod in animis noſtris diuino beneficio ſignatum eſt, obſcuret, dum de limoſa carnis concupiſcentia, nebulæ teterrimæ exhalantur, quibus, quaſi velum obtenditur, quo impediente intemperantiæ fœditatem, pulchritudinémque virtutis ægrè admodum poſſint aſpicere, qui huiuſmodi voluptatibus implicantur. Nam vt eſt apud
Oſeę 4. 11. Oſeam, *Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor.* & cum illorum pectoribus ac mentibus ignis ille ſe ſe implicat, qui ad turpes voluptates inflammat, cœcitas conſequitur interiorum luminum, vt quę

meri

Digitized by Google

meridiana luce clariora ſunt, videre non poſſint. *Supercecidit ignis*, inquit Dauid, *& non viderunt ſolem.* Pſal. 57.9. Hoc igne cum prius correpti fuiſſent Sodomitæ, cæcitate corporum percuſſi ſunt diuinitus, *à minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire* Geneſ. 19. *non poſſent*, & non multo poſt igne & ſulphure de 11. cælo delapſo funditus deleti. Nec aliunde profecta Sampſonis cæcitas, quàm ex cœco Dalilæ amore quo eò redactus eſt, vt in iumenti morem ad verſandam in piſtrino molam concluderetur. Ea verò cæcitas maximè deploranda eſt, Iud. 15.21. quod ſua mala non ſentiunt, adeoque turpibus hiſce voluptatibus teneri, turpe aut noxium eſſe non putant, vt arbitrentur nihil libidinibus iſtis in quibus volutantur honeſtius eſſe, aut magis appetendum. De adoleſcentulo illo, quem meretrix *irretiuit multis ſermonibus, & blanditijs labiorum* Prouer. 7. *protraxit*, dixit Sapiens: *Statim eam ſequitur, quaſi bos* 21. *ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans, quod ad vincula ſtultus trahitur, donec transfigat ſagitta iecur eius, veluti ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ eius agitur.* itaque ſana conſilia ſuggerens *à via inferi* eum reuocare conatur, Ibid.n.27. ne ſi pergat eam, quam inſtituit viam inſiſtere, barathro aliquo exceptus deuoluatur in præceps, nam *via peccantium complanata lapidibus, & in* Eccleſ. 21. *fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.* Milites legimus 11. viſa Iudith dixiſſe, *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his me-* Iudith 10. *rito pugnare cõtra eos debeamus?* inſignis planè cæci- 18. tas, tanquam præcipuum populi alicuius decus prædicare pulchritudinem, itaque illa capi, vt pro turpi voluptate, militię labores, ac pericula meritò ſuſcipi potuiſſe conſtituant. Denique eo deue-

nit

Digitized by Google

nit libidinis impotentia & cæcitas, vt nec homines timeat, nec Deum reuereatur, ſed quò rapit impetus, reuulſis diuinarum humanarúmque legum repagulis, irrumpere non reformidet. Quid filiis magis reuerendum eſt, cubili paterno, eáque quam ſibi parens iure matrimonij adiunxit vxorem? de qua dicitur in Leuitico, *Turpitudinem vxoris patris tui non diſcooperies, turpitudo enim patris tui eſt.* Quaſi dicat, cum coniuges duo ſint in carne vna, parentis tui reuerentia ductus, in cuius dedecus tam coniunctæ perſonæ violati pudoris redundat iniuria, nouercam tuam caue ne contingas. Quamquam vt nulla à Domino vnquam lata lex eſſet, non ſunt hominum corda adeo hebetia (niſi libidinis cæcitas obſtaret) quin intelligāt huiuſmodi flagitium quale ſit. Sunt tamen interdum, qui tantum nefas admittere non vereantur, vt Ruben, *qui dormiuit cum Bala concubina patris ſui.* nec cum audis concubinam, inde fortaſſe culpam minui putes, quod vxor legitimo thori iure copulata Iacobo non eſſet, nam in ſcripturis frequenter concubinæ vocantur ſecundariæ vxores, quæ ſine cæremoniis ritibúſque ſolemnibus nupſerunt, ſeruilis vel libertinæ conditionis. Hinc iuſta parentis in filium indignatio, & paulo ante obitum maledictio. *Effuſus,* inquit, *es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* In huiuſmodi autem nefarij ſtupri auctorem S. Paulus Eccleſiaſtica expediuit arma, diróque anathemate, qui ſe tam immani facinore implicauerat, ſeuerè animaduertit, ne fortè aliquis eſſet Corinthi vbi hoc acciderat, aut aliquādo alibi in orbe Chriſtiano, qui flagitij illius cum primis deteſtandam, auerſandámque turpitudinem,

Leu. 18.8. Geneſ. 35. 2. Gen. 49.4.

nem,non intelligeret. *Omnino*, inquit D.Paulus, *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes,ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat, & vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu, tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quaſi dicat D.Paulus, Itane verò Corinthij adeo apud vos naturalis legis, diuinique numinis reuerentia exoleuit, vt ſit apud vos,qui infando nouercæ amore, & congreſſu,parentis thorum violare non dubitauerit? Tam fœdo autem facinore, cum deberetis zelo proculcatæ in parentem pietatis, & iuſtitiæ exardeſcere, ſegnes deſideris,nec ea vos cura ſollicitat,vt tanti criminis reus meritis pœnis coërceatur,ſed inflati eſtis,vobíſque placetis,nec quam fœda labes veſtræ adhæſerit Eccleſiæ ſatis intelligitis.Quare ego,qui non vago rumore,ſed certa fama comperi, ſcelus hoc apud vos admiſſum eſſe, quamuis præſens adeſſe non poſſim,tamen re,ac ſi præſens eſſem, probè cognita,conſtitui diuinitus accepta à Chriſto Domino poteſtate qua fungor,vobis in vnum collectis, ſpiritúque meo, qui animo,affectu,auctoritatéque præſens ſum,ſceleſtum inceſti hominis caput anathematis ferire gladio; ita vt extra Eccleſiam eiectus tradatur Satanæ corpore etiam cruciandus, vt corpore ſæui hoſpitis vexatione macerato,ſapere condiſcat, & corporis vigore exhauſto, ſalus paretur animæ, cæteríque omnes intelligant,quàm turpe ſit & noxium tam fœdis 1.Cor.5.1

Digitized by Google

fœdis libidinibus implicari. Vltimus tandem cæcitatis huius gradus eſt, cum ita periit pudor, vt non clanculum & remotis arbitris peccata perpetrentur, ſed palam exuto penitus pudore. Ita Sodomitæ illi peſſimi, qui publicè Lothi hoſpites
Gen. 19.5. poſtulabant vt eis abuterentur. *Vbi ſunt*, dicebant, *viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoſcamus eos.* Quibus ſimilem dicit Iſaias fuiſſe ci-
Iſa. 3.9. uium ſuorum impudentiam, cum ait. *Agnitio vultus eorum reſpondit eis, & peccatum ſuum, quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Væ animæ eorum, quia reddita ſunt eis mala.* Fererius vertit. *Apertio vultus eorum reſpondit contra eos, & peccatum ſuum ſicut Sodoma annuntiauerunt, non abſconderunt. Væ animæ ipſorum, quia retribuerũt ſibi malum.* Et ſenſus eſſe videtur, adeo perfricta ſunt fronte, vt cum peccant, aut poſteaquam peccauerunt, illos minimè pudeat, ſed hilaritatem, & ſecuritatem quamdam vultu præ ſe ferunt, ſimiles Sodomitis, quos ita depuduerat, vt fœdam illam libidinem cuius ardore æſtuabant, palam retegere non dubitauerint.

Vitio intẽperãtia homines belluis ſimiles euadere.

6 Porrò huic cœcitati proximum malum eſt, humanis moribus exutis, belluinos induere: cum enim per cœcitatem mentis, rationis acies, qua diſtamus à belluis, retuſa eſt, iam externa dumtaxat hominis ſpecies reſtat, qua beſtia quæpiam, & quidem teterrima, humana ſpecie contegitur, ita vt quod Nabuchodonoſori accidiſſe memorat ſcriptura, vt ſcilicet mutaretur in belluam, ita illis eueniat, qui intemperanter turpibus indulgent amoribus. Nam fortaſſis non incommodè
2. Petr. 2. 22. eos *canes* eſſe dicemus *ad vomitum* ſuum reuerſos, & ſues lotas in volutabro luti, vt eſt apud S. Petrum.

trum. Itaque D. Gregorius onocentauros illos, 7. Moral.
quorum mentio eſt apud Iſaiam luxurioſos eſſe cap. 15.
non dubitat, addens non tantum lubricos, vt ipſe
loquitur, ſed etiam elatos ſignificare, quod etiam
ad rem noſtram facit, cum Principes facilius hoc
ſuperbiæ malum propter ſtatus excellentiam cor-
ripere poſſint. Quid verò, *inquit Gregorius*, onocen- ,,
taurorum nomine, niſi lubrici figurantur & elati? ,,
Græco quippe eloquio ὄνος, aſinus dicitur, & ap- ,,
pellatione aſini luxuria deſignatur, Propheta atte- Ezech. 23.
ſtante, qui ait, *vt carnes aſinorum, carnes eorum.* Tauri 20.
autẽ vocabulo ceruix ſuperbiæ demõſtratur, ſicut ,,
voce Dominica de Iudæis ſuperbiẽtibus per Pſal- ,,
miſtam dicitur, *Tauri pingues obſederũt me.* Onocen- Pſalm. 21.
tauri ergo sũt, qui ſubiecti luxuriæ vitiis inde cer- 13.
uicẽ erigunt vnde humiliari debuerant, qui carnis ,,
ſuæ voluptatibus ſeruientes expulſa longè vere- ,,
cundia non ſolùm ſe amittere verecundiam non ,,
dolent, ſed adhuc etiã de opere cõfuſionis gaudẽt.
Hæc D. Gregor. & alia quædam huc ſpectantia di-
gna, quæ legantur. Quod ſi cui minus probabile
videtur blandum hoc amoris malum, quo homi-
num molliri pectora ac miteſcere videntur, eoſ-
dem efferare, & ſanguini minimè parcẽtes effi-
cere, meminerit Dauidem Vriam de medio ſuſtu-
liſſe, & Herodem caput Ioannis amputaſſe; hunc
vt fidem ſuam, quam ſaltatriculæ temerè obſtrin-
xerat liberaret; illum vt Bethſabeæ, quam
vitiauerat famæ conſuleret, & fortè vt à
periculo legis, quæ adulteras lapidari
præcipiebat, criminis conſor-
tem, quam malè dilexe-
rat, liberaret.

***

De malis, quæ Principes aut Reſpubl. libidinis alicuius occaſione paſſæ ſunt.

CAPVT XXVII.

Primum exemplum Pharaonis, & Abimelech, qui Saram ab Abrahamo abſtraxerant.

1 PLurima rebus publicis, & viris Principibus mala ex intemperantiæ vitio extitiſſe, facilè probari poteſt ex ſcriptura, in qua huius rei exempla ſanè inſignia reperiuntur. Ac primo loco Saræ Abrahami vxoris in Pharaonis domum abductæ recenſeamus hiſtoriam: magnum enim præbet hic locus teſtimonium, documentúmque caſtitatis, vt nemo alienum affectet thorum, aut alienam inceſtet vxorem. ita ergo legimus in Geneſi. *Cumq́ propè eſſet vt ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai vxori ſuæ: noui quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij dicturi ſunt. Vxor ipſius eſt, & interficient me, & te reſeruabunt. Dic ergo obſecro te, quod ſoror mea ſis, vt bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. Cum itaque ingreſſus eſſet Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quod eſſet pulchra nimis, & nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis. Abram autem bene vſi ſunt propter illam, fueruntq́ ei oues, & boues, & aſini, & ſerui, & famulæ, & aſinæ, & cameli. Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram.* Ad viuum planè hac exprimitur hiſtoria, quid in aulis Principum vſu venire conſueuerit, in quibus cum paraſitis

Geneſ. 12. 11.

Digitized by Google

raſtris interdum, lenonibúſque ſecus quàm merentur honeſtus locus ſit, ipſi luxuriæ materiam Principibus quærunt, ipſi libidines torpentes incitant, ipſi culpæ, aut pœnarum metum minuunt, aut etiam adimunt: quod ſi coniugatæ ſint, aut alios propinquos habeant, quos earum pudicitiæ vindices timeant, iis pecunias offerunt, & magiſtratus, titulis honeſtioribus decorant, quo dedecus quod illis ſcelere impingunt, aliquo modo tegant, iuſtum dolorem temperent, & eas, quas accipiunt iniurias ſilentio tranſmittere, quodammodo cogant. Id ſatis indicat ſcriptura, cum ait, *Abram bene vſi ſunt propter illam.* Quamuis enim Abram priuatus & peregrinus inuitus iſta pateretur, cum tamen Pharaonis adminiſtri huiuſmodi blanditiis quantum poterant, ſi fortè rem ægrè ferret, mitigare ſatagebant. Sed maritalis pudicitiæ potentiſſimus vindex Deus *Flagellauit Pharaonem plagis maximis*, peſtilentiam & tumultus, ſeditionéſque populares immittens, vt aliquibus placet, vel, vt ſcribunt alij, multiplicibus morbis, grauíque animi & corporis cruciatu vſque adeo Pharaonem torquens, vt ne puncto quidem temporis poſſet acquieſcere, quæ mala cum diuinitus intellexiſſet immitti, Saram reddidit, & Abram honorificè deductum abire permiſit. Nec diſſimile factum Abimelech Regis Geraræ, qui cum Saram tuliſſet, proximè abfuit à mortis periculo, nam *venit Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum. Abimelech autem non tetigerat eam*, qua mortis denunciatione territus Rex, mortem, ſe apud Deum purgando deprecatur, ait enim: *Domine num gentem ignorantem, & iuſtam interficies?*

Ioſeph. lib. 1. ant.

Philo in libr de Abraham.

Gen. 20. 2.

Ibid.nu.4. *Nonne ipſe dixit mihi, Soror mea eſt, & ipſa ait, Frater meus eſt? in ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. Dixitq́ ad eum Deus. Et ego ſcio, quod ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te, ne peccares in me, & non dimiſi vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro ſuo vxorem, quia propheta eſt, & orabit pro te & viues: ſi autem nolueris reddere, ſcito quod morte morieris tu, & omnia, quæ tua ſunt. Statimq́ de nocte conſurgens Abimelech vocauit omnes ſeruos ſuos, & locutus eſt vniuerſa verba hæc in auribus eorum, timueruntq́ omnes viri valde.* Aduocato igitur Abrahamo, causáque cognita, cur Saram ſororem potiùs, quàm vxorem eſſe dixiſſet, donis oneratos dimiſit, facta illis poteſtate vt vbicumque libuiſſet habitarent, dixit enim: *Terra coram vobis eſt,* Ibid.n.15.
Ibid.n.17. *vbicumque tibi placuerit habita. Orante autem Abraham ſanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillaśq́ eius, & pepererunt, concluſerat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.* Quo morbo laborauerit Abimelech, ſcriptura non expreſſit. Aliqui tradunt graui admodum morbo correptum fuiſſe, vt de illius ſalute Medici deſperarent. Alij volunt eum in veretro ita eſſe diuinitus percuſſum, vt nec coire cum muliere poſſet, & magnis in ea parte cruciatibus afflictaretur: quod autem ad vxorem, & ancillas ſpectat, ſcriptura docet earum vteros fuiſſe à Domino clauſos, vt parere non poſſent, ex quo efficitur maximos, acerbiſſimóſque eas cruciatus fuiſſe perpeſſas, cum fœtum iam maturum eniti non poſſent. Ex duabus autem hiſce hiſtoriis ſic ratiocinari licet: ſi Dominus duos iſtos Reges nullo iure vetitum coniugium Saræ exiſtimantes, ſeditionibus & turbis, morbis etiam grauiſſimis

Ioſeph. lib.1.ant.

mis exercuit, & in propinquas etiam perſonas, cuiuſmodi erant vxores, licet noxæ nullius participes, morbos graues, diróſque cruciatus immiſit, quid mirum ſi plura, grauiora, & ad plures pertinentia mala, aliorum vindicaturus intemperantiam, graſſari permiſit, quibus magna in reſpubl. damna illata ſunt? vt ex iis exemplis, quæ ſubiiciemus, apparebit.

2 Infœliciorem exitum habuit Sichem Heuæi amor, qui indignum facinus, quod Dinam Iacobi filiam conſtuprando adminiſtrauit, capite ſuo, ſuorúmque luit. Hiſtoriæ ſumma hæc eſt. Egreſſa Dina è parentis tabernaculis, quæ, reuerſus è Meſopotamia fixerat in terra Chanaan, vt videret illius regionis virgines æquales ſuas, eam conſpicatus Sichem illiúſque captus pulchritudine rapuit, eámque inuitam compreſſit, compreſſámque blanditiis à triſtitia reuocare conatus eſt. Re cognita, fratres Dinæ cum iracundia exarſiſſent, vindictæ talem occaſionem nacti ſunt. Sichem cum impotenti adoleſcentulæ amore flagraret, eam ſibi à fratribus in vxorem dari poſtulauit, nec abnuerunt illi, modò Hebræorum ſacra, & circumciſionem in primis ſuſcipere vellet, qua qui inſigniti non eſſent, connubia cum Hebræis contrahere nullo modo poſſent. Accipit Hemor conditionem ſtudio gratificandi Sichemo cariſſimo filio, cúmque vniuerſo ciuitatis populo cui Princeps Hemor præerat, rem propoſuiſſent, facile ſuaſerunt, vt & ipſi circumciderentur, & fœdus cum filiis Iſrael pangerent. Maribus ergo cunctis circumciſis. *Ecce*, inquit ſcriptura, *die tertio quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, arreptis duo filij Iacob, Simeon, & Leui fratres Dinæ gladijs,* ingreſſi

Secundum exemplum ex hiſtoria Dinæ quæ à Sichem violata eſt.

Geneſ. 34. 25.

ingreſſi ſunt vrbem confidenter, interfectisq; omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam, quibus egreſſis irruerunt ſuper occiſos cæteri filij Iacob, & depopulati ſunt vrbem in vltionem ſtupri. Oues eorum & armenta, & aſinos, cunctaq; vaſtantes, quæ in domibus & in agris erant, paruulos quoque eorum & vxores duxerunt captiuas. Et quidem meritò Iacobo tanta Sichimitarum ſtrages probata non eſt, qui calentes adhuc cæde, & ſanguine, filios caſtigauit, ait enim
Geneſ. 34. 30. ad Simeon & Leui. *Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci ſumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Hæc Iacob, eas potiſſimùm cur filiorum facinus damnaret, cauſas afferens, quas ad ferocia iuuenum pectora in officio in poſterum continenda idoneas eſſe poſſe exiſtimabat. Iam verò morti proximus cum tam atrocis
Gen. 49. 5. facinoris memoriæ hæreret recordatio, ita Simeonem & Leui illius auctores allocutus eſt. *Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura; diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.* Quorum verborum hæc eſt ſententia. Simeon & Leui fratres, non tantum natura, ſed etiam dolo, furore, crudelitatéque germani, qui conceptam mente iniquitatem in flagitium ſtrenui, tunc exprompſiſtis cum Sichimitas propter ſororis dedecus obtruncaſtis, abſit vt veſtrum conſilium, aut facinus approbem, aut de vindicta, quam de Sichimitis expetiuiſtis, glorier. Nam etiam nunc deteſtor

Digitized by Google

deteſtor facinus quod patraſtis, cum Hemor ciuitatis Principem, eiúſque filium, populum vniuerſum hoſtilibus interceptum manibus, interemiſtis, & muros ſubruiſtis, & deieciſtis. Maledictus furor veſter, quia pertinax & flecti neſcius, & ſæua indignatio. Diuidam vos qui ad prauum ineundum conſilium capita contuliſtis, vt inuicem ſeparati aliis in poſterum veſtro iſthoc agendi modo fraudi, ac damno eſſe non poſſitis. Quamuis autem in vindicta ſumenda Simeon & Leui, eorúmque adiutores & adminiſtri peccauerint in vindictá modum non ſeruantes, eóque non iuſtitiæ zelo, ſed furore quodam & impetu prouecti, præſertim contra fidem in fœdere datam, Deus tamen in libidinis vindictam non ſolum Sichem, qui virginem violauerat, ſed eius etiam parentem, ac ſubditos, qui factum probauerant deleri permiſit, vt omnibus extaret documentũ, eorum malorum quæ ſua ſibi libidine, imo etiam aliis Principes interdum accerſunt. Quare Iudith pœnam Sichimitarum, vt à Deo in ſcelerum eorum vindictam, profecta eſt, ita extollit & prædicat. *Domine Deus Patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua & denudauerunt femur virginis in confuſionem, & dediſti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem, & omnem prædam in dimiſſionem ſeruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum, ſubueni quæſo te Domine Deus meus mihi viduæ,* &c. Quibus in verbis obiter notandum eſt, licet à Iudith Simeonis & Leui zelus laudetur, quo excitati Hemor Principem, eiúſque filium Sichem, cum alia ratione ius ſuum proſequi non poſſent, armata manu aggreſſi ſunt, non tamen id laudare, Iudith 9. 2.

quod damnatum eſt à Iacob, & honeſto zeli obtentu velari non poteſt, exceſſum nimirum in ſumenda vindicta à Sichimitis fraude deceptis.

Tertium exemplum ex clade Beniamitarũ cũ reliquo Iſraele pugnantium. Iudith 19. 1:& ſeq.

3 Sed atrocius aliud infœlicis intemperantiæ exemplum legimus in hiſtoria Iudicum, quo vniuerſa Iſraelitarum reſpub. turbata eſt, & concuſſa, & vna ex duodecim tribubus fermè deleta, nonnullis hominum myriadibus bello ciuili extinctis. Hiſtoriæ ſumma hæc eſt. Leuites quidam montem Ephraim incolebat, ſed occaſione vxoris ſuæ Bethlemitis, cum à ſocero qui habitabat in Bethlem veniſſet in Gabaa, ſe iam tenebris intendentibus, vxore, pueróque vno comitatus, ab omnibúſque excluſus ſedebat in platea, donec ſenex quidam à ruſtico reuerſus opere, domi ſuæ illos recepit, à quo etiam perhumaniter habiti ſunt. Illis ergo neceſſario cibo corpora labore feſſa reficientibus, oppidi illius ciues, domum ſenis illius, qui peregrinos hoſpitio exceperat circumdantes, educi poſtulabant Leuiten, vt eo præpoſtera libidine abuterentur. Rem ſenex indigniſſimè tulit, ſed cum tam multis ſolus, nullo tanti ſceleris vindice opem ferente, reſiſtere non poſſet, à grauiori crimine abducere ſtuduit, & dũmodo parceretur hoſpitibus, & ipſi à turpi illo concubitu abſtinerent, concubinam hoſpitis ſui conceſſit, quam cum multi ea nocte cognouiſſent, eam albente iam cælo reliquerunt, quæ cum ad hoſpitis ſui domicilium reuerſa eſſet in ipſo ædium limine extincta procubuit. Eam vir in aſinam ſuſtulit, domúmque ſuam reuerſus, cadauer illius in duodecim fruſta concidit, vnicuique tribui partem vnam mittens: quod cum vidiſſent ſinguli, rei indignitate commoti, capitum Iſraelis

conci

Digitized by Google

concilium cogunt, in eóque ſtatuunt, vt ſi tribus Benjamin Gabaæ ciues, qui ſe tam fœdo crimine maculauerant, tradere ad ſupplicium detrectet, exercitus vrbi admoueatur, vt patrati flagitij meritas luat pœnas. Imperio Iſraëlis vniuerſi obtemperare recuſant filij Benjamin, & ſe ad bellum collecto exercitu & expeditis armis comparant. Quid plura? deſcenditur in aciem, phalanges concurrunt, primoque commiſſo prælio Benjamitæ victores viginti duo hominum millia Iſraëlitarum ceciderunt, rurſuſque alio die inſtaurata pugna, ſecundam Benjamitę reportant victoriam, decem & octo millibus hoſtium obtruncatis: ſed tertio tandem certamine ſorte commutata, qui vicerant, inſidiis intercepti ſunt ab Iſraëlitis, cæſaque amplius viginti quinque hominum millia, vt Benjamitarum tribus prope abeſſet ab interitu. Benjamitarum quoque ciuitati ſubiectæ faces, quas qui euadere potuerunt, in ſolitudinibus palantes periculum declinabant. Fuerunt hi ſexcenti dumtaxat, qui cum munitum natura locum occupaſſent, quatuor menſes obſidionem tolerarunt, cum interim Iſraëlitæ omnes reliquias oppidi illius euertiſſent, imo cunctas vrbes & viculos Benjamin voracibus flammis populati eſſent. Hæc ſummatim, quæ fuſiùs hiſtoria Iudicum perſequitur, memorandum planè omnibus ſæculis exemplum relinquens, quàm diras clades, paucorum intemperantia in Rempubl. vniuerſam importare poſſit.

Quartum exemplum ex iis, quæ Dauid eiuſque poſteri propter parētis luxuriā paſſi ſunt.

4 His ſubnecti poſſunt Dauidis & Salomonis filij eius exempla. Dauidi enim propter adulterium cum Bethſabee, ita iubente Domino, & verba in ore eius ponente, locutus eſt Nathan,

Digitized by Google

2.Reg.12. 10. *Quamobrem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum, eo quod deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethei, vt eſſet vxor tua. Itaque hæc dicit Dominus. Ecce ergo ſuſcitabo ſuper te malũ de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo & dormiet cum vxoribus tuis in oculis ſolis huius. Tu enim feciſti abſconditè, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis.* Nec ſecus accidit, atque à Propheta dictum eſt,

2.Reg.12. 18. nam verè gladius de domo eius non receſſit. Filius enim, quem ex Bethſabee ſuſceperat, diuinæ vltionis gladio percuſſus eſt, violento morbo extinctus die ſeptimo, nec quantumuis ieiunio, & humi cubatione ab infantulo cladẽ Dauid auertere conatus eſſet, quidquam profecit, nec multo poſt, ſuperſtite adhuc Dauide, Amnon eius primogenitus ab Abſalone propter violatam Tha-

2.Reg.13. 2 mar interemptus eſt. Poſt hunc Abſalon ipſe cædis Amnoni auctor, cum aduerſus Patrẽ regnum occupaturus arma mouiſſet, tribus à Ioabo con-

2.Reg.18. 14. ſobrino ſuo lanceis confixus eſt. Poſtea verò quam Salomon Rex declaratus eſt, regnique adiit poſſeſſionem, extincto iam Dauide, eiuſdem filius Adonias propter affectatum regnum iuſſu

3.Reg.2. 34. Salomonis à Banaia eſt interfectus. Hactenus numerati Dauidis nati fuerunt. De domo verò Dauid ex eius poſteris multi gladio periiſſe comperiuntur in Regum hiſtoria. Nam Ioſaphat Rex, cum ſex liberos ſuſcepiſſet, ex iis quinque ab eorum fratre Ioram ſublati ſunt, ſed Domino eius crudelitati vicem rependente, omnes eius filij à latronibus occiſi ſunt, vno tantum paruulo regiæ domus ſtirpe ſuperſtite Ioacham, qui cum veniſſet ad regnum, longa conſumptus tabe extinctus eſt.

eſt. Huic ſucceſſit filius Ochozias, qui à Rege 2. Paralip.
Iſraëlis eſt interemptus. Ochoſiæ autem filius 21. 17.
Ioas peruenit quidem ad regnum, omnes tamen Ibid. num.
fratres ab Athalia necatos amiſit. Rurſus ipſe eod.
Ioas cum quadraginta annos regnum tenuiſſet, à 2. Paralip.
ſeruis ſuis obtruncatus eſt, cuius filius Amaſias 22. 9.
eodem lethi genere, à ſeruis ſuis occiſus, mortuus Ibid n. 10.
eſt. Imo regum optimus Ioſias in bello cecidit, 2. Paralip. 24. 25.
cuius mortem vniuerſus Iſraël, ſed in primis Iere- 2. Paralip. 25. 27.
mias propheta lacrymis plurimis proſequutus eſt.
Rurſus Sedechiæ filij à Nabuchodonoſor occiſi 2. Paralip.
ſunt, & Sedechias oculis orbatus eſt. Ex quibus 35. 20.
apparet, quàm verè à Nathan dictum fuerit. *Non* 4. Reg. 25.
recedet gladius de domo tua. Et hæc quidem in necis 7.
Vriæ vltionem cui adulterium occaſionem præbuerat, domus Dauid paſſa eſt. Quod verò ad adulterium attinet, peculiari etiam pœna & quidem graui vindicatum eſt. *Ecce*, inquit, *ego ſuſci-* 2. Reg. 12.
tabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas, 11.
in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis ſolis huius, &c. Quod ad vnguem impletum eſt. Abſolone enim regnum affectante bellum exarſit, Rexque Dauid domeſtico malo propemodum extinctus eſt. Cumque Dauid pugnando ſe Abſaloni parem eſſe poſſe diffideret, quem fama vulgauerat vniuerſi Iſraëlis conſenſu ad regnum admoueri, relictiſque decem concubinis è ciuitate egreſſus eſſet; ecce tibi Achitophelis conſilio ingreſſus eſt Abſalon ad
concubinas parentis ſui. *Tetenderunt ergo*, inquit 2. Reg. 16.
ſcriptura, *Abſalon tabernaculum in Solario, ingreſſuſ-* 21.
que eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſraël. Cumque Dauid vxorem Vriæ vnam dumtaxat extraneam, & in occulto cognouiſſet, decem

ipſius

ipſius à filio palam vitiatæ ſunt. Ex quibus om-
Sap.11.17. nibus apparet, *per quæ quis peccauerit, per ea etiam torqueri*, peccatorúmque fructus admodum acerbos eſſe, ita vt cum parentes vuas comederint, multo poſt tempore natorum dentes obſtupeſcant.

5 Sed veniamus ad Salomonem, de cuius intemperantia ſupra diximus, quantas bone Deus calamitates accerſiuit ſibi? *Iratus eſt Dominus Salomoni* (propter immoderatam libidinem, alienigenarum coniugia, & eam, quæ ſecuta eſt idololatriam) inquit ſcriptura. *Et dixit Dominus, quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid ſeruum meum & Ieruſalem quam elegi.* Hæc ſcriptura quæ priuſquam ſciſſi regni commemoret hiſtoriam, tres adhuc ſuperſtiti Salomoni aduerſarios ſuſcitatos narrat, quorum primus Adad Idumæus fuit, qui diu apud Pharaonem commoratus illique propinquitate coniunctus, ducta Taphnes, Reginæ ſorore germana. Alter fuit Razon filius Eliada, qui latronum manu, quorum Princeps erat, opitulante, regnum Damaſci adeptus eſt, Salomonemque quantum poterat oppugnauit. Tertius fuit Ieroboam filius Nabath Ephrathæus ſeruus Salomonis, qui & ipſe leuauit manum contra Regem. Cum autem Salomon Ieroboamum ad necem quæreret, ipſe ſe periculo ſubduxit, & ad Seſac Ægypti regem confugit, apud quem fuit vſque ad mortem Salomonis, quo tandem

Quintum exemplum ex damnis quæ Iſraeli Salomonis luxuria intulit.

2.Reg. 11. 9.11.

Ibid.n.14. 19.

Ibid.n.23.

Ibid.n.26. & 40.

dem è viuis erepto in patriam reuerſus occaſione ſeditionis quæ ſuſcitata eſt contra Roboam, qui Iſraëlitarum poſtulatis, tributorum remiſſionem aliquam poſtulantibus, acquieſcere recuſauit, ad regnum Iſraëlis peruenit, iuxta Ahiæ Silonitæ prædictionem, qui pallio ſuo nouo, quo erat amictus in duodecim partes dilacerato Ieroboam, quem obuium habuerat, decem ſciſſuras iuſſit accipere, clariuſque euoluens facti huius myſterium ait, *Tolle tibi decem ſciſſuras. Hæc enim dicit* 3.Reg.11.
Dominus Deus Iſraël. Ecce ego ſcindam regnum de 31.
manu Salamonis, & dabo tibi decem tribus. Hoc autem Rege Iſraëlis creato, quanta mala occupauerint Hebræorum Rempubl. non eſt dictu facile. Nam nouarum ſuperſtitionum architectus Ieroboam, vitulos aureos adorandos propoſuit, & à veri numinis cultu fidelem populum ad impietatem idolorum traduxit. Hinc multa à Domino immiſſa mala in gentem illam, hinc captiuitates, ſeditiones, bella cum Regibus Iuda, cumque aliis circumiectis Principibus, quæ ſi recenſere velimus, infiniti ſimus. Hæc autem mala Salomoni accepta referenda ſunt iuxta illud Eccleſiaſtici de eadem. *Dediſti maculam in gloria tua & profana-* Eccleſ.47.
ſti ſemen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & 22.
incitari ſtultitiam tuam, vt faceret Imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum. Tò, *& incitari ſtultitiam tuam,* in Græco eſt, *κὴ κατανυγῆναι ἐπὶ τῇ ἀφροσύνῃ σου*, hoc eſt, *& compungi vel vt compungereris in ſtultitia tua.* Quod forte ſignificauit idem Salomon cum ait, *Tæduit me vitæ meæ, vi-* Eccleſ.2.
dentem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem 17.
& afflictionem ſpiritus. Septuaginta verterunt *Malum ſuper me, opus quod factum eſt ſub ſole;* vt ſcilicet indi

Digitized by Google

De caſtitate coniugali, & quædam alia præcepta, ad Principum matrimonia ſpectantia.

CAPVT XXVIII.

1 EGregiè Salomon in Prouerbiis ad coniugalem caſtitatem hortatur, cum ait. *Bibe aquam de ciſterna tua & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide, habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ. Ceruа chariſſima, & gratiſſimus hinnulus vbera eius, inebrient te omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Sunt autem hæ, quibus vtitur Sapiens, euoluendæ metaphoræ, vt plenius Salomonis ſententiam aſſequamur. *Bibe,* inquit, *aquam de ciſterna tua*, ita etiam Aquila, Symmachus, & Theodotio, qui verterunt ἐκ λάκκου σου, paulo aliter Septuaginta qui habent, ἀπὸ σῶν ἀγγείων, *è vaſis tuis.* Sed metaphoræ iſtæ parum inter ſe diſtant, & eundem ſenſum repræſentant. Suadetur enim vt libidinis ſitis, propriæ coniugis vſu reſtinguatur, non abuſu alienæ. Sequitur alia metaphora. *Deriuentur fontes tui foras.* In aliquibus codicibus Græcis particula negatiua apponitur, & conſenſit Aquilæ interpretatio, qui vertit, μὴ διασκορπιζέσθωσαν αἱ πηγαί σου ἔξω, *Ne diſpergantur fontes tui foras.* Et ſenſus clarus eſt, ſuadet enim ne ſcortorum conſuetudine vtatur, in eas pecunias effundendo, & per concubitum vires exhauriendo, iuxta ea, quæ paulò

Amor vnius coniugis ſuadetur.
Prou. 5. 15.

Digitized by Google

paulò ante dixerat. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena.* Sed vulgatæ editionis lectione retenta, quæ cum Hebræo contextu conſpirat, in quo non eſt negatio, hac ſignificatur metaphora, quis finis, & fructus coniugiorum eſſe debeat, proles nimirum, quem finem voluptarij homines nec expetunt, nec, vt eſt infœcunda libido, conſequuntur. Quoniam autem non nobis tantum viuere debemus, ſed Reipubl. etiam ſeruire, propterea in plateas corriuandas aquas docet, vt ſcilicet priuati ſuſcipiant liberos ex legitimo coniugio, eoſque vt bonos decet ciues in foro, & curia, in publicis adminiſtrandis muneribus, operam ſuam Reipubl. impendere doceant. Pergit Salomon. *Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui,* ne ſcilicet prolem ſpuriam ſuſcipias, qualis ex vago concubitu naſci ſolet, quod ſanè magnum malum eſt, & ab Iſaia
Iſai.2.6. reprehenſum cum ait. *Proiecisti enim populum tuum, domum Iacob, quia repleti ſunt, vt olim, & augures habuerunt, vt Phylistiim, & pueris alienis adhæſerunt.* Forer. vertit ex Hebræo. *In natis alienis ſibi ſatiſfaciunt,* id eſt, ſatis multos nothos gignunt, quippe qui frequenter adulterantur. vel etiam ſenſus eſſe poteſt, in nothis, & ſpuriis ſibi placent, nec legitimam, vt deberent, prolem quærunt. Hæc autem peruerſitas cum aliis Iſraëlis iniquitatibus recenſetur, quibus irritatus Dominus domum Iacob proieciſſe dicitur. Pergit. *Sit vena tua benedicta.* continuatio eſt eiuſdem allegoriæ, loquitur enim de aquarum vena, quæ fons eſt, vt patet ex Hebræa voce מְקוֹר quæ fontem, aut aquarum ſcaturiginem ſignificat, vt cum dicitur apud Iere-

miam: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* vbi eadem vox eſt. Huius autem venæ benedictio in eo potiſſimùm conſiſtit, vt fœcunda ſit, vt ſcilicet in eam conueniat, quod alia vſus metaphora eleganter explicauit Sanctus Dauid. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ, ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Addit Salomon. *Et lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ*, cum ea ſcilicet quam adoleſcẽs adoleſcentem duxiſti. Septuaginta, μετὰ γυναικὸς τῆς ἐκ νεότητός σου, id eſt, *cum vxore, quæ à iuuentute tua. Cerua chariſſima, &c.* In canticis etiam ab eodem Salomone vſurpata metaphora, cum ſponſam ita facit loquentem. *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Significat ergo vxorem amandam, & in deliciis habendam, quemadmodum à nobilibus viris cicuratæ ceruæ habentur, quæ ad delectationem honeſtam aluntur in paradiſis. Niſi forte etiam ad proprias quaſdam ceruæ dotes, ſibi benè notas reſpexit Sapiens, qualis illa quod ſerpentes fuget, vt etiã vxor ſcorta, quæ ſerpentium inſtar habent, qualis etiam ea, cuius Phyſiologi meminerunt, quod ſcilicet maria tranant gregatim nantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibuſque ad terga redeuntes. Hoc autem ſenſit D. Auguſtinus, qui quodam loco ita ſcriptum reliquit: Sicut, inquit, de ceruis nonnulli talium cognitionum ſtudioſi ſcripſerunt, cum fretum ad inſulam tranſeunt, paſcuorum gratia, ſic ſe ordinant, vt onera capitum ſuorum, quæ geſtant in cornibus, ſuper inuicem portent, ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruice proiecta, caput collocet, & quia neceſſe eſt vnum eſſe,

Ierem. 2. 13.
Pſal. 127. 3.
Cantic. 2. 9.
Plin. l. 8. c. 32.
Lib. 83. 99. 9. 17.

,, qui cæteros præcedens, non ante ſe habeat, cui
,, caput inclinet, vicibus id agere dicuntur, vt laſ-
,, ſatus ſui capitis onere ille, qui præcedit, poſt om-
,, nes redeat, & ei ſuccedat cuius ferebat caput
,, cum ipſe præiret, ita inuicem onera ſua portan-
,, tes fretum tranſeunt, donec veniant ad terræ ſta-
,, bilitatem. Iſtam fortaſſe naturam ceruorum intenderat Salomon dum ait. *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum.* Nihil enim ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici partitio. Hactenus D. Auguſtinus, qui hunc locum iuxta interpretationem Septuaginta citauit, qui ita habent, ἔλαφος φιλίας καὶ πῶλος σῶν χαρίτων ὁμιλείτω σοι. Quia verò apud Græcos ὁμιλεῖν, non ſolum colloqui, & conuerſari, ſed etiam concumbere ſignificat, probabile exiſtimo Septuaginta vocem in hac ſignificatione accepiſſe, quamuis qui in Latinum verterunt, *colloquatur*, aliam exhibuerint ſignificationem, non ignoratione idiotiſmi, ſed honeſtioris ſermonis gratia, vt etiam apud ipſos accidit Græcos, qui ὁμιλίαν, & ὁμιλεῖν, dicunt vt pudentiùs loquantur, vt etiam Latini conſuetudinis, & conſueſcendi vocabula ad eadem ſignificanda accommodauerunt. Quare quod in hiſtoria Suaſannæ habemus. *Nunc ergo ſi vidiſti eam, dic ſub qua arbore videris eos colloquentes ſibi.* in Græco eſt, ὁμιλοῦντας ἀλλήλοις, vt etiam quod dicitur. *Sic faciebatis filiabus Iſraël, & illæ timentes loquebantur vobis*, Græcè eſt, φοβούμεναι ὡμίλουν ὑμῖν, *concumbebant.* Sed redeamus ad Salomonem. *Vbera eius*, inquit, *inebrient te omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Vox Hebraica quæ hic habetur אַהֲבָה amorem charitatemve ſignificat, vt docent lexicographi. Vulgatus, cuius grauiſſima

Dan. 13. 54.

Ibid. n. 57.

ma eſt auctoritas, etiam vbera ſignificare exiſtimauit, nec alia ſedes amoris, quàm cor, quod ſub vberibus latet: ex quo factum, vt commorari inter vbera, quòd habetur in Canticis, nihil aliud ſit, quàm in corde commorari, & quod eſt apud Oſeam. *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua. & adulteria de medio vberum ſuorum,* idem eſſe videtur, ac ſi dixiſſet, omnes turpes de corde cogitationes profliget. Quod ergo dicitur, *vbera eius, inebrient te,* idem eſt cum ſequenti particula. *In amore eius delectare iugiter.* Hactenus Salomonis coniugale præceptum. Ex quo apparet etiam in veteri teſtamento bigamiam, aut polygamiam, non admodum fuiſſe probatam, licet ipſe Salomon plurimas vxores habuiſſe legatur, & alij etiam viri ſanctiſſimi, vt Dauid, & Abraham, vna dumtaxat vxore contenti non fuerint: de qua re, quia argumento de quo agimus conuenit, & non iniucundam cognitionem continet, aliquid dicendum eſt. Oſe. 2.2.

2 Principio igitur naſcentis mundi, ita matrimonium inter Adamum & Euam conſtitutum eſt à Domino, vt vnius vna dumtaxat vxor eſſet. Itaque Dominus non plures mulieres Adami futuras vxores, ſed vnam dumtaxat excitauit è coſta, quam ab hominis latere abſtraxerat, & Chriſtus interrogantibus Phariſæis liceretne vxores repudiare, reſpondit, *Nonne legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? & dixit. Propter hoc dimittet homo patrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Quæ ratiocinatio eò quidem dirigitur, vt conficiat vxorem dimittendam non eſſe à marito, ita tamen explicatur, vt

De Bigamia, & Polygamia veteris teſtamenti.

Matth. 19. 4.

ſignificet vnam vnius dumtaxat vxorem, in matrimonij inſtitutione fuiſſe. Satis enim hoc indi-
Ibid.n.9. cant particulæ illæ *Erunt duo in carne vna.* &. *Iam non ſunt duo ſed vna caro.* Quod etiam clarius ex eo intelligitur quod ſubditur. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit mœchatur.* Si autem plures vxores ducere licitum eſſet, qui poſtquam vnam duxiſſet vxorem, vel aliam ſuperinduceret priore retenta, vel etiam priore dimiſſa, quomodo mœcharetur non apparet. Quare magiſtri ſui Domini doctrinæ conſentanea docens S. Paulus, cum de viri, & vxoris officiis diſputat, ſiue in epiſtola ad Roma-
Rom.7. 2.Cor. 7. nos, ſiue in ſecunda ad Corinthios, ſemper ita loquitur vt dubitari non poſſit, eum tanquam de re explorata, de vna tantum vxore verba facere. Accedit quod Sacramenti huius, quod ſanè magnum
Epheſ.5. 32. eſt, vt dicit Apoſtolus, in Chriſto & in Eccleſia, periret ratio & ſignificatio, ſi viri vnius eſſent plures vxores: neque enim vnius Chriſti cum vnica Eccleſia ſpirituale connubium ſignificari poſſet. Quamuis autem primaria matrimonij inſtitutio duos tantum coniuges requireret, quia tamen proli ſuſcipiendæ, & educandæ, qui matrimonij finis primarius eſt, non repugnat, ſi quis ſimul duas, aut etiam plures habeat vxores, diuina diſpenſatione non bigamia tantum, ſed etiam polygamia inducta eſt, vt ſacras literas legenti facile conſtabit, neque enim damnandi ſunt viri ſanctiſſimi, quaſi aliquid contra diuinas leges fecerint, quos duas aut plures habuiſſe vxores, cognoſcimus ex ſcriptura. Et quidē Bigamiæ exempla habemus in Abraham, cuius duæ recenſentur

in

in Geneſi, & in Elcana, qui totidem habuiſſe dicitur initio Regum hiſtoriæ, & expreſsè videtur in Deuteronomio concedi cum dicitur: *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odioſam, &c.* Polygamus autē fuiſſe legitur Iacob, qui Liam & Rachelem duxit, & hiſce conſentientibus & tradentibus Balam etiam & Zelpham: & Dauid, cuius multæ vxores nominatim in ſcripturis numerantur, Michol, Abigail, Achinoam, Maacha, Haggit, Abital, Egla, Bethſabee præter alias, quas videtur habuiſſe cum legamus in hiſtoria Regum, *Accepit ergo Dauid adhuc concubinas, & vxores de Ieruſalem, poſtquam venit de Hebron*; cumque fugiens Abſalon filium ſuum regnum occupare ſatagentem, decem mulieres concubinas reliquiſſe dicatur domus regiæ cuſtodes. Sed omnes multitudine vxorum ſuperauit Salomon, cuius ſeptingentæ vxores, concubinæ trecentæ fuiſſe leguntur, in quo ſacræ Scripturæ interpretes in eo ſaltem peccatum agnoſcunt, quod ardentiſſimo amore illis copulatus, vt loquitur ſcriptura, ſe & voluptatibus carnis, & quod deterius eſt idolis earum (nam multas duxerat alienigenas) mancipatit. Quamuis ergo diuina diſpenſatione licuerit iis temporibus plures vxores ducere, vt frequentius fieret genus humanum cataclyſmo, & vitæ breuitate imminutum, in nouo tamen teſtamento à Chriſto Domino vetus inſtitutio renocata eſt, vt ſcilicet vnius viri vna dumtaxat eſſet vxor, & quidem merito; nam cum vxor, non famula mariti ſit ſed ſocia (quod videtur Dominus oſtendiſſe, cum illam non ex Adami capite, aut pedibus, ſed ex latere eductam formauit, vt ſcilicet nec viro præeſſet, nec ita

Geneſ. 16. 1. Reg. 1. Deut. 21. 15. 2. Reg. 5. 13. 2. Reg. 15. 16.

ſubeſſet vt mancipium, ſed laborum & domeſticæ ſolicitudinis particeps, pro modo ſuæ conditionis cum viro ſuo, domui præeſſet) rationi conſentaneum fuit vnam dumtaxat eſſe, ne functiones domeſticæ, ſi multæ eſſent in domo matresfamiliâs, impedirentur, vt ferè vſu venire ſolet, cum in aliqua Republ. multorum conſenſus ad aliquid faciendum exigitur: cum enim in varias diſtrahantur ſententias, ſegniùs quàm par eſſet ea, quæ neceſſaria ſunt, executioni mandantur. His adde coniugium incontinentiæ non tam virilis, quàm etiam muliebris, remedium eſſe debere, quod ſanè obtineri non poteſt, ſi tam multæ mulieres vni dumtaxat viro dentur in matrimonium; porrò rixarum, conuiciorum, quantam putamus fuiſſe ſegetem in iis domibus, in quibus tam multæ mulieres ſimul viuebant, quæ ad clamores & iurgia procliues ſunt, cum ab iis ne ſanctas quidem immunes fuiſſe legamus? nam in domo Abraham Sara & Agar; in domo Iacob Lia, & Rachel; in domo Elcanæ, Anna & Phenenna, parum inter ſe conſentiebant, ſed muliebribus eorum querelis & rixis, lacrymis, iurgiis, & conuiciis tecta perſonabant. Melior igitur, & humanis moribus conuenientior ea ratio eſt, quam Chriſtus à vetere inſtitutione repetitam, in fidelium ſuorum leges & mores induci voluit, vt ſcilicet vna dumtaxit vxore contenti homines eſſent. Nec merito conqueri quiſquam poteſt, cum veteres illos Patriarchas, aut Principes legit tam multas vxores habuiſſe; nam tunc temporis ita fieri decuit, & alioqui priuata voluptate potius & antiquius, rectæ rationis præſcriptum eſſe debet.

3 Sed

Digitized by Google

3 Sed à polygamia tranſeamus ad ea coniugia, quæ cum infidelibus aut hæreticis contrahuntur, à quibus maius Principi periculum eſſe poteſt cum accidere poſſit interdum, vt alicuius commodi cauſa huiuſmodi coniugiorum auctores, & ſuaſores non deſint, à quibus tamen ſapiens Princeps abſtinebit, & quia non licent, & publicæ quieti, Reipublicǽque bono minus expediunt. Et ſanè apud Hebræos lex fuit, quam legimus in Deuteron. ne fœdera pangerent, aut matrimonia cum Chananæis, aliiſque gentibus circumiectis ſociarent, quorum regiones à Domino erant accepturi. *Non inibis*, inquit, *cum eis fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat diis alienis, iraſceturque furor Domini, & delebit te citò.* Et de iiſdem in Exodo præcipit Dominus, *Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in Deos ſuos.* Et in hiſtoria Regum cum de Salomone ſermo eſt, qui duxit vxores Moabitidas & Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, & Hetthæas additur. *De gentibus ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: Non ingrediemini ad eas; neque de illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum.* Quamuis autem vetus illa lex antiquata iam dudum obſoleuerit, aſtringitur nihilominus vnuſquiſque cauendi periculi obligatione, ne ſcilicet tibi periculum creet lapſus alicuius à fide, quod ſanè periculum omnibus imminet, cum videamus Salomonem mortalium omnium ſapientiſſimum, vxorum & concubinarum ſuarum

Matrimonia cum infidelibus ineunda nõ eſſe.

Deut. 7. 2.

Exod. 34. 16.

3. Reg. 11. 2.

Digitized by Google

blandimentis ad idola colenda turpiter eſſe prolapſum. Itaque S. Paulus, nubere volentibus id quidem integrum eſſe affirmat, dummodo infideli non nubant. *Cui vult,* inquit, *nubat, tantum in Domino,* & alibi vetat *iugum ducere cum infidelibus.* quod de matrimonio cum infidelibus non ineundo commodè accipi poteſt, nec ſanè vt dixi Principibus expedit, nam præterquam quod orthodoxæ fidei ſartæ tectæ ſeruandæ cura omnibus aliis commodis potior eſſe debet, huiuſmodi matrimonia periculum ſecum trahunt, ne proles malè à matre educata, cum adoleuerit, maternos errores, quos cum lacte ſuxerat, imitetur, ex quo Reipubl. ea omnia impendent pericula, quæ hæreſim aut à fide defectionem comitantur. Adde fieri vix poſſe, vt ipſo initio cum ducitur vxor, ab eorum latere prauorum dogmatum ſeminatores, qui huiuſmodi Principes comitantur, abſtrahantur, aut cohibeantur, ne ſuorum errorum ſpargant venena, quæ dum incautè ab aliquibus hauriuntur, Reſpubl. in diuerſa ſtudia, ſectaſque diſtrahitur cum maximo publicę pacis incommodo. Nec verò obiiciat quiſpiã in ſcripturis exempla reperiri eorum coniugiorũ, in quibus fideles cũ infidelibus copulati fuerunt, quæ tamen adeo non reprehunduntur, vt etiam quædam diuino conſilio facta dubitari minimè poſſit. Scimus enim Aſſuero Reginam Eſther nupſiſſe; filiam Puthipharis Ægyptij Ioſepho, Moyſi filiam Iethro Æthiopiſſam, Salmoni Rahab Iericunthinam, Booz Ruth Moabitidem, Dauidi Maacham filiam Tholmai Regis Geſſur. Nam quod obiicitur, facile diluitur. vel enim infideles ſacra fidelis coniugis profeſſi ſunt cum nupſerunt, aut iuris illius

1. Corinth. 7. 39.
2. Cor. 6. 14.
Geneſ. 41. 45.
Exod. 2. 1.
Matth. 1. 5.
Ruth. 4. 13.
2. Reg. 3. 3.

illius ignoratione excuſabantur, aut etiam illo non aſtringebantur, cum res ante ius ſcriptum geſta ſit, eo tempore conciliato connubio cum lex per Moyſen data nondum erat, tunc enim ſatis fuit legis naturalis præſcripto audientem eſſe, qua in lege diſparitas cultus, non ita huiuſmodi vetabantur matrimonia, vt validè contrahi nequirent.

De modeſtia Principis & animi demiſſione.

CAPVT XXIX.

Facilè Principis animum in ſuperbiam attolli, adeo vt ſuperiorē neminē velit agnoſcere, ſeq; Deo parem faciat, quod exemplis oſtenditur.

1 HVmanum ingenium cum ſuapte ſponte in ſuperbiam procliue ſit, nec ſuæ ſatis conſcium infirmitatis, ſi prærogatiua regiæ poteſtatis acceſſerit, quam adulatores plerumque circumſiſtunt Principum vanitatem miris modis inflantes, tantos concipit ſpiritus, vt miſerandum in modum attollatur. Mite Sauli erat ingenium, & ad modeſtiam compoſitum, quippe qui ruſticis aſſuetus operibus, aſinas aut boues aſſectabatur, & quamuis diuinitus electus eſſet ad Principatum, quaſi tamen regiæ maieſtatis fulgore eius oculi perſtringerentur, domi inter ſupellectilem domeſticam ſibi latebras quæſierat, ne produceretur ad regnum: quod enim legimus in Regum hiſtoria. *Ecce abſconditus eſt domi.* Hebr. Kaldæus, & Septuaginta legunt *inter vaſa:* ſed tamen non ita multo poſt exuta veteri illa ſimplicitate morum, quam attulerat ad regnum, adeò degenera- 1. Reg. 10. 21.

 uit

Digitized by Google

uit in ſuperbiam, vt illius actiones ac rerum,poſt adeptum regnum,ſeriem conſideranti, Dei oblitus à quo fuerat admotus ad Principatum, ſuæque priſtinæ humilitatis à qua fuerat excitatus, planè immemor vidéri poſſit, de ſtabiliendo autem regno ſolicitus ſuóque conſilio ita fidens, ac ſi Deo poſſet obniti, nec qui regnum tribuerat nihil cogitanti, inuito etiam & reluctanti auferre poſſet. Audiendus itaque Sapiens, qui ſaluberrima Principibus ſuggerit conſilia, cum ait. *Audite reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Deo poteſtas vobis & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet. Ex quo enim conceditur miſericordia, potentes autem potentèr tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam Deus, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Ad vos ergo reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis.* Quibus verbis Sapiens acriter eorum caſtigat arrogantiam, qui eo inſolentiæ, aut potius amentiæ proceſſerunt, vt ſe humano faſtigio celſiores arbitrentur, nec quam acceperant à Deo poteſtatem illi acceptam referant, ſed potius contra illum eiúſque præcepta ſuperbè ceruicem erigere non reformident. Talis Pharao cui Dominus apud Ezechielem, *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus eſt fluuius, &*

Sap.6.2.

Ezech.29.3.

ego

ego feci memetipſum. Talis Princeps ille, cuius eſt illa ſuperbiæ pleniſſima iactatio apud Iſaiam, *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Talis Rex Nabuchodonoſor, qui cum ambularet in aula Babylonis dicebat, *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Talis Rex Aſſyriorum, qui dicebat, *In fortitudine manus mea feci, & in ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos populorum, & Principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes, & inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum, & ſicut colliguntur oua, quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui, & non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.* Talis Arphaxad ille, cuius mentio eſt in Iudithis hiſtoria, *Qui gloriabatur quaſi potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum.* Talis tandem Antiochus, qui ſe ſupra naturæ leges ſtatuens, *Exiſtimabat ſe præ ſuperbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.* Nam quis finis ſit, aut ſuperbos, aut eorum voces tumore ac ſuperbia pleniſſimas recenſere volenti?

Iſa. 14. 13. Dan. 4. 27. Iſa. 10. 13. Iudith 14. 2. Mach. 5. 21.

2 Statuat ergo prudens & religioſus Princeps, apud ſemetipſum frequenter in mentem reuocare, Principe quantumuis potente plurimiſque regnis imperante alium eſſe Principem longè potentiorem, cui dictorum omnium, factorúmque ratio reddenda ſit, quemadmodum dicebat Sapiens, cuius verba ſupra attulimus. Hæc autem recordatio mirum quantum proderit, nullũ enim eſt

Aſſertur remedium contra hoc malum, vt ſcilicet agnoſcat Princeps ſe Deo ſubditum eſſe.

eſt tam atrox ſcelus, quo ſe maculare Principes non audeant, ſi vindicis ſupremi numinis iræ obliuiſcantur: *dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus.* Quid inde ſecutum eſt? *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis; non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, ſic via omnium.* Dicitur apud Iob, *qui obliuiſcuntur Deum,* cum nimirum *euertunt ſenſum ſuum, & declinant oculos ſuos, ne videant cælum, nec recordantur iudiciorum iuſtorum, nec probant Deum habere in notitia.* Itaque ſanctus Dauid cum multa hominum ſcelera commemoraſſet, quæ ſceleſtis hominibus frequenti vſu facta eſſent familiaria, quòd, ſcilicet, *odiſſent diſciplinam, & proieciſſent ſermones Domini retrorſum,* quòd *videntes furem currerent cum eo, & cum adulteris portionem ponerent,* quod *os abundaret malitia, & lingua illorum concinnaret dolos,* quòd *ſedentes aduerſus fratrem ſuum loquerentur, & aduerſus filium matris ſuæ ponerent ſcandalum;* quòd tandem exiſtimaſſent Deum illis fore ſimilem, támque grauia & immania ſcelera, ac ſi ea non deteſtaretur, ſperaſſent ſilentio tranſmittenda: tandem fontem vnde iſta omnia manaſſent & pharmacum quo morborum iſta contagio ſananda eſſet, indicans, ait. *Intelligite hæc, qui obliuiſcimini Deum.* quaſi diceret, obliti eſtis diuini numinis, ac propterea impunitate propoſita, nihil non auſi eſtis. Reſipiſcite, quódque res eſt intelligite, *Excelſo excelſiorem eſſe alium,* cui gubernationis veſtræ rationem probare debeatis.

Pſal. 13. 1. Iob 8. 13. Dan. 13. 9. Rom. 1. 8. Pſalm. 49. 17. Ibid. n. 22. Eccl. 5. 7.

Affertur aliud remediũ, vt ſcilicet intelligat adeo ſe Deo

3 Mirum autem in modum proderit ad modeſtiam vel inſerendam, vel conſeruandam, ſi ſuæ mortalitatis infimæque conditionis, cuius, quippe homines, participes ſunt, obliuio Principes non capiat. Hac enim omnes lege in hanc lucem emer

Digitized by Google

emerſimus, vt poſt decurſum huius vitæ ſtadium metam mortis, quocumque curſum noſtrum direxerimus, tãdem attingamus. Vnus Deus eſt, quem Apoſtolus *Regem Regum* appellat *& Dominum Dominantium, qui ſolus habet immortalitatem.* Porrò de mortalibus mortalitatíque ſubiectis dicitur ab eodem. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, & ſicut veſtimentum veteraſcet,* & ſi Deus faciem ſuam auerteret, auxiliúmque ſuum quo omnia conſeruantur ſubduceret, *turbarentur, & in puluerem ſuum reuerterentur.* Et quantumuis ditionis amplitudine, auri immenſis ponderibus, militum innumerabili multitudine, regalíſque ſplendore maieſtatis ſibi reges placeant, tamen fruſtra ſunt, nam cum ſolus Deus ſit *is qui verè eſt*, illius contentione *gentes, quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ, reputatæ ſunt, inſulæ quaſi puluis exiguus. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* Quid ergo eſt, quod tantopere ſibi plaudant homines, cum huius puluiſculi tenuiſſimam particulam occupare potuerunt, quaſi ingentem poſſeſſionem propter quam merito exultare poſſint, ſint adepti? Cur non potius ſibi maximè vileſcunt, quippe qui tantula ſtillæ huius portiuncula ſunt, vt lynceis planè oculis opus habeat, qui tam tenuem, & propter paruitatem minimè aſpectabilem reculam velit intueri? Hoc probe ſanctus intelligebat Dauid, qui cum alibi, tum in Pſalmo primo ſupra ſexageſimum, hanc hominum vanitatem, inanitatem, & nihilum exaggerauit, quem locum, vtpote inſignem, paulò latius explicare animus eſt. *Verumtamen*, inquit, *vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Multi interpretes

ſubditum eſſe, vt etiã infirmus ſit & imbecillis, & more aliarum creaturarũ Dei comparatione nihil.

1. Tim. 6. 16.

Ad Rom. 8. 30.

Exo. 3. 14.

Iſa 40. 15.

Pſal. 61. 9.

Digitized by Google

tes de doloſis ſtateris locum accipiunt,& verò illis fauet, quod non ſemel in ſacris litteris de illis vt de re abominabili mentio eſt. in Prouerbiis,
Prou.11.1. *ſtatera doloſa abominatio eſt apud Dominum,& pondus æquum voluntas eius.* cui conſonat præceptum illud
Deut. 25. 13. Deuteronomij; *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior, & minor, pondus habebis iuſtum,& verum;& modius æqualis, & verus erit tibi, vt longo viuas tempore ſuper terram, abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc.* Eandem etiam ponderum iniquitatem cap. 6. reprehendit Michæas, cum ait:
Mich. 6. 11. *Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam,& ſacelli pondera doloſa?* Si ergo iuxta iſtos interpretes de ſtateris locum intelligamus, ſenſus erit. Vani & mendaces homines ſunt in ſtateris, adeo vt ex ipſa videantur vanitate omnes pariter conflati. Nihilominus ſi rem altius perſcrutemur,longè diuerſum huius loci ſenſum eſſe reperiemus. Eſt enim elegantiſſima hyperbole in minuendo, qua mirificè vanitas hominum nobis ponitur ob oculos. Senſus enim eſt,vt Ianſenio placet & Genebrardo,& vt ex Hebræo contextu colligitur. Filij hominum, qui alioqui aliquid magnum ſibi videntur eſſe,adeo leues ſunt,vani & nullius ponderis,vt ſi vanitas ipſa & inanitas, qua nihil vanius aut inanius eſſe poteſt, in alteram lancem inferatur, in alteram verò omnes homines quotquot ſunt,ipſa vanitas præponderatura ſit: atque ita decipiunt de vanitate, quia nullus ſibi vnquam perſuadere potuiſſet tantam in hominibus ineſſe vanitatem, quantam ipſa doceret experientia, ſi omnes libra aliqua appendi poſſent.Ne verò aliquis de vulgo, & fæce populi iſta intelligi putet, primarióſque

ac

ac Principes viros eximat, notandæ ſunt illæ duæ voces. Filij hominum, nam in Hæbræo non eſt בני אדם *Bene Adam*, quod ſimpliciter ſignificat filios hominum, ſed eſt, בני איש *Bene iſc*, filij viri id eſt nobiles. Iſta verò ita diſtingui, præterquam quod Hebraicè ſcientibus notiſſimum eſt, patet etiam ex Pſalmo 48. ſtatim initio, ſibi enim Pſaltes attentionem concilians. *Audite hæc*, inquit, Pſal. 48. 1.
omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quiq́ terrigenæ & filij hominum ſimul in vnum diues & pauper. Quo loco terrigenas, plebeios, & ignobiles appellat. Græcè Septuaginta habent *γηγενεῖς, terra genitos, terræ filios*: filios verò viri nobiles & illuſtres, vt ſenſus ſit. Adeſte omnes ſiue nobiles ſitis, ſiue obſcuri, ſiue diuites, ſiue pauperes. Vanitatis ergo hominum magna continetur hoc loco exaggeratio, quandoquidem nullus planè reperitur, quiſquis tandem ille ſit, qui ab hac inanitate vacuus eſſe poſſit. Quod ſi homo præſtantiſſimum animal adeò vanum eſt, vt ipſa vanitate leuius iure dici poſſit merito; *Totum mun-* 1. Io. 5. 19.
dum in maligno poſitum eſſe, cum D. Ioanne affirmare poſſumus, hoc etiam ſenſu vt nimirum omnia, quæ mundi nomine cenſentur, creaturas ſcilicet omnes paruas eſſe, tenues, obſcuras, & quæ propter natiuam vanitatem vix appareant, hæc enim eſt vocis huius, *Malignus*, valde propria ſignificatio, vt ſcilicet exiguum tenuémque ſignificet, quo ſenſu lucem malignam & ignem malignum dicimus. Quare S. Paulus eos adhortatur, *qui hoc* 1. Cor. 7.
mundo vtuntur, vt ſint tanquam non vtentes; ratio- 31.
némque affert ab hac vanitate petita, cum ait: *Præterit enim figura mundi huius.* ac ſi dicat: Mundus hic inanis quædam figura eſt, & idolum, cui nihil

ſubeſt,

ſubeſt, iuxta illud, quod eadem in epiſtola legi-
1.Cor.8.4. mus. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*; & quamuis hæc idola, & figuræ iſtæ ſpeciem quamdam præ ſe ferant rerum ſolidarum, noſtráſque ad ſe appetitiones trahant, qui tamen illis ſuam veram reddiderit faciẽ, reperiet eas picturis ſimiles eſſe, quæ veram quidem rem mentiuntur, proximè tamen accedenti, & tractanti nullo negotio, apparet oculis noſtris pictoris artificio fucum fieri, quo non decipiuntur ij, qui oculos habent eruditos. Id ſenſiſſe videtur Dauid, cum de iniquis, qui in mundi huius ſecundis rebus ſe beatos putant,
Pſal. 72.8. ait, *Tranſierunt in affectũ cordis*. Hebraicè eſt *in picturas*, vel *imaginationes cordis*, quia videlicet ea, in quę per affectum feruntur, & tranſeunt homines, adeo inania ſunt, nulliúſque momenti, vt picturæ potius, & vana phantaſmata eſſe videantur, quàm res veræ & ſolidæ. Alia metaphora, ſed eandem inanitatem mirificè explicante, vſus eſt ſan-
Iob 5.7. ctus Iob, cum ait: *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.* Quem locum ita expreſſit Kaldæus. *Filius hominis ad laborem natus, & finis eius tanquam ſcintillæ, quæ ſaltant ex prunis, & eleuant ſe ac ſi volarent.* Eſt autem ſententia, homo multis atteritur laboribus, vt aliquam boni alicuius partem conſequatur, ſed ſera illum ſpes fruſtratur: nam cum ad id, quod votis omnibus optauerat, tandem peruenerit, quid aliud eſſe comperiet, quàm rem inaniſſimam, & ſcintillis ex prunis exiſtentibus ſimillimam? quæ neſcio quid ſplendoris videntur habere, cum tamen nihil aliud ſint, quàm accenſus cinis, paulo pòſt omni amiſſo ſplendore in focum deſcenſurus. Nec minus apta eſt illa metaphora, qua Eccleſiaſtici auctor vſus eſt cum ait,
quaſi

Digitized by Google

quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia. Quemadmodum enim vmbræ cum nihil ſint, aliquid tamen eſſe videntur, ita res iſtæ omnes quas homines efflictim adamant, potentia, magiſtratus, imperia ad verum ſolis iuſtitiæ lumen admota nihil ſunt: ſed quemadmodum cum ſol à meridie receſſit longiùs, maiores etiam vmbræ ſunt, ita vmbrarum iſtarum admiratoribus vſu venire conſueuit, nam quo minus ſolis huius iuſtitiæ radiis afflantur, vmbras iſtas inanes maiores putant, & quaſi res momenti alicuius ſtupentes admirantur: quod ipſimet videntur tandem agnouiſſe, cum apud Ieremiam dolentes dicunt. *Væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores factæ ſunt vmbræ.* Et in libro Sapientiæ iidem conqueruntur, quod vias difficiles ambulauerint. & Salomon ait: *Cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone, non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu adimpletur.* Ad quæ verba ſenſus hic forte accommodari poteſt, cunctæ res duræ, moroſæ, auaræ: non enim ſe ſatis dant, neque ſui copiam faciunt (hæc enim omnia, vox, difficilis, apud Latinos ſignificare ſolet) nec verò facere poſſunt, cum inaniſſimæ planè ſint, atque propterea non poteſt eas homo explicare ſermone, cum eas vix guſtet, vix oculis, vix auribus accipiat. Quare Iob ait: *Nec eſt ſatiatus venter eius, & cum habuerit, quæ concupierat, poſſidere non potuit.* Et Dauid. *Dormierunt,* inquit, *ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis.* Nimios ergo ſpiritus Principes comprimant, nec ſe aut adulatorum fallacibus vocibus, aut innatæ tumore ſuperbiæ in errorem patiantur induci, ſed illud planè intelligant, nullam eos inſoleſcẽdi ha-

Eccleſ. 34. 2.
Iere. 6. 4.
Eccleſ. 1. 8.
Iob 20. 21.
Pſal. 75. 6.

bere occaſionem, ſi ſuarum virium tenuitatem, ſi ſuæ mortalitatis conditionem penitus noluerint
Ezech. 28. 11. obliuiſci. Legimus apud Ezechielem. *Fili hominis leua planctum ſuper Regem Tyri, & dices ei. Hæc dicit Dominus Deus. Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, & iaſpis, chryſolithus, & onyx, & berillus ſapphyrus, & carbunculus, & ſmaragdus, aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es, præparata ſunt.* Hebræi poſt vocem, *aurum,* punctum figunt. Et quæ ſequuntur ita legunt. *Opus tympanorum tuorum, & fiſtularum tuarum in te, in die, qua creatus es, parata fuerunt*, id eſt, vt Rabbi Dauid interpretatur, reſonantibus in domo tua omnibus inſtrumentis muſicis natus es; Principum ſcilicet reſpiciens conſuetudinem, qui cum prolem, maſculam præſertim, ſuſcipiunt, plurima edunt ſigna lætitiæ tubis clangentibus, omnibúſque muſicis inſtrumentis perſonantibus; & vox נְקָבִים commodè eam recipit interpretationem, nam tibias, fiſtuláſque ſignificat, quæ multis ſunt diſtinctę foraminibus: radix enim נקב perforare ſignificat, cui noſter interpres inſiſtens vertit *foramina tua*, & Kaldæus ad rem noſtram aptiſſimè
2. Mach. 9. 12. ita interpretatus eſt. *Adeò elatus fuiſti, oblitusq; conditionis tuæ, vt non conſideraueris te hominem eſſe, tibiq; quo die natus es, tanquam homini mortali foramina oris, & narium ad ſpirandum data eſſe.* Veriſſima ergo vox eſt Antiochi, impij alioqui hominis, & æterni Numinis contemptoris, ſed vel ab inuito malorum vi diuinitus expreſſa. *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Mirum enim quantum eos auerſatur Dominus, qui

poſt

poſtquam Dei beneficio aliquid quod ſuis viribus minimè potuiſſent, perfecerunt, Chaldæos illos imitantur, quos reprehendit Habacuch illis verbis. *Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum, ſuper hoc lætabitur, & exultabit, propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo.* Illud nimium arroganter intra ſe ipſum dicens, quod vetuit Dominus in Deuteronomio, cum ait: *Ne dicas in corde tuo. Fortitudo mea & robur manus meæ, hæc mihi omnia præſtiterunt, ſed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit, vt impleret pactum ſuum, ſuper quo iurauit patribus tuis, ſicut præſens indicat dies.* Verè enim vt canit ſanctus Dauid, *Deus qui præcinxit me virtute, qui docet manus meas ad prælium, & poſuit vt arcum æreum brachia mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, adiutor & protector meus, cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.*

Habac. 1. 15.

Deut. 8. 17.

Pſalm. 17. 33.

4 Cum verò veritatis huius cognitio Principis menti altè ſederit, aberit proculdubio omnis arrogantia & tumor, omnis in verbis iactantia ac contumacia, nec inferioris conditionis homines contemnet, nec in pares, aut in ſuperiores inſurget, ſed celſioris illius Principis memor cui dicta ſua omnia & facta probare debet, in dictis omnibus & factis modeſtiam colet. Itaque recolenda ſunt Regum exempla, qui ſuæ mediocritatis obliti, aut regia opulentia, aut regni frequentia, aut exercitibus ſuis ſibi placuerunt, quaſi non munere diuino illa fuiſſent conſecuti, ac propterea diuinam ſenſere vindictam, qua vel ad priſtinam reuocarentur animi demiſſionem, vel ſi illius capaces non eſſent, ita tamen tremor ille mentis diuina vltione ingruente premeretur, vt vel tan-

Oſtenditur exemplis quã malè ſibi conſuluerint ij, qui Dei obliti, in ſuperbiam elati, ſibi nimiũ placuerunt.

dem inuiti ſuam agnoſcerent tenuitatem, & ſi diuinitus immiſſa correptione non proficerent, aliis tamen exemplo prodeſſent, qui olim factum eſſent cognituri. Talis Syriæ Rex Benadad, qui non minus ſuperbiæ typho, quàm vino temulentus (nam vt ait ſcriptura, *Benadad bibebat temulentus in vmbraculo ſuo, & Reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant*) tantum viribus ſuis tribuebat, vt in illa inſaniſſimæ iactantiæ verba erumperet, *Hæc faciant mihi Dij, & hæc addant ſi ſuffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequitur me.* Cui prudenter paucíſque verbis, fortium virorum more, qui factis potius quàm verbis exhibent fortitudinem, Rex Iſrael reſpondit, *Ne glorietur accinctus æquè vt diſcinctus.* Quorum verborum illa ſententia eſt, Non canendum eſſe triumphum ante victoriam, nam cum Mars communis ſit, variúſque bellorum euentus, fieri poſſet, vt qui certam ſibi victoriam pollicebātur, cum ventum eſſet ad manus, turpiter terga darent, victíque ſuccumberent, quod etiam vſu venit. *Nam accedens Propheta vnus ad Achab Regem Iſrael ait ei. Hæc dicit Dominus: Certè vidiſti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce, ego tradam eam in manu tua hodie, vt ſcias quia ego ſum Dominus.* Vt autem tantæ auctor victoriæ, quiſnam eſſet clarius cognoſceretur, & vero vt Syri ſuperbia magis contunderetur, non ſelecto exercitus flore ad eam expeditionem vti voluit Dominus, ſed *pediſſequos Principum prouinciarum* dumtaxat adhibere, qui ducentorum triginta duorum numerum non ſuperabant, vt ingentes illas copias peſſumdaret, ac trucidaret. In quo ſuum morem tenuit Dominus, qui *humilia, & contemptibilia mundi elegit, vt confundat,*

3. Reg. 20. 16.
Ibid. n. 10.
Ibid. n. 11.
Ibid. n. 13.
Ibid. n. 14.
Exod. 8.

Digitized by Google

dat, & euertat fortia. Quemadmodum ranis, muſcis, ac cyniphibus, ita Pharaonem, vniuerſámque Ægyptum vexauit, vt ferocem Regis animum miteſcere cogeret, & à Moyſe tantorum malorum molem deprecari. Et ſuperbum Philiſthæum contra Dauid *cum gladio, & haſta & clypeo* venientem adoleſcentuli paſtoris, ſed Dei exercituum virtute fidentis, ſaxo è funda emiſſo deiecit in terram, vt nimirum aduerſus Dominum *non glorietur omnis caro.*

1. Reg. 17. 45.

De prudentia Principis, & de ingenio Regni & Populi.

CAPVT XXX.

Regnorum inſtabilem eſſe poſſeſſionem.

1 DE prudentia Principis paucula quædam delibanda potius ſunt, quàm tractanda: cum toto hoc opere nihil aliud contineatur quàm ciuilis prudentiæ præcepta; ac potiſſimùm ea ſunt attingenda, ex quibus probè cognitis, quaſi ex fontibus reliqua omnia doctrinæ huius præcepta dimanare certiſſimum eſt; ea ſunt quæ propoſuimus, Ingenium Regni & Populi, quæ qui bene perſpecta habuerit, magnum telum ad Rempubl. bene gerendam nactus fuerit. Ac primò quidem illud ſtatuendum eſt Regnum omne in lubrico ſtare, fieríque nonnunquam vt cum firmioribus niti videtur radicibus, propius tamen abſit ab interitu. Sic enim in humanis rebus, altiſſimo ſuo conſilio ludit Numinis ſapientia. Ingentibus Sa-

lomon diuitiis, armis, finitimorum Regum fœderibus, ac potiſſimùm admirabili ſapientia adeo videbatur Iſraëlis regnum ſtabiliuiſſe, vt nulla externa vis, nulla ciuium ſeditio, illud aliqua ex parte labefactare poſſet. Et tamen ſub Roboamo,
2. Paralip. 13.7. quem fortaſſe propterea *Rudem* ſacra Scriptura appellauit, quod non ſatis humanarum rerum vi-
3. Reg. 12. 14. ciſſitudines intelligeret, exorta ſeditio florentiſſimum regnum diſcidit, decem tribubus à Roboamo per illum tumultum abſtractis, alióque Iſraelis Rege conſtituto; quam iacturam nec Roboam ipſe, nec qui illius Regnum poſtea tenuerunt, vllo vnquam tempore ſarcire potuerunt.
Dan. 5. 1. *Baltaſſar Rex fecerat grande conuiuium optimatibus ſuis mille*, dúmque temulentus plus iuſto hilaris potationibus indulget, nihil minus metuens quàm Regni cuius erat mirè ſecurus amiſſionem,
Ibid. nu. 5. ecce tibi. *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis iuxta candelabrum, in ſuperficie parietis aulæ Regiæ.* Quo viſo, Rex mirum in modum conturbatus, cum neminem inueniret, qui parieti impreſſorum characterum ſententiam poſſet euoluere, tandem adductus eſt Daniel, qui
Ibid. n. 25. diuino colluſtratus lumine. *Hæc eſt ſcriptura*, inquit, *quæ digeſta eſt*, MANE THECEL PHARES. *& hæc eſt interpretatio ſermonis.* MANE *numerauit Deus Regnum tuum, & compleuit illud.* THECEL *appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* PHARES *diuiſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.* Vt autem à Daniele prædictum eſt, ita continuò eſt factum, vatis ſui prophetiam
Ibid. n. 30. implente Domino. Nam *eadem nocte interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus. & Darius Medus ſucceſſit in Regnum, annos natus ſexaginta duos.* Atque ita vna

&

& eadem nox, & Baltaſſaris & Kaldæorum Regno finem impoſuit.

2 Secundò, de Regno & de Regibus dici poteſt, eos multorum odiis, ſermonibus, offenſionibuſque patere. *Si non dixerunt*, inquit Iacob, *viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt ſaturemur?* Quem locum explicans S. Gregorius ita ſcribit. Penſemus quanta fortitudine ſancti viri animus, extra intraque ſolicitus, ad omnia paratur, qui ſe iniuſtè agentibus aut nunquam per ſilentium cederet, aut per rectitudinem non contrairet, profectò aduerſarios non habuiſſet, ſed in eo quòd vias vitæ tenuit, exoptatores ſuæ mortis inuenit. Et paulò poſt Sapientis conſilium omnibus ſanè qui aliis præſunt neceſſarium ſubdit Gregorius, quod eſt huiuſmodi: *Cunctis ſermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne fortè audias ſeruum tuum maledicentem tibi.* Nam de Principibus multus eſt vulgi ſermo, & rectè etiam facta carpuntur, quibus tamen rumuſculis adeo Princeps moueri non debet, vt ne aures quidem illis audiendis accommodare debeat, ne fortè iactis in ſe vulgaribus, & nullius momenti cauillis irritatus, erumpat ad vindictam, aut ad virtutis & iuſtitiæ regiam viam inſiſtendam ſegnior populi oblocutionibus reddatur. Illud quidem diligenter cauere debet, ne fortè anſam aliquam facta ſua damnandi ſubditis tribuat, ſed vbi ab officio ſe minimè diſceſſiſſe cognouerit, otioſos, deſides, garrulos planè negligat. Quanquam illa etiam odij cauſa eſt, quòd Principem non timere non poſſumus, ex cuius arbitrio vita hominum pendet, itaque vt mitiſſimus ſit, quia tamen nocere poteſt, formidatur: quæ verò formidamus, ea

Principes multorum odiis, & inuidiæ patere.

Iob 31.31.

Eccleſ. 7. 32.

Digitized by Google

odio fermè proſequimur, quo etiam timore grauius vrgentur ij qui ſceleris alicuius conſcij ſibi
Rom. 13. 4. ſunt. *Si malum feceris,* inquit D. Paulus, *time* (Principem ſcilicet) *non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* Porrò ex odio frequenter erumpunt inſidiæ, quem enim aperta vi aggredi verentur, eum clanculum oppugnant, & occaſione nata euertere ſa-
Pſal. 55. 6. tagunt. *Tota die,* inquit Dauid, *verba mea execrabantur, aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum, inhabitabunt & abſcondent:* hoc eſt, mecum ſub eodem tecto habitabant, & quod virus premebatur in pectore, beneuolentiæ & amicitiæ velum prætendentes, tegere ſtudebant. *Ipſi calcaneum meum obſeruabant,* veſtigia mea, greſſus, actioneſque diligenter obſeruabant, vt data occaſione aliqua opportuna inſidias adornarent, & innocentem dolis interceptum de medio tollerent: &
Pſal. 40. 5. alibi. *Inimici,* inquit, *mei dixerunt mala mihi,* hoc eſt de me, *quando morietur, & peribit nomen eius?* Quaſi dicat, ſi quando in aduerſam incidiſſem valetudinem per ſimulationem officij decumbentem inuiſebant, *Si ingrediebatur,* inquit, *vt videret, vana loquebatur,* mellitis, humanitatéque pleniſſimis ſermonibus ſe pro amico gerebat, ſed *cor eius congregauit iniquitatem ſibi,* nam apud ſe improbum aliquid animo conflabat, quod foras egreſſus cum aliis communicaret. *Egrediebatur foras, & loquebatur in idipſum,* omnibus enim qui eiuſdem erant ſententiæ in vnum coactis, ea quæ viderat loquebatur, ſalutem meam iam deſperatam eſſe, nec iam inuiſum caput diu poſſe eſſe ſuperſtes. *Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum*

conſti

conſtituerunt aduerſum me, nunquid qui dormit non adiiciet, vt reſurgat? quaſi ex compoſito conſtituerunt iniuſtum aliquod facinus aduerſum me perpetrare, ſed eos fallit opinio, nam cum *in protectione Dei cæli* lateam, qui ita lecto affixus eſt, morbóque proſtratus decumbit, adiiciet vt reſurgat, cum priſtinæ reſtitutus valetudini aduerſariorum ſuorum ſpes ludet, qui quem extinctum ſperabant aut volebant; incolumem, & integris viribus optimè valentem, vel inuiti cernere cogentur. Pſal. 90.1.

3 Nec tamen iſtud ignorant Principes, qui propterea pharmaca metuentes prægustatores adhibent, & latus armato tegunt milite, & nocturnum ſomnum excubitorum cuſtodia muniũt, ne qua poſſint vitæ inſidiatores obrepere. Hinc de Salomonis lectulo dicitur in Canticis. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Ita enim vſu venire neceſſe eſt, vt qui à multis timetur, multos etiam timeat, nec ſatis virtutis & iuſtitiæ, cui plerumque inuidia inſidias ſtruit, præſidio tutus eſſe poſſit. Quanquam fieri nonnunquam videamus, vt plus iuſto formident, & eos ſuſpectos habeant, à quibus nihil timere debuiſſent. Ita Saul Dauidem generum ſuum lancea configere conatus eſt, & diuturno tempore ſed irrito ſemper conatu quæſiuit ad necem, quo tamen ad eum diem nullum magis fidum inuenerat, ſed quia acer erat conſilio, manu ſtrenuus, charus primoribus, & vulgo militum acceptiſſimus, eum adhuc creſcentem decreuerat opprimere, ne Ionathæ filio debitum occu-

Principes abundare ſuſpicionibus, & metu.

Cant. 3.7.

1. Reg. 18. 11.

paret Imperium, ita enim Ionathæ dicebat Saul,
1.Reg.20. 31. *Omnibus diebus quibus filius Iſai vixerit, non ſtabilieris tu neque Regnum tuum:* in quo tamen falſus eſt, nam quibus artibus eum euertere conatus eſt, iiſdem ad Principatum inuitus admouit. Sed ſæuius etiam Herodis ingenium, qui quo tempore Magi ab Oriente ſtellæ ductu Ieroſolymam venêre, quærentes Iudæorum Regem nuper natum,
Matth.2. 16. non tãtùm *occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis:* Sed à filio ſuo ſibi metuens, ne illi quidem parcendum eſſe iudicauit, vt meritò quidam dixerit in Herodis domo melius eſſe porcum eſſe quàm filium: nam cum filium iugularet parcebat tamen porco, cuius carnibus veſci Iudaicæ legis obſeruatione prohibebatur.

Peculiares Regni cui praeſt conditiones Principi cognitas eſſe debere: vbi de cenſu.

4 Præter iſta autem, quæ hoc capite de Regni ingenio diſputauimus generatim, alia ſunt, quæ Principem quemlibet diligenter cognoſcere par eſt. Quo iure ad Regnum venerit, an ſucceſſione, an electione, an iure belli. Quæ leges Regni ſint, quæ conſuetudines, quæ vires, qui numerus vrbium, qui ex iis prouentus, quot hominum millia poſſit habere in caſtris, & huiuſmodi. Hoc autem quia cenſu cognoſci poteſt, quærat aliquis an ſit è re publica, & Principis, inire ciuium cenſum populumque numerare. Eorum ſententiæ qui affirmant fauet, quod Moſes, Dei ipſius iuſſu, populi capitum per cẽſum numerum ſubduxit, præceptum enim illi eſt in hæc verba;
Num. 1.2. *Tollite ſummam vniuerſæ congregationis filiorum Iſraël, per cognationes, & domos ſuas, & nomina ſingulorum quidquid ſexus eſt maſculini à vigeſimo anno, & ſupra*

omnium

omnium virorum fortium ex Iſraël, & numerabitis eos per turmas ſuas, tu, & Aaron. Et idem ratione confirmari poſſe videtur, nam cenſus beneficio ſubditorum numerum, ætatem, ſuorum qualitates cognoſcit Princeps, quot hominum millia, ſi bellum ingruat, ſub ſignis habere poſſit, quantum armorum aut annonæ parandum ſit, ſi vrbem v.g. obſidione premi cōtingat. Rurſus quam quiſque artem profiteatur; qua ratione ſibi ſuiſque victum paret: an vagi in vrbe homines ſint, & facinoroſi qui propter rei familiaris difficultates, aut propter crimina alibi patrata, paſſim ſedes mutant, & Reipubl. incommodant, cum ad maleficia, ad furta, & cædes promptiores ſint, vt de illis deliberari poſſit, ſint ne vrbe, & finibus exigendi, quis modus ſit diuitiarum cuiuſque familiæ, vt faciliùs matrimonia inter æquales, & eiuſdem cenſus copulari poſſint, aliæque vtilitates percipi, quæ ex hac notitia exiſtunt, quæ omnia ad bonam Reipubl. gubernationem non parum conducere exiſtimantur. Sed pro huic aduerſa ſententia non pauciora arguméta afferri poſſunt. Primum, quòd non modò Dauid grauiter à Deo plexus eſt, quod cenſum iniiſſet, cum populo Dei, ſæuiente peſtilentia, in criminis à Principe patrati pœnam, morte ſubducta ſunt ſeptuaginta hominum millia, sed ipſemet etiam Dauid conſilium ſuum damnauit verbis illis, *Stultè egi nimis, & peccaui valde in hoc facto*; quòd nimirum populum cenſere tempore pacis ad inanem gloriam, iactantiamque pertineat, quo vitio lapſus eſt tantus Rex, ſibi placens quòd tot hominum myriadibus Princeps ipſe præpoſitus eſſet: vt enim Sapiens ait; *In multitudine populi dignitas Regis,*

2. Reg. 24. 15.

2. Reg. 24. 10.

Prou. 14. 28.

Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis. Quo etiam typho inflatus Syriæ Rex ſui magnitudinem exercitus glorioſè iactabat, & Regi Iſraëlis
3.Reg.20. 10. minabatur cum dicebat, *Hæc faciant mihi Dij, & hæc addant, ſi ſuffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequitur me.* Itaque Ioab, cui cenſus peragendi prouincia licet inuito demandata fuerat, cum vndecies centena millia virorum cenſuiſſet, trecenta millia, numero quem ad Regem detulit ſubtraxiſſe eo conſilio creditur à quibuſdam auctoribus, vt quantùm poſſet ſuperbiæ materiam culpámque minueret. Quod ſi non capita tantùm numerentur, ſed etiam fortunarum quiſque ſuarum, ac bonorum quæ poſſidet rationem reddere iubeatur; iam durum hoc ſanè, atque inhumanum ſubditis videri poſſit. Nam cum, vt ait
Prou. 13. 7. Salomon, *aliqui ſint quaſi diuites, cum nihil habeant, & ſint quaſi pauperes cum in multis ſint diuitiis*, quàm iniquo animo ferent vtrique, ſi in publicas tabulas cuiuſque bona referantur, vnde quæ occulta voluiſſent retegantur, & non oculis tantùm omnium, ſed etiam linguis exponantur? An non
Geneſ. 31. 6. verba illa Iacob vſurpare poterunt; *Quam ob culpam meam ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſuppellectilem meam?* Quod etiam magni cuiuſdam mali nomine recenſere viſus eſt Dauid, cum in dirarum catalogo, quæ quodam Pſalmo conti-
Pſal.108. 1. nentur, ait, *Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius.* Quam multi etiam decoquerent, ſi patefacta eorum paupertate, anſa creditoribus præberetur pecunias ab iis repetendi, qui illas deberent, quorum etiam induſtria Reſpubl. ſpoliaretur, qua ſatagunt res ſuas afflictas reſtituere, vt ſuæ, familiæque exiſtimationi, commodiſque proſpi

Digitized by Google

proſpiciant. Præterea ſi quos quiſque domi theſauros pecuniarum, aut gemmarum, auri facti infectiue copiam aſſeruet, recludere compellatur, vt publicis tabulis inſcribantur, non exiguum ſecuritati periculum creatur, & potentium rapaciumque hominum cupiditas quodammodo prouocatur ad prædam. Quod Iudæis accidiſſe cognoſcimus ex Machabæorum hiſtoria, in qua Heliodori facinus narratur, qui Seleuci Aſiæ Regis iuſſu in ſuam redigere poteſtatem conatus eſt theſauros pecuniarum, quæ in Ieroſolymitani templi ærario ſeruabantur, quibus Rex imminebat cupiditate, poſtea quam Simonis cuiuſdam delatione certior factus fuerat, *pecuniis innumerabilibus plenum eſſe ærarium Ioroſolymis*. Tandem vt cogantur ciues per Principum edicta dare nomina cenſoribus, quæ catalogis inſcribantur, vix tamen cogi poterunt, vt alia quæ celata cupiunt aperiant, atque ita, ſicut nec Dauidis cenſus, Eſdræ, aut Auguſti ad emendandos corruptos Reipubl. mores quidquam profuerunt, ita nec æui noſtri Principes vllum commodum capient, niſi fortè hac occaſione pecuniæ alicuius acceſſione ærarium fiat locupletius, ſi qui cenſentur aliquid erogare compellantur, quod ex Euangelio diſcimus feciſſe Romanos, & ex libro Exodi Hebræos, qui cum cenſebantur, dimidium ſicli iuxta menſuram templi in ſingula capita tenebantur erogare. Hæc tamen pecunia quæ à cenſis exigebatur non in ærarium Principis inferebatur, ſed cedebat tabernaculo, ad inhibendam fortè Reip. moderatorum auaritiam, qui corradendæ pecuniæ cupiditatem cenſus honeſtamento prætendere potuiſſent. Quod ſi Domini iuſſu populi cenſus

2. Mac. 3. 6.

Exod. 30. 13.

Digitized by Google

cenſus initus eſt à Moſe, vt diximus, non propterea id factum videtur quaſi in Reipubl. illius mores vſum cenſus vellet inducere, ſed vt omnes intelligerent Dominum, quod pollicitus fuerat præſtitiſſe, cum ſcilicet gentem Iſraëlitarum ſe mirum in modum aucturum promiſit, ad inſtar *Stellarum cœli, & arenæ quæ eſt in littore maris:* Cum enim ſeptuaginta tantum capita Ægyptum eſſent ingreſſa, non longiſſimo temporis ſpatio ſexcentorum millium exercitum eduxit Moſes, ad arma tractanda expeditorum militum, præter mulieres, infantes, ſenes, imbecillos, & adoleſcentulos, qui nondum vigeſimum ætatis annum expleuerant.

5 Sequitur vt de populi ingenio dicamus aliquid, qui ſanè bellua eſt multorum capitum, monſtrumque immane ex multorum colluuione vitiorum coagmentatum & conflatum; nam primò vulgus omne inſtabile eſt, & pronum in contraria, vt optimo iure in ſacris litteris aquarum nomine populi ſignificentur. *Væ*, inquit Iſaias, *multitudo populorum multorum vt multitudo maris ſonantis, & tumultus turbarum, ſicut ſonitus aquarum multarum.* & in Apocal. dicitur: *Aquæ quas vidiſti populi ſunt, & gentes, & linguæ*; & apud Danielem. *Videbam*, inquit, *in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe.* Crediderim aquas maris populos deſignare, ventos autem quatuor, Principes, qui quemadmodum venti inquietorum fluctuum volumina conflant, attollunt, cum verò poſuere detumeſcere patiuntur, ita ipſi populorum turbidos affectus auctoritate ſapientiáque moderantur quantū poſſunt, &

Populi ingeniū Principi notum eſſe debere, & quale illud ſit.

Iſai. 17. 12.

Apoc. 17. 13.

Dan. 7. 2.

Digitized by Google

& modò incitare, modò cohibere, prout vſus tulerit conſueuerunt, ſed magnum ſanè diſcrimen intercedit, quod cum æquori ventus incubuit, in quamcumque voluerit partē aquas agit, populorum verò turbidi æſtus temerè ſæuientes aliquando nec Principis imperiis ſedantur, nec verentur auctoritatem, omnia ſuſdeque prout libido tulerit permiſcentes, *Ortum eſt murmur populi in Iſraëlitarum caſtris*, vt dicitur in Numeris, Num. 11. 1.
quaſi dolentium pro labore contra Dominum. Quis Ibid. n. 4.
porrò fremitum illum excitauit, niſi *vulgus promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagrauit enim deſiderio ſedens & flens, iunctiſque pariter ſibi filiis Iſraël dixerunt, quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* Cum enim alacri animo Ægyptum poſt ſe reliquiſſent, inceptumque iter in promiſſionis terram proſequerentur, quidam animo parum conſtanti allia, & cœpas, ollaſque carnium, quibus olim ſeruitutis tempore aſſueuerant repetentes, tam abiecti cibi cupiditate populum vniuerſum incenderunt, ſed magno ſuæ gentis malo; nam *Dominus* Ibid. n. 1.
iratus eſt, & accenſus in ea ignis Domini, deuorauitque extremam caſtrorum partem. Ac quemadmodum fluuij cum aquis intumuerunt ſuperatis aggeribus, aut euerſis circumiectos campos obruunt aquarum mole, ſata læta, & agricolarum labores populantes, ita vulgus inſanum, cum impunitatem ſperat, ſi quis torpentes excitauerit, torrentis inſtar decurrunt, prædas agentes & ferentes, omnia terroribus, ſanguine cædibúſque complentes. Abimelech Principis iugum inuiti Sichimitæ tolerabant, nam vt dicitur in ſcriptura, *Miſit Do-* Iudic. 9. 23.
minus ſpiritum peſſimum inter Abimelech & habitatores Sichem, qui cœperunt eum deteſtari. Verùm conceptum

ceptum in eum odium effundere potentiam illius veriti non audebant. Cum ecce tibi, *Venit Gaal filius Obed cum fratribus ſuis, & tranſiuit in Sichimam. Ad cuius aduentum erecti habitatores Sichem, egreſſi ſunt in agros, vaſtantes vineas, vuaſque calcantes, & factis cantantium choris, ingreſſi ſunt fanum Dei ſui, & inter epulas & pocula maledicebant Abimelech, clamante Gaal filio Obed. Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem vt ſeruiamus ei?* Eſt etiam vulgus nouarum rerum cupidum, quietis & publici otij impatiens: ideo Abſalonem Iſraëlitæ non tam gubernatio-
2. Reg. 15. nis Dauidis Regis optimi pertæſi, quàm noui alicuius motus deſiderio, ad Regnum admouere ſtuduerunt. Nec diſſimilis in ſimili cauſa furor
3. Reg 1. 5. illorum, qui Abſalonis fratrem Adoniam Dauidi in Regno ſufficere ſatagebant. Eſt præterea vulgus inſanum, turbidum, credulum, comprimi neſcium, & vt in affectibus vehemens, & impotens, ita in rebus iudicandis ſtolidum, & vecors. Satis hæc omnia patuerunt in ea ſeditione, quam Demetrius Argentarius contra D. Paulum Epheſi commouit. Nam Argentario contra Paulum, plebem non tam religionis quàm priuati ſui commodi cauſa concitante, ne ſcilicet exoleſcente Dianæ Epheſiæ maieſtate, ipſe quæſtum artis amitteret; populus cauſa minimè cognita, Paulo
Act. 19. 28. non audito maximum tumultum excitarunt. *His auditis,* ait D. Lucas, *repleti ſunt ira, & exclamauerunt, dicentes, Magna Diana Epheſiorum, & impleta eſt ciuitatas confuſione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum rapto Caio, & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli. Alexander autem manu ſilentio poſtulato, volebat rationem reddere populo, quem vt cognouerunt Iudæum eſſe, vox facta vna eſt omnium quaſi per*

Digitized by Google

per duas horas clamantium. Magna Diana Epheſiorum. Quid furor eſt, ſi hic non eſt?

6 Sed & de vicinis, finitimiſque populis bene noſcendis cura ſuſcipienda eſt, cognoſcendæque illorum vires, animorum ſtudia, propenſioneſque veſtigandæ; nam fieri poteſt, vt hoſtilis & infeſtus animus, in omnem nocendi occaſionem imminens amicitiæ ſignis exhibitis altè prematur, tunc demum erupturus, cum difficiliora tempora inciderint, Principemque alinæ iniuriæ, ac violentiæ opportunum reddiderint. Experti ſunt Iudæi, cum euerſum Domini templum ſub Zorobabel Principe cœpiſſent inſtaurare, nam *Audierunt hoſtes Iuda & Benjamin, quia filij captiuitatis ædificarent templum Domino Deo Iſraël, & accedentes ad Zorobabel, & ad Principes Patrum dixerunt eis. Ædificemus vobiſcum, quia ita vt vos, quærimus Deum veſtrum, ecce nos immolauimus victimas à diebus Aſor Haddam Regis Aſſur, qui adduxit nos huc.* Sed Zorobabelem doli non latuerunt, ſimulatáque mente locutos ſenſit. *Et dixit eis Zorobabel, & Ioſue, & reliqui Principes Patrum Iſraël, Non eſt nobis & vobis vt ædificemus domum Deo noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis Cyrus Rex Perſarum.* Nec meliore in Iſraëlitas animo fuerunt Ammonitæ, & Moabitæ æterni populi illius hoſtes; nam cum Holophernes Bethuliam obſidione cinxiſſet, & aquas in oppidum deriuari canalibus inciſis prohibuiſſet, *Filij Ammon, & Moab, acceſſerunt ad Holophernem dicentes. Filij Iſraël non in lancea, nec in ſagitta confidunt, ſed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio conſtituti. Vt ergo ſine congreſſione pugnæ poſſis ſuperare eos, pone cuſtodes fontium, vt non hauriant*

Finitimorum populorum ac Principum mores, vires, &c. Principi inueſtigāda.

1. Eſdr. 4. 1.

Iudith. 7. 8.

aquam ex eis, & ſine gladio interficies eos, vel certè fatigati tradent ciuitatem ſuam, quam putant in montibus poſitam ſuperari non poſſe. Et proceſſiſſent ſanè conſilia niſi fortitudinis ſpiritu diuinitùs armato muliebri pectore, in Holophernis caſtra Iudith penetraſſet, eiuſque alto & graui ſomno ſopiti, ſtricto ferro, quod iuxta lectulum pendebat, caput abſcidiſſet. Vicinorum itaque ingenia, mores, ſtudia, propenſioneſque Principi diligenter noſcendæ ſunt, ne fortè aut commodi alicuius ſpecie, aut rerum ſecundarum inuidia, quibus æmula finitimorum pectora plerumque flagrant, malum aliquod ſtruant; & verò etiam ſi amicitias ſincerè coluerint, quid ab illis cum fuerit opus ſperare poſſit, cognitum habeat.

Curandum Principi vt ſuos bene norit, & quibus ex notis poſſit eos agnoſcere.

7 Sed vt ab externis ad domeſticos & familiares Principis curam reuocemus, cēſco maximum ad Rempubl. adminiſtrandam habere momentum, ſi Princeps ſuorum quibus præeſt, ac præſertim eorum quibus vt conſiliariis, & rerum gerendarum miniſtris vſurus eſt, naturam, & mores habuerit bene perſpectos. Hoc Principibus tribuit Iſaias, cum eleganti quadam periphraſi Reges, ac Principes, *ſecretorum ſcrutatores* appellauit, quo loco eſſe de Principibus ſermonem ex eo perſpicuè patet, quod eam vocem Septuaginta, ἄρχοντας, id eſt *Principes* verterunt, & alibi vulgatæ editionis auctor *Tyrannos*, aut *Legum latores* interpretatus eſt. Hac autem circumlocutione tanto aptius Principes ſignificantur, quàm Philoſophi (quamuis hi curis omnibus negotiiſque ſoluti in arcanis naturæ contemplandis ſint defixi) quantò difficilius eſt pectoris humani ſecreta, quod cordatus Princeps facere debet, quàm natura

Iſai.40. 23.

Abac. 1. 10.

Prou.8. 15.

Digitized by Google

turalium effectorum cauſas ſpeculari aut inuenire, quod Philoſophorum ſtudium eſſe ſolet. Nam cum alioqui *prauum ſit cor hominis & inſcrutabile*, vel vt alij interpretantur, *profundum præ omnibus*, aut *deſperabile*, quod ſcilicet tantæ eſt altitudinis, vt de illius cognitione deſperare poſſit quiuis, vt D. Hieronymus explicat, cumque multos habeat receſſus, quibus ſua conſilia omnibus tegat, id tamen maiore, & contentione, & ſtudio fit ab iis qui verſantur in aulis, qui ita ſe Principum voluntati attemperare ſtudent, vt quantum poſſunt eos affectus quibus perturbantur premere ſatagant, quanquam vt multum laborent, conſequi tamen non poſſunt, vt Sapientem diligenter cuncta notantem diutius lateant: eminent enim quædam in oculis, & in vultu affectuum veſtigia, quæ qui probè notare didicerit, ſtudia etiam hominum in quibus illa apparent, naturaſque cognouerit. *Cor hominis*, inquit Sapiens, *immutat faciem illius ſiue in bona ſiue in mala*; Quamuis enim ad modicum aliquod tempus triſti mente iocum fingere quis poſſit, plerumque tamen iracundiæ, clementiæ, hilaritatis, triſtitiæ, timoris aut verecundiæ ſigna, oris contractio, explicatio, color, motus, oſtendere conſueuerunt; Sicut enim *ex abundantia cordis os loquutur, & bonus homo de bono theſauro cordis profert bona*, & malus mala, ita corporis externus habitus, vt variè diſpoſitus animus eſt, ita & ipſe variam faciem ſolet induere: & quemadmodum diuturna triſtitia corpori tabem, & maciem affert, iuxta illud Salomonis. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa*, ita cum repente aliquis incidit timor, aut lætitia, aliaue huius generis perturbatio, licet

Ierem. 17. 9.

Eccleſ. 13. 21.

Matth. 12. 24.

Prou. 17. 22.

diuturna non ſit, ſui tamen, aliqua in corpore veſtigia imprimere ſolet, quæ qui ſolerter indagare & perſequi nouerit, ad affectionum, conſiliorum, deſideriorúmque cubilia quamuis abſtruſa penetrare poterit. Ac quemadmodũ ex interiore temperamento, & craſi, cum plus aut minus caloris, aliarumve huiuſmodi qualitatum, in vno corpore quàm in alio reperitur, varietas exiſtit in animalium figuris, conformationibus, ac coloribus qui cum ab ipſa natura promanent, nulla poſſunt arte
Ierem. 13. 23. elui, nam *Nec mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas:* Ita qui prauæ naturæ propenſione, cui virtutis obluctati exercitatione non ſunt; aut longo contracto habitu vitiis aliquibus inſueuerunt, ea perpetua diſſimulatione celare minimè poſſunt. In primis autem ſermo, animi certiſſimus index eſſe ſolet, nam quantumuis mendacibus, & ſimulandi arte bene peritis, verba aliqua imprudenter excidere ſolent, ex quibus animus latens, qualis ſit deprehendi po-
Prou. 15. 2. teſt. Quare Salomon, *Lingua,* inquit, *ſapientium ornat ſcientiam, os fatuorum ebullit ſtultitiam.* Quemadmodum enim aquarũ ſcaturigines aquas ebulliunt, nec facilè humo ingeſtâ obrui poſſunt, ſed tandem aliquà ſibi patefaciunt aditum, ita gliſcens in fatui pectore ſtultitia, per os erumpere ſolet, & ſi ad breue aliquod tempus cohibeatur, tandem tamen emergit. Ac quemadmodum ex ſomniis quæ de ſe ipſo Ioſeph narrabat, qualis futurus eſſet, bonus coniector diuinare potuiſſet, vt etiam parens ipſe, à quo tamen puer ar-
Geneſ. 37. 7. guebatur, interpretabatur; ita quæ homines dicũt aut faciunt cum ſui potentes non ſunt, habitum quem contraxerunt, aut animi ſtudia ac propenſiones

ſiones oſtendunt, hominémque, vt Petrum *lo-* Matth.28.
quela, manifeſtum faciunt: verùm vt ex verbis, 73.
quæ temerè dicuntur, aliqua capi poſſit coniectura, ad hominis ingenium cognoſcendum, certiorem tamen regulam ex ipſis rebus geſtis deſumi poſſe crediderim, nam *Nec arbor bona fru-* Luc. 6.43.
ctus malos, nec mala bonos facere poteſt: Et Chriſtus Dominus ad opera tanquam ad lydium quemdam lapidem eos ablegauit, qui dubitabant eſſet ne Chriſtus tanquam Propheta, aut veritatis doctor recipiendus, *Ipſa*, inquit, *opera quæ ego facio,* Ioan.5.36.
teſtimonium perhibent de me, & rurſus. *Si mihi non* Ioan. 10.
vultis credere, operibus credite. Si quis olim dubi- 38.
taſſet, qualis tandem futurus eſſet Dauid, ſi cum animo reputaret, *cum leonibus luſiſſe, quaſi cum* Eccleſ.47.
agnis, eóſque non venabulo exceptos, non iacu- 3.
lis, aut alio teli genere confixos, ſed lacertorum dumtaxat vi, rictu illorum apprehenſo, & in diuerſa per vim diducto dilaceraſſe, ſolum in ſal- 4. Reg.3.
tibus, an non & robuſtiſſimo præditum corpore, 16.
& animo ad pericula præſentiſſimo prudenter pronuntiaſſet? Si quis adoleſcentulum Salomonem in ipſo Regni exordio, litigantium meretricum cauſam ita ſapienter diſceptantem cognouiſſet, vt materni amoris quadam quaſi quæſtione tortam mulierem, veritatis haud dubio argumenta in tam obſcuro negotio exprimeret, an non prudenter de tota gubernandi ratione, qua Iſraëlitarum Rempubl. eſſet temperaturus, faceret coniecturam? Ita ſanè arbitror.

8 At fortè quærat aliquis, an etiam ex corporis habitu, oris lineamentis, & phyſiognomiæ præceptis, quæ circumferuntur de moribus hominum, de ingenij facultate, de propenſionibus ab

An Phyſiognomia ſignis aliquid credendum &

an ex corporis pulchritudine de animo liceat facere conie-cturam.

Ecclef.19. 26.
Prou.17. 24.
Prou. 27. 19.
Eccle.8.1.
Ecclef.13. 32.
1. Par. 12. 8.

ipſa natura inſitis iudicium abſque temeritatis periculo fieri poſſit. Reſpondeo, aliquem horum præceptorum vſum tanquam vtilem, Sapientem videri agnoſcere, cum ait. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Et Salomonem in Prouerbiis, cum ait. *In facie prudentis lucet ſapientia.* & alibi. *Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* Et Eccleſiaſtem dicere. *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Et auctorem Eccleſiaſtici. *Faciem bonam veſtigium cordis boni* appellare. Fauet etiam quod legimus primo Paralipomenon. *Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi & pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam, facies eorum quaſi facies leonis.* Imò rationem ipſam ſuadere aliquam artem eſſe phyſiognomiæ; quemadmodum enim generoſum equum nouerunt Equiſones ex conformatione corporis, & Venatores, canes venaticos, nec eos fallit opinio, ſed plerumque verum ex illis coniecturis aſſequuntur: ita de hominibus aliqua ad naturales animi aut corporis vires noſcendas, propenſiones etiam & ſtudia ex phyſiognomia capi poteſt coniectura, non ita quidem certa, vt in brutis, quæ ipſam naturam nunquam non ſequuntur, probabilis tamen, quæ iis hominibus, in quibus ea apparuerint ſigna, tales ineſſe ad virtutem aut vitia, ad fortitudinem vel inertiam incitationes, & inclinationes, niſi quod à natura inſitum erat, educatione & diſciplina, & quod in his omnibus præcipuum eſt, diuinæ gratiæ auxilio emendatum fuerit. Huc pertinet corporis pulchritudo & decor, nam omnium ferè gentium opinione in corporum maieſtate quædam eſt veneratio,

neratio, quoſque eximia ſpecie donare natura dignata eſt, eos maiorum operum capaces iudicamus; quemadmodum enim corporis pulchritudo in apta quadam membrorum conformatione cōſiſtit, cum ſuauitate quadam coloris, ita in animo perturbationum, opinionum, iudiciorúmq; ęqualitas, & conſtantia, pulchritudo quædam mentis eſt, illámque huius indicem eſſe non ineptè putamus. Et ſanè phyſica ratio ſuffragatur, nam cum vehementes animi affectiones, & perturbationes cuiuſmodi ſunt iræ, timores, odia multùm ex corporis temperamento & craſi pendeant, ita vt illis magis ſit obnoxius is, in quo aut bilis, aut ſanguis, aut alius humor, aut qualitates illæ primariæ caloris aut frigoris, humoris aut ſiccitatis vitioſè redundarint, neceſſe eſt fateri eaſdem pulchritudinis corporis, & compoſitæ ſedatæque mentis cauſas eſſe, humorum ſcilicet & qualitatum bene temperatam mixtionem. Propter hanc hanc cauſam Theologi & Patres nonnulli Chriſti Domini corpus pulcherrimum fuiſſe aſſeuerant, non quidem ea pulchritudine quæ muliebris eſt, & venuſtas dicitur, ſed ea quæ virum decet, & formæ dignitas appellari poteſt. Nam in Canticis in quibus prophetice vaticinando Chriſti Domini cum Eccleſia canitur epithalamium, dicitur: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* & de Cāt. 1. 15.
eodem dicitur in Pſalmis. *Speciosus forma præ filijs* Pſal. 44. 3.
hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Quamuis tamen pulcher eſſet Chriſtus, imò mortalium omnium pulcherrimus, quia tamen, vt ipſe de ſe teſtatus eſt, nec tectum habebat quod ſubiret, nec lectulum in quo feſſum diurnis laboribus corpus ſomno reficeret, diuturniſque ieiuniis corpus at-

 terebat,

Luc.6.12. terebat, & noctes integras *pernoctabat in oratione Dei:* factum eſt vt amabilis illa pulchritudo defloreſceret, vt etiam ante paſſionis tempus in illum quadraret ſaltem ex parte Iſaiæ querimonia;
Iſa.53.3. *Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus.* Huc aliqui referunt, quòd vulgus Iudæorum dicenti Domino ſe ante ipſum Abrahamum fuiſſe
Ioan.8.57. obiecit. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Nam propter ærumnas, perpetuóſque corporis labores multò videbatur eſſe ſenior quàm eſſet, ac communi iudicio proximè à ſenectutis limine abeſſe. Primum etiam parentem Adamum, cuius corpus ex terræ limo ſummus opifex Deus fingere non eſt dedignatus, vt animi præclaram indolem, ita corpus elegantiſſimum egregiéque temperatum diuino beneficio nactum
Libr. de mūdi opificio. eſſe dubitandum non eſt; cuius rei Philo Iudæus eam potiſſimùm affert rationem, quòd à Deo, & ad imaginem & ſimilitudinem ipſius Dei conditus ſit. Turpe enim videretur ſi quaſi imperiti artificis opificium, rude eſſet, aut vitioſum, quaſique primum artis rudimentum Dei, homines adhuc perfectè fingere neſcientis. Rurſus conſentaneum rationi non erat, ſi eximia ea ſapientia, qua Adami mentem præditam eſſe conueniebat, in corpore vitioſo aut diſtorto, malè quodammodo habitaret, ſed potius eius nobilitate dignum domicilium excitandum erat, in quo ſuæ dignitati conſentaneè animi vires & functiones exerceret.
Sap.8.20. Itaque Salomon qui de ſe ipſó ait; *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam,* veniſſe ſe affirmat

Digitized by Google

firmat ad *corpus incontaminatum*, id eſt, corpus habuiſſe nulla labe aut vitio inquinatum, quod ſcilicet impedimento eſſe poſſet, quo minus animus virtutis ſatus exciperet, ſed tale prorſus, quale ab anima regi, & ad rationis præſcriptum aptum eſſet gubernari, cuiuſmodi eorum eſſe ſolent, quorum membra decorè, & iuxta conuenientem ſymmetriam poſita ſunt. Hoc tamen de quo agimus pulchritudinis argumentum, vt afferat nonnullam de morum probitate, animíque dotibus coniecturam, non tamen tale eſt vt illi multum, ſi cætera deſint, inniti debeamus. Nam licet Ioſeph, v. g. & Dauid cum pulchritudine corporis animi, etiam excellentes virtutes copulauerint, Abſalonis tamen, & Adoniæ illius fratris non minus inclyta eſt pulchritudo, quàm ſceleratorum ſtudiorum infamis memoria; nam igniculi illi quos ad virtutem humanis pectoribus præclara indole præditis natura inſeuit, aut prauæ educationis vitio, aut ſociorum exemplis, aut aliis corruptelis, quæ paſſim obuiæ ſunt, ita obruuntur, vt qui virtute, rebúſque geſtis clari eſſe potuiſſent, aut obſcuri iaceant in populi fæce, aut corporis forma ad vitia abutentes, non virtutis laude, ſed ſcelerum immanitate nobilitentur. Itaque monet Sapiens, *Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo: breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius.* Eccleſ. 11. 2. Fieri enim poteſt vt quis ſtatura puſillus, aut alioqui ſpecie deſpicabilis, apibus tamen ſit ſimilis, quæ cum exiguo admodum ſint corpuſculo, ſuauiſſimi tamen liquoris ſunt artifices, qui inter omnes obtinet Principatum. Quod enim vulgatus vertit ex Græco *initium*, clariùs verti poteſt

Principatum, cum vox ἀρχὴ vtrumque ſignificet. Sed iam aliquid de delatoribus dicamus, quibus Principes nonnunquam ad ſuorum mores & ſtudia exploranda vti ſolent.

An Delatores in Rep. ferendi.

9 Delatorum duplex genus conſtituo. Alterum eorum, qui ferè pretio à Principe conducti ad colligendos rumores deſtinati, cætibus hominum ſeſe ingerendo, legum iuſtitiæque violatores, criminum patratores, alienarum fortunatum appetitores, raptoréſque ad Principem deferunt. Hoc genus hominum quamquam Principibus commodat, & bono publico famulatur, abiectum tamen eſt, & omnium odiis expoſitum, quod aliis periculum faceſſere ſiue iure ſiue iniuria, ſordidum ad famam, ac pudendum paſſim cenſeatur. Alterum genus eorum eſt, qui non publici boni ſtudio, ſed aut malignitate quadam prauitatéque naturæ ducti, aut etiam ſuis compendiis per Principum ſuſpiciones ſeruientes, delationes exercent, quid quis in foro, in conuiuio, in amicorum cætu fidenter, aut per imprudentiam locutus ſit in aures Principum inſtillando, vt eos in inuidiam vocent, fortunis euertant, & in vitæ etiam diſcrimen adducant. Vtrorúmque magnus in aulis Principum prouentus eſſe ſolet. Pueri tres Ananias, Miſach, & Azarias ſtatuam, quam erexerat Nabuchodonoſor, non adorauerant; *Statimq; in ipſo tempore*, ait ſcriptura, *accedentes viri Chaldæi accuſarũt Iudæos, dixeruntq; Nabuchodonoſor Regi. Sunt viri Iudæi quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis Sidrach, Miſach, & Abdenago: viri iſti contempſerunt Rex decretum tuum, Deos tuos non colunt, & ſtatuam auream quam erexiſti non adorant.* Nec Daniel in eadem aula delatorum petitiones euaſit.

Dan. 3. 8. 12.

euaſit. Cum enim Darius Rex *cogitaret conſtituere eum ſuper omne Regnum, Principes & Satrapæ quærebant occaſionem vt inuenirent Danieli ex latere Regis, nullamq́; cauſam & ſuſpicionem reperire potuerunt eo quod fidelis eſſet, & omnis culpa, & ſuſpicio non inueniretur in eo.* Vt ergo Danielem innocentia munitum ſontem facerent,& ſic expugnare poſſent,& euertere,eum ad Regem his verbis deferunt. *Daniel de filijs captiuitatis Iuda non curauit de lege tua, & de edicto quod conſtituiſti, ſed tribus temporibus per diem orat obſecratione ſua.* Ea delatio periculum Danieli creauit,quod contra Perſarum atque Medorum decretum, quod immutare nō licebat,venire auſus fuiſſet, ac propterea in caueam leonibus diſcerpendus obiectus eſt, quamquam Dominus, qui eſt *Liberator atque Saluator,faciens ſigna, & mirabilia in cælo, & in terra*, eum inde incolumem eduxerit, & quas Danieli ſtruxerant inſidias, in inſidiantium caput, perniciémque conuerterit. Mirum autem eſt, quod in hoc genere Moyſi accidiſſe legimus in Exodo,qui licet priuſquam manus Ægyptio iniiceret,oculos in omnes partes circumtuliſſet, vt ſcriptura notauit,neminémque qui factum illud arbitraretur,adeſſe credidiſſet,ſe tamen deprehenſum ſenſit,ac propterea meritò timuit, & ſeſe fuga Pharaonis violentiæ ſubduxit.Et ſanè commodùm elapſus eſt,nam fama criminis per delatores ad Principis aures confeſtim accidit: *audiuitq́; Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem.* Huiuſmodi ergo delatoribus ſi per calumnias graſſantur(quod iis familiarius eſt, quos in ſecunda claſſe conſtitui) ſi falſa crimina bonis viris impingunt,faciles aures accommodare Princeps non debet, ſed tanquam homines

Dan.6.4. Ibid.n.13. Ibid.n.27. Exo. 2.12. Ibid.n.15.

homines publico exitio natos, legibus pœniſque coërcere, ne fortè per impunitatem malum gliſcat, & cum nocentibus etiam bonos integróſque corripiat, Princeps ipſe dum delatores non caſtigat, quodammodo inuitare videatur, & à probi
Pſal. 14.4. etiam viri officio deſciſcere, qui vt eſt in Pſalmo non modo opprobrium non accipit aduerſus proximos ſuos, ſed etiam ad nihilum malignos deducere conſueuit.

Alia quædam præcepta ad Prudentiam pertinentia.

CAPVT XXXI.

Non facilè aliquid aggrediendũ eſſe, niſi omnibus rei circunſtantijs diligẽter exploratis.

1 PRæter ea quæ ſuperiore capite tradita ſunt, paucula quædam præcepta addenda reſtãt, quæ cum latè pateant, multiplicem vſum habere, & cum res tulerit emergentibus nouis neceſſitatibus accommodari poterunt. Et quidem primò illud perpetuò ſeruandum eſt, vt nulli negotio prius manum admoueamus, quàm diligenter omnia excuſſerimus, circunſtantias rei, quæ proponitur, ad examen reuocando, ne fortè ſi aliqua nos lateat, olim ſuſcepti negotij ſera pœnitentia ſubeat. Huius præcepti ratio ea afferri poteſt, quod omnis præpropera feſtinatio plena ſit aleæ,
Prou. 19.2. monet enim Sapiens, *Qui feſtinus eſt pedibus, offendet, ſtultitia hominis ſupplantat greſſus eius.* Quaſi dicat, moneo lentè feſtinandum eſſe, nam quemadmodum qui lapidibus & offendiculis plena via,
quò

Digitized by Google

quò figat veſtigia non ſatis aduertens, greſſus feſtinè glomerando, eò quò deſtinauit animo peruenire contendit, non ſine grauioris lapſus periculo pedibus impingit: ita in tractandis negotiis rerum de quibus agitur adiuncta diligenter circunſpicere negligentes, offendent, nec in ipſas res culpam conferre iure poterunt, ſed quidquid incommodi paſſi ſunt, ſuæ ſtultitiæ, quæ illorum greſſus ſupplantauit, acceptum referre debebunt. Aſcenderat Moyſes montem ad legem Deo dictante accipiendam, dúmque populo illius reditum præſtolanti congreſſus ille videretur diuturnior, tam longæ moræ pertæſi, in idololatriæ crimen lapſi ſunt. *Videns autem populus*, inquit ſcriptura, *quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron dixit. Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant, Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Exo. 32. 1. Eam verò quam vitulum conflatilem adorando ſuſceperunt iniquitatem, ſuo poſtea ſanguine luerunt, vt indicato loco ſcriptura proſequitur. Samuelem expectauerat Saul hebdomadã vnam, vt holocauſta offerret & pacifica, cum autem non appareret, populúſque dilaberetur, iam factus moræ impatiens holocauſtum offerre, quod ſui muneris non erat occupauit, quæ plurimorum illi malorum ſeges fuit. Nam *Cum compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat, & egreſſus eſt Saul obuiam ei vt ſalutaret eum, locutuſq; eſt ad eum Samuel: Quid feciſti? Reſpondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras, iuxta placitos dies, porrò Philiſtiim congregati fuerant in Machmas: dixi, Nunc deſcendent Philiſtiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Neceſſitate compulſus, obtuli* 1. Reg. 13. 10.

obtuli holocauſtum. Dixitq́ Samuel ad Saul; ſtultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi: quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed nequaquam regnum tuum vltra conſurget. Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus vt eſſet Dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſeruaueris quæ præcepit Dominus. Hæc autem mala omnia, vt à Samuele ſpiritu prophetico prædicta ſunt, ita ſuo tempore exactè euenerunt. Omnium autem horum malorum origo fuiſſe videtur expectandi Samuelem impatientia, qui vt ſeptimo die ſe ad ſacrificandum affuturum promiſerat: ita antequam eo die ſeptimo ſacrificij opportunum tempus elapſum eſſet aduenit, ſed Saul auſpicatus fuerat ſacrificium, itaque Propheta nullis à Rege prætenſis excuſationibus acquieſcens, & ſtultè eum egiſſe, & facti ſui pœnas luiturum pronũtiauit, vt vidimus. Quare Saul comminationem illam incurrit quæ eſt apud Eccleſiaſticum, *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam* (Græcè ὑπομονὴν, patiẽtiam) ex quo factum eſt vt in errores & peccata laberentur vt ſtatim ſequitur; *& qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas.* Si verò rurſus quærat aliquis quam ob cauſam periculoſa ſit feſtinatio, in ſuſcipiendis tractandíſve negotiis, ratio eſt in promptu: nam accidit frequenter, vt quæ prima ſpecie honeſta videntur, aut vtilia, ſi diligentius conſideremus, turpia eſſe inueniamus aut noxia: hoc autem ſapientes diſtant ab imprudentibus, quòd hi quæ conſideranda erant facile tranſmittant, quid in illis lateat, quid conſequi poſſit, non aduertentes; illi verò omnia bene diſcutiant, & quid ex quaque

Eccleſ. 2. 17.

re

re naſci poſſit, ſolerter explorent. Itaque Salomon. *Sapiens*, inquit, *timet & declinat à malo, ſtultus tranſilit & confidit. Innocens credit omni verbo, aſtutus conſiderat greſſus ſuos.* Non eſt autem laudabilis iſta innocentia, ſicut nec laude caret aſtutia illius qui greſſus ſuos conſiderat, aſtutus enim ponitur pro prudenti & circunſpecto, vt innocens pro vitioſè ſimplici & imperito. Hoc enim vox Hebraica ſignificat פְּתִי, eũ ſcilicet, qui facilè ſuadetur credens omnibus, qui declinat & flectitur ad omne verbum, radix enim huius vocis eſt פתה quæ ſignificat inclinare, declinare cor ad ea quæ ſunt præter rationem & veritatem, vt cum dicitur apud Iob; *Stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.* Τὸ Paruulum, eſt in Hebræo פֹּתֶה declinantem, & ſenſus eſt, & eum qui declinauerit ad omnia quæ viderit, & concupiuerit ſibi, interficiet eum inuidia, quia inuidebit omnibus quæ videbit. Vocem autem פְּתִי D. Hieronymus, inſipientem, ſtultum, paruulum, vt loco Iobi explicato, vertere ſolet. Rurſus in eamdem ſententiam Sapiens. *Callidus*, inquit, *vidit malum & abſcondit, innocens pertranſiit, & afflictus eſt damno.* Quaſi dicat: Qui ſapiens eſt, vidit ſibi ab inimicis inſidias poſitas eſſe, itaque prudenter ab itinere abſtinuit, ne ſe, videns, & volens in eas indueret: at ſimplex & imprudens, qui omnes circunſtantias præuidere non potuit, interceptus eſt, & ab iis quos minimè ſibi putabat aduerſarios fore, circumuentus & malè habitus. Sed quod deterius eſt, ea eſt inſipientis vecordia, vt ne malis quidem caſtigatus erudiatur; quare Salomon huiuſmodi homines canibus ſimiles facit, qui ad vomitum ſuum reuertuntur, *Sicut canis*, inquit, *qui*

Prou. 14. 16.

Iob 5. 2.

Pro. 22. 3.

Pro. 26. 11.

qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam. Quemadmodum enim canes id quod nauſeante ſtomacho eiecerunt, iterum in cibum aſſumentes ferre non poſſumus, ſed vehementer auerſamur, ita ſtultitiæ eorum ignoſcendum minimè putamus, qui cum ſuo malo, quid facto opus eſſet diſcere potuiſſent, adhuc tamen in ſua illa parum probabili, imò multum noxia hærent ſimplicitate, ex qua, magiſtra experientia, cum læſi ſunt, emergere debuiſſent. Sed mirum etiam, *Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius.* Longè autem diſpar eſt prudentium conditio, qui vt de ſapientia dicitur, *Sciunt præterita, & de futuris æſtimant*, ex iis ſcilicet quæ fuerunt, de futuris coniecturam capientes, ſuáſque inde actiones prudenter moderantes.

Prou. 27. 22.

Sap. 8. 8.

Prudenti mutandum eſſe aliquando conſilium.

2 Alterum præceptum eſt, primis noſtris conſiliis quæ capimus, quæque animo noſtro inſederunt, non eſſe adeo pertinaciter inſiſtendum, vt nulla ratione ab illis abſtrahi velimus. Accidere enim poteſt, vt quæ prius viſa fuerant ſalutaria, poſtmodum noxia fuiſſe appareant, & rurſus quędam, quæ tanquam minus vtilia repudiata fuerant, ad finem quem conſequi volumus, accommodatiſſima eſſe reperiantur, nam vt ait Sapiens: *Eſt via, quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem*; & rurſus, viæ aliquæ multis videntur aſperæ ac difficiles per illas ad ardua nitentibus, quas tamen cum fuerimus emenſi, & honeſtatem afferunt, & delectationem. Eſt ergo prudentis, conſilium aliquando mutare, cum nouæ ita faciendi rationes, quæ prius nos latuerant apparuerint. Nec Principem pudere debet, quod in

Prou. 16. 26. & Prouer. 14. 12.

Digitized by Google

in huiuſmodi conſtantiam non ſeruet, cuius ſapientia maior eſſe non poteſt quàm Dei, de quo Eccleſiaſticus. *Cognouit enim Dominus omnem ſcientiam, & inſpexit in ſignum æui, annuntians quæ præterierunt, & quæ ſuperuentura ſunt, reuelans veſtigia occultorum. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe ab eo vllus ſermo. Magnalia ſapientiæ ſuæ decorauit, qui eſt ante ſæculum & vſque in ſæculum, neque adiectum eſt, neque minuitur, & non eget alicuius conſilio.* Et tamen eædem ſacræ litteræ, quæ tam magnifica de illius ſapientia prædicant, de eodem dicere non dubitarunt, conſilia ipſum mutaturum, ſi nos mores noſtros in melius mutare condiſcamus; ita enim loquitur Ieremias. *Nunc ergo bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & audite vocem Domini Dei veſtri, & pœnitebit Dominum mali, quod locutus eſt aduerſum vos.* Et alibi. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Et in Geneſi legimus. *Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus, delebo inquit hominem quem creaui à facie terræ.* Et in libris Regum. *Pœnitet me quod conſtituerim Saul Regem.* Alibi etiam quædam euentura prædixit Deus, quæ poſtea non euenerunt, vt quòd Ezechias ſtatim eſſet moriturus: quòd Niniue poſt quadraginta dies ſubuertenda, quod tamen poſtea factum non eſt. Quod ſi Dominus iſta de ſe in ſcripturis prædicari voluit, non video cur tantopere hominem infirmum, cuius *Cogitationes timidæ ſunt, & prouidentiæ incertæ*, pudere debeat, ſi cum res tulerit conſilium aliquod mutet in melius. Illud tamen aduertendum eſt, cum dicitur Deum pœnituiſſe, non ita in Deo accipien-

Eccleſ. 42. 19.
Ier. 26. 13.
Iere. 18. 8.
Geneſ. 6. 6.
1. Reg. 15. 11.
4. Reg. 20. 1.
Ionæ 3. 4.
Sap. 9. 14.

dum eſſe, ſicut cum de hominibus dicitur. Nam in hominibus, cum illos pœnitet, & internus eſt voluntatis dolor, quo factum deteſtantur, & infectum vellent, ex quo ſequitur, vt quod fecerant quantum poſſunt retractare, & deſtruere conentur. In Deo autem hoc poſterius eſſe poteſt, nam cataclyſmo genus humanum, cuius auctor fuerat, abſumpſit, & Saulem regno ſpoliauit, prius autem non poteſt, itaque non propriè ſed metaphoricè tantùm de Deo dicitur illum pœnituiſſe, quod ſcilicet quemadmodum homines cum voluntatem mutant, id etiam quod prius fecerant mutare aut deſtruere conentur, ita Deus qui id mutauit, cuius prius auctor fuerat, ſententiam, conſiliúmque mutaſſe dicatur. Quod autem ad prædictiones futurorum attinet, ſi aliquid quod à Domino prædictum ſit poſtea non euenit, ideo accidit, quòd non abſolutè ſed ſub conditione enuntiata ſunt. Nam Niniuem prædixit euertendam, ſi pœnitentiam non egiſſent, & Ezechiam moriturum, niſi naturalium cauſarum curſus impediretur, quod ſanè factum eſſet, niſi lacrymis propitiato numine ſingulari eius beneficio ſeruatus fuiſſet. Itaque præclarè Aſſuerus fraudibus & mendaciis Amani circumuentus eóque deductus, vt Hebræorum gentem quæ in ſuo regno diuerſabatur iuberet interfici, retectis dolis conſilium mutauit in melius, & ad populos ſibi ſubiectos epiſtolam ſuper hoc negotio ſcripſit, in qua hæc
Eſther 16. 9. habentur inter cætera. *Nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri leuitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, vt Reipub. poſcit vtilitas ferre ſententiam.* Tum Iudæorum explicata innocentia prius edictum abrogat. *Vnde*, inquit, *eas litteras*

quas

quas ſub nomine noſtro ille direxerat ſciatis eſſe irritas: putauítque ſibi honeſtiſſimum eſſe, ſi quæ Aman poteſtate abutens, Regíſque auctoritate in populum Iudaicum peccauerat, ipſe in irritum reuocando corrigeret, oppreſſámq; impotentis Amani violentia Iudæorum innocentiam tueretur.

3 Tertium præceptum eſt ſuperiori non abſimile, vt ſcilicet neceſſitati ſeruire diſcat, & in cõſiliis capiendis ita ſe accommodet, vt quam illi legem neceſſitudo impoſuerit, æquo animo ferat, cúmque illum difficilia vrſerint tempora, conſilium in arena capere ſciat. *Homo ſapiens*, inquit Eccleſiaſticus, *tacebit vſque ad tempus.* Nam ſi ab aduerſario ſuo v.g. iniuriam ſibi viderit inferri, nec illi propulſandæ par eſſe poſſit, rem ſapiens ſilentio tranſmittet tantiſper dum maioribus viribus contractis ius ſuum tueri poſſit. Nihil verò magis hominis prudentiam oſtendit, quàm cum omni ex parte rebus implicatis, ita tamen ab iis negotia ſua expedit, vt explicatis aut perruptis omnibus difficultatibus ſe ab illis eripiat. Ita Dauid cum à facie Saulis fugeret, & ad Abimelech ſacerdotem veniſſet in Nobe, & panibus propoſitionis veſci ſibi non iudicauit interdictum, & Golię gladium quo armaretur impetrauit, indéque cum ſuis curatis corporibus, euaſit incolumis, vt aliàs frequenter, cum à Saule quæreretur ad necem.

Prudentiæ eſſe ingruẽti neceſſitati ſe accõmodare, illiq; ſeruire.

Eccleſ. 20. 6.

1. Reg. 21. 1.

4 Sed quia magnum eſt prudentiæ telum non facile credere, licet huius capitis initio quædam attigerimus, quæ hoc ſuadeant, plenius tamen hic locus tractandus eſt, vt paruulis detur ſalutaris aſtutia. Huic rei probandæ luculenta ſuppetunt exempla in ſcripturis. Notum eſt Ioſue ſolertem alioqui prudentémque populi Ducem à Gabaoni

Prudentiæ eſſe non facilè credere, quod præceptum latè explicatur.

Ioſue 9.

Digitized by Google

baonitis ita fuiſſe deceptum, vt eos crederet longè diſſitas regiones incolere, qui in finitimis iis, quas occupabat, regionibus habitabant; eſt enim ad decipiendum ingenioſa hominum calliditas, præſertim cum aliqua detrimenti alicuius declinandi, aut commodi conſequendi ſpes affulſerit.
Prouer. 4. 25. Itaque faciendum quod monet Sapiens, vt *palpebræ noſtræ præcedant greſſus noſtros*, nec facilè credamus iis præſertim, quos alioqui nobis infeſtos aut infenſos eſſe, aut noſtris incrementis inuidere de-
Eccleſ. 12. 10. prehenderimus. *Non credas*, ait Eccleſiaſticus, *inimico tuo in æternum, ſicut enim æramentum æruginat nequitia illius, & ſi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo. Non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam, ne fortè conuerſus in locum tuum inquirat cathedram tuam, & in nouiſſimo agnoſcas verba mea, & in ſermonibus meis ſtimuleris, quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtijs.* Quibus verbis eleganter docet non facilè credendum iis præſertim quos ſemel habuerimus inimicos, appoſitiſſimáque ſimilitudine rem illuſtrat: nam quemadmodum vas ex ære factum, etiam ſi politum ſit ſtudio artificis, omníſque videatur ærugo deterſa, tamen rurſus æruginat, quia materia ex qua conflatum eſt, eius eſt naturæ: ita facilè accidit vt is qui ſemel inimicus fuit, qualibet leui offenſione irritatus veteris odij memoria recrudeſcente, nobis malum aliquod ſtruat. In Græco autem contextu ante illa verba, *Ne ſtatuas illum penes te*, alia additur ſimilitudo his verbis: ϗ ἔσῃ αὐτῷ ὡς ἐκμεμαχὼς ἔσοπτρον, καὶ γνώσῃ ὅτι ὀκ εἰς τέλος κατίωσε: *Et eris*, inquit, *ei tanquam is qui abſterſerit ſpeculum, & cognoſces quod non in finem depoſuit æruginem.* Et ſenſus

ſenſus videtur eſſe, quantumuis bona fide in gratiam cum inimico tuo rediiſſe videaris, itaque abſterſa ſit inimicitiæ rubigo, quemadmodum ab ſpeculis ex metallo confectis deterſam eſſe oportet, tamen non ita multo poſt intelliges *quod non in finem depoſuit æruginem*, ea rurſus ſpeculum inficiente. Ab eo itaque cauendum monet, ne fortè deceptũ ſerò nimiæ credulitatis pæniteat, nullúſque ſit, qui decepti vicem doleat, quippe qui toties & tam diſertè monitus, ſibi tamen malum vltrò accerſierit, quemadmodum nullus incantatoris ſerpentes tractãtis vicem dolet, ſi ab illis mordeatur, cum potuerit ipſe periculum ſi voluiſſet animaduertere. Huius prudentiæ inſigne documentum habemus in Dauid, qui cum latens in ſpelunca Saulis periculum ſuum non intelligentis, atque ideo eandem ſpeluncam ingreſſi, oram clamydis latenter abſcidiſſet, poſt nonnullos ſermones reconciliatæ amicitiæ indices vltro citróque habitos, ſibi tamen adhuc à Saule cauendum exiſtimauit: ſic autem eum loquentem narrat Regum hiſtoria. *Domine mi Rex, quare audis verba lo-* 1. Reg. 24.
quentium, Dauid quærit malum aduerſum te? ecce ho- 9.
die viderunt oculi tui quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca, & cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt. Quin potius, pater mi, vide, & cognoſce oram clamydis tuæ in manu mea, quoniam cum præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te, animaduerte & vide quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te, tu autem inſidiaris animæ meæ, vt auferas eam. Iudicet Dominus inter me & te, & vlciſcatur me Dominus ex

te, manus autem mea non ſit in te, ſicut & in Prouerbio antiquo dicitur. Ab impijs egredietur impietas, manus ergo mea non ſit in te. Quem perſequeris Rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum. Sit Dominus iudex, & iudicet inter me, & te, & videat, & iudicet cauſam meam, & eruat me de manu tua. Cum autem compleſſet Dauid loquens ſermones huiuſmodi ad Saul, dixit Saul. Nunquid vox hæc tua eſt fili mi Dauid? & eleuauit vocem ſuam & fleuit. Dixitq́; ad Dauid. Iuſtior tu es quàm ego, tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicaſti hodie, quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona? ſed Dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc quia ſcio, quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in in manu tua regnum Iſrael, iura mihi in Domino ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo Patris mei, & iurauit Dauid Sauli. Quis non credat poſt tot reconciliati animi ſigna, quæ Saul edidit, poſt lacrymas pœnitentiæ, & amoris indices, poſt violatæ amicitiæ confeſſionem Dauidem cum ſocero ſimul in aulam rediiſſe, cum præſertim apud Saulem omnis abſterſa eſſet ſuſpicio iuriſiurandi Religione interpoſita, vt etiam ſi ad regnum aliquando veniret, Saulis tamen domui parceret, nec contra eam exerceret
Ibid. n.23. inimicitias? & tamen ſubdit ſcriptura. *Abyt ergo Saul in domum ſuam, & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca,* Saulis nimirum perfidiam metuens. Nec eum fefellit opinio, nam non ita mul-
1. Reg. 26. 1. to poſt *Venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes. Ecce Dauid abſconditus eſt in colle Hachila, quæ eſt ex aduerſo*

aduerſo ſolitudinis, & ſurrexit Saul, & deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo tria milia virorum de electis Iſraël, vt quæreret Dauid in deſerto Ziph Quod cum cognouiſſet Dauid audaci ſanè conſilio, vno duntaxat Abiſai comite deſcẽdit ad Saulem in caſtra, illiúſque dormientis tentorium ingreſſus, haſtam quæ ad caput Regis erat, & ſcyphum aquæ abſtulit, nullóque prorſus ex corporis cuſtodibus aut militibus aduertente è caſtris elapſus, cum in tuto conſtitiſſet Abner repetitis clamoribus ſuſcitauit à ſomno, indicans quid geſtum eſſet. *Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit. Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid? & ait Dauid, vox mea Domine mi Rex. Et ait; Quam ob cauſam Dominus meus perſequitur ſeruum ſuum? quid feci? aut quod eſt malum in manu mea? Nunc ergo audi, oro, Domine mi Rex, verba ſerui tui. Si Dominus incitat te aduerſum me; odoretur ſacrificium: ſi autem filij hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini, quia eiecerunt me hodie vt non habitem in hæreditate Domini dicentes. Vade, ſerui dijs alienis, & nunc non effundatur ſanguis meus in terram coram Domino, quia egreſſus eſt Rex Iſraël, vt quærat pulicem vnum, ſicut perſequitur perdix in montibus.* Dauidis verborum ſenſus eſt. Si aliquo meo maleficio in me commotus Dominus vt ſceleris pœnas repoſcat, te in me incitat, illius acquieſco voluntati, oróque vt quod ego illius voluntate patior, ſit quaſi ſacrificium quoddam per te Domino oblatum, cuius ipſe odore ſuauitatis vt accidit in ſacrificiis delectetur (hunc ſenſum exhibent etiam Septuaginta, qui verterunt ὀσφρανθείη θυσία σου, *odor ſacrificij tui ad eum perueniat:*) ſi autem maledicorum hominum, mihíque infeſtorum calumniis, quibus tu aures faciles accõmodas, iſta

Ibid. n. 17.

Digitized by Google

patior, execrabile ipſi munus exercent, nam eo me quod in ipſis eſt adigunt, vt cum in hæreditate Iſraël, & intra populi mei fines conſiſtere non poſſim, ad finitimos alienigenas tranſeam, abiurataque vera Domini religione, illorum ſuperſtitiones ſuſcipiam, quo carior illis ſim, & inter eos magis tutus. Abſit autem, vt mea aliqua culpa reus ego ſim mortis ad quam tamen expetor à te tanto Rege, tantulus ego, vt perinde ſit ac ſiquis pulicem vnum, aut auceps perdicem in

Ibid.n.21. montibus perſequatur. *Et ait Saul, peccaui, reuertere fili mi Dauid, nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretioſior fuerit anima mea in oculis tuis hodie, apparet enim quod ſtultè egerim, & ignorauerim multa nimis.* Adeo verò Dauid Saulis verbis metu ſolutus non eſt, vt curas etiam magis intenderit, vt aduerſarij ſui inſidias euaderet. *Et ait*, inquit

1. Reg.27. 1. ſcriptura, *Dauid in corde ſuo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nonne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſtinorum vt deſperet Saul, ceſſetque me quærere in cunctis finibus Iſraël? fugiam ergo manus eius: & ſurrexit Dauid, & abiit ipſe & ſexcenti viri cum eo, ad Achis, filium Maoch Regem Geth.* Apud quem cum aliquo tempore commoratus fuiſſet, bellumque inter Iſraëlitas & Philiſtæos exarſiſſet, cumque Philiſtæi caſtra locauiſſent in Aphec, eiuſque expeditionis Dauid Achis Regem Geth ſecutus particeps eſſet, prudenter Philiſtæorum Satrapæ Dauid è ſuis caſtris remouerunt, nam cum natione Hebræus eſſet, non facilè credebant adeo ſuæ genti infeſtum eſſe, vt mallet à Philiſtæis quàm à populo Iſraëlitarum victoriam ſtare. Quod Satraparum conſilium id confirmat de quo agimus, ſcilicet non facilè inimicis

micis præſertim fidendum eſſe. *Dixeruntque Principes Philiſtiim ad Achis; Quid ſibi volunt Hebræi iſti? & ait Achis ad Principes Philiſtiim. Num ignoratis Dauid, qui fuit ſeruus Saul Regis Iſraël, & eſt apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam ex die, qua transfugit ad me, vſque ad diem hanc? Irati ſunt autē aduerſus eum Principes Philiſtiim, & dixerūt ei. Reuertatur vir iſte & ſedeat in loco ſuo in quo conſtituiſti eum, & non deſcendat nobiſcū in prælium vt fiat nobis aduerſarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare Dominum ſuum, niſi in capitibus noſtris? Nonne iſte eſt Dauid cui cantabant in choris dicentes: Percuſſit Saul in millibus ſuis, & Dauid in decem millibus ſuis?* Nec Satrapas coniectura fallebat. Nam ſi Dauid cum apud Achis moraretur, gentium quæ cum populo Dei gerebant inimicitias, fines perpetuis incurſionibus vaſtabat prædas agens, habitatoreſque interficiens; atque ita ſimulatione rem tegebat, ac ſi Iudæorum fines irrupiſſet, idque tunc agebat cum nullum populo ſuo ab allophylis illis periculum imminebat, quid obſecro feciſſet, cum explicatis Phalangibus inter Iſraëlitas & Philiſtæos confligendum eſſet? credimus ne temperaturum à Philiſtæorum cæde, & ſanguine in tanto ſuorum diſcrimine, qui hoſtibus gentis ſuæ pacatis tam multa inferebat damna? Tertium ad rem dequa agimus confirmandam exemplum ſanè illuſtre peti poteſt ex hiſtoria Iacob & Eſau fratrum, inter quos cum ſimultates occaſione primogeniorum venditorum, benedictioniſque fraude interceptæ olim extitiſſent, eſſetque Eſau feroci ingenio, & armis tractandis aſſuetus ab illo ſibi Iacob non mediocriter metuebat. *Eleuans autem Iacob*

1. Reg. 29. 3.

1. Reg. 27. 8.

Geneſ. 33. 1.

oculos ſuos, inquit Scriptura, *vidit venientem Eſau, & cum eo quadringentos viros, diuiſitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum, & poſuit vtramque ancillam & filios earum in principio; Liam verò & filios eius in ſecundo loco, Rachel verò & Ioſeph nouiſſimos: & ipſe progrediens adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius. Currens itaque Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringenſque collum eius, & oſculans fleuit. Leuatiſque oculis vidit mulieres & paruulos earum, & ait. Quid ſibi volunt iſti? & ſi ad te pertinent? Reſpondit: Paruuli ſunt, quos donauit mihi Deus ſeruo tuo, & appropinquantes ancillæ, & filij earum incuruati ſunt. Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis, & cum ſimiliter adoraſſent, extremi Ioſeph & Rachel adorauerunt. Et dixit Eſau, quænam ſunt iſtæ turmæ quas obuiã habui? Reſpondit, vt inuenirem gratiam coram Domino meo. Et ille ait. Habeo plurima frater mi, ſint tua tibi. Dixitque Iacob. Noli ita obſecro, ſed ſi inueni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis, ſic enim vidi faciem tuam quaſi viderim vultum Dei, eſto mihi propitius, & ſuſcipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente ſuſcipiens ait. Gradiamur ſimul eroque ſocius itineris tui. Dixitque Iacob. Noſti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecũ, quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe, donec veniam ad Dominum meum in Seir. Reſpondit Eſau. Oro te vt de populo qui mecum eſt ſaltem ſocij remaneant viæ tuæ. Non eſt inquit neceſſe, hoc vno tantum indigeo vt inueniam gratiam in conſpectu tuo Domine mi. Reuerſus eſt itaque illo die Eſau itinere, quo venerat*

in

Digitized by Google

in Seir, & Iacob venit in Sochoth, tranſiuitque in Salem vrbem Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaam. Admirabili dexteritate & artificio vſus eſt Iacob, vt ſe ab Eſau expediret, incolumiſque euaderet. Nam primò demiſſione animi, verborum modeſtia, externis reuerentiæ ſignis, adorans ſepties, obuiam procedens, munera offerens, Dominum ſuum appellans Eſau ſibi beneuolentiam conciliare ſtuduit. Deinde ab Eſau comitatu, ſe variis allatis excuſationibus ſubducere quantum potuit ſategit. Videbat enim parum fidendum eſſe fratris voluntati, qui diu antea multumque ei fuerat infenſus, & quamuis multa reconciliati animi edidiſſet ſigna, lacrymis etiam in eius amplexu profuſis, cogitabat tamen fieri poſſe, vt ſi noua aliqua extitiſſet offenſio, præteritarum etiam meminiſſet, itaque licet promiſerit ſe poſt illum venturum in Seir, declinauit tamen in Sochoth, & inde tranſiuit in Salem vrbem Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaam, vt quàm poſſet lõgius abiret à fratre, præclarè ſecum actum putãs, quod innoxius manus eius euadere potuiſſet. Illud tamen notandum eſt, cum dicimus ab iis cauendum nobis eſſe, qui nobiſcum aliquando ſimultates geſſerint, nolle nos cuiquam fieri auctores vt minus bona fide cum iis à quibus violatus fuerit redeat in gratiam; cum ſciamus boni viri officium eſſe iuxta Chriſti præceptum illatas iniurias ex animo condonare: ſed tantùm hoc agere, vt quando nonnulli malignitate naturæ Saulem, aut Eſau nonnunquam referunt, cordato homini Dauidis aut Iacobi cautionem imitandam videri, Salomoniſque monitum, de quo ſupra dictum eſt, minimè negligendum eſſe.

5 Quem

Odia inter coniunctos facilè reconciliari.

5 Quemadmodum autem non facilè fidendum eſt iis, quorum animum nobis infenſum eſſe cognouerimus, ita eorum qui inter ſe maximè coniuncti ſunt, odia fore diuturna, non ſtatim nobis perſuadere debemus. Eſt enim arcana quædam vis longo vſu confirmata beneuolentiæ, aut propinquitatis eius, quæ inter parentes ac filios, aut fratres intercedit, vt etiamſi iurgia exiſtant, aut rixæ, reconcilientur tamen inter ſe, imò offenſiones illæ, & iræ redintegratio quædam ſint, & renouatio amoris. Itaque Achitophel, cuius prudentia vel potius aſtutia, vt ſcriptura teſtatur, maximo erat in pretio: nam *conſilium Achitophel quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis cōſuleret Deum,* quamuis turpe conſilium Abſaloni dederit, cui ſuaſit, vt publicè ad Patris concubinas ingrederetur: nam auctor illi erat vt Patris thorum, quod apud omnes gentes ſanctum eſt, violaret, parentique maximam afferret iniuriam; vtile tamen erat ad abſtergendum Iſraëlitarum metum, qui cum bellum, quod gerendum erat inter coniunctiſſimas perſonas eſſe animaduerterent, intelligerentque facilè fieri poſſe, vt depoſitis odiis reconciliarentur totáque commotæ ſeditionis noxa iis qui Abſalomi partes fuiſſent ſectati, luenda eſſet, non audebant Abſalonem ſequi; & contra Dauid arma capere, niſi certo aliquo ſigno illis conſtitiſſet tantis interuenientibus offenſionibus, nullam reconciliandæ pacis ſpem ſupereſſe. In hoc autem Achitophelis conſilii aſtutia poſita eſt, quod his verbis expreſſit ſcriptura. *Dixit autem Abſalom ad Achitophel. Inite conſilium quid agere debeamus. & ait Achitophel ad Abſalom. Ingredere ad concubinas Patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum,*

2. Reg. 16. 23.

2. Reg. 16. 20.

domum, vt cum audierit omnis Iſraël quod fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas Patris ſui coram vniuerſo Iſraël.

6 Tandem quæri poteſt, quid faciendum ſit Principi qui hebetiore ſit ingenio, & obtuſiore & à prudentia, de qua agimus, minus inſtructo, quàm vt negotiis gerendis facile par eſſe poſſit. Reſpondendum cenſeo, eum, qui planè ſtolidus ſit, & rudis ab Imperij adminiſtratione abſtinere debere: eum verò, qui tardius quidem percipiat quæ tractantur, nec facilè videat quomodo proſpici, & occurri debeat ingruentibus Reipubl. neceſſitatibus, parare ſibi adminiſtros, & conſiliaros debere, vt quod ipſe conſilij ſui imbecillitate minus aſſequitur, aliorum ſolertia percipiatur & peragatur. Huiuſmodi fortè tarditatem ingenij in Roboamo tanti parentis filio, notauit ſcriptura cum ait, *Porrò Roboam erat rudis, & corde pauido.* Septuaginta legunt, *νεώτερος, καὶ δειλὸς καρδίᾳ, iuuenis, & animo vili & deiecto.* Sed vox Hebraica נַעַר non ſolùm ſignificat puerum ætate, ſed eum etiam qui puer eſt ſenſu, vt loquitur D. Paulus cum ad Corinthios, ſcribens ait, *Nolite pueri effici ſenſibus*, quales à Græcis *νήπιοι* dicuntur. Et hoc fortè ſenſu intelligendum eſt, quod dicitur in Eccleſiaſte, *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt.* Cum ergo vulgatæ noſtræ editionis auctor de Roboam dixit, *erat rudis*, vocem נַעַר potius ad mẽtis, ac ſenſuum habitudinem retulit, quàm ad ætatem: quod fecerunt Septuaginta, qui *νεώτερος*, *iuuenis* vel *iunior* interpretati ſunt. Præclarè ergo agitur cum huiuſmodi Principibus, ſi tantum acu

An Principi hebeti, & tardo gerenda Reſpublica.

2. Paral. 13. 7.

1. Cor. 14. 20.

Eccleſ. 10. 16.

acuminis nacti ſint vt bonos conſiliarios à malis, adminiſtros fidos ab infidis poſſint agnoſcere, quod quia Roboamo non contigit, propterea ſe & Rempubl. perdidit.

Cauendum Principi à Diuinorum, Magorum, Necromanticorum, aliorumq́ huiuſmodi damnatis artibus.

CAPVT XXXII.

Huiuſmodi artibus ad Regū aulas aditum nonnunquā patere.

1 ANtequam huic de Principis prudentia diſſertationi finem imponam, opportunum ſanè fuerit de Magica vanitate paucula quędam adiungere, vt monitus Princeps diligenter caueat, ne ad illius ſcopulos adhæreſcat, ad quos læuia quædam & inepta ambitioſorū hominum ingenia blādiſſimis & deſideratiſſimis damnatæ huius artis promiſſis abrepta, naufragium paſſa ſunt. Nec verò inter vulgares tantum fraudibus opportuniores malum ſerpit, ſed ipſas etiam ſummorum Regum aulas corripuit, in quibus reperio peſtes iſtas locum & eum quidem honeſtiſſimum tenuiſſe. Itaque cum apud Pharaonem Moſes prodigiis fidem quæreret admirabili illo facto adminiſtrato, quo virgam ſuam conuertit in colubrum. *Vocauit*, inquit Scriptura, *Pharao ſapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter.*

Exod. 7. 11.

Quos

Quos vulgatus noſter vertit maleficos, Aquila κρυφιαςὰς appellauit, occultorum ſcilicet patratores, aut cognitores, iis enim potiſſimùm aditus patet ad Principum gratiam, qui vt aliis incognita ſe cognituros recipiunt, aut rerum arduarum, & naturam ſuperantium ſcientia effecturos pollicentur, vt ad ea quæ maximè habet in votis aſpirare Princeps poſſit. Nec Balthaſſar Rex Scripturæ illius characteribus, quos parieti arcani ſcriptoris digitus impreſſerat, mirũ in modum conturbatus, coniectores & diuinos, & harum artium de quibus agimus profeſſores neceſſe habuit è longinquo petere aut magno labore conquirere, nam cum timore perculſus eos iuſſiſſet introduci, ſtatim adfuerunt Magi, Chaldæi, & Aruſpices, qui tamen quid monſtri illius nouitate, aut characterum figuris ſignificaretur expedire non potuerunt. Ne igitur hac ſe peſte afflari Princeps patiatur, ſibi penitus perſuadeat, quidquid hoc eſt artis non irritum tantùm, & inane eſſe, ſed ſacrilegum & nefarium, omnique niſu tanquam præſentiſſimum venenum à Reip. viſceribus amoliendum.

2 Id verò ita ſe habere inducet in animum, qui animaduerterit magicarum artium primum auctorem, & doctorem dæmonem fuiſſe, qui cum ſit mendacij pater fraudulentiſſimam artium excogitauit, vt commentis fraudibus, impoſturiſque muniret viam & homines à veri numinis cultu, ad omne ſuperſtitionum genus, impietatémque traduceret. Nam ſpiritus nequiſſimi ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcere cœperunt, afflatu ſuo vatum pectora inſpirare, extorum animare fibras, auium volatus gubernare, oracu- *Has artes detestãdas, quòd illarum auctores Dæmones fuerint.*

la

Digitized by Google

la edere, vera falſis, & falſa veris inuoluere, mendaciis ſuis veritati caliginem iniicere, iuxta illud
Ioan. 8. 4. quod apud S. Ioannem legimus. *Homicida eſt ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo. Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax eſt, pater mendacij.* Huius verò profani artificij ſemina ante ipſum cataclyſmum iecisse Dæmonem aliqui auctores ſunt, eo nimirum tempore, quo videntes filij Dei filias hominum quòd pulchræ eſſent; ex eis ſibi vxores delegerunt: nam cum terrarum orbis eo tempore cor-
Geneſ. 6. 2. ruptiſſimus eſſet, priuſque *maledictum, & menda-*
Oſee 4. 2. *cium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaſſet, & ſanguis ſanguinem tetigiſſet*, quàm marium aquæ cœleſtibus auctæ imbribus, & cœli cataractarum eruptione inflatæ, mortales admirabili illa eluuione deleuiſſent, inde ſibi perſuadent artem hanc ab inferis emerſiſſe, multoſque mortales ad ſui ſtudium rerum quas patraret admirabilitate traxiſſe. Nam primò quidem filij Seth, qui filij Dei propterea vocantur in Scripturis, quòd pietatem & virtutem impensè colerent à filiorum Cain conſuetudine, aliquanto temporis ſpatio abſtinuerunt, ne ſcilicet ex horum conuictu & moribus, qui à vera pietate defeciſſent, labem aliquam contraherent, paulatim filiarum hominum eorum ſcilicet qui erant de Cain ſobole, illecebra prouocati, ſibi acceperunt ex illis vxores, & longa conſuetudine inolitam, & à parentibus quaſi per manus traditam pietatem, & ſimplicitatem in vxorum ſuarum mores tranſ-
Collat. 8. cap. 28. euntes corruperunt. Cum verò (inquit Caſſianus) impiæ generationi fuiſſet admixtum (genus
„ ſcilicet Seth Cain filiabus) ad res profanas & noxias

noxias quæ piè didicerat inſtinctu quoque Dæ- ,,
monorum deriuauit, curioſaſque ex ea malefi- ,,
ciorum artes, atque præſtigias, ac magicas ſu- ,,
perſtitiones audacter inſtituit, docens poſteros ,,
ſuos, vt ſacro illo cultu Diuini nominis derelicto, ,,
vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos Dæmo- ,,
nes venerarentur, & colerent. Et poſt paucula
quædam docet idem Caſſianus, quomodo dam-
nata hæc ars cum diluuio non perierit. Quan- ,,
tum itaque, inquit, antiquæ traditiones ferunt ,,
Cham filius Noë; qui ſuperſtitionibus iſtis & ,,
ſacrilegis ac profanis fuerat artibus inſtitutus, ,,
ſciens nullum ſe poſſe ſuper his memorialem li- ,,
brum in arcam prorſus inferre, in quam erat vnà ,,
cum Patre iuſto, ac ſanctis fratribus ingreſſurus, ,,
ſceleſtas artes ac profana commenta diuerſorum ,,
metallorum laminis, quæ ſcilicet aquarum cor- ,,
rumpi inundatione non poſſent, & duriſſimis in- ,,
ſculpſit lapidibus, quæ peracto diluuio eadem ,,
qua celauerat curioſitate perquirens, ſacrilegio- ,,
rum ac perpetuæ nequitiæ ſeminarium tranſmiſit ,,
in poſteros. Hac itaque ratione illa opinio vulgi ,,
qua credunt Angelos, vel maleficia vel diuerſas ,,
artes hominibus tradidiſſe in veritate completa ,,
eſt. Hactenus Caſſianus.

3 Hanc porrò artem, quæ mendaciorum parentem Diabolum habuit, mendacem etiam eſſe, & humanis ſenſibus præſtigiis, & fallaciis illudere neceſſe eſt, multoque plura polliceri quàm re ipſa præſtare poſſit. Quãuis enim Dæmones poſſint per motum localem actiua paſſiuis applicare v.g. ignem ex ſua naturali ſede deducere, domoſque & alia inflammare, vt legimus in Iob hiſtoria, *Ignis Dei decidit de cœlo & tactas oues, pueróſque*

Fallaces eſſe has artes, & ea polliceri quæ præſtare nequeũt.

Iob 1.16.

Y y *con*

conſumpſit. Immittere vehementes,& turbulentos ventos, quibus optimè fundata ædificia euertantur, iuxta illud eiuſdem Iob, *Repente ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos ſuos, & mortui ſunt.* Poſſint etiam in mari tempeſtates & terræ motus excitare, & in humanis corporibus morbos, ſomnia, & cruciatus conturbatis humoribus, motis & conformatis ſpiritibus animalibus, diſtractis & diſiunctis cõpagibus, & connexionibus membrorum, applicando etiam herbas aut alia pharmaca quæ naturali facultate morbos ſanant, aut alios admirabiles effectus efficere, tandémque poſſint corpora ex vno loco in alium transferre, vt Chriſtum Dominum, ita ipſo permittente, Diabolus ſuſtulit in montem excelſum, & in templi pinnaculum: Non tamen tanta eſt Dæmonis potentia, vt poſſit mundum deſtruere, aut eius ordinem ſubuertere, nam, vt ait D. Paulus. *Non ſubiecit Deus Angelis orbem terræ*, nec præcipuas mundi partes, cuiuſmodi totum vnum aliquod eſt elementum è ſua naturali ſede commouere, nec cœli conuerſionem ſiſtere, nec in contrarias incitare partes, nec duo corpora ita in eodem loco collocare vt ſe mutuò penetrent, aut vnum & idem in duobus aut pluribus ponere, nec cum per motum ea de loco aliquo ad alium transferunt, qua voluerint pernicitate, & temporis breuitate transferre, nec in corporibus immediatè formam vllam, aut ſubſtantialem aut etiam accidentalem producere, licet multa, vt dictum eſt, paſſiua actiuis applicando efficere poſſint, non tamen vltra naturalium illorum agentium vires ac facultates, itaque ex

Ibid. n. 19.

Matth. 4. 8.

Hebr. 2. 5.

Digitized by Google

ex lapide aut ligno equum, aut leonem producere nequeunt, nec iam extinctos ad vitam reuocare, nec alia huiuſmodi, quod ita agentium naturalium vires iſta ſuperent, vt à nullo tam excellentes effectus præſtari poſſint. Itaque præclarè dictum eſt à ſapiente. *Diuinatio erroris & auguria, mendacia & ſomnia malefacientium vanitas eſt. Ab immundo quid mundabitur, & à mendace quid verum dicetur?* nec fallacia tantùm, ſed nullius ferè etiam momenti aduerſus cultores pietatis, qui diuino freti auxilio *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulant & conculcant leonem & draconem.* nam cum Deus ſit qui omnia poteſt, & *iuxta voluntatem ſuam faciat, tam in virtutibus cœli, quàm in habitoribus terræ, nec ſit qui reſiſtat manui eius, oderitque omnes obſeruantes vanitates ſuperuacuè*: ab inſidiis Dæmonum ac præſtigiatorum ſecuros præſtat eos, qui *in protectione Dei* virtutem & pietatem colendo commorari ſatagunt. Itaque ridet Iſaias eorum vecordiam, qui ex aſtrorum meatibus, & cõcurſibus, Babylonis euerſionẽ vaticinari non poterant, & eorum qui ſupputantes menſium numerum prædicere ſe poſſe crediderant, quanam ætate Regnum illud caſurum eſſet. *Stent*, inquit, *& ſaluent te augures cœli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annuntiarent ventura tibi.* Et ſanè fruſtra erant, huiuſmodi enim hominibus qui iudiciariam hanc aſtrologiam vel ſequuntur, vel profitentur, illud occini poteſt. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

Eccleſ. 34. 5. Ibid. n. 4. Pſal. 90. 13. Dan. 4. 23. Pſal. 30. 7. Pſal. 90. 1. Iſa. 47. 13. Act. 1. 7.

4 Sed fortè non erit abs re illud explicare quod in Regum hiſtoria habemus, in qua Samuelem legimus mulieris Pythoniſſæ incantationibus euocatum

Tractatur breuiter quæſtio an Samuelis

anima à Pythoniſſa euocata, vi illarum incantationũ apparuerit. catum, vt Saulis reſponderet poſtulatis. Hiſtoriam habemus in ſacris litteris primo Regum, nam cum Saul bellum cum Philiſtæis gereret, Dominumque conſuluiſſet, vt cognoſceret quid facto opus eſſet, nullumque planè reſponſum tuliſſet, mentito habitu ad mulierem Pythoniſſam

1.Reg.28.6. ſe contulit, poſtulauitque vt carminibus ſuis Samuelem ſuſcitaret. Fecit illa quod iuſſa fuerat, cumque Samuelem præſentem exhibuiſſet, ſic

Ibid.n.15. Saulem Propheta rediuiuus compellauit. *Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis, ſi quidem Philiſtiim pugnãt aduerſum me, & Deus receſſit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per ſomnia; vocaui ergo te, vt oſtenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalech, idcirco quod pateris fecit tibi Dominus hodie, & dabit etiam Dominus Iſraël tecum in manus Philiſtiim; cras autem tu, & filij tui mecum eritis, ſed & caſtra Iſraël tradet Dominus in manus Philiſtiim.* Hactenus Samuel. Quamquam autem ſunt qui dubitent, num verè fuerit Samuel, an potius illius ſpectrum aliquod à Pythoniſſa ſuſcitatum: quæ opinio graues ſanè doctores auctores habet; multo tamen probabilior eorum ſententia eſt, qui docent ipſammet Samuelis animam, non idolum tantùm inane Sauli apparuiſſe, non quidem vi carminum Pythoniſſæ exhibitam, ſed diuino imperio ab inferis eductam, ſe aſpectabilem Sauli exhibuiſſe; quod ita eſſe ſatis colligitur ex ipſo ſacræ Scripturæ

pturæ

pturæ contextu, quem paulò ante recitauimus, cum ait. *Faciet tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea,* & illud etiam. *Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer?* Quæ ſanè verba optimè conueniunt in Samuelem, nec in alium quadrare poſſunt. Nec vllum abſurdum cogit inficiari verum illum Samuelem fuiſſe, vt paulò poſt patebit; quare cum disertè textus eum Samuelem appellauerit, cur nos eum Samuelem fuiſſe negare audeamus? Accedit libri Eccleſiaſtici grauiſſima & clariſſima auctoritas, in quo ita de Samuele legimus. *Et poſt hac dormiuit & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem ſuam de terra in prophetia, delere impietatem gentis.* Quibus verbis ſignificatur eundem illum Samuelem qui mortuus fuerat, & de quo plura ab Eccleſiaſtico commemorantur, notum feciſſe Regi, quid proximè in certamine cum Philiſtæis paſſurus eſſet. Illud autem, *exaltauit vocem ſuam de terra*, hunc ſenſum habet: Cum è terra Diuino iuſſu extitiſſet, clara voce prophetauit, quid futurum eſſet, delendam ſcilicet gentis impietatem, nec tamen propterea affirmo Samuelem vi incantationum euocatum, ſed tantùm illud aſſero veri Samuelis animam occaſione illarum incantationum Deum apparere voluiſſe, vt & amplior eſſet atque illuſtrior gloria Samuelis, Saulis verò ad Diuina iuſſa & ad monita eiuſdem Samuelis, dum viueret, contumacis pœna eſſet acerbior. Nec obſtat quod Samuel dixit: *Cras tu, & filij tui mecum eritis*: quaſi Dæmonem oportuerit hæc protuliſſe, ad cuius ſedes poſt mortem Saul delatus eſt; nam ſermo eſt de eo loco, qui probis & improbis communis erat: vtrique enim ante patefactas paradiſi fores ad

Eccleſ. 46. 23.

Digitized by Google

inferos deſcendebant, quamuis alia eſſet apud eoſdem inferos ſedes piorum, alia impiorum. Itaque prudens Princeps omnem ſuam ſpem in Diuino locet auxilio, ſtudióque virtutis, & pietatis cuius *ſi bonus æmulator fuerit*, nemo ſanè ei nocere poterit. Nam quamuis in aliquem à Domino permittatur Dæmoni facultas, tamen ipſe Dominus habenas adducit, aut laxat, quantum illi qui cum Dæmone & incommodis ab eo immiſſis confli-ctatur, vtile eſſe animaduerterit. Itaque S. Iob tam multis ſpoliatus bonis, fortuniſque omnibus euerſus, corpore etiam tam fadè à Dæmone laceratus, non in eam erupit vocem, vt diceret, Dæmon dedit, aut Dæmon abſtulit, ſed verum omnis boni & pœnarum ſalutarium auctorem agnoſcens. *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt.* Nam vt ait Sapiens: *Tu es Domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis & reducis.* Dæmoni verò, ſi quando aliqua conceditur poteſtas, ea nec ampla eſt, nec diuturna, quemadmodum dixit Dominus. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*; eaque ipſa incommoda, quæ ab illo irrogantur, ſi commodè ea excipere nouerimus, multas & admirabiles vtilitates afferre conſueuerunt, Deo illa in noſtrum commodum conuertente.

Sap. 16. 13.

Luc. 22. 53.

Artes iſtas diuino iure quod ſacris Scripturis continetur, prohiberi.

5 Decet autem, vt in omnibus bene conſtitutis Rebuſpublicis factum videmus, artes huiuſmodi, legibus proſcribi, certè in Hebræorum politia grauiſſimis pœnis ſcelera iſta vindicabantur. Quare in Deuteronomio legimus, *Non inueniatur in te qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, aut auguria, nec ſit maleficus nec incantator, nec qui Pythones conſulat aut Diuinos, aut quærat à mortuis veritatem;*

Deut. 18. 10.

omnia

omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos (populos ſcilicet gentiles, & idolorum cultores) *in introitu tuo:* & in Leuitico præcipit Dominus. *Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia*, & *anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui.* & *vir ſiue mulier in quibus Pythonicus vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur. Lapidibus obruent eos: ſanguis illorum ſit ſuper illos.* Non eſt itaque mirandum ſi mulier illa Pythoniſſa, quam Saul habitu Regio diſſimulato conſulebat, vix adduci poterat, vt incantationibus ſuis necromanticis mortuum quem Rex volebat ſuſcitaret. Nam dicebat: *Noſti quanta fecerit Saul, & quomodo eraſerit magos & ariolos de terra, quare ergo inſidiaris animæ meæ vt occidar?* Cum enim initio regnandi bonus eſſet Saul, adeò vt de illo ſcriptura dicat non fuiſſe in Iſraël illo meliorem iuxta legis præſcriptum, cuius verba recitauimus, profanas iſtas magorum artes ex finibus Iſraëlis exterminare conatus eſt: ſed vt nulla eſſet, diuinationes haſce per Dæmonem exercentibus propoſita pœna, ſatis per ſe turpe eſt, & ignominioſum fœdus cum Dæmone humani generis hoſte teterrimo contrahere, & cum illo familiariter agere. Quare Iudæi cum Chriſtum Dominum contumeliis proſcinderent, *Samaritanum eum appellabant, & Dæmonium habentem, eúmque in Belzebuth Dæmoniorum Principe,* cum quo fœderatus eſſet, *Dæmonia eiicere,* criminabantur; quod ſcilicet, intelligerent nullum grauius aut fœdius crimen honeſto viro impingi poſſe, quàm ſi eum Dæmone paredro & familiari ad decipiendum, & in fraudes inducendos mortales abuti confirmaſſent.

Leuit. 19. 26.
Leuit. 20. 6.
Ibid. n. 27.
1. Reg. 28. 9.
Ioan 8 48.

Explicantur duo Scripturæ loca, quæ his artibus fauere videntur.
Iob.37.7.
Geneſ. 44. 15.& 5.

6 Dicat fortè aliquis, auguria & præſenſiones futurorum, quæ per diuinandi artem inueſtigantur, non eſſe damnabiles. Nam chiromantiæ fauere videtur quod legimus in libro Iob. *Qui in manu hominum omnium ſignat, vt ſinguli nouerint opera ſua*; & in Geneſi Ioſeph dicit fratribus, *An ignoratis, quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* & œconomus eius, *Scyphus*, inquit, *quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet*. Ioſeph ergo aut augur fuit, aut certè videri voluit, noluiſſet autẽ videri, ſi rem vetitam aut malam putauiſſet. Reſpondeo loci illius Iob hanc eſſe ſententiam. *Qui in manu omnium ſignat*, id eſt, qui per tempeſtates, niues, imbres, manus omnium claudit & otioſas reddit, impediens ab agriculturæ & paſturæ operibus. Dicitur autem ſignare in manu, pro ſignare & claudere manus, Hebraica dicendi formula. *Vt ſinguli ſciant opera ſua*, id eſt, vt ſinguli ſibi proſpiciant, quid quouis tempore agere debeant, vel vt ſinguli ſciant opera ſua pendere à Deo; vnde Septuaginta verterunt, *vt ſinguli norint infirmitatem ſuam*. Ioſeph ſe augurem per iocum dixit, vel ex opinione vulgi, qua ſummus augur habebatur. Adde nomen augurandi latè patere, & extendi ad omnem diuinationem, etiam ex ſignis, quæ diuinitus diriguntur. Itaque Ioſeph noluit videri augur, vel Diuinus talis, quales erant alij in Ægypto, ſed longè excellentior, vt qui ſpiritu Dei diuinaret, ſicut iam ante non ſemel oſtenderat, & pro tali illum habebant Ægyptij.

HIE

HIEROPOLITICΩN LIBER TERTIVS.

De Conſiliariorum & conſilij capiendi neceſsitate.

CAPVT PRIMVM.

1 COMMVNIS eorum opinio eſt, quibus pectus ſapit, in rebus ambiguis debere nos non tantùm ſeriò quid faciendum ſit meditando coquere, ſed cum fidelibus etiam amicis communicare animi noſtri ſenſa, qui nobis ſalutarium conſiliorum auctores eſſe poſſint. Itaque Salomoni, *Ne innitaris*, inquit, *prudentiæ tuæ.* & alibi. *Salus vbi multa conſilia.* & bonus ille Tobias, cùm ſe à morte prope putaret abeſſe, inter aurea illa præcepta, quibus filium, quem ſuperſtitem relinquebat, inſtituit, etiam illud addidit: *Conſilium ſemper à ſapiente conquire.* Cur autem ita faciendum ſit, in promptu eſt ratio: nam cum prudentia, quæ noſtrarum actionum moderatrix eſſe debet, in bonorum malorúmque delectu potiſſimùm verſetur, nec procliue ſit res implicatas explicare, aut quid in quaque re veriſſimum ſit perſpicere, æquum eſt impenſiùs rebus cognoſcendis inſiſtere, aliorúmque ſententiam exquirere, à quibus ſalutaria conſilia proficiſci poſſe ſperauerimus.

Cōſilij capiendi neceſſitas aliquibus ſacræ Scripturæ teſtimonijs probatur.

Prou. 3. 5.

Prou. 11. 14.

Iob 4. 19.

Digitized by Google

Prou. 12. 18. mus. *Eſt enim*, vt Salomon docet, *lingua ſapientum ſanitas, & vbi ſunt plures conſiliarij, cogitationes confirmantur*, quemadmodum *diſſipantur vbi non eſt conſilium.* & vt alibi. *Cogitationes conſilijs roborantur, & gubernaculis tractanda ſunt bella:* nam bella etiam ipſa, in quibus violentiæ potius quàm conſilio locus eſſe videtur, conſiliis tamen regenda ſunt: nam cum ſuſcipiuntur *ſedendo*, animo ſcilicet à perturbationibus vacuo, cogitandum eſt, *an cum decem millibus ei poſſimus occurrere, qui cum viginti millibus venit ad nos.* Et cum iam ſub pellibus fuerimus, aut in acie, attentum eſſe oportet, & quidquid infeſtum eſſe poteſt circunſpicere, paratáque habere præſidia, militémque ita diſciplina inſtitutíſque militaribus formatum, vt nutum regentis ſentiat, ſignúmque ab vno datum peditem ſimul, equitémque percurrat, quæ omnia arte conſtant, & conſiliis, quæ ſapiens gubernacula vocat, optimè adminiſtrantur.

Prou. 15. 22. Prou. 20. 18. Luc. 14. 31.

Probatur idem exẽplis Principum, & ipſius Dei.

2 Nec ſecus à cordatis Principibus fieri conſueuit. Itaque Aſſuerus in Reginam Vaſthi, quod ſe Regi, Satrapíſque ſiſtere recuſaſſet, paulo commotior, in eam tamen non priùs animaduertit, quàm Regni procerum ſententiam exquireret. *Iratus*, inquit, *Rex & nimio furore ſuccenſus, interrogauit ſapientes, qui ex more Regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges, ac iura maiorum.* Et Nabuchodonoſor Rex exercitus ſuos in expeditionem, ſub Holoferne duce emiſſurus. *Vocauit omnes maiores natu, omneſq́ duces, & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui, dixitq́, cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio*, & ipſemet Deus, qui *Regum Rex eſt, & Dominus Dominantium*, quaſi de re aliqua deli-

Eſther 1. 12. Iudith 2. 3. Apoc. 19. 16.

beratu

beraturus Senatum conuocare, & cum ſuis de rebus agendis conſultare deſcribitur, non quod Deus, qui ſumma eſt ſapientia, de alicuius ſententia conſilium capiat aliquando, cum dicat D. Paulus. *Quis nouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* & Iſaias. *Quis audiuit Spiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Cum quo iniyt conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi?* Sed quod res ita geri deſcribatur, quemadmodum à ſummis Principibus geritur, qui dum animo per ſe ipſos conſilia non expediunt, ea quæ ab amicis afferuntur amplecti conſueuerunt, itaque apud Danielem legimus ſententiam in Nabuchodonoſor Regem latam, vt ſcilicet; *Cor eius ab humano commutaretur, & cor feræ daretur ei, & ſeptem tempora mutarentur ſuper eum. In ſententia vigilum decretum fuiſſe,* hoc eſt Angelorum, qui vigiles propterea dicuntur, quod alacres, & ad Principis ſui Dei iuſſa capeſſenda expediti ſemper adſtant, eò, quò fuerint ablegati, perniciter aduolaturi. Itaque Michæas Propheta vt in Regum hiſtoria habemus. *Vidi*, inquit, *Dominum, ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris, & à ſiniſtris, & ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Iſrael, vt aſcendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus. In quo? Et ille ait. Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarũ eius. Et dixit Dominus: Decipies & præualebis, egredere, & fac ita.* Itaque ipſemet Deus conſultationis huius præſes, & moderator, rem quæ veniebat in deli-

Rom. 11. 34.
Iſa. 40. 13.
Dan. 4. 13.
Ibid. n. 14.
3. Reg. 22. 19.

beratio

berationem cælitum Senatui proponit, illi diuerſis ſtudiis ac ſententiis in varias diſtrahuntur opiniones, exiſtit tandem vnus aliquis ex prauorum ſpirituum numero, vt quondam Satan cum veniſſent filij Dei vt aſſiſterent coram Domino, adfuit & ipſe inter eos, vt habemus initio hiſtoriæ ſancti Iob, is ad rem de qua agebatur agendam accomodatè ſe mendacem ſpiritum in ore Prophetarum futurum pollicetur, idque vt ita fieret, Principis illius peccatis poſtulantibus Dominus permiſit. Vt vel ex hoc intelligere poſſint, qui de ſua vnius ſententia, omnia ſtatuere conſueuerunt, quaſi ſapientiæ laudem reportaturi, quam non mereantur illam ſapientum nomenclaturam, qua tantopere delectantur. Verè enim dictum eſt à Salomone. *Qui ſapiens eſt, audit conſilia.* &, *Aſtutus*, cordatus ſcilicet & prudens vir, *omnia agit cum conſilio, qui autem fatuus eſt, aperit ſtultitiam.* Fecit hoc Moyſes tantus vir, quem Dominus ſuo dignabatur alloquio, qui ſoceri ſui Iethro ſalutare conſilium amplexus eſt, nec ſibi pudendum putauit, ſi ad diuina colloquia admiſſus, ex quibus Reipublicæ adminiſtrandæ rationem hauſerat, amici hominis & affinitatis iure propinqui monita ſequeretur. Fecit & Dauid, cuius fuiſſe conſiliarius dicitur in ſcriptura Achitophel, ille, quem tanti faciebant omnes, vt *Conſilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum.* Feciſſe etiam videtur Salomon, cum in Regum hiſtoria legamus *Azariam filium Nathan ſuper eos fuiſſe qui aſſiſtebant Regi.* Cur enim aſſiſtebant? nimirum vt conſilium darent, ſi interrogarentur, quemadmodum, vt paulo ſupra dictum eſt, Aſſuero ſeptem illi ſapientes aderant, ex quorum conſilio

Iob 2.1. Prou. 12. 15. Prou. 13. 17. Exo. 18. 17. 2. Reg. 15. 12. 2. Reg. 16. 23. 3. Reg. 4. 8. Eſther 1. 12.

Digitized by Google

ſilio cuncta faciebat,& ipſemet Salomon, qui ſa-
piẽtiam à Domino poſtulauit, vt ſibi adeſſet quaſi
conſiliaria, cum ait; *Da mihi Domine ſedium tua-* Sap.9.4.
rum,aſſiſtricẽ ſapientiam,eo ſcilicet fine,vt regnum
ſibi commiſſum *diſponeret in æquitate & iuſtitia,*
& in directione cordis iudicium iudicaret. Quoniam, Ibid.n.5.
inquit,*ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, homo*
infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum
*iudicij, & legum:*credendus eſt ad aures & animum
ſapientum conſilia libenter admiſiſſe, quibus in
temperanda Rep.iuuari poſſet.

3 Porrò qui plus iuſto ſapiunt,cúmque hebetes *Incõmoda*
ſint & tardi, acuti tamen & cordati ſibi videntur, *quæ illi in-*
proximè abſunt ab extremo rei peſſimæ gerendæ *currũt, qui*
periculo, vt in illos optimè conueniat illa prædi- *conſilium*
ctio,quæ eſt apud S.Iob *Conſilium tuum præcipitabit* *capere re-*
te, qui enim ſuperbi ſunt, itineris quantumlibet *cuſant.* Iob 18.7.
imperiti,& erroribus expoſiti, duces non requi-
runt,nec ſuam agnoſcunt ſtultitiam, ſi tamen ali-
quando agnoſcunt, priuſquam per deuia, & an-
fractus varios eò tandem deuenerint, vnde inco-
lumes pedem referre,viámque quam emenſi ſunt
retexere non poſſint. Itáque precatur Dauid,*Non* Pſalm. 35.
veniat mihi pes ſuperbiæ, quòd ſcilicet ad eas deue- 12.
niam ſemitas,in quibus nulla apparent hominum
veſtigia, tramitéque quo in viam ſalutis deduce-
bar amiſſo in præceps ruam; nam impiorum &
ſtultorum via,cum ampla initio videatur,& com-
planata,in anguſtum tamen,& in abrupta & ſco-
puloſa loca paulatim deſinit,quemadmodum ali-
cubi Propheta dixit, cum in Pſalmo cecinit. *Et* Pſal.1.6.
iter impiorum peribit. Itáque Iſaias, *Væ* inquit, *qui* Iſa.5.21.
ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis Prou.26.
prudentes. Et Salomon ait.*Vidiſtis hominem ſapien-* 12.
tem

tem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens. Expertus eſt hoc Godolias, qui cum ab amicis moneretur parari ſibi ab Rege Ammonitarum inſidias, certóſque ab eo homines fuiſſe deſtinatos à
Ierem 40. 14. 16. quibus interficeretur, *Non credidit eis*, & ait: *Falſum tu loqueris de Iſmabel.* Sed quis eorum falſus
Ibi. c. 41. 1. fuerit, ſtatim exitus indicauit; nam *Venit Iſmabel & optimates Regis, & decem viri cum eo ad Godoliam filium Ahicam in Maſphat, & comederunt ibi panes ſimul in Maſphat. Surrexit autem Iſmabel filius Nathaniæ, & decem viri, qui cum eo erant, & percuſſerunt Godoliam filium Ahicam filij Sapham gladio, & interfecerunt eum.* Quique ſuo malo diſcere non potuit, aliis ſaltem documentum reliquit ſalutare, quo intelligant prudentis non eſſe, ita in ſua fixum eſſe ſententia, vt conſilia, quæ ab amicis ſuggeruntur, audire nolint. Expertus eſt etiam Holofernes, qui cum exercitus ſui viribus præfideret, ſéque ſatis inſtructum putaret ad quoſcumque obuios habuiſſet hoſtes obterendos, ſaniora conſilia, quæ Achior Ammonitarum Dux ſuggerebat, ſuo magno malo, ſecutus non eſt.
Iudith 5. 3. *Dicite mihi,* inquit Holofernes, *quis ſit populus iſte, qui montana obſidet, aut quæ, & quales, & quantæ ſint ciuitates eorum, quæ etiam ſit virtus eorum, aut quæ ſit multitudo eorum, vel quis Rex militiæ eorum? Et quare præ omnibus qui habitant in Oriente iſti contempſerunt nos, & non exierunt obuiam nobis, vt ſuſciperent nos cum pace?* Prudens ſanè & opportuna interrogatio, ſi Achioris reſponſionem, qui Hebræorum res habebat perſpectiſſimas, veráque ſubiicere non dubitauit, vt ad aures ita ad animum admittere ſuſtinuiſſet. Sed Holofernis purpuratis ſolita vanitate ſpem
Ibid. n. 27. eius inſtantibus dicentibúſque: *Quis eſt iſte, qui filios*

filios Iſrael poſſe dicat reſiſtere Regi Nabuchodonoſor & & exercitibus eius, homines inermes, & ſine virtute, & ſine peritia artis pugnæ? Veritatis impatiens, maximè vtilia ſuadentem ad Hebræos tranſire iuſſit, ſe verò conſiliarióſque ſuos perditum ire perrexit. Nam & Holofernes, Deo Iudith imbecillæ mulieri animos & vires addente, capite truncatus, & exercitus omnis in fugam verſus, ab Hebræis conciſus & deletus eſt, inſigne poſteris relinquens documentum, homines, cum ſe permiſere fortunæ, tunc in maximo verſari diſcrimine, non enim impetum, quo feruntur moderatis conſiliis ſufflaminari patiuntur.

4 Verùm ex alio etiam capite capiendi conſilij neceſſitas exiſtit, fit enim nonnunquam vt perplexæ admodum nodíſque implicatæ difficultates occurrant, veniátque in controuerſiam, liceat ne hoc an illud, quod cum accidit ſcrupulis pectus hæſitantis foditur & lancinatur, nec vlla pars quietis interim dum ſcrupulus nō eximitur, conceditur dubitanti. Itaque quod habemus in libro Iob neruos teſticulorum Leuiathan ſerpentis implicatos eſſe ad conſcientiæ perplexitates ſignificandas accommodat D. Gregorius his verbis. *Horum*, inquit, *teſticulorum nerui perplexi ſunt, quia ſuggeſtionum illius argumenta implicatis inuentionibus illigantur, vt pleroſq́; ita peccare faciant; quatenus ſi fortaſſe peccatum fugere appetant, hoc ſine alio peccati laqueo non euadant, & culpam faciant dum vitant, ac nequaquam ab vna ſe valeant ſoluere, niſi in alia conſentiant ligari.* Hactenus Gregorius, qui dictum ſuum exemplis explicat, quæ fusè proſequitur, & apud ipſum videri poſſunt. Huic ergo malo conſilium medicinam facit; auditis enim Conſiliariorum,

Capiendū interdum conſiliū, vt conſcientiæ ſatisfiat.

Iob 40. 12.

riorum, & ſi opus fuerit Theologorum ſententiis, quorum eſt iſta diſquirere; facilè Princeps quid faciendum ſit peruidebit, Diuúmque Paulum audiet, cum ad Romanos ſcribit ita præci-
Ro.14.5. pientem. *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, quod non tantum ſignificat integrum eſſe vnicuique in rebus ἀδιαφόροις ſuum ſequi iudicium, & illud quod magis arriſerit amplecti, ſed etiam debere vnumquemque certum eſſe, ac ſibi perſuadere, id quod facit licitum eſſe, & Deo gratum; ne ſcilicet ſi dubitet, reluctantéque conſcientia aliquid aggre-
Eccleſ. 3. 27. diatur, peccati noxam incurrat, *qui enim periculum amat, in illo peribit*. Eam autem interpretationem recipere S. Pauli ſententiam ex eo probatur, quod apud Græcos πληροφορεῖσθαι certiſſimè noſſe, & compertum habere ſignificet, vel plenè perſuaſum eſſe ita ſe rem habere: quare Syrus hunc locum
Ro.14.24. Pauli exprimens. *Quiſq;*, inquit, *in ſcientia animæ ſuæ confirmetur*. Imò ad eandem explicationem, eundémque ſenſum exhibendum, nó inuitam trahere poſſumus vocem illam *Abundet*, vt ſenſus ſit. Plenè & abundè certus ſit, id quod agit bonum eſſe ac licitum, nulláque ex parte diuinis præceptis, aut rectæ rationi repugnans, nullíque rei agendæ manus admoueat, dubitante, ac fluctuante conſcientia. Qui enim ſecus agunt, peccant, eodem Apoſtolo dicente. *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Quo loco fides nihil eſt aliud, quàm perſuaſio, dictaménque conſcientiæ, exiſtimantis id quod aggreditur bene fieri, actionémque illam peccato obnoxiam non eſſe. Hæc autem vt dixi in Conſiliariorum, Theologorúmque congreſſibus & conſeſſibus plenè diſcutiuntur, quibus componendæ conſcientiæ modus Principibus

Digitized by Google

bus aperitur, vt pede inoffenſo ſpatium diuinorum mandatorum decurrere poſſint. Talem Principem fuiſſe oportet Ioas Regem Iuda, quamdiu Ioiadæ ſacerdotis conſiliis ſecundas aures præbuit, de eo enim dicitur in hiſtoria Regum. *Fecitq; Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus eum docuit Ioiada Sacerdos.* 4. Reg. 12. 2.

5 Illa tandem ex crebra ſeriáque conſultatione commoditas exiſtit, quod licet fracta, rebúſque aduerſis impulſa conſilia fœlicem exitum non ſortiantur, non tamen minus prudens à cordatis viris, qui res ab euentibus non metiuntur, habetur Princeps, ſi adhibitis in conſilium fidis, prudentibúſque conſiliariis, id agendum ſuſceperit, quod cum prudenter inſtitutum ſit, æquior tamen finis excepit, nam multi interueniunt caſus, quos aſſequi humana mens numquam potuiſſet, qui inita prudenter conſilia diſturbant, & euertunt; quod ſi accidit, non tamen minùs prudens ille exiſtimandus eſt, qui circunſpectis benéque perpenſis rei, de qua agitur, adiunctis omnibus, conſilium ceperit. Itaque quod dicit Sapiens, *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*; ſemper locum habet apud prudentes viros quos nunquam pœnitet, licet captum conſilium infœlix exitus fruſtretur; in eo enim acquieſcunt quod quidquid actum eſt, id prudenter & iuxta rationis præſcriptum actum eſt. Quanquam frequentiùs euenit, vt prudens conſilium fauſtus etiam & fortunatus exitus conſequatur.

Eum, qui cum cōſilio aliquid aggreditur, prudentem habēdum, etiam ſi id quod agendum ſuſcepit, infelicem exitū ſortiatur.

Eccleſ. 32. 24.

***

Qualis Conſiliarius à Principe deligendus ſit.

CAPVT II.

Senes conſilio meliores eſſe quã iuuenes.

1 MVlta ſunt, quæ Princeps ſpectare debet in eligendis Conſiliariis, in quo quantò periculoſiùs erratur, tantò attentiùs inſiſtendum eſt, ne quid in hoc delectu Principem fallat. Nos aliquas bonorum Conſiliariorum notas, quantum ex ſacris litteris colligere potuimus, indicabimus, quibus iuuetur vt poſſit bonos à malis internoſcere. Ac primò quidem quod ad ætatem ſpectat, ſenes conſiliis dandis aptiores puto, quàm iuuenes, nam longæ ætatis beneficio ſapientiam colligere potuerunt, qua iuuenes plerumque carent. *In antiquis*, inquit S. Iob, *eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Et Eccleſiaſticus ait. *Quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſius intellectus, & conſilium; corona ſenum multa peritia*; & alibi monet idem auctor, *Ne deſpicias narrationem preſbyterorum ſapientium, & in prouerbijs eorum conuerſare, ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus, & ſeruire Magnatis ſine querela. Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.* Ita Eccleſiaſticus, quod ſanè dictum veriſſimum eſſe, Roboami cum ſenibus & iuuenibus conſultatio cum ad Regni gubernacula ſedere cœpit, de qua ſæpius dictum eſt, liquidò ſatis oſtendit.

Iob 12.12.
Eccleſ 25.7.
Eccle. 8.9.

2 Nec tamen cùm ſenes dico, eos tantùm intelligo, quorum defectum eſt ac præmortuum corpus, cutis exarata rugis, capútque ac mentum canitie conueſtitum, quamuis enim illa ætas verenda ſit, ſuámque habeat dignitatem; qua de re legimus in Prouerbiis, *Dignitas ſenum canities*, & alibi. *Corona dignitatis ſenectus*, in cuius venerationem in Leuitico præcipit Dominus *Coram cano capite conſurgere*; de ea tamen canitie potiſſimùm ſermo eſt, quæ mentis & conſilij maturitatem affert, non de illa, quæ effætum corpus, & humanis miniſteriis reddit inutile. Itaque legimus in Sapientiæ libro. *Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Fieri enim poteſt, atque vtinam aliquando non fieret, vt homines iam grandæui in ſuis vitiis, quibus aſſueuerunt conſeneſcant, nec aut virtutis amore, aut impendẽtis mortis periculo, à turpitudine, quam adamarunt, reuocari poſſint, vt moribus improbi, ita conſilio minimè boni. Tales fuêre ſeniores illi, qui in Suſannæ concupiſcentiam exarſerant, illámque iniquo circumuenire iudicio, opprimeréque decreuerant, quod ſanctus Propheta Daniel *Inueteratos dierum malorum appellauit.* Tales illi de quibus dicit Iſaias. *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Quare Dominus cum Moyſi populi ſui Duci pręcepiſſet: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael*, ſtatim addit. *Quos tu noſti, quòd ſenes ſint.* Quem locum explicans S. Gregorius. *Rectè*, inquit, *Dominus ad Moyſem, dicit: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſunt. In quibus quid aliud quàm ſenectus cordis requiritur,*

Senũ maturitatem à moribus, potiùs, & prudentia, quàm ab annis ſpectandam eſſe.

Prou. 20. 29.
Prou. 16. 21.
Leuit. 19. 32.
Sap. 4. 8.
Dan. 13. 52.
Iſa. 65. 20.
Num. 11. 16.
Mor. li. 19. c. 11. aliàs 13.

cum tales iubentur eligi, qui ſenes eſſe ſciuntur. Si enim ſenectus in eis corporis quæreretur, à tantis ſciri poterant, à quantis videri. Dum verò dicitur, quos tu noſti, quod ſenes populi ſunt, profectò liquet, quia ſenectus mentis non corporis eligenda nuntiatur. Hæc ille. Talis Rex ille, de quo in Eccleſiaſte Salomon ait. *Melior eſt puer pauper, & ſapiens, Rege ſene, & ſtulto, qui neſcit prauidere in poſterum*, & ſenex ille fatuus, quem ſe odio proſecutum fuiſſe teſtatur Eccleſiaſticus, cum ait: *Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum. Pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, ſenem fatuum & inſenſatum.*

Eccleſ. 4. 13.

Eccleſ. 25. 3.

Senũ prudentiã experientia magna ex parte acceptam eſſe referendã.

3 Cur autem ſenes aliis prudentiores ſint illud eſt in cauſa, quòd cùm diutiùs vixerint, mores etiam multorum hominum viderint, vrbéſque luſtrarint, nec ſemel fuerint in rebus agendis aut aliorum nequitia, & dolo, aut quod ipſi minùs ad ea quæ opus fuiſſet aduerterint implanati, ſuo malo cautiores facti ſunt, & in iudiciis ferendis doctiores. Egregium hac de re teſtimonium habemus apud Eccleſiaſticum, cum ait: *Qui non eſt tentatus quid ſcit? Vir in multis expertus, cogitabit multa; & qui multa didicit, enarrabit intellectum; qui non eſt expertus pauca recognoſcit, qui autem in multis factus eſt, multiplicat malitiam, qui tentatus non eſt, qualia ſcit? qui implanatus eſt, abundabit nequitia; multa vidi errando, & plurimas verborum conſuetudines. Aliquoties ad mortem vſque periclitatus ſum horum cauſa, & liberatus ſum gratia Dei.* Quibus verbis, quia lucem afferre poteſt alia ex Græco conuerſio, eam hic ſubiungam, ſic enim ſe habet. *Qui non eſt tentatus, quid ſcit? vir qui vagatus eſt, vidit multa, & multum expertus enarrabit intellectum; qui non expertus eſt, nouit pauca, & qui deceptus eſt, multiplicat aſtutiam,*

Eccleſ. 34. 9.

Biblia regia.

Digitized by Google

aſtutiam, multa vidi in deceptione mea, & fictiones verborum meorum intellectus meus, pluries vſque ad mortem periclitatus ſum, & liberatus ſum horum gratia.

4 Hæc autem fuit cauſa propter quam omnium gentium more receptiſſimo ſenes ad conſilia publica adhibeantur. Atque ita in libro Iudicum ſeniores conſultant, *Dixeruntq́ maiores natu, Quid faciemus?* vt etiam in libris Regum, & Iudith hiſtoria, cum Nabuchodonoſoris conſultatio proponitur dicitur aduocaſſe; *omnes maiores natu:* & cum apud Incolas Iabes Galaad conſultatur admittendæ ne eſſent conditiones Naas Ammonitę pacem ita pollicentis ſi erui ſibi paterentur oculos dextros, ſeniores quid facto opus ſit ſtatuunt, & tandem in Hebræorum Republ. Senatus erat capitum ſeptuaginta ex ſenioribus Iſrael, cuius frequens eſt mentio in ſacris litteris; quorum conſilium quantopere publicis negotiis eſſet vtile, illa Domini per Prophetam comminatio oſtẽdit, cum præſidiis ſe nudaturum minitatur Rempub. quibus ipſa ſtabat, de Iſrael ſublaturum ſe *honorabilem vultu, & ſenem*, quibus ſi Reſp. caruiſſet, ad certam perniciem rueret, ſalutaribus conſiliis deſtituta: ſed de Conſiliariorum ætate iſta ſint ſatis.

Senes veteri gentiũ more in cõſiliũ adhiberi ſolites. Iud. 21. 16. 1. Reg. 4. 3. Iud. 2. 2. 1. Reg. 11. 3. Num. 11. 16. & alibi. Iſa. 3. 3.

5 Nunc aliquid de vitæ morúmq; probitate dicamus, qua qui deſtitutus eſt, eum quantumuis acri ad iudicandum ingenio præditum, minùs tamen aptum Conſiliarium eſſe exiſtimo, nam *Qui ſibi nequam eſt, cui bonus eſſe poterit?* cum præſertim variis perturbationibus, quæ exercitatione virtutis comprimi debuiſſent, in diuerſas partes rapiatur, vitiiſque implicatus, iuſtitiæ ac omnis virtutis patrocinium ſuſcepturus vix debeat ille exiſtimari,

Eos deligẽdos conſiliarios, qui à vita probitate cõmmẽdationem habeant. Eccleſ. 14. 5.

 mari,

mari; cuius animum voluptates occupant, libido deuincit, ſubiugat auaritia, cupiditates perturbant, quatit metus. Itaque liquor ille præſtantiſſimus ſapientiæ, quam Deus amicis ſuis, qui à peccatorum ſordibus defęcatam habent animam largè concedit, iis denegatur, qui vitiorum labe ſordeſcunt; quemadmodum à Sapiente veriſſimè di-
Sap. 1. 4. ctum eſt cum ait: *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: Spiritus enim ſanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellęctu:* quemadmodum enim bonus ſenex Iacob iam morti proximus filiis ſuis bene precaturus Simeonis & Leui conſilia & facta ſe non probare ſignificauit, quod ab vltionis libidine profecta eſſent, non ab
Geneſ. 34. 25. amore iuſtitiæ, cum ſcilicet *In furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum,* Hemor & Sichem, qui Dinam rapuerat, interfecerunt, vrbémque in ſtupri vltionem depopulati ſunt. Dixit enim: *In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea,* ita Dominus fouet &
Pro. 12. 5. exoſculatur *Cogitationes iuſtorum*, quæ ſunt iudicia, quemadmodum *Conſilia impiorum fraudulenta* deteſtatur. Impij enim & ſceleſti homines ex fraudibus & dolis planè conſtituti ſunt, túncque de-
Pſal. 82. 4. mum ſe putant arcem tenuiſſe ſapientiæ, cum *Super populum malignati ſunt conſilium*, vel, vt vertit D. Hieronymus, *Contra populum tuum nequiter tra-*
Pſal. 51. 3. *ctauerunt tota die iniuſtitiam cogitantes, & ſicut nouacula acuta dolum facientes, diligunt enim malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem, diliguntq́; omnia verba præcipitationis linguamq́; doloſam.* Quare S. Dauid ab huiuſmodi hominibus, qui nec Deum timent, nec homines reuerentur,

Digitized by Google

tur, circumueniri timens diuinum ſibi auxilium ad quod confugit, putauit eſſe neceſſarium, atque ideo clamat ad Dominum. *Exaudi Deus oratio-nem meam, cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam. Protexiſti me à conuentu malignantium,* Pſal. 63 a. qui ſcilicet collatis inter ſe capitibus, vt me euerterent, conſpirauerant, *A multitudine operantium iniquitatem, quia exacuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum:* Eſt enim illis ſolemne aſtu, tectíſque conſiliis graſſari, & ſimpliciter, confidentérque gradientem telis, ex pſeudoſapientiæ ſuæ pharetra depromptis ex inſidiis impetere. *Subito enim ſagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt ſibi ſermonem nequam:* In ſuis enim conſeſſibus illud omnino fixum, & firmum eſſe cupiunt, vt perdant innocentem. *Narrauerunt vt abſconderent laqueos, dixerunt quis videbit eos?* Tanta enim artis ſubtilitate technas ſuas texunt, vt putent poſſe ſe etiam acutiorum viſum fallere: tandem omnem euertunt officinam, in qua mille artes nocendi conditas habent, *Scrutantuŕq; iniquitates, & ad cor altum accedunt*, mira ſcilicet aſtutiæ profunditate excauatum, & tenebris ſuæ prudentię inuolutum, in quo machinas omnes bonis, rectíſque hominibus oppugnandis, & ſi fieri poſſit deiiciendis, & euertendis adornant. Sed nimirum in irritum cadunt conatus omnes ſceleſtorum, nam non ſolùm *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum*, ſed etiam Dominus eas ipſas fraudes, quas ad iuſtos circumueniendos noctere ſatagebant, in eorundem perniciem, magno ipſorum malo conuertit; quod vtrumque ex ſcripturis nullo negotio probari poteſt.

Prauorum & aſtutorũ hominũ conſilia nõ eum ſortiri exitũ, quẽ ipſi voluiſſent.

1. Pet. 5. 5.
Iſa. 44. 24. 25.
Pſalm. 32. 10.
Iob 5. 12.

6 Ac primò quidem aſtutis & prauis hominibus conſilia ſubdola non procedere, quemadmodum ipſi cupiunt, multis locis docet ſcriptura, dicente D. Petro, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et Iſaia. *Ego ſum Dominus irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens, conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* & Dauide in Pſalmo, *Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum.* & S. Iob, *Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant. Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſſipat.* Quod dicitur in vulgata, *Ne poſſint implere quod cœperant.* Septuaginta verterunt, *Et non facient manus eorum veritatem,* quia nimirum cogitatis, quæ animo deſtinauerant, opus non reſpondebit, diuina virtute manus eorum obſtupefaciente, ne quæ animo conceperant, externo opere moliantur, & exequi poſſint; quod fortè Salomon docuit, cum ait in Prouerbiis, *Impius facit opus inſtabile,* torpente nimirum manu, & animi conceptiones & vota, externis conatibus non adæquante. Illuſtriſſimum huius rei exemplum habemus in iis, qui temerario auſu inſanam illam celſiſſimæ turris ſtructuram excitare inſtituerunt, vt nominis celebritatem ingenti illa mole ſibi conciliarent apud poſteros, nam cùm ad eum diem terra, *labij vnius fuiſſet & ſermonum eorumdem,* ita voces eorum Dominus confudit, vt alter alterum, diuerſum quiddam barbarúmque ſonantem non intelligeret, quæ res operis proſequendi conſilium diſcuſſit, & diuinæ voluntati minimè conſentientes conatus, in irritum cadere planiſſimè oſtendit. Illis enim

Prou. 11. 10.
Gen. 11. 1.

Digitized by Google

enim accidit, quod Iſaias dicit quodam loco; *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecit Ægyptum* (dicemus nos turris ædificatores) *In omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens. Elongatum eſt enim iudicium ab eis, palpauerunt ſicut cæci meridiem, & quaſi abſque oculis attrectauerunt, impegerunt meridie, quaſi in tenebris.* Vt enim dicitur in Prouerbiis. *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Et meritò preces fundens ad Dominum Mardochæus in Eſtheris hiſtoria ita loquitur; *Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati.* Quare Pharao Iſraël vexare quidem potuit miris modis: obterere, Domino illum defendente, non potuit; Saul etiam Dauidem, quem ad necem quærebat, iactare, in exilium pellere, vt interficeret autem, quamuis eum votis omnibus ſublatum vellet, nulla ratione aſſequi potuit. Nec Darij ſatrapis feliciùs proceſſerunt doli, quamuis callido conſilio violatæ Religionis prætextu, Danielem mortis reum facere ſtatuiſſent, dicebant enim. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occaſionem, niſi fortè in lege Dei ſui*; nam Dominus obturauit ora leonum, Danielemque ab eorum rictibus ereptum priſtinæ reſtituit amplitudini; *Iubentéque Rege adducti ſunt viri illi, qui accuſauerant Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt ipſi & filij, & vxores eorum, & non peruenerunt vſque ad pauimentum laci donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt. Deus enim ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes*, vel vt alij vertunt *Conatus eius perficiuntur.* Hominum verò temeritas & aſtutia in caſſum contra pios homines, Deumque ipſum

Iſai. 19. 14. Iſai. 59. 10. Prou. 21. 30. Eſther 13. 9. Exod. 1. & 14. 1. Reg. 18. & 19. & 23. Dan. 6. 5. Dan. 6. 14.

ſuos conatus vrget, quaſi eorum cogitatio Deum fallere poſſit, aut ſi Deus quid cogitent intelligat, obſiſtere non poſſit, vt iam contra inſanos iſtos clamare libeat cum Iſaia. *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos? & quis nouit nos? Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio, quaſi ſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo, non feciſti me, & figmentum dicat fictori ſuo, non intelligis.* & alibi. *Væ filij deſertores dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum, qui ambulatis vt deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis & habentes fiduciam in vmbra Ægypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiam.*

Iſai.29.15.

Iſai.30.1.

Illa eadem cõſilia quæ praui homines excogitant, in eorumdem perniciem frequenter conuerti.

7 Alterum quod probare inſtitueram, illud erat, aſtutorum iſta conſilia, quæ ad alios fallendos, & capiendos adornantur in auctorum ipſorum perniciem, plerumque conuerti. Egregiè dictum eſt hoc à Sapiente, cum ait. *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet, & plaga doloſa, doloſi diuidet vulnera. Et qui foueam fodit, incidet in eam, & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Facienti nequiſſimum conſilium ſuper ipſum deuoluetur, & non agnoſcet vnde adueniat illi; illuſio & improperium ſuperborum, & vindicta ſicut Leo inſidiabitur illi. Laqueo peribunt qui oblectantur caſu iuſtorum, dolor autem conſumet illos antequam moriantur.* Et ſanctus Dauid. *Ecce*, inquit, *parturiit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem, lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius,*

Eccleſ.27.28.

Pſal. 7.15.

&

& in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Adducit Iob 12.17.
enim Dominus conſiliarios, prudentes ſcilicet huius ſæculi, qui prudentia illa pollent, quæ inimica eſt Deo, *in ſtultum finem*, vt dicitur in libro Iob; Iob 5.13.
Eoſque apprehendit in aſtutia eorum: quamuis enim Iſai.5.26.
Inueniantur in populo impij inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros, & ſicut decipula plena eſt auibus, ſic domus eorum plena ſint dolo: eos tamen ſupplantat Dominus, & iuxta ipſos laqueos ponit, aut cippos fodit in quos cadant, nec emergendij aut ſe explicandi facultatem concedit, iuxta illud Dauidis. *Veruntamen* Pſal. 72.
propter dolos poſuiſti eis, deieciſti eos, dum alleuarentur. 18.

8 Sed illud imprimis diligenter proſpiciendum eſt Principi, ne is quem voluerit in conſilium adhibere, ſpecie boni publici, priuata compendia conſectetur conſiliorum ſuorum rationes eò dirigendo, vt ſuis commodis velificetur: quod ipſum eſt ſapientis conſilium apud Eccleſiaſticum cum ait. *A conſiliario ſerua animam tuam, prius ſcito, qua ſit illius neceſſitas, & ipſe enim animo tuo cogitabit ne fortè mittat ſudem in terram, & dicat tibi. Bona eſt via tua, & ſtet è contrario videre quid tibi veniat.* Quaſi dicat: Diligenter caue, quid conſiliarius tuus conſilij afferat, quamuis enim conſilium petere ſit frequenter neceſſarium, eſt tamen periculoſæ aleæ res pleniſſima: quare explorandum priùs eſt, an conſiliarius aliqua prematur neceſſitate, an aliquod illi cum alio Principe vinculum, aut neceſſitudo intercedat, quid ſibi ab iis, de quibus conſultatur timere poſſit, quid ſperare; nam cum ipſe res ſuas magis caras habeat, diligentiúſque promouere ſtudeat, quàm Principis, ſedulò cogitabit, qua ratione poſſit ſua vitare incommoda,

Eos deligendos conſiliarios, qui ſuis cõmodis queritandis non ſtudeant.

Eccleſ. 37. 9.

ſuæ

ſuæq́ue ſeruire vtilitati, reſque publicas aut Principis præ ſuis negliget, cúmque vocatus fuerit in conſilium, cippum in quem incidas aperiet, aut ſudem in quam impingas in terram panget, ſtructiſque dolis, omnia tamen longè à periculo abeſſe pronuntiabit, ipſe interim è regione obſeruans an aliquid tibi mali accidat, ex quo ipſe vtilitatis aliquid percipere poſſit. Exemplum huius rei, maximè illuſtre, habemus in hiſtoria Regum. Nam cum vrbe exceſſiſſet Dauid ſibi metuens à filio Abſalone, iamque Abſalon Ieruſalem ingreſſus cum ſuis conſultaret quid facto opus eſſet, vt ſibi Regnum quod videbatur adeptus, ſtabiliret, educendæ ne eſſent repente copiæ, & in Dauidem ſuſcipienda expeditio, iis duntaxat ad bellum emiſſis militibus, qui ad manum eſſent, an verò contrahendus eſſet ex vniuerſo Iſraële exercitus, qui cum eſſet coactus tum demum in Dauidem immitteretur. Achitophel cuius eo tempore ſapientia tanti fiebat, vt oraculi Diuini
2.Reg.17. 1. inſtar haberet, ita loquebatur: *Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Dauid hac nocte, & irruens ſuper eum (quippe qui laſſus eſt & ſolutis manibus) percutiam eum; cumque fugerit omnis populus, qui cum eo eſt, percutiam Regem deſolatum, & reducam vniuerſum populum, quomodo vnus homo reuerti ſolet; vnum enim virum tu quaris, & omnis populus erit in pace, placuitque ſermo eius Abſalom, & cunctis maioribus natu Iſraël.* Et ſanè rei, quam aggrediebatur Abſalom, vtile in primis, & accommodatum conſilium dederat Achitophell, ſtetiſſétque ſententia, niſi rem totam Chuſai Arachites ad dicendam ſententiã vocatus diſcuſſiſſet; nam cum à Dauidis partibus ſtaret, illique faueret, licet

cet ignorantibus hoc Abſalone & conſiliariis eius, ita conſilium ſuum temperauit, vt cum de Abſalone in regno firmiter ſtabiliendo ſolicitus videri vellet, id tamen præcipuè ageret, vt Dauidi, quem opprimi poſſe videbat, ſi Achitophelis vinceret ſententia, pararet incolumitatem. *Nam* 2. Reg. 17.
dixit Chuſai ad Abſalom: Non eſt bonum conſilium 7.
quod dedit Achitophel hac vice. Et rurſum intulit Chuſai. Tu noſti patrem tuum, & viros qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos, & amaro animo, veluti ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat; ſed & Pater tuus vir bellator eſt, nec morabitur cum populo, forſitan nunc latitat in foueis, aut in vno quo voluerit loco; & cum ceciderit vnuſquiſque in principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta eſt plaga in populo, qui ſequebatur Abſalom, & fortiſſimus quiſque, cuius cor eſt quaſi Leonis, pauore ſoluetur; ſcit enim omnis populus Iſraël fortem eſſe patrem tuum, & robuſtos omnes, qui cum eo ſunt; ſed hoc mihi videtur rectum eſſe conſilium. Congregetur ad te vniuerſus Iſraël à Dan vſque Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum, & irruemus ſuper eum in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros ſuper terram, & non relinquemus de viris qui cum eo ſunt, ne vnum quidem. Quod ſi vrbem aliquam fuerit ingreſſus, circumdabit omnis Iſraël ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea. Dixitque Abſalom & omnes viri Iſraël. Melius eſt conſilium Chuſai Arachitæ conſilio Achitophel. In quo tamen vel ipſius Scripturæ teſtimonio falſi ſunt, ex qua diſcimus offuſas à Domino fuiſſe tenebras conſiliariorum illorum mentibus, ne quàm vtile Achitophelis conſilium eſſet, poſſent agnoſcere, ait enim. *Domini nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel*

tophel vtile, vt induceret Dominus ſuper Abſalon malum. Itaque in viro etiam probo, qualis erat Chuſai, apparet quàm periculoſa res ſit, conſilium ab eo petere qui priuatis affectibus ducitur, aut qui ſi aliquod à Principe ineatur conſilium, veretur ne rerum ſuarum incrementum intercipiatur, aut etiam damnum aliquod incurrat. Hoc enim hominum genus nihil non agit, ſéque in omnem verſat partem, vt ea quæ ſibi vtilia eſſe intelligit, quaſi bono publico opportuna conſilia Princeps amplectatur, ſemperque eò dirigit aciem mentis, vt honorem ſuum, rem familiarem, potentiámque in aula amplificet, illáque omni niſu amoliatur, quæ aliqua ratione nocitura videantur. In Regis Aſſueri aula fuerat Aman ad magna & honorata miniſteria Regio fauore productus, itaque in omnem occaſionem potentiæ huius augendæ intentus, cum quæſiiſſet ab eo Aſſuerus, quanam ratione ille eſſet honorandus, quem Rex honorare decreuiſſet, ille putans ſe potiſſimùm, qui gratioſiſſimus eſſet Principi, nouis iſtis honoribus admouendum, cum clariſſimi triumphi
Eſther 6. 7. ſpem animo præſumpſiſſet, ita reſpondit; *Homo quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus Regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, & primus de Regiis Principibus ac Tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet & dicat, ſic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare.* Quod ſi triumphum illum Mardochæo, cui erat infenſus parari ſenſiſſet, aliam planè inſtituiſſet orationem, ac fortè quod aulicis familiare eſt, Aſſuero fuiſſet auctor, quaſi Mardochæi creſcentis magnitudini faueret, vt eum ad aliquam gubernandam

dam

dam prouinciam deſtinaret, non eo conſilio, vt creditæ illius fidei gubernatio virtutis & Regiæ beneuolentiæ teſtimonium eſſet, ſed vt eum longius ſubmoueret, quem ſuis luminibus officere animaduerteret: *Multi pacifici ſint tibi*, inquit Eccleſiaſticus, *& conſiliarius ſit tibi vnus de mille, ſi poſſides amicum in tentatione poſſide eum, & ne facilè credas ei. Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis, & contra eſt amicus qui conuertitur ad inimicitiam, & eſt amicus, qui odium & rixam & conuitia denudabit. Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Eccleſ. 6. 6.
Cuius moniti ſententia ea eſt, paucos admodum eſſe fideles amicos, qui ſincero animo conſilium dent poſtulantibus, ac proinde maximè attentum debere eſſe eum, qui ab amico conſilium petit, ne fortè is cui ſe credit cum poſtulat conſilium, ſpe aliqua, aut timore inſtinctus ſibi potiùs quàm illi conſulat. Prudentium eſt iſta laus, & eorum, qui longo rerum vſu docti ſunt, hi enim facilè, quò conſilium dantes ſpectent deprehendunt: nam, *Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* Prou. 27. 19.
Hanc ego ſolertiam in Rege Iuda Ioſaphat requiro, qui Achab Iſraëlis Regis ſuadenti vt prælium quod imminebat, cultu regio amictus iniret: id ſibi paſſus eſt perſuaderi, cùm tamen ipſe Achab diſſimulato Regis habitu, ſub priuati cuiuſpiam militis armis latuiſſet; quod ſanè conſilium vel eo nomine ſuſpectum illi eſſe oportuit, quòd qui Regij cultus retinendi auctor erat, ipſe mentito habitu prælium eſt ingreſſus. Itaque proximè abfuit Ioſaphat à periculo, Achabi conſilio, in extremum diſcrimen adductus, niſi vociferando

Digitized by Google

ferando ſibi conſuluiſſet, illique intellexiſſent eum non eſſe Regem Iſraël, quem Syriæ Regis
3.Reg. 22. 31. arma potiſſimùm petebant ad necem. *Rex autem, Syriæ*, vt dicitur in Regum hiſtoria, *præceperat Principibus curruum triginta duobus dicens. Non pugnabitis contra maiorem & minorem quempiam, niſi contra Regem Iſraël ſolum. Cum ergo vidiſſent Principes curruum Ioſaphat, ſuſpicati ſunt, quòd ipſe eſſet Rex Iſraël, & impetu facto pugnabant contra eum, & exclamauit Ioſaphat, intellexeruntque Principes curruum, quòd non eſſet Rex Iſraël, & ceſſauerunt ab eo.* Quod ſi etiam ab amicis cauendum eſt, cum petimus conſilium, quid de iis erit ſentiendum, quos offendimus aliquando, aut à quibus ipſi offenſi ſumus? ſanè multò magis horum fidem ſuſpectam eſſe conuenit, ne fortè tempore ſoporatus dolor noua ſe ſe aperiente nocendi via recrudeſcat, & in caput innocentis, etiamſi nulla recens offenſio extiterit, odij virus effundatur. Exemplo eſt Zebul, qui Gaal infenſus eum decipere conatus eſt; nam cum procul venientium hoſtium globos Gaal intueretur, rémque cum Zebul communicaret, hic ſuſpicionem hoſtilium agminum aduenientium eximere conatus eſt, ne ſi periculum imminens animaduerteret, ſibi ſuiſque conſule-
Iud. 9 36. ret. *Cum vidiſſet populum Gaal, dixit ad Zebul. Ecce de montibus multitudo deſcendit: cui ille reſpondit, vmbras montium vides, quaſi capita hominum, & hoc errore deciperis.* Illud etiam addiderim conſanguineorum ipſorum, qui nos amant, beneque nobis volunt, & rebus noſtris aduerſis tanquam ad ſe ſpectantibus tanguntur, in conſiliis dandis ſuſpectam fidem eſſe poſſe, cum etiam ipſi immodicis animi perturbationibus agitari poſſint, ſpe, metu,

tu, inuidia, aliiſque huiuſmodi motibus, quibus cum cietur animus, vel quid facto opus ſit non videt, vel ſi quod verum eſt videt, amico inuidet vt ſibi commodet, ſuiſque perturbationibus obſequatur. Magnus erat Ioab apud Dauid auunculum ſuum, eámque magnitudinem ſibi ingentibus promeritis, bellica virtute, multiſque in rebus explorata in Regem fide parauerat: cum tamen Abner, Isboſetho regiæ Saulis domus ſtirpi, quem pleræque Iſraëlis tribus Regem ſequebantur, infenſus, ad Dauid tráſire ſtatuiſſet, & cum ipſo Dauide fœdus pepigiſſet, veritus Ioab ne plus gratia apud Dauidem Abner poſſet, quàm ipſe maluiſſet (erat enim Abner vir ſtrenuus, & maximæ apud Iſraëlitas auctoritatis) eum omni qua fieri poſſet ratione amoliri ſtatuit, & ab Regis latere tantum virum abſtrahere, qui ſi Regi adeſſet, iam ipſe non tanto apud Dauidem eſſet in pretio. Itaque illum apud Regem calumniari aggreſſus eſt, & in inuidiam vocare, quaſi non bona fide transfugiſſet ad Dauidem, ſed eo conſilio ſe ſe illi adiunxiſſet, vt exploratis eius conſiliis eum tandem Isboſetho, cui ad eum diem ſeruierat, faciliùs proderet. *Et ingreſſus eſt Ioab ad Regem, & ait: Quid feciſti? Ecce venit Abner ad te, quare dimiſiſti eum, & abiit, & receſſit? Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, vt deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum, & noſſet omnia quæ agis?* Sed cum fortè non perſuaderet, tandem gliſcens inuidia eò erupit, vt virum innocentem, & nihil tale ſuſpicantem, interimeret: quanquam alia etiam intercedebat offenſio propter Aſaelem Ioabi fratrem, quem Abner ſe cum fugeret inſequentem haſta transfixerat. Mi-

2 Reg. 3. 24.

Digitized by Google

nus itaque miror Sapientis in Eccleſiaſtico conſilium, qui cum priùs valde omnibus commendaſſet, vt in rebus ambiguis amicos conſulerent,
Eccleſ. 32. 24. ait enim. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis, in via ruinæ non eas, & non offendes in lapides, nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.* Statim ſubdit, *& à filiis tuis caue, & à domeſticis tuis attende.* Quamuis enim laudabilem putem eorum Principum conſuetudinem, qui filios aut nepotes rebus adminiſtrandis præficiunt potiùs quàm alios, quibus non ita cordi futura ſperatur Principis amplitudo, cùm ei tantæ neceſſitudinis beneuolentiæ que fœdere coniuncti non ſint; modus tamen quidam, meo iudicio, adhibendus eſt, vt ſcilicet Princeps bene exploratis, & quantum fieri poteſt cognitis eorum affectibus, ſic cum illis quæ gerenda ſunt communicet, illorúmque vtatur opera, vt tamen æſtu perturbationum, quibus fortè commouentur, iræ, ſpei, timoris, ambitionis, diuitiarumque amplificandarum cupiditatis, non abripiatur, aut deflectat à recto virtutis curſu, dumque illis gratificari ſtudet, ipſe ad vadoſa loca, ſcopuloſque deferatur. Quare quod Ionathas de parente
1. Reg. 20. 2. ſuo Saul prædicat cum ait. *Neque enim faciet pater meus quidquam grande vel paruum, niſi priùs indicauerit mihi.* Sanè in viro Principe non probauerim, cum ſæpe tempora incidere poſſint in quibus rationi conſentaneum ſit, arcanum aliquod nepoti aut filio non patere, ne fortè inde Reipublicæ incommodandi occaſionem arripiant, dum ſe & ſua, qua bonis artibus, qua fraudibus & dolo, qua innocentium damno & iniuria promouere ſtudent. Inter affectus autem potiſſimùm in

huiuſ

huiuſmodi hominibus dominari video, diuitiarum cenſuúmque amplificandorum immodicam cupiditatem, quæ cupiditas Apoſtolo teſte, *Radix eſt omnium malorum*, nominatimque in conſiliario cauenda, nam *qui quærit locupletari, auertit oculum ſuum*, & à ſcopo in quem intendere ſuaſque omnes actiones dirigere debuiſſet, aliò auertit oculum, quò ſcilicet eum rapiunt fulgor auri, diuitiarumque illecebræ, quibus captus ita ſua accommodat conſilia, vt præ diuitiis honeſtatem ſpernat, tenuéque aliquod emolumentum, ipſa virtute, qua nihil pulchrius eſſe poteſt, antiquius ducat. Quare Eccleſiaſticus cum conſilium capimus, ab iis cauendum monet, qui vehementi aliquo ducuntur affectu, quo impediti minus perſpicere poſſunt quid fugiendum ſit, quid amplectendum, vetátque cum pauido de bello, cum Religionis contemptore de diuino numine colendo, cum liuidis de gratiis alicui agendis agitare conſilia, quæ omnia, aliáque ita ab Eccleſiaſtico lapidè efferuntur per ironiam. *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia, & cum muliere, de ea quæ æmulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro liuido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhoneſto de honeſtate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de conſummatione anni, cum ſeruo pigro de multa operatione. Non attendas his in omni conſilio.* Et quidem meritò. Nam, vt quiſque affectus eſt, ita ferè iudicat, ſententiámque exquirenti, de rebus ita pronuntiat, vt ipſe ſentit. Itaque Ionadab homo impurus Ammonis conſilia expedit in ſcelere, cum ſorore Thamar, quam deperibat perpetrando. Contrà

1.Tim.6. 10.

Eccleſ.27. 1.

Eccleſ.37. 12.

2.Reg. 13. 5.

Geneſ. 13. 7. Loth caſtus & ſanctus, ciues ſuos quantum poterat, à damnato illo concubitu arcere conabatur. Rurſus liberalis & largus ipſe *Miſeretur & commodat*, & aliis vt idem faciant auctor eſt, vt bonus ille Nehemias faciebat, cuius eſt illa oratio ad ciues ſuos. *Et ego, & fratres mei, & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam, & frumentum, non repetamus in commune iſtud, æs alienum concedamus, quod debetur nobis. Reddite eis hodie agros ſuos, & vineas ſuas, & olineta ſua, & domos ſuas, quin potius & centeſimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere ſoletis ab eis, date pro illis.* Contrà Giezi ſi ipſum Eliſæus conſuluiſſet, accipiendumne videretur à Naaman Syro viro opulento, talentum vnum aut alterum, quo ſuam ipſi facilius tolerarent paupertatem, præſertim cum ipſe liberaliter admodum offerret, imò vim faceret, ſanè cenſuiſſet, viri Principis liberalitatem repudiandam non eſſe, ne fortè parum vrbanus, propoſitique ſui nimiùm tenax videretur, contra quam Eliſæus vir ſanctus iudicabat, qui vrgenti Syro reſpondit. *Viuit Dominus ante quem ſto, quia non accipiam.* Itaque audiendus Eccleſiaſticus, cuius illa vox eſt. *Cum fatuis conſilium non habeas, non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent.*

1. Eſdræ 5. 10.

4. Reg. 5. 16.

Ibidem.

Eccleſ. 8. 20.

9 Sed tranſeamus ad libertatem, in ſententia dicenda, quam vereor ne Principes oderint in conſiliariis ſuis, quorum *ſpiritu multiplici* offenduntur, vehementi ſcilicet, & acri liberáque oratione, vt Baldad ille Suhites apud Iob: ea enim conditio eſt veritatis, vt odium inuidiámque conciliet. Expertus eſt Achior, qui cum de Iſraëlitarum populo verè dixiſſet Holoferni pugnare pro illo cæleſte Numen, nec fieri poſſe vt ab exercitu Aſſyrio

Conſiliariũ in ſẽtẽtia dicenda liberum eſſe debere.

Iob 8. 1.

Iudith 5. 5.

Digitized by Google

Aſſyriorum vinceretur, ſi propitium Dominum habuiſſent, quaſi violata eſſet Regis ſui maieſtas, ſuperbus Imperator excanduit, & ad hoſtes Achior tranſire compulit, quæ illi res fuit maximè ſalutaris; nam qui cum Aſſyriis periiſſet eadem inuolutus clade, cum Hebræis incolumitatem eſt conſecutus. Æquum igitur eſt, vt Princeps nanciſcendæ veritatis cupidus, conſiliariis ſuis tribuat facultatem liberè proloquendi, nec factis aut verbis, aut nutu, cuiuſquam ſententia ſe offenſum oſtendat, niſi velit veritatis, quam ſummoperè adamare debet, facere iacturam: pleríque enim hominum adeò ſunt imbecilles, vt minimam etiam Principis offenſionem plurimùm reformident, ac propterea cum conſuluntur, vt ſibi caueant, *Dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* ex quo plurima in Rempublicam incommoda redundare conſueuerunt. Illud tamen monendi ſunt conſiliarij, vt illius memores ſint reuerentiæ, qua Principem ſuum proſequi par eſt eum, qui priuatus eſt, ne libertas in licentiam tranſeat, dúmque ſententia aliqua, quæ fortaſſe Principi placuit, damnatur aut rationibus allatis confutatur, carpatur ipſe Princeps linguam in eum vibrando, quem pro ratione dignitatis, & muneris quod ſuſtinet, venerari magis oportuiſſet, ſeruauit hoc Achior, de quo nunc dicebamus, cuius eſt illud procemium orationis, quam habuit ad Holofernem. *Si digneris audire Domine mi, dicam veritatem de populo iſto in conſpectu tuo, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falſum ex ore meo.* Et Samuel, qui Saulem ita alloquitur. *Sine me, & in-*

Iſa. 5. 20.

Iudith. 5. 5.

1. Reg. 15. 16.

Digitized by Google

dicabo tibi, quæ locutus ſit Dominus ad me nocte. Et
Eliphas Themanites non diſſimili induſtria pu-
tauit ſibi auditorem præparandum, ne iis fortaſſe
offenderetur quæ dicturus erat. Ita enim legimus
Iob 4.1. in libro Iob: *Reſpondens autem Eliphaz Themani-
tes dixit: Si cæperimus loqui tibi, forſitan moleſtè acci-
pies.* Quaſi dicat: Si ea quæ hactenus à te diſputa-
ta ſunt oppugnando refutauerimus, faciemus
fortaſſe tibi rem parum gratam, ſi quod pleriſ-
que Principibus accidit, ita volueris omnia tua
verba excipi, vt illis nequeat contradici. Sed da-
bis nobis hanc veniam, vt amici, amicè contra
amicum, non euertendæ, ſed potius eruendæ ve-
ritatis ſtudio diſſeramus. Huc enim facit Salo-
Prou.21. monis præceptum in Prouerbiis cum ait: *Vir
28. obediens loquetur victorias.* Septuaginta ἀνὴρ ὑπήκοος
φυλασσόμενος λαλήσει, *vir obediens*, qui ſcilicet ſub-
ditus eſt, *cautè loquetur.* Sed ſunt aliqui ab ipſa
natura, quam ipſi ratione non moderantur, ita
facti, vt paulò etiam quàm par eſſet concitatius
in ipſos Principes inuehantur ipſis audientibus,
ſibique malum aliquod impudentia accerſant,
quam tamen ipſi libertatem indigitant. Talis mi-
hi ſemper viſus eſt Ioab Dauidis patruelis & con-
ſiliarius, qui licet ſui Principis incolumitati, &
amplitudini ſtuderet, acrius tamen & vehemen-
tiùs illum allocutus eſt, quàm par fuiſſet, cum
Dauid nece Abſalonis nimium quantum dolens
2.Reg.19. æterno luctu ſqualoréque contabeſceret. *Ingreſ-
5. ſus ergo Ioab ad Regem*, inquit Scriptura, *in domum
dixit. Confudiſti hodie vultus omnium ſeruorum tuo-
rum, qui ſaluam fecerunt animam tuam, & animam
filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxo-
rum tuarum, & animam concubinarum tuarum. Dili-
gis*

gis odientes te, & odio habes diligentes te, & oſtendiſti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de ſeruis tuis, & verè cognoui modò, quia ſi Abſalem viueret, & omnes nos occubuiſſemus, tunc placeret tibi. Nunc igitur ſurge, & procede, & alloquens ſatisfac ſeruis tuis, iuro enim tibi per Dominum, quod ſi non exieris, ne vnus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac, & peius hoc erit tibi, quàm omnia mala, quæ venerunt ſuper te ab adoleſcentia tua, vſque in præſens. Hæc Ioab: cuius oratio aſperior eſt, quàm vt ea, Rex tanto mœrore confectus compellandus eſſet, cum præſertim mendaciis paſſim aſperſa ſit, vt enim Abſalonem diligeret Dauid, eúmque optaret ſuperſtitem, incolumémque, non tamen ſeruos ſuos aut Duces clade illa contritos cupiebat, quod inuidioſè Dauidi Ioab affingit. Itaque animi ardore plus iuſto prouectus Ioab in ea erupit verba, quibus ſtomachum ſuum effunderet, & Regem adeo perſtringeret, vt quod ipſe ſuadebat non facere non auderet. Sed eorum conſiliariorum libertas propiùs recedit à culpa, imò dixerim ab inſania, qui quamuis ſe nihil profuturos intelligant, adeò tamen linguæ furunt intemperantia, vt quæ mente conceperunt, quidquid tandem accidat, eloqui non vereantur. Nam conceptus ſermo *factus eſt in corde eorum, quaſi ignis exaſtuans, clauſuſque in oſſibus, & deficiunt ferre non ſuſtinentes*, cum Eliphaz Themanithe clamantes: *Conceptum ſermonem tenere quis poterit?* Eliu Buzithi perſimiles, qui de ſe ipſo ita loquebatur: *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit: loquar & reſpirabo paululum, aperiam labia mea, & reſpondebo.* Huiuſmodi homines meritò fatuos

Ierem. 20. Iob 4. 2. Iob 32. 18

Ecclеſ. 19. 11. vocat Eccleſiaſticus cum ait. *A facie verbi parturit fatuus tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa fæmori carnis*, vel vt alia habet lectio, *canis, ſic verbum in corde ſtulti.* Quorum verborum hæc eſt ſententia. Quemadmodum mulieres vterum geſtantes, cum tempus aduenit partus enitendi, maximis tentantur doloribus, nec prius leuationem aliquam ab illis cruciatibus ſentiunt, quàm ediderint fœtum; ac rurſus quemadmodum ſi canis fæmori ſagitta altè infigatur, ſenſum maximum doloris facit, & latratum ac vociferationem, vel ab inuito exprimit: ita ſtulti aliqui conceptum ſermonem intra ſeptum dentium continere non poſſunt, ſibíque bene nunquam futurum putant niſi quod ſentiunt effuderint, parum interim curantes, ſi importuna iſta loquacitate ſibi damnum aliquod quantumuis grande concilient.

Conſiliarium ſuæ ſententiæ non nimis adhærere debere.

10 Illud etiam cauendum cenſeo in conſiliario, ne ſuæ ſententiæ nimiùm adhæreat, alios præ ſe contemnens, quaſi nihil ipſi videant, nec alia rei bene gerendæ ratio quàm ea, quæ ipſi placuit, iniri poſſit. Ab ipſa quidem natura hominibus inſitum eſt, vt ſententias quas dixerint quaſi partus ſuos exoſculentur, & diligant, quod docet Sapiens cum ait, *Lætatur homo in ſententia oris ſui*, vel vt habent Hebrea ad verbum. *Gaudium eſt viro in reſponſione oris ſui.* Et Eccleſiaſticus, *Omnis*, inquit, *conſiliarius prodit conſilium.* Græcus contextus habet ἐξαίρει, hoc eſt *extollit*, quia nimirum ſententiam ſuam, tanquam aliis anteponendam laudare conſueuit. non tamen propterea ſibi placere debent, vt alios omnes bardos aut fatuos putent, ſed credere, ſibique perſuadere, alios etiam ſapere, & ſi frequentes in aliam ſententiam iuerint,

Prou. 15. 23.

Ecclеſ. 37. 8.

fuerint, eam potius ſequendam eſſe, nec temerè de illis, tanquam de hominibus tardis, imbecillíque conſilij pronuntiare. Talis mihi videri ſolet Caiphas ille Pontifex, qui in Concilio quod collegerunt Pontifices & Phariſæi, vt quomodo Chriſtum, cuius fama in dies magis augebatur, opprimerent, ita collegas ſuos, & ſymmyſtas alloquitur: *Vos neſcitis quidquam & cogitatis.* Cum Io. 11. 49.
huiuſmodi ergo hominibus, docet Eccleſiaſticus, ne conſilia ineamus, eóſque fatuos appellare non dubitat. *Cum fatuis*, inquit, *conſilium non habeas*: vt Eccleſ. 8. 20.
verò intelligamus quodnam genus hominum hoc ſit, quos dicit fatuos, ſubdit, *Non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent.* Cúmque aliorum inuenta non probent, ad rixas, & contentiones procliues ſunt (nam *inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia*) & Prou. 13. 10.
cum alios audiunt, ſeſe continere non poſſunt, quin ſigno aliquo ſibi ſententiam illam diſplicere prodant, in quo rurſus ſtultos ſe eſſe oſtendunt, ſi ſapienti credimus dicenti; *Impatiens operabitur ſtultitiam.* τὸ *Impatiens* in Hebræo eſt, *Breuis* Prou. 14. 17.
irarum, is nimirum, qui facilè iram concipit, quem Græci ὀξύχολον vocant, vel ὀξύθυμον. Itaque multò ſapientius amici illi Iob, atque ideo imitandi, qui licet acriter cum Iob diſceptando congrederentur, ita tamen loquendi & tacendi tempora inter ſe partiebantur, vt vno diſſerente ſilerent alij, & rurſus, cum is qui tacuerat, dicere erat exorſus, reliqui fauerent linguis, & ſecundis auribus orationem eius ad finem vſque proſequerentur.

Cõſiliariũ fidelem eſſe debere arcanorũ cuſtodem.

11 Nec minus requiritur, imò fortaſſe magis, fidelitas, vt nimirum quæ illius fidei committuntur arcana, quaſi Principis depoſitum in imo pe-

ctore cuſtodire, réſque auditas ſilentio premere ſciat, adeò vt non modò rem ipſam eloquatur, ſed ne ſignis quidem aut indiciis præbeat occaſionem ſuſpicandi, iis qui ſagaciter omnia odorantur, vt ad conſiliorum cubilia penetrare poſſint. Itaque fidelis amicus miris à Sapiente laudibus extollitur in Eccleſiaſtico, cum ait: *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inuenient illum.* Cum huiuſmodi ergo amico communicanda conſilia, non cum iis, qui inſtar dolij multis rimis fatiſcentis, ea quæ infunduntur continere non poſſunt. *Cum fatuis* (inquit Eccleſiaſticus loco paulò ſupra indicato) *conſilium non habeas, non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent.* Græcus non στέρξαι legit, vt legiſſe videtur vulgatæ editionis author, ſed στέξαι, quod eſt *tegere, continere*, & ſenſus eſt. Ne communices cum ſtultis conſilia, qui quæ ab amicis audiuerunt, fideli pectore condita aſſeruare non nouerunt, ſed illa temerè effutiunt, & in vulgus emanare ſinunt, quæ nemini fuiſſent aperienda. Itaque quemadmodum ſacrorum myſteria non initiatis vulganda non ſunt, ne fortè *Proÿciantur margaritæ ante porcos*, qui eas negligant, pretium illarum ignorantes, imò deſpiciant & conculcent; ita credita arcana continere neſcientes, tanquam minimè initiati, & prophani, ab aditis conſultationum arcendi ſunt. Hinc ſcriptor hiſtoriæ Iudith conſilium, quod Rex Aſſyriorum Nabuchodonoſor conuocauit, myſterium appellauit, ad commendandam nimirum taciturnitatis

Eccleſ. 6. 14.

Eccleſ. 8. 20.

Matt. 7. 6.

Digitized by Google

nitatis huius virtutem, quæ conſiliarium virum maximè decet. *Vocauitq́ʒ*, inquit, *omnes maiores natu, omneſq́ʒ duces, & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui.* Meritò autem Rex Syriæ moleſtiſſimè tulit ſua hoſtibus patere conſilia, quod tamen nullius Regij conſiliarij vitio eueniebat, ſed Deo Prophetæ Eliſæo rem patefaciente, quod cum Rex ille neſciret, ſéque & arcana ſua hoſtibus prodita exiſtimaret, perfidiam ſibi noxiam ſuſtinere non valens. *Conturbatum eſt*, inquit, *cor Regis Syriæ pro hac re, & conuocatis ſeruis ſuis ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei ſit apud Regem Iſrael? Dixitq́ʒ vnus ſeruorum eius. Nequaquam Domine mi Rex, ſed Eliſæus Propheta, qui eſt in Iſrael, indicat Regi Iſrael omnia verba quæcumque locutus fueris in conclaui tuo.* Quo audito Syrus omnes ſuas curas eò intendit, vt Eliſæum in ſuam redigeret poteſtatem, ſatis intelligens nulla ſua conſilia eum quem optabat exitum nanciſci poſſe, donec aliquis eſſet qui ea Iſraelitis patefaceret. Si ergo arcana tua iis dumtaxat conſiliariis, qui ea ſilentio tegere nouerunt patefacis, non prudenter tantùm facis, ſed hoſtibus, aliiſque, qui tuæ inuident magnitudini, tibi nocendi anſam eripis, quemadmodum qui in aduerſariorum arcana ſe penetrare poſſunt, magnum nanciſcuntur telum, quo eorum res labefactent & euertant. Sic Dauid cum fuga ſe ſubduceret, ne in filij Abſalonis manus perueniret, obuiúmque habuiſſet Chuſai Arachitem, veterem, fidúmque conſiliarium ſuum, ſe ſequi volentem non ſuſtinuit, ſed Abſalonem ſequi iuſſit, vt eius beneficio, quid in conſultationibus Abſalonis agitaretur cognoſcere poſſet, eiúſque conſilia aut maturè præuenire, aut aliqua ratione poſſet

Iudith 2. 2.

4. Reg. 6. 11.

poſſet intercipere; ne quod ſceleratè moliebatur
2.Reg.15. Abſalon, perficere poſſet. *Dixit ergo ei David. Si*
34. *veneris mecum, eris mihi oneri, ſi autem in ciuitatem*
reuertaris, & dixeris Abſalon: Seruus tuus ſum, Rex,
ſicut fui ſeruus Patris tui, ſic ero ſeruus tuus, diſſipabis
conſilium Achitophel. Habes autem tecum Sadoch, &
Abiathar ſacerdotes, & omne verbum quodcumque au-
dieris de domo Regis indicabis Sadoch & Abiathar ſa-
cerdotibus: ſunt autem cum eis duo filij eorum Achi-
maas filius Sadoch, & Ionathas filius Abiathar, & mit-
tetis per eos ad me omne verbum, quod audieritis.
Quod vt dixit, planè ſucceſſit; nam per hoſce ado-
2.Reg.17. leſcentes, cognitis Dauid Abſalonis conſiliis, ſi-
21. bi ſuíſque commodiſſima ratione proſpexit.

Cōſiliariū experiētia, & rerum de quibus agitur v-ſu, præditū eſſe debere.

12 Huc tandem facit experiētia, & rerum vſus, qui in viro conſiliario, vel imprimis requiritur, altiſſima enim eorum eſt prudentia, præſentiſſimúmque in rebus implicatis conſilium, qui variis rebus iactati, & in iis negotiis, de quibus conſultatur, diu multúmque verſati ſunt. Itaque ſi de bello ſuſcipiendo deliberetur, non togatulus aliquis conſulendus eſt, qui numquam caſtra viderit; aut agricolæ, qui vt in colendis agris, aut in rebus vrbanis verſati ſint, tamen cum de bello agitur, quid ſit aciem inſtruere, dirigere frontem, cornua exercitus promouere, quid cunei ſint, legiones, aut phalanges, ne de nomine quidem ſatis
Eccleſ.38. norunt. *Qua ſapientia,* inquit Eccleſiaſticus, *reple-*
25. *bitur qui tenet aratrum, & qui gloriatur in ſaculo* (quo ſcilicet boum arantium latera fodiuntur, & inſtar iaculi habet, cum ſit haſtile quodam ſtimulo præfixum & armatum, quod Græcus textus δόρυ κέντρου dixit, hoc eſt, *haſtile ſtimuli.*) *Stimulo boues agitat, & conuerſatur in operibus eorum, & enarratio eius*

in

Digitized by Google

in filijs taurorum. Cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos, & vigilia eius in ſagina vaccarum. Sic omnis faber *& architectus, qui noctem tanquam diem tranſigit, qui ſculpit ſignacula ſculptilia* (Græcè γλύμματα σφραγίδων cœlaturas ſignaculorũ, vel ſigillorum) *& aſſiduitas eius variat picturam.* Multus ſcilicet eſt in nouis excogitandis inuentis, & alio, atque alio modo metalla, quæ tractat efformandi & effingendi, hoc enim eſt, quod habemus in Græco ἀλλοιῶσαι ποικιλίαν, *Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, & vigilia ſua perficiet opus; ſic faber ferrarius ſedens iuxta incudem, & conſiderans opus ferri, vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur.* Cum æſtu, qui ex camini vicinitate exiſtit conflictans quodammodo & pugnans. *Vox mallei innouat aurem eius,* dum nouis ſubinde tunſionibus ferrum ſubigitur: *Et contra ſimilitudinem vaſis oculus eius,* in exemplar quod opere ſuo conatur exprimere frequenter aſpiciens. *Cor ſuum dabit in conſummationem operum, & vigilia ſua ornabit imperfectionem:* nam vigilans & frequenter manum operi admouens, tandem opus omni ex parte abſolutiſſimum reddit. *Sic figulus ſedens ad opus ſuum, conuertens pedibus ſuis rotam, qui in ſolitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum, & in numero eſt omnis operatio eius.* Tantum enim materiæ præparat, quanta ſufficere poſſit, ad eum vaſorum numerum effingendum, quem apud ſe ſtatuit efformare. *In brachio ſuo formabit lutum, & ante pedes ſuos curuabit virtutem ſuam,* vires ſcilicet ſuas exercendo in ſubigenda ex artis præſcripto lutoſa illa materia; *Cor ſuum dabit, vt conſummet linitionem*, extremam ſcilicet vaſi manum adhibendo, & luto cruſtam ex alia materia inducendo, quæ excocto ritè vaſi nitorem conciliet,

liet, & ſplendorem, *& vigilia ſua mundabit fornacem:* opere nimirum expleto, vt vaſa iam formata ignis vapore durentur. *Omnes hi in manibus ſuis ſperauerunt, & vnuſquiſquè in arte ſua ſapiens eſt*; nam & agricola de ſubigenda terra, & malleator de ducendis ex metallo vaſis aut ſtatuis, & figulus de luteis vaſis effingendis bene diſputat. Imò eorum opera ciuitatibus adeò ſunt neceſſaria, vt ſine huiuſmodi mechanicarum artium fabris & artificibus cœtus vlli aut ciuitates conſiſtere non poſſint; *Itaque ſine his omnibus non ædificatur ciuitas, & non inhabitabunt, nec inambulabunt homines in eis.* Quod ſi de muneribus agitur publicis, déque Republica tractanda *in Eccleſiam non tranſilient*, ſiue legamus in Græco ὑπερκαλοῦνται, ſiue vna detracta litterula ὑπεραλοῦνται eodem ſemper ſententia recidit; nam ſenſus erit, in Eccleſiæ cætibus, hi dignitatum titulis non fulgebunt, neque priuatæ fortunæ fines tranſilient. *Super ſellam iudicis non ſedebunt, & teſtamentum iudicij non intelligent, neque palam facient diſciplinam, & iudicium, & in parabolis non inuenientur.* Ita Eccleſiaſticus. Ex quo intelligitur quanta eorum ſit temeritas, qui ad ea manus admouere non dubitant, quæ tractare neſciunt, aut de iis reſpondent, quæ numquam didicerunt, cuiuſmodi fuiſſe videtur Sedecias ille, qui cum Propheta non eſſet, nec Prophetæ filius Ioſaphat & Achab gentis Hebrææ Reges ad bellum inuitabat, victoriæque certam ſpem, quam tamen præſtare non poterat, faciebat. *Fecit quoque*, inquit ſcriptura, *ſibi Sedecias filius Chanaam cornua ferrea, & ait. Hæc dicit Dominus. His ventilabis Syriam donec deleas eam*, cum tamen ſecus euenerit: nam in eo prælio, quod Prophetæ huius

2 Reg. 22. 11.

inſtin

inſtinctu commiſſum eſt, adeò victoria ab Iſraelitis non ſtetit, vt alter ex illis ſagitta in incertum emiſſa confoſſus, extinctus ſit. Cur autem aliquando apud Principes aliqui temerè de rebus, quæ ignorant pronuntient, ea cauſa eſſe poteſt, quod eos pudeat fateri ſe id ignorare, de quo interrogantur à Principe, quaſi aliquid de eorum exiſtimatione pereat ſi de omnibus rebus, quarum etiam vſum non habent, etiam in promptu ſententiam dicere non poſſint, contra quam monet Eccleſiaſticus, cum ait: *Penes Reges noli velle videri ſapiens.* Et Salomon. *Ne glorioſus appareas coram Rege.* Fieri enim poteſt, vt ſi interrogationibus vrgearis à Principe, tua tandem inſipientia prodatur, aut etiam grauem aliquam animæ labem contrahas, ſi temerè de rebus agendis pronuntiaueris, cum tamen vtpote talium rerum ignarus, & rudis, non ſatis perſpectum habeas, quid expediat.

Eccle. 7. 5.
Pro. 25. 5.

13 Huc tandem faciunt alia monita quæ ad prudentiam ſpectant, de quibus ſupra libro 2. diſputatum eſt, cum de Principis virtutibus diſſeremus, quæ ibi videri poterunt.

De Principis Adminiſtris, & monita quædam ad ipſos pertinentia.

CAPVT III.

De Adminiſtrorum Principis ætate, quædam.

1 DE Principum Adminiſtris, minoribúſque Magiſtratibus eligendis, nonnulla ſuperiore

Digitized by Google

riore libro dicta ſunt, cum de illa iuſtitiæ parte, quæ in diſtributionibus verſatur, diſputaremus: nunc quod reſtat paucula quædam attexenda ſunt, ne rem magni momenti, & in quo potiſſimùm verſatur Reipubl. ſalus, paucis contenti, penè taciti prætereamus. Ac primò quidem in eis deligendis magno ſtudio elaborandum eſt, curandúmque vt ij à Principibus ad publica munia adhibeantur, qui iis notis fuerint inſignes, quæ publico magiſtratui præfectum, muneri illi gerendo idoneum eſſe demonſtrant; eæ fermè ſunt quæ ſuperiore capite, in quo de conſiliariis diſſeruimus, allatæ ſunt; illud fortaſſe diſcrimen poſſit intercedere, quod cùm conſiliis dandis aptiores eſſe dixerimus eos, qui ætate iam prouectiores ſunt, rebus ipſis gerendis, quod miniſtrorum eſt virilis ætas, in qua plus ineſt non ſolùm roboris in membris, ſed etiam vigoris in animo, meritò accommodatior videri poteſt. Hoc conſilio bonus Mathathias in duos filios rerum ſummam ita partitus eſt, vt ætate prouectior, conſilióque melior Simon tanquam pater cæteros dirigeret. Iudas verò quem melior ſanguis acrem in rebus bellicis manúque promptum reddebat, rem bellicam adminiſtraret. *Et ecce*, inquit, *Mathathias Simon frater veſter, ſcio quod vir conſilij eſt, ipſum audite ſemper, & ipſe erit vobis pater, & Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute ſua, ſit vobis Princeps militiæ, & ipſe aget bellum populi.* Huiuſmodi rerum adminiſtros ſtrenuos ſcilicet & in rebus agendis expeditos, maximè probauit Salomon, cum ait: *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles,* ſua nimirum dexteritate, & virtute eum adeò promouente, vt apud ipſos Princi-

1.Mach.2. 65.

Prou. 22. 29.

pes

pes gratioſus ſit, illíſque charus in primis. Quare apud eundem Salomonem legimus. *Acceptus eſt Regi miniſter intelligens, iracundiam eius inutilis ſuſtinebit.* Prou. 14. 35.

2 Exutis ergo omnibus ſi fieri poteſt animi perturbationibus, conſideratè admodum eligat Princeps ad magiſtratus eos, quos vitæ probitas, & integritas, prudentia etiam & rerum publicarum experientia commendauerit, Apoſtolorum Eccleſiæ capitum exemplum imitatus, qui Diaconos per populum electuri, quibus, vt vox ipſa ſonat, miniſtris vterentur in ſubleuandis Eccleſiæ neceſſitatibus ad victum, aliáque huiuſmodi pertinentibus, quæ ſi ipſi per ſe curare vellent, à concionandi, Chriſtianámque legem docendi munere auocarentur, populo perſuaſerunt, vt ſeptem viros eligerent diligenti prius attentáque cogitatione præmiſſa, quos illi miniſterio meritò preficiendos exiſtimarent. *Conſiderate ergo fratres, inquiunt, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Quaſi dicerent. Non facilè debetis cuique in hac electione ſuffragari: rem apud vos taciti prius diligenter conſiderate, triáque in iis, qui eligendi ſunt, potiſſimùm deſiderari animaduertite: vt excellenti virtute præditi ſint, vt ſapientia & prudentia inſigniter ornati, tandem vt ſecunda apud omnes fama vixerint, opinionéque ſanctitatis. Huiuſmodi homines cum nacti fueritis, eos putate idoneos, qui Eccleſiæ pecunias tractent, fideliúmque neceſſitatibus, ea qua par eſt integritate proſpiciant. Hinc S. Paulus dotes hiſce conſentaneas in Diaconis requirit, quos Timotheus Epiſcopus electurus erat. *Diaconos,* inquit,

Quàm cõſideratè miniſtri eligẽdi, & de aliquibus conditionibus, quæ in illis ſpectandæ ſunt.

Act. 6. 3.

1. Tim. 3. 10.

ſimiliter pudicos non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes magiſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probentur primùm: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Græc. ἀνέγκλητοι, hoc eſt, quibus propter vitam ſanctè & inculpatè geſtam, nullus audeat crimen vllum impingere. Quanquam verò iſta dicantur de Diaconis Eccleſiæ, rerúmque Eccleſiaſticarum adminiſtris, nihilominus ad Reipubl. magiſtratus commodè transferri poſſunt, quorum præcipua laus eſt, vt ab omni turpi lucro abhorrentes, ita ſapienter ſe in ſuo munere gerant, vt populi obtrectationibus nullum locum relinquant. Illud tandem addam ſuſpectos illos Principi eſſe debere, qui cùm ſe aliqua offert occaſio Magiſtratus alicuius aut Præfecturæ, quæ alicui demandanda ſit, non tantùm operam ſuam deferunt, dicentes cum Pro-
Iſa. 6. 8. pheta, ſed ſpiritu longè diuerſo, *Ecce ego, mitte me,* ſed eos omnes adhibent, quos apud Principem gratioſos eſſe arbitrantur, commendatitias etiam à Regibus litteras aucupantur, omnémque lapidem mouent, vt ad honorificum illud, aut quæſtuoſum munus, quod optauerunt, aſpirare poſſint. Hoc, inquam, hominum genus Principi ſuſpectum eſſe iubeo, qui ſi non aliud, certè ambitioſi ſunt, atque propterea longè minus ad hæc munera idonei, quàm ij qui illud agunt, vt ſe magiſtratu potius dignos exhibeant, quàm importunè à Principe extorqueant, nam vt aliqui in Republ. inueniantur, qui ab honoribus dignitatúmque titulis refugiant, optandum potius quàm ſperandum eſt; quàm pauci enim ſunt qui pareant
Eccle. 7. 4. ſapienti ſuadenti. *Noli quærere ab homine Ducatum, neque à Rege cathedram honoris.* Blandiuntur enim iſta

iſta neſcio quomodo mortalium oculis, ad ſuíque amorem trahunt ſpecie quadam honeſtatis, & vtilitatis quam oſtentant, eáque eſt hominum conditio, vt ſibi facilè perſuaderi patiantur ſe ad illa, quæ cupiunt, ſatis aptos eſſe, imò etiam cæteris aptiores, adeò vt miraculo ſit paucorum quorundam hominum deſpicientia, qui oblatas pinguium ſacerdotiorum infulas aut Regni diademata aliquando repudiarunt: cuius virtutis frequentiora videremus exempla, ſi honorum iſtorum candidati quemadmodum vehementi quodam cupiditatis ardore ad illa aucupanda feruntur, ita pericula, quæ in illis latent ſtudio diligentiore rimarentur, à quibus illi potiſſimùm proximè abſunt, qui non vt *Aaron vocati* diuino Hebr. 5.4.
conſilio, ſed ſuapte ſponte illa ſuſcipiunt, in illas ſe induentes difficultates, à quibus poſtea expedire ſe nulla ratione poſſunt. Si enim Saul diuinâ electione Rex Iſraelis deſignatus, nihílque tale cogitans, imò quantum poterat recuſans (ad regnum enim admouendus ſe data opera ſubduxerat, latebráſque quæſiuerat) in Regio throno collocatus, veterem illam ſuam maximéque probabilem ſimplicitatem amiſit, & ex Rege Tyrannus, 1. Reg. 10.
Regni occaſione effectus eſt; quid de illis dice- 22.
mus qui tantum ad honores ad quos perueniunt, virtutis afferre non poſſunt? Si igitur aliquem Princeps tanta animi moderatione præditum nactus fuerit, qui honeſtiora iſta munera deprecetur, ſatagátque cum honore etiam onus & periculum amoliri, vt quondam Moyſes, qui populi Ducatum ſubire non audebat, ſed cum alia tum potiſſimùm linguæ tarditatem cauſatus omnibus modis munus ſibi impoſitum defugiebat, dicebat

Exod. 4. 10.& 13. enim. *Non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius, mitte quem miſſurus es:* hunc ſciat cæteris omnibus magis idoneum futurum, ſperétque impoſito munere defunctum cum Samuele dicturum. *Loquimini de me coram Domino & coram Chriſto eius, vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum, ſi quemquam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituamq́ vobis*, nec diſſimile reſponſum laturum, quàm tunc ipſe tulerit. *Et dixerunt, Non es calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicuius quidpiam.* Sed vt dixi vix vllus inuenietur, qui refugiat honores, magiſtratúſque quæſtuoſos, vt enim pauci admodum ſunt: *Qui poſt aurum non abeant, nec ſperent in pecunia & theſauris*; ac propterea iſta modis omnibus non conſectentur. *Quis eſt hic*, inquit Sapiens, *& laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.* Ita pauci planè ſunt, qui honores detrectent, quíque non cupiant *ambulare in ſtolis*, inſignibus magiſtratuum, & potentiæ in populo, nec *ament ſalutationes in foro*, cum longa clientium famulorúmque caterua in forum aut in curiam deducti, Senatores audiunt, Præfecti, Præſides, Gubernatores; *& primas Cathedras in Synagogis*, cum publici celebrantur conuentus; *& primos diſcubitus in conuiuijs*, cum in priuatorum ædes inuitantur. Quamuis enim reuera, *non ſit maior illo qui timet Dominum*, tamen apud imperitum vulgus, *Magnus & iudex, & potens eſt in honore*, aliíque paſſim vel contemnuntur, vel non magni fiunt.

1. Reg. 12. 3. · Ibidem. · Eccleſ. 31. 8. · Ibidem. · Luc. 20. 46. · Eccleſ. 10. 27. · Ibidem.

Cauẽdum ne tantum quis augeatur, vt

3 Sed poſtquam Princeps aliquem elegerit rerum gerendarum adminiſtrum, munúſque aliquod demandauerit, caueat ne tantum illi concedat

cedat poteſtatis, vt ipſi etiam Principi formidandus euadat, olímque ipſi Principi, ſi illum in ordinem redigere tentauerit, periculum aliquod creare poſſit. *ipſi Principi euadat formidabilis.* Vſu enim venire ſolet aliquando, vt Principes ſeruos ſuos, quos potentia ipſi auxerunt, poſtea contumaces adeò experiantur, vt non audeant, aut non poſſint vt volunt, de rebus Regni grauiſſimis decernere, ſed id demum cogantur eligere, quod iſtis Principum Principibus collibitum fuerit. *Multi*, dicitur in libro Eſther, *bonitate Principum, & honore, qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam, & non ſolùm ſubiectos Regibus nituntur opprimere, ſed datam ſibi gloriam non ferentes, in ipſos qui dederunt moliuntur inſidias.* Eſther 16. 2. Ac ſeruorum quidem, qui Dominis violentas attulerunt manus, exempla ſuppeditat Scriptura: nam vno dumtaxat capite quatuor narrat Reges à ſeruis cæſos eſſe; qui cum Regni accepiſſent gubernacula, ipſi rurſus interempti ſunt. Nam Zachariam Regem Iſrael *Sellum filius Iabes percuſſit palam & interfecit,* 4 Reg. 15. 10.
regnauitq́ pro eo: ſed Sellum non plus vno menſe Regnum tenuit; nam à Manahen interfectus eſt. Ibid. n. 14.
Manahen verò filium quidem Phaceiam Regni ſucceſſorem reliquit, ſed *Coniurauit aduerſus eum* Ibid. n. 25.
Phacee filius Romeliæ dux eius, & percuſſit eum in Samaria, & in turre domus Regiæ, & interfecit eum, regnauitq́ pro eo. Coniurauit autem & tetendit inſidias Ibid. n. 31.
Oſee filius Ela, contra Phacee filium Romeliæ, & percuſſit eum & interfecit, regnauitq́ pro eo. Eorum verò, qui licet Principibus perniciem afferre non ſint moliti, plus tamen iuſto, apud illos, potentia valuerunt, in eiuſdem Scripturæ hiſtoriis exempla non deſunt. Hoc enim paſſus videtur Dauid Rex tantus, apud quem Ioab militiæ Princeps

Digitized by Google

tantum ſibi potentiæ vendicauerat, vt Abner exercitus Saulis ducem, qui poſt Domini ſui cædem relicto Iſboſeth ſe ad Dauidis partes adiunxerat, occiderit proditoriè, cuius mortis nuntio ad Dauidem allato, diris quidem grauiſſimis Ioabi caput deuouit, à quo ſcelus iſtud profectum fuerat, grauius autem aliquid ſtatuere in eum auſus non eſt, quod in Regni primordiis verſaretur
2. Reg. 3. 39. adhuc. *Ego autem,* inquit, *adhuc delicatus, & vnctus Rex,* id eſt, recens factus Rex, & nec dum viribus confirmatus, vt poſſim nocentes iſtos punire. *Porrò viri iſti filij Saruiæ duri ſunt mihi,* vel vt eſt in Hebræo, Chaldæo, & etiam apud Septuaginta, *Duriores me,* id eſt, fortiores ſunt & potentiores. *Retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam ſuam.* Rurſus cum Abſalon bellum excitaſſet aduerſus Parentem ſuum Dauid, iámque prælium eſſet committendum de filij periculo ſolicitus
2. Reg. 18. 5. pater, *Præcepit Ioab, & Abiſai, & Ethai dicens. Seruate mihi puerum Abſalon, & omnis populus audiebat præcipientem Regem, cunctis Principibus pro Abſalon.* Cùm tamen Dauidis exercitus victoriam reportaſſet, Abſalónque de quercu eſſet ſuſpenſus: *Tulit Ioab tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon,* Regíſque præceptum violare non dubitauit, tantúmque abfuit, vt Dauidis metueret offenſionem, vt etiam ipſum Regem duriore reprehenſione increpare auſus ſit, quòd nimio ſe mœrore conficeret, mortuúmque Abſalonem nimiis
2. Rex. 19. 5. lacrymis proſequeretur. *Confudiſti,* inquit, *hodie vultus omnium ſeruorum tuorum, qui ſaluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum. Diligis odientes te, & odio habes diligentes*

Digitized by Google

ligentes te, & oſtendiſti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de ſeruis tuis, & verè cognoui modò, quia ſi Abſalon viueret, & omnes nos occubuiſſemus, tunc placeret tibi. Quæ Ioabi reprehenſio licet ab amore in Regem naſci potuerit, aſperior tamen aliquanto fuit, quàm ab eo proficiſci deberet, qui ipſum interfecerat Abſalonem; Ioabíque potentiam, quod nunc agimus, quanta fuerit oſtendit, qui cruentis adhuc Abſalonis ſanguine manibus non tantùm ſe Regi ſiſtere, quem chariſſimo orbauerat filio, ſed liberiore etiam oratione arguere nó dubitauit. Nec mirum eſt, ſi cum Ioab Abſalonis Regis filij cædem impunè tuliſſet, Amaſæ etiam Dauidis ex ſorore nepoti violentas attulit manus, quæ cædes nihilo meliore fide, quàm Abner pattata eſt; nam cum Ioab Amaſam habuiſſet obuium, humaniſſima ſalutatione acceptum, in ipſo congreſſu quaſi oſculaturus amplexus, gladio quo erat accinctus, *Percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram, nec ſecundum vulnus appoſuit, & mortuus eſt.* Cauſam verò etiam habuit deteriorem, ambitionis nimirum impotentiam; nam cum Amaſæ qui Abſalonem fuerat ſecutus, reconciliatus Dauid, militiæ ducatum fuiſſet pollicitus, veritus Ioab ne redigeretur in ordinem, Amaſam occupauit occidere. Reconciliationis huius, quæ Amaſæ conciliauit interitum, ſermo eſt in Regum hiſtoria; nam cum Dauid, Sadoch & Abiathar ſacerdotes legaſſet ad tribus Iſrael, quæ Abſalonem ſecutæ rebellauerant, dedit illis in mandatis, vt Amaſæ dicerent, *Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat ſi non Magiſter militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Propterea verò Ioab Amaſam de medio

1. Paralip. 2. 17.

2. Reg. 20. 10.

2. Reg. 19. 13.

ſuſtuliſſe, ne ipſe regendi exercitus munere fortaſſis excideret, ex eo diſcimus, quod Amaſa cæſo, illiúſque cadauere in terra adhuc iacente; *Quidam viri cum ſtetiſſent iuxta cadauer Amaſa de ſocijs Ioab dixerunt : Ecce qui eſſe voluit pro Ioab comes Dauid:* quaſi dicerent. En quò Amaſæ conſilia reciderũt, qui ſubmoto Ioab exercitus ducatum ſatagebat inuadere, quàm bene ſpes illius omnes Dux noſter, vno dumtaxat ictu, illo nihil minus cogitante præcidit. Cum ergo Ioab cædes cædibus cumulaſſet, multíſque modis offendiſſet Regem, potentiam tamen illius veritus Dauid, quem apud milites gratioſum eſſe intelligebat, omnia diſſimulare & ſilentio tranſmittere coactus eſt: quamquam tantorum ſcelerum memor debitam pœnam non condonauit, ſed in aliud tempus tantiſper diſtulit, donec aliqua ſe daret occaſio, qua tutò poſſet, & citra diſcrimen tumultus alicuius militaris, in tantorum criminum reum animaduertere. Quia verò morte præuentus, quod cogitauerat implere non potuit, iam morti proximus Salomoni filio, Regni ſucceſſori mandauit, vt ipſe effectum daret. Quod poſtea Salomon, cum parentem ſuum Dauid compoſuiſſet, executus eſt, nam Ioab altare tanquam aſyli locum tenentem à Banaia nihilominus iuſſit obtruncari. *Interfice*, inquit, *eum & ſepeli, & amouebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt à Ioab à me, & à domo patris mei:* vt nimirum nullo modo ſim, aut videar culpæ particeps, qui in criminis vindictam ipſum Ioab iampridem mortis reum interfici iuſſerim: *Et reddet Dominus ſanguinem eius ſuper caput eius, quia interfecit duos viros iuſtos melioreſq; ſe, & occidit eos gladio, patre meo Dauid ignorante, Abner filium Ner*

2. Reg. 20. 11.

3. Reg. 2. 5.

3. Reg. 2. 31.

Princi

Principem militiæ Iſraël, & Amaſam filium Iether Principem exercitus Iuda, reuertetur ſanguis eorum in caput Ioab, & in caput ſeminis eius in ſempiternum. Huc tandem Ioab euaſit potentia, qua ne aliquando excideret tantum laborauerat primariis illis viris per proditionem de medio ſublatis. Sed multò etiam maior Abner potentia apud Isboſeth Saulis filium Regem Iſraël, non quidem Isboſeth voluntate, ſed potius neceſſitate temporum: nam cum de Iſraëlis regno perpetua illi eſſet cum Dauide contentio, plurimúmque apud exercitum Abner valeret auctoritas, tantum ille ſibi potentiæ arrogabat vt nihil ſibi licere nollet; quare cum Reſpham olim Saulis concubinam adamaſſet, & cum illa habuiſſet conſuetudinem, idque ægerrimè tuliſſet Isboſeth, dixiſſetque ad Abner; *Quare ingreſſus es ad concubinam Patris mei? Iratus Abner nimis propter verba Isboſeth ait. Nunquid caput canis ego ſum aduerſum Iudam hodie, qui fecerim miſericordiam ſuper domum Saul patris tui, & ſuper fratres & proximos eius, & non tràdidi te in manus Dauid, & tu requiſiuiſti in me, quod argueres pro muliere hodie? Hæc faciat Deus Abner & hæc addat ei, niſi quomodo iurauit Dominus Dauid, ſic faciam cum eo, vt transferatur Regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid ſuper Iſraël, & ſuper Iudam, à Dan vſque Berſabee.* Quibus minis Isboſeth non auſus eſt totidem ſaltem verba rependere, quia Ducis exercitus ſui potentiam formidabat. *Et non potuit*, inquit ſcriptura, *reſpondere ei quidquam, quia metuebat illum.* Nec fortaſſis adeo iuſtam iraſcendi occaſionem nactus fuerat Abner, namque vel tanquam ad ſcortum ingreſſus fuerat ad Reſpham nullo cum ea contracto matrimonio. Hoc

2.Reg.3. 8.

verò Regiæ domus, non vulgare erat dehoneſtamentum, ſi Saulis vxore (concubinarum enim nomine vxores cenſentur, licet primariæ non eſſent, nec Reginarum nomen conſecutæ) Saulis adminiſter ad ſuam explendam libidinem abuteretur. Si verò legitimi iure thori Reſpham ſibi iungere cogitauerat, alia poterat Isboſethi animam tentare ſuſpicio, ne fortè nouis iſtis nuptiis ſibi Abner ad Regnum viam ſterneret, vt poſtea Adonias filius Dauid, qui Abiſag Sunamitidem Dauidis concubinam à Salomone poſtulauit vxorem, Betſabee ſubmiſſa, quæ quod volebat impetraret à Rege. Cui Salomon. *Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula ei & Regnum. Ipſe eſt enim frater meus, maior me, & habet Abiathar Sacerdotem, & Ioab filium Saruiæ. Iurauit itaque Rex Salomon per Dominum, dicens. Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc. Et nunc viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit ſuper ſolium Dauid Patris mei, & qui fecit mihi domum, ſicut locutus eſt, quia hodie occidetur Adonias. Miſitque Rex Salomon per manum Banaiæ filij Ioiadæ, qui interfecit eum & mortuus eſt.* Si igitur Salomon ſapientiſſimus ad Regnum conſequendum Adoniæ cum Abiſag connubium aliquid, imò multum conferre poſſe putauit, auſóque hoc poſtulare tanquam reo affectati regni, & perduellionis iam conuicto, crimen morte luendum exiſtimauit, nec vt parceret, fraternæ propinquitatis coniunctione permoueri potuit, quid mirum ſi Isboſeth Abneris factum audax, & in Regem iniurioſum ſilentio ferendum eſſe non cenſuit? Cæterùm Abner alienato ab Isboſeth animo ſe conuertit ad Dauidem, id potiſſimùm

3. Reg. 2. 22.

mùm cogitans, quomodo Isboſeth à quo ſe putabat offenſum Regno exturbaret, cui proculdubio negotij multum faceſſere potuiſſet, niſi priuatas perſecutus iniurias, illum Ioab, vt ſupra diximus, occidiſſet. Sed tertium ad rem de qua agimus confirmandam, Ieroboami exemplum afferamus, hunc enim *Videns Salomon adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium, conſtituerat eum Præfectum ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph.* Hanc verò Præfecturam magni momenti fuiſſe ex eo coniicimus, quod inter primarios viros apud Dauidem etiam tributorum Præfectus recenſetur, libro Regum ſecundo & tantarum diuitiarum adminiſtratorem, aut exactorem, quantæ in Regium ærarium ſub Salomone inferebantur, magnæ in aula Regia potentiæ fuiſſe neceſſe eſt. Ad hoc verò munus euectus Ieroboam, tantos concepit ſpiritus, vt Regi ſuo cum Mello exædificaret repugnare auderet, opuſque vt aliqui exiſtimant reprehendere. *Ieroboam quoque*, inquit Scriptura, *filius Nabath Ephratæus de Sareda ſeruus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua mulier vidua: leuauit manum contra Regem, & hæc eſt cauſa rebellionis aduerſus eum, quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris ſui, erat autem Ieroboam, vir fortis & potens. Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam; qui ſurrexit, & aufugit in Ægyptum ad Seſac Regem Ægypti, & fuit in Ægypto vſque ad mortem Salomonis*, quo extincto, in vindictam peccatorum Salomonis, permiſit Deus vt eorum ſeminum, quæ cum rebellauit Ieroboam iecerat, fructus matureſcerent, tandémque appareret ſuo malo Salomonem magnitudinis Ieroboami fundamenta poſuiſſe, nam decem tribus à filij Salomonis

3. Reg. 11. 28.

2 Reg 20. 24.

3. Reg 11. 26.

monis regno diſtraxit, & in eis ad ſummum euectus magiſtratum, nouum Regnum, ita Deo, vt diximus, permittente fundauit. Quanquam autem periculoſæ aleæ negotium pleniſſimum eſt, vnum aliquem vltra aliorum magiſtratuum modum plurimum attollere, vt in allatis exemplis videre poſſumus: Ioſephi tamen ad Ægyptiorum Regnum tantùm non elati demonſtrat hiſtoria fieri poſſe, vt tanta ſit hominis alicuius integritas, fides, & in omni virtutum genere excellentia, vt ſingulari Dei beneficio, ad Regni alicuius, aut prouinciæ ſalutem factus aliquando videri poſſit. Quare Pharao cum ſapientiam illius in coniectanda ſomniorum interpretatione deprehendiſſet. *Tu*, inquit, *eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantum Regni ſolio te præcedam. Dixitque rurſus Pharao ad Ioſeph. Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. Tulitque anulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem aureum circumpoſuit, fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone vt omnes coram eo genuflecterent, & Præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Ægypti. Dixit quoque Rex ad Ioſeph. Ego ſum Pharao, abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi.* Tam verò latè patens Ioſephi potentia non Ægypto tantùm, ſed circumiectis etiam prouinciis fuit admodum ſalutaris, nam ingenti tritici numero in horrea Regia importato, fame ingruente, ita prudenter, quæ ad alendos populos erant neceſſaria deprompſit, atque diſtribuit, vt fame perituris vitæ neceſſaria ſubſidia ſubminiſtra

Geneſ. 41. 40.

niſtrauerit, & Regium ærarium multo quàm antea, nulla ſubditorum interueniente offenſione fecerit locupletius.

4 Sed quæri poteſt quatenus adminiſtri ea, quæ à ſuis Principibus habẽt in mandatis, effecta dare debeant. Quo loco primùm mihi Principes monendi videntur, vt eos publicis muneribus, & præfecturis, & functionibus præficiendos eligant, quos morigeros eſſe, minimè ceruicoſos, nec ſui iudicij ſententiæque tenaces experimento didicerint: quæ enim iis commendantur qui huiuſmodi non ſunt, aut exitum minimè fauſtum, aut eum quem noluiſſet Princeps, non infrequenter ſortiuntur. Talis fortè erat Ioab, quem Dauid cùm aliàs durum, vt dicebamus, tum præſertim in populi cenſu ineundo expertus eſt; nam cum illam prouinciam ſuſcepiſſet inuitus, non conſtanter ſolùm, ſed minus etiam perfectè Regis voluntati obtemperauit, nam duas integras tribus non recenſuit, vt in Paralipomenis expreſsè à Scriptura notatũ eſt. *Deditque Dauid,* inquit, *numerum eorum quos circuierat*, &c. *Nam Leui, & Benjamin non numerauit, eò quod Ioab inuitus exequeretur Regis imperium.* Sed rurſus etiam adminiſtri monendi, vt ſi fortè Principem nacti ſint, qui ſibi ſapere videatur, quíque ſalutaria ſuggerentibus non ſolum indociles aures, & animum præbeat, ſed etiam aſper ſit verbis, & iracundus; à ſententia ſua promenda quantum fides officiúmque patiuntur ſuperſedeant, ne ludant operam, aut etiam malum ſibi aliquod imprudenter accerſant; Nam *Expedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti in ſtultitia ſua, indignatio autem Regis nuntij mortis.* & vſu venit aliquando,

Quatenus adminiſtri Principibus ſuis obtemperare teneantur.

1. Paralip. 21.5.6.

Prou. 17. 12.

Prou. 16. 14.

do, vt quantumuis beneuolentia, aut etiam propinquitate coniuncti, ſi huiuſmodi hominibus iratis interueniant, malè verbis, aut etiam factis accipiantur, vt Ionathæ accidit, cum Dauidis abſentiam excuſare apud Saulem parentem exorſus
1.Reg.20. 30.33. eſt. Si verò Princeps placidis ſit moribus, nec facilè quouis leui irritamento commoueatur, poterunt interdum adminiſtri, non ſine ſpe bonæ frugis, modo ſummæ cum reuerentiæ ſignificatione, vt par eſt, fiat, rem quæ imperatur differre, Principem edocere, & rationes quæ in contrarium occurrunt proponere; nec enim credendum eſt, aut Principem, qui huiuſmodi eſt, rationi repugnare velle, ſicut nec Principi prudentem adminiſtrum ratione aliqua qua moueatur, deſtitutum. Quandiu Moſes linguæ tardioris impedimentum excuſans, populi ex Ægypto educendi munus detrectauit, quia non improbabilis afferri videbatur ratio, patienter tulit Dominus, quæ à Moſe obiiciebantur, diluens atque diſſoluens; ſed cum primum Moſes rationem vrgere deſiit, & tantum inſtitit munus detrectare, quaſi vellet quacumque tandem ratione poſſet onus excutere, illis verbis. *Mitte quem miſſurus es*, tunc de-
Exod.4. 13.14. mum Dominum iratum fuiſſe legimus. Quod ſi aliquod tempus contingat in quo res aliqua mandetur Adminiſtro, quam ipſe dubitet poſſit necne citra peccati labem executioni mandari, tunc viros doctos in conſilium adhibeat, & ſiquidem in vtramque partem res fuerit anceps propter rationum momenta, & doctorum ſuffragia, qui vtrique parti patrocinantur, Principi accommodet obſequium, niſi fortè certa aliqua euidentique ratione ductus ipſe ſciuerit ſaluo iure conſcientiæ

'ſcientiæ illud fieri non poſſe; tunc enim locum habere videtur monitum illud quod habemus in Exodo: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum, neque in iudicio plurimorum acquieſces ſententia, vt à vero denies.* Tandem ſi res apertè mala iubeatur, nec tergiuerſari liceat, aut deprecari, nec ſe Princeps à ſententia dimoueri patiatur, tunc, quia *obedire oportet Deo magis quàm hominibus*, imitandæ ſunt Ægyptiæ illæ obſtetrices, quæ *Timuerunt Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti*; non autem Doeg ille Idumæus, qui Sacerdotibus manus iniicere Saule imperante veritus non eſt, quod alij facere detrectauerant. Sed nimirum in hoc etiam parum felices plerique Principes ſunt, quorum adminiſtri etiam ad ſcelera imperata expediti adeò ſunt, vt etiam Dominorum iuſſa nonnunquam anteuertant, quales Aſſueri fuiſſe diſcimus ex ſcriptura; nam cum iratum ſe Rex Amano oſtendiſſet, occuparunt illi infelici caput obnubere, non ſecus ac ſi in illum capitis ſententia lata fuiſſet.

Exod. 23. 2. — Act. 5. 29. — Exod. 1. 17. — 1. Reg. 22. 18. — Eſther 7. 8.

5 Illud etiam admonendi ſunt Principes, vt miniſtrorum ſuorum, quos ad magnos in Republica dignitatis gradus euexerunt, criminationes non facilè ad aures, aut ad animum admittant, multos enim inuidia ſuſcitante patiuntur obtrectatores, quicumque Principum fauore ſuper alios in Republica caput extulerunt, raraque paucorum felicitas eſt ita omnibus ſatisfacere, vt nullus, quid deſideret, aut carpat, in publicarum rerum adminiſtratione reperire poſſit. *Placuit Dario*, inquit Daniel, *& conſtituit ſuper Regnum Satrapas centum viginti, vt eſſent in toto Regno ſuo, & ſuper eos Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, vt*

Non facilè credant Principes criminationibus quæ magiſtratibus impinguntur, nã ſæpe ab inuidia proficiſcuntur.

Dan. 6. 1.

Satra

Satrapæ illis redderent rationem, & Rex non ſuſtineret moleſtiam. Igitur Daniel ſuperabat omnes Principes & Satrapas, quia Spiritus Dei erat in illo. Porrò Rex cogitabat cōſtituere eum ſuper omne Regnum, vnde Principes & Satrapæ quærebant occaſionem, vt inuenirent Danieli ex latere Regis. Vel, vt in aliquibus Græcis codicibus eſt, ἐκ τῆς βασιλείας, vel ἐκ πλαγίων βασιλείας. *ex Regno, & latere regni*; accommodatiſſimam enim criminationem ad Danielem euertendum fore putauerunt, ſi Regi malè, parúmque fideliter adminiſtrati à Daniele Regni ſuſpicionem iniicerent. Verùm, quia mira Danielis integritas erat, plurimiſque argumentis teſtata, tam luculento mendacio illum petere non ſunt auſi.

Ibid. n.4. *Nullámque cauſam,* inquit Scriptura, *& ſuſpicionem reperire potuerunt, eò quod fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio non inueniretur in eo.* Quare cum illum non à crimine tantùm, ſed à ſuſpicione criminis longiſſimè abeſſe intelligerent, edictum veræ Religioni cuius Daniel ſectator erat repugnans, Rege illud approbante, ſcripſerunt, cuius reus facilè factus Daniel, quippe qui vel propoſita capitis pœna, ab ea religione quam cum lacte ſuxerat, veriſſimamque eſſe intelligebat, abſtrahi ſe non patiebatur, in leonum caueam ad certiſſimum vitæ diſcrimen iniectus eſt, ex quo tamen Dei benignitate liber euaſit, vt ex illius hiſtoria cognoſci poteſt. Quia ergo eſt admodum in procliui, vt etiam innocentibus Principis miniſtris, ab inuidis crimina impingantur, ita illa audiat Princeps, vt ei, qui agitur reus, ſe ab obiectis purgandi locum relinquat. Sic prudens ille Paterfamiliàs,

Luc. 16.1. *Qui habebat villicum, qui diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius*, non ſtatim domo

extur

exturbauit, aut in carcerem miſit, ſed animo ſedato, & ad moderationem compoſito ad ſe vocauit, criminiſque diluendi, ſi qua ratione poſſet, fecit poteſtatem. *Et vocauit*, inquit, *illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ; iam enim non poteris villicare*; ſi nimirum obiectis ſatisfacere non potueris. Quod ſi immerentem per calumniam traductum ab inuidis fuiſſe repererit, ab inimicorum petitionibus ſecurum reddat, illáque vſurpet verba quibus Dauid Abiathar Sacerdotem affatus eſt. *Mane mecum, ne timeas, ſi quis quæſierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque ſeruaberis*. Quoniam tamen fieri poteſt, & verò non infrequenter accidit, vt aliqui Principum Adminiſtri aut muneribus, ad quæ admoti ſunt, pares non inueniantur, aut etiam potentia & gratia quam apud Principes nacti ſunt, aut perturbationibus acti, aut commodis priuatis ſeruientés, abutantur; extremum aliud cauendum moneo, ne ſcilicet ita Principes probent quæcumque geruntur à miniſtris, vt ſibi perſuadeant, eos numquam aut per oſcitantiam impingere, aut à recto æquitatis tramite de induſtria deflectere; ac propterea licèt omnibus frementibus, & indignantibus, eos à muneribus & Præfecturis amoueri, animo obfirmato non patiantur. Mirum eſt, quod in ſecundo Regum libro legimus. *Calcitrabant boues*, plauſtrum nouum trahentes quo arca Domini vehebatur, iamque periculo proxima erat, vt deuolueretur in terram, boues enim *Declinauerant eam*. Senſit hoc Oza, labantemque manu extenſa ſuſtinuit, ſed ſuo malo; nam *Dominus percuſſit eum*, ibique ipſe iuxta arcam ſtratus occubuit:

1.Reg.22. 25.

2.Reg.6. 6.

celebris eſt quæſtio inter ſacrarum litterarum interpretes, quid peccauerit Oza, vt tam graui támque repentino exitio plecti mereretur, cum potiùs prudenter ac piè feciſſe videri poſſit, arcam fulciens, & prouidens ne indecorè deferretur in terram. Alij, alia. Nonnullorum ego, eorumque grauium ſcriptorum ſententiam probo, qui ab Oza peccatum putant, quod arcam Diuino præſcripto Leuitarum humeris portandam, ipſe plauſtro à bobus trahendam impoſuiſſet. Quod ad mores tranſlatum ad rem noſtram facit, Principibuſque documento eſſe poteſt, vt ſcilicet caueant ne aut onera regendarum Eccleſiarum, aut ciuilium magiſtratuum functiones & munia iis imponi velint, qui aut legibus prohibentur ne illa ſubeant, aut aliqui idonei non ſunt qui illa pro dignitate ſuſtineant. Sed cur Oza, dicat aliquis, non priùs plectitur quàm arcæ manum admouerit, illiuſque caſui occurrere tentauit? Vt nimirum iidem intelligant, non tam plectendos eſſe Principes quod parum aptos, aut etiam prauos adminiſtros aut magiſtratus elegerint, quàm quod poſtquam captum de iis eſt experimentum, ipſique inepti deprehenſi ſunt, aut etiam noxij, adhuc tamen in publicarum functionum Præfecturis illos pergere, aut etiam ad maiora promouere non dubitent.

Principem Adminiſtris eam facultatē, & agendi poteſtatem concedere debere, quā negotia requirunt.

6 Porrò quod ad poteſtatis modum attinet, multùm valere puto ad res bene gerendas, ſi ita prouincia aliqua, aut munus adminiſtris aliquibus credatur exercendum, vt ſimul facultas fiat, cum in rem præſentem venerint, negotióque quod peragitur, manus admouerint, rem de qua agitur pro arbitratu moderandi, modò ex re Principis

cipis id futurum prudenter exiſtimetur. Nam qui Principes ſecus faciunt, & omnia ad ſe integra deferri volunt, præterquam quod adminiſtrorum ſuorum ingenia nimis premunt, & ad præclarè audendum ſegniora faciunt, eo etiam negotia ipſa deducunt, vt occaſiones ſi quæ exiſtunt rei bene gerendæ corrumpantur. Inferiores enim Præfecti, quo plus credi ſibi, & quo liberaliùs tractari ſe vident, eo libentiùs, ne videlicet humanitate vincantur, ſeſe rebus agendis impendunt, omnéſque ſuas curas intendunt quaſi in negotio proprio, vt illud ad optatum exitum perducant. Quod ſi ſe ſe in arctum cogi videant, & quibuſdam præſcriptorum, & præceptorum, finibus, quaſi anguſto quodam gyro circumſcribi intelligant, indignantur ſcilicet, & eorum induſtria, quæ latiorem campum in quem excurreret deſiderabat, arctis illis cancellis compreſſa langueſcit. Rurſus cum Principis adminiſter, certis præceptis, quæ tranſilire non liceat alligatur, rarum eſt vt ex ſententia quidquam poſſit efficere, magna enim conſilij pars eſt in tempore, & nouis emergentibus caſibus, rebúſque pro variis adiunctis, aliam ſubinde faciem induentibus, niſi pro re nata conſilium capere liceat, ſed ad abſentes referre ſit opus, occaſionis præteruolabit opportunitas, quam nec reuocare poteris, & fruſtra, quantumuis nitaris in poſterum captare, tentaueris. Diſcere hoc poſſunt minores Principes, ex ſummo illo Principe, ac rerum omnium moderatore Deo, qui cum hominem præſtantiſſimũ animal efformaſſet, cæteris hiſce rebus aſpectabilibus dominaturum, dum eum in orbis terrarum poſſeſſionem immitteret, támque amplæ

Geneſ.2. 19. prouinciæ adminiſtrationem crederet. *Formatis de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea:* pro arbitratu ſuo nomina quibuſlibet rebus imponere permittens, quemadmodum & in eas dominatum exercendi faciebat poteſtatem. Deus enim quamuis ſumma ſit ſapientia, optiméque calleat rerum omnium naturas, & quid cuique tempori, loco, perſonæ aptum ſit, & conueniens: quia tamen hominem libertate donatum,

Sap.12.18. ſui compotem fecit; *Cum magna reuerentia diſponis nos*, vt dicitur in libro Sapientiæ, vel vt eſt in Græco μετὰ πολλῆς φειδοῦς, *cum multa parcitate*, parcens nimirum, iis rebus ſuum imperium interponere, quas noſtræ ſubiectas eſſe libertati, & arbitrio ſemel indulſit. Huiuſmodi adminiſtri imago elucet in Ioſepho, qui cum luculento experimento, ſuam Pharaoni probaſſet Sapientiam, (nam & ſomnij myſteria diuinitus edoctus prudenter euoluerat, & ingruenti fami opportunum remedium excogitauerat) Præfecturæ Ægypti ab Rege admotus eſt cum proximæ à Rege poteſtatis, & honoris inſignibus. Nec quiſquam dixerit in Ioſepho ornando modum exceſſiſſe Pharaonem, nam eximia viri virtus, nullius honoris faſtigium non æquabat, vt quantumuis in altum ſublatus, ampliſſimámque Ægyptij Regis beneficio nactus eſſet poteſtatem, celſitudinem tamen quam apud Principem adeptus erat, re præclarè geſta, beneficiiſque quibus populos illos cumulauit mirum quantum illuſtrauit, nam toti prouinciæ annonæ confecit vilitatem, & à præſentiſſimo diſcrimine Ægyptum vniuerſam circumiectaſque Regiones liberauit, ex quo factum eſt,

vt

Digitized by Google

vt *Saluatoris mundi* honeſtiſſimum ſibi nomen compararet. Huic planè geminus Daniel, ille Dario Perſæ acceptiſſimus adminiſter, quẽ Rex vniuerſo Regno præficere habebat in animo. Quod conſilium aulæ magnates, excitata in innocentem conſpiratione, omni conatu intercipere ſunt conati, ſed nimirum inuidia impar virtuti, prauæ molitionis auctoribus perniciem attulit, Danielque maximam apud Regem adeptus poteſtatem, regni negotia ſumma fide, Reipublicæque bono ita adminiſtrauit, vt rationem qua Darius Danielem amplificare inſtituit, toti regno maximè ſalutarem fuiſſe ſatis apparuerit.

Genel. 41. 45.
Dan. 6. 1.

7 Cæterum adminiſtrorum ea debet eſſe in ſuos Principes reuerentia, vt ſi pugna infelix, ſi turpe fœdus, ſi funeſta deditio, denique ſi triſtius aliquid acciderit quantum fas erit, à Principe inuidiam amoliantur, nec illius famam, inſcitiam, aut temeritatem criminando, & apud alios traducendo comminuant. Rurſus ſi fæliciter pugnatum fuerit, ſi res aliqua domi, aut militiæ bene geſta, ſi aliqua Principis exiſtimationis, & gloriæ augendæ ſe ſe aperuerit occaſio, eam non prætermittant; ſic enim fiet, vt & beneuolentiam Principis ſibi concilient, & ſuam potentiam magis confirment, nouo in Principem collato beneficio. Vidit hoc Ioab Iſraëlitarum Dux, qui re fæliciter geſta, non in ſuam famam exultauit, ſed ad Principem vt ad auctorem miniſter ipſe famam referebat, extra inuidiam futurus, non extra gloriam, nam *Cum pugnaret contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnaret vrbem Regiam, miſit nuncios ad Dauid dicens; Dimicaui aduerſum Rabbath, & capienda eſt vrbs aquarum. Nunc igitur con-*

Adminiſtros Principis potiùs gloriæ, quàm ſuæ deſeruire debere, idq; cõmodo ſuo facturos.

2. Reg. 12. 26.

grega reliquam partem populi, & obſide ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vaſtata fuerit vrbs, nomini meo aſcribatur victoria. Sanè prudenter: nam illud eſt ingenium Principum, vt ſuis luminibus obſtrui miniſtrorum gloria putent, eorúmque incrementa, tanquam Principatui imminentia habeant ſuſpecta, nihílque illi gratius poſſit accidere, quàm ſi eam gloriæ partem, quam in ſe adminiſtri deriuare poſſent, in ipſos transfundant, nec magis commouentur, quàm ſi laudis ſuæ particulam aliquam, aut togati magiſtratus, ſibi decerpant, aut belli duces, cuius rei exemplum planè luculentum habemus in Saule; nam cum Dauid in Goliæ caput vibrato ſaxo in ſpatium ingens ruentem porrexiſſet hoſtē, capitéque truncaſſet, mulierúmque chori, lætum victori, in hæc
1.Reg.18. 7. verba canerent epinicium. *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus eſt Saul nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte, dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt, quid eiupereſt niſi ſolum Regnum? Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid, à die illa, & deinceps.* Porrò quia omnis potentia in aulis, poſita eſt in lubrico, cúmque de ſtatu magis deiicere conantur inuidiæ ſtimulis inſtincti, quicumque eamdem æmulantur magnitudinem apud Principem, quem ſupra cæterorum priuatorum modum ſe ſe altiùs viderint efferentem, modeſtia, & comitas, & cum iis quibuſcum agendum eſt, facilitas Principum Adminiſtris præſertim maioribus, cordi eſſe debet, ne ſcilicet, qui eos oderint ſtomachentur, ægréque ferant hominem à priuata fortuna, Principis fauore ſubuectum, quaſi Princeps eſſet, in verbis, in cultu, in moribus, maieſtatem, Regiúmque

ſuper

Digitized by Google

ſupercilium induere. Itaque quod Salomon monet in Prouerbiis. *Non decent ſtultum deliciæ, nec ſeruum dominari Principibus*; Septuaginta ita conuerterunt, οὐ συμφέρει ἄφρονι τρυφὴ, καὶ ἐὰν οἰκέτης ἄρξηται μετ' ὕβρεως δυναστεύειν, id eſt, *Non eſt vtile inſipienti deliciari, & ſi ſeruus dominatus fuerit, cum contumelia imperare, vel gubernare*: vix enim eſt, qui ferat *generationem, cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ.* Nam inter illa per quæ Sapiens terram commoueri docet, etiam illud eſt. *Per ſeruum cum regnauerit*; qui enim ſeruilis, aut certè abiectæ conditionis priùs fuerunt, ſi ad magiſtratus, aut Regni faſtigium attollantur fortunæ ſecundæ proſperitate, cui non aſſueuerunt, vti neſciunt, ſed plus iuſto ſibi aſſumunt, illud etiam fortaſſe verentes, ne ſi ſe ſe faciles quibuſlibet exhibuerint, ab iis contemnantur, qui meminerunt illos ex terræ puluere excitatos, & in alto collocatos, vt ſedeant cum Principibus & ſenatoribus terræ: ideóque magnatum perſonam faſtidiosè induunt, ac propterea, ciuium ſuorum incurrunt inuidiam, à quibus initiis ad eam proceſſerint magnitudinem recolentium.

Prou. 19. 10.

Prou. 30. 13.

Prou. 30. 22.

8 Verùm, quia Principes aliqui peregrinis adminiſtris, aut in ductandis exercitibus, aut in iure dicundo ſibi potius vtendum putauerunt, quàm ciuibus, quos faciliùs à recto iuſtitiæ tramite amicorum aut propinquorum charitas poſſit abſtrahere, quique opibus & clientelis potentes patriæ Principatum, ſi armis inſtructi fuerint, & exercitibus imperauerint affectare poſſint, ita fidem ſuam Principi probare debent qui ſunt huiuſmodi, vt nulla, quantumuis tenuis in illos cadat ſuſpicio, nam etiam innoxij, nulliuſque cri-

An peregrinis adminiſtris potiùs vtendum ſit, quàm ciuibus.

minis comperti, eo duntaxat nomine calumniis patent, quòd peregrini ſunt, quos non eadem beneuolentia Principem aut Rempublicam, cui operam ſuam nauant, complecti facilè credi poteſt; hinc enim obtrectatores anſam arripiunt, Adminiſtri illius apud Regem aut Principem criminandi, & in inuidiam vocandi, vt aliquod illi periculum creent, cuius magnitudini, quaſi ſibi
Dan.6. præreptæ inuident. Ea fortaſſe cauſa fuit, cur Danielem apud Darium traducere Satrapæ illi ſatagerent, vt ſupra dictum eſt; & Dauidem Achis Regis Megiſtanes conſpiratione in illum facta ab exercitu ſubmouerent. Dicebant enim Princi-
1.Reg.29.9. pi ſuo. *Reuertatur vir iſte, & ſedeat in loco ſuo, in quo conſtituiſti eum, & non deſcendat nobiſcum in prælium, ne fiat nobis aduerſarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare Dominum ſuum, niſi in capitibus noſtris? Nonne iſte eſt Dauid, cui cantabant in choris, dicentes. Percuſſit Saul in millibus ſuis, & Dauid in decem millibus ſuis? Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei. Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo, & exitus tuus, & introitus tuus mecum eſt in caſtris, & non inueni in te quidquam mali ex die qua veniſti ad me, vſque in diem hanc, ſed Satrapis non places. Reuertere ergo & vade in pace, & non offendas oculos Satraparum Philiſtum.* Fide autem incorrupta, multiſque experimentis probata, ſedulitate, negotiiſque creditis adhibita diligentia, ſuſpiciones diluet prudens adminiſter, & ſi non omnibus carum, ſaltem ſe calumniis minimè violabilem reddere poterit.

An nobilibus potius, quàm ignobilibus.

9 Sed fortaſſe quis quærat, quid vtilius ſit Principi, Reipublicæque adminiſtrationi conducibilius viros ne generoſa ſtirpe, ſtemmatibus ac

ceris

ceris maiorum nobiles ad tractandam Rempubl. vocare, illóſque in publicis muneribus adminiſtros adhibere, an ſatius ſit eos prætcrire, qui à nobilitate commendationem habent, viros tamen alioqui prudentes, cordatos, nauos, cui publica commendentur munera ſeligendo? Rem hanc non facilè quilibet diſceptauerit, nam neutra pars firmamentis argumentorum, exemplíſve deſtituitur. Ac primò quidem plebeiis fauet, quod Dominus ipſe, cuius ſumma ſapientia eſt, Ioſephum ex ergaſtulo eductum toti Ægypto quàm latè patebat præfecit. Dauid etiam ab ouium caulis, ad aulam Regiam traduxit; nam vt ipſe canit in Pſalmo. *Elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.* Et ratio idem ſuadere videtur, nam laboris magis ſunt patientes, & ad eos faciliùs patet aditus, quàm ad maiorum nobilitate tumidos, qualis D. Auguſtino fuiſſe videtur Pharao, qui ſe alloqui volentes ſatellitio ſubmotos, eminus quid vellent, cogebat profari. *Quod Moyſes dicit* (inquit Auguſtinus) *Ecce ego gracili voce ſum, & quomodo exaudiet me Pharao? Non videtur tantùm propter magnitudinem populi excuſare de vocis gracilitate, verum etiam propter vnum hominem. Mirum ſi tam gracilis vocis fuit, vt nec ab vno homine poſſit audiri, an fortè Regius faſtus, non eos permittebat de proximo loqui?* Ita ille. Adde Principes expeditiùs plebeios in ordinem redigere poſſe, ſi ſuo vitio illos minus vtiles, aut etiam noxios eſſe Reipubl. compererint: qui enim opibus florent, & potentia, ſi in illos Principes velint animaduertere, magnos cient in Rep. motus, éſtque cum tantum poſſunt, vt vniuerſam illius

Geneſ. 41. 1440.

Pſalm. 77. 70.

16. in Exo.

illius ſtatum non ſine ingenti periculo concutiant. Sed nimirum verius videtur, multum adiumenti nobilitatem afferre poſſe ad rem præclarè gerendam: nam præterquam quod in maiores ſuos reſpicienti, generoſus quidam impetus ad virtutem exiſtit, dicto etiam magis audientes ſubditos habebit, qui longa patrum ſerie, virtute ſpectabilium, commendabilis eſt, quàm qui nouus homo terræque filius, vel ad Rempubl. ſua prorepſit induſtria, vel Principis alicuius fauore, vt illam poſſet attingere, productus eſt. Porrò publicam pecuniam, qui ſuis cenſibus opulenti ſunt, ſanctiùs tractabunt, quàm ij, qui priuatas anguſtias, publicis pecuniis laxare ſtudent, magis etiã primariis viris æqualibus ſuis gratus erit, quàm ignobilis, quem ſcilicet illi præ ſe contemnunt, & auerſantur. Tandem nobilium, qui verè nobiles ſunt, mores mitiores eſſe ſolent, liberali educatione humanitatis cuiuſdam ſuauitatem inſtillante, quæ in congreſſibus mirum quantum mortales allicit; iiſdem rebus duris & aduerſis animus infractior, vt contra abiectæ conditionis homines, qui cum ex pauperibus diuites, ex contemptis metuendi facti ſunt, truces, & aſperi eſſe ſolent, ſi aduerſam experiri fortunam contigerit, deiiciunt animos tam in rebus duris abiecti, quàm in proſperis & ſecundis fuerant inſolentes. Cuiuſmodi fuiſſe credendus eſt Adonibezech ille, Iud. 1. 7. qui pluſquam tyrannica crudelitate ſeptuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, ciborum reliquias ſub menſa ſua cogebat colligere, quem cum Iudas Iſraelitarum Dux redegiſſet in poteſtatem, extremitatibus manuum amputatis, idque vt experiretur compuliſſet, quod ab

ab ipſo paſſi fuerant alij tam graui ærumnæ ferendæ impar, dolore ac ſqualore confectus exanimatus eſt. Sed fortaſſis vtraque ſententia conciliari poterit, ſi dixerimus maioribus Præfecturis Prouinciarum ac Ciuitatum, in quibus multi agitant antiquæ nobilitatis claritate inſignes, quibuſcum frequenter agendum eſt, non niſi primarios generoſóſque viros præficiendos eſſe, alios verò minores Præfectos, qui iuri dicundo totos dies in tribunalibus ſedent, cauſas diſceptando aut alia huiuſmodi miniſteria tractanda nihil prohibere, quominus etiam ignobiles adhibeantur.

10 Sed ambigi poteſt, an coniugati potius Miniſtri ad Reipubl. munera adhibendi ſint, an vinculis connubialibus ſoluti. Sanè, quia plurimis laboribus atteruntur, qui publica tractant negotia, æquum eſſe videtur, ſi poſt laborem reuertentibus vxorium leuamentum, curarum moleſtias, abſtergat, & cum vxore, chariſſimíſque liberis honeſtiſſimo perfruantur oblectamento. *Perfruere*, inquit Sapiens, *vita cum vxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ, hæc eſt enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras ſub ſole.* Rurſus Magiſtratuum Regúmque vxores, viros ſuos conſilio, & ope iuuerunt, vt Pilati coniux, quæ viro ſuo Præſidem in Iudæa agenti auctor erat, ne innocenti Chriſti ſanguine ſe ipſum macularet; & Michol, quæ à præſentiſſimo vitæ periculo maritum ſuum Dauidem eripuit, & Saulis in ipſum ſæuientis impetum ingenioſo eluſit inuento. Adde coniugatos pluribus nominibus Reipubl. eſſe oppigneratos, pro qua magis ſtrenuè ſe ſe impendunt, cum ſciunt ſe pro liberis & vxori

An coniugati, vel coniugio ſoluti.

Eccle. 9. 9.

Matth. 27. 19.

1. Reg. 19. 13.

vxoribus laborare, & ſi in bello ceciderint, meminerunt filios ſe habere ſuperſtites, nec totos extingui. Pro contraria ſententia afferri poſſunt quę primo libro de ingenio mulierum diſputata ſunt; ex quibus probari poſſe videtur expeditiores, & Reipubl. vtiliores fore magiſtratus ſi cælibem vitam agant, ſéque totos coniugalibus tricis ſoluti, rebus agendis impendant. Reuertenti Moyſi in

Exod. 4. 24. Ægyptum cum vxore & filiis. *Cum eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus & volebat occidere eum.* Cuius rei cauſam aliam alij attulerunt. Ad rem noſtram facit quod teſte D. Auguſtino quidam exiſtimarunt, propterea infeſto mucrone mortem Angelum Moyſi intentaſſe, quòd fœminam ſecum adduceret, quæ iter illud, quod hominem

Lib. quæſt. in Exod. q. 12. to. 4. poſtulabat expeditum, retardaret. *Quidam* (inquit D. Auguſtinus) *putauerunt propter hoc Angelum terruiſſe, ne ad impedimentum miniſterij, quod diuinitus impoſitum Moyſes gerebat, fœmineus ſexus comitaretur;* lege verò Deuteronomij cautum erat in hæc ver-

Deut. 24. 5. ba. *Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis iniungetur publicæ.* & ratio ſtatim redditur: *Et vno anno lætetur cum vxore ſua.* Quamuis alia ratio, quam ſcriptura non expreſſit, nec tamen illi repugnat, addi poteſt, quia dum ſponſus ab vxoriis blanditiis inuitus abſtrahitur, illæque menti ſubinde obuerſantur, & recurſant, nec animus ad pugnam ferox, nec ad negotia publica expedienda alacer, & promptus eſſe poteſt. Frequens in ſacris litteris Eunuchorum occurrit mentio, in libro Geneſeos, in Regum hiſtoria, in Danielis prophetia, in libris Eſther, & Iudith; ſatiſque conſtat ex illis electos fuiſſe præcipuos Magiſtratus, Regióſque adminiſtros,

Digitized by Google

ſtros, & conſiliarios, cuius moris cauſam Heliodorus in Æthiopicis reddit, cum ait: *Perſarum enim Regijs aulis oculi ſunt & aures eunuchorum genus, qui cum neque liberos, neque cognatos habeant, quibus eorum animi deuincti eſſe poſſint, pendent ex eo ſolo, qui ſe illis credidit.* Quibus verbis ſignificatur propterea idoneos indicatos à Perſis fuiſſe Eunuchos, qui Rempubl. tractarent, quod illorum fidelitas, & beneuolentia filiorum, aut cognatorum charitate quibus melius vellent, magíſque quàm Principi gratificari ſtuderent, non corrumperetur, & ad plures diſtraheretur, cum in coniugatis contra accidat; nam dum filios aut propinquos locupletiores reddere ſatagunt, ita illorum ſeruiunt vtilitati, aut cupiditati, vt publicam rem, aut negligant, aut etiam euertant. Nec tamen facilè Eunuchis (quod Reges illi faciebant) Reſp. credendas eſſe putauerim, quorum genus, & hominum ludibrio ferè expoſitum eſt, & vitiis notatum non ignoro: ſatis nobis fuerit ſi Eunuchorum exemplo eorum firmauerimus ſententiam, qui eos Principibus vtiliores eſſe putant, qui vt Eunuchi à mulieribus expediti ſunt. Heliodori Æthiop. lib. extremo.

11 Sed quibuſcumque tandẽ adminiſtris Princeps vtatur, æquiſſimum eſt, neminem ad ſummum aliquem Magiſtratũ prius admouere, quàm in inferioribus ſuæ documentum virtutis præbuerit. Quemadmodum enim natura res magnas quas molitur, à paruis exorditur initiis (quæ enim magnæ ſunt arbores, humiles primùm ſtirpes fuerunt, & quæ flumina magnarum nauium patientia, fontes ignobiles, aut riuuli exiguas trahentes aquas) ita in Rebuſp. fieri oportet, magnum enim eſt ad virtutem calcar, & incitamentum ſpes maiorum *Adminiſtros priùs probandos eſſe in inferioribus magiſtratibus, quã ad ſũmos euehãtur.*

iorum decorum, quæ vbi quis conſecutus eſt à Principe, congeſtis in eundem hominem honoribus omnibus, plurimiſque diuitiis, iam vt ſegnior fiat procliue eſt, aut etiam nouæ magnitudinis inſolentia, cuius parum fortè capax eſt, tumens, ac typho inflatus, in omnium odia & offen-
Prou. 30. 21. ſiones incurrat. *Per tria enim mouetur terra*, vt docet Salomon, *& quartum non poteſt ſuſtinere*, horum autem primum eſt, *per ſeruum cum regnauerit*, quod ſupra monebamus, cum ſcilicet quis à Principe ab humili ac propemodum ſeruili ſtatu, non proceſſibus, ſed ſaltu, ad ſummum dignitatis, ac poteſtatis culmen euehitur. Et ſanè docuit vſus, non vt decuiſſet ab huiuſmodi hominibus reuerenter habitam fuiſſe fortunam, imò ſibi ſuiſque, dum
Geneſ. 41. 40. ad celſiora contendunt, ruinam parauiſſe. Nec ſi Ioſeph ab ergaſtulo vniuerſæ Ægypto præpoſitus
Eſther 8. 15. eſt, aut Mardochæus ab humili afflictóque ſtatu admirabili quadam conuerſione fortunæ ad magnam potentiam, ſummóſque honores ſublatus, id continuò cum cæteris paſſim fieri prudenter poſſe cenſendum eſt, nam huiuſmodi legibus
Eccleſ. 11. 23. Deus ſolutus eſt, in *Cuius oculis facilè & ſubitò honeſtare pauperem*, vt loquitur Eccleſiaſticus, & alioqui videmus Apoſtolos, quos Eccleſiæ Principes volebat Dominus conſtituere, pluſquam triennio ad munus illud eximium fuiſſe inſtitutos: & Io-
Num. 27. 18. ſue, qui Moſi Hebræorum Imperatori ſubrogandus erat, ſub eodem Moſe tyrocinium poſuiſſe, & D. Paulum Timotheo præcepiſſe in illa verba;
1. Tim. 5. 17. *Manus citò nemini impoſueris*.

An vni tantũ Adminiſtro Quanquam verò vſus obtinuit, vt vnuſquiſpiam cæterorum omnium qui in aula famulantur quaſi Princeps ac moderator conſtituatur, vt ampli

amplitudine poteſtatis præſtans, ſic etiam prærogatiua virtutis ac ſapientiæ, cuius munus ſit domeſticorum aulicorum continere diſciplinam, & curare vt inferiores Miniſtri attentè, & ſuis cuncta temporibus opportunè munia obeant, qualis fuit Eliezer Abrahami, de quo dicitur in Geneſi; *Seruus ſenior domus illius, qui praerat omnibus quæ habebat:* & Ioſeph in domo Putipharis cum adhuc ſeruitutem ſeruiret, de quo legimus, *Ioſeph miniſtrabat Domino ſuo, à quo præpoſitus omnibus, gubernabat creditam ſibi domum, & vniuerſa quæ ei tradita fuerant*; tamen vt omnia, quæ ad Rempubl. pertinent, vnius dumtaxat conſilio aut opera adminiſtrentur, non facilè probandum cenſeo. Nam vt quis tot negotiorum capax, iiſque cognoſcendis, & expediendis par eſſe poſſit: ſummus tamen ille poteſtatis apex adminiſtro inuidioſus, pericoloſus Principi, Reipublicæque eſſe ſolet. De mari æneo quod in ſacrificiorum vſum in templo ſtatuit Salomon, dicitur in Paralipomenis, *Capiebat tria millia metretas*; at in libris Regum dicitur, *Duo millia batos capiebat*; in contextu Hebræo eſt eadem vtrobique vox בת quam interpres ſemel batos, ſemel metretas vertit, ad leniendam fortaſſe difficultatem, quam locorum ingerebat diſſonantia, quæ multorum interpretum torſit ingenia. Abulenſis & Lyranus apud Riberam cenſent trium millium metretarum capax fuiſſe vas illud, ſed tamen duo tantùm millia infundi ſolita, atque ita conciliant textus, vt in altero loco de aquarum modo qui adhiberi ſolebat ſermo ſit, in altero de aquis, quas explere ad ſummum vſque volenti, capere mare illud potuiſſet. Cui explicationi fauet Paralipomenon textus, vbi habetur ex Hebræo

prudenter negotia omnia credantur.

Gen. 24. 2.

Gen. 39. 4.

2. Par. 4. 5.

3. Reg. 7. 26.

Libr. 2. de templo, cap. 16.

bræo ad verbum: *Fortificare facienti, capiebat batos tres mille.* Quaſi dicatur: Si quis vas impleat quantum quantum eſt, & vſque ad ſummum. Sed iam ad rem noſtram. Quanquam fieri poſſit, vt magnarum rerum multiplicíumque negotiorum capacia quędam ingenia reperiantur, tantum tamen ingerere dignitatum, munerum, poteſtatis, quantum capere quis poſſit, è re Principis eſſe non facilè crediderim: præterquam quod qui Magiſtratus ambiunt, vt quondam Zebedæi filij *poſſumus*

Matth. 20. 22. dicunt, cum ea quæ cupiunt proponuntur, cum tamen reuera ſi vniuerſa moles illis imponatur ſub onere ſuccumbant, quamuis rerum potiundi deſiderio prouecti, fortè non gemant.

Aliqua de legatis qui extraordinarij ſunt miniſtri.

13 Hic de legatis aliquid addi poteſt, quod eſt adminiſtratorum extraordinarium quoddam genus, ij eſſe debent, dignitate, ætate, prudentiaque & rerum vſu ſpectabiles. Itaque (quod attinet ad ætatem) Abraham cum filio ſuo Iſaac vxorem

Gen. 24. 2. quæreret, *ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus, quæ habebat,* qui de nuptiis conciliandis ageret, legauit. Et Balac Moabitarum Rex Balaam filium Beor, ariolum ſibi adiúngere cupiens eo conſilio, vt Iſraelitarum populo malè precaretur, illúmque diris Orco deuoueret, grandiores natu miſit, vt ex Numerorum libro habemus, in quo

Num. 22. 7. legimus. *Perrexeruntq́ſeniores Moab, & maiores natu Madian, habentes diuinationis pretium in manibus.* Cúmque Balaam à Domino prohibitus, iter illud ſuſcipere detrectaſſet, nec ad Balac, vt ipſe

Ibid. n. 15. poſtulauerat veniſſet. *Rurſum ille multò plures, & nobiliores, quàm antea miſerat, miſit.* Et Ezechias Rex cum ab Aſſyriorum Regis exercitu intra mænia compulſus obſideretur, ad Rabſacem exercitus

ducem

Digitized by Google

ducem tres primarios viros legauit Eliacim, ſcilicet filium Helciæ *Præpoſitum domus & Sobnam* 4.Reg.18.
ſcribam (magnum Cancellarium nos appellare 18.
conſueuimus) *& Iohae filium Aſaph à commentarijs:* eum ſcilicet, quem noſtrates à ſecretis appellant. Cur autem ita agendum ſit, ratio eſt in promptu: nam, quo amplior, & clarior eſt eorum dignitas, qui mittuntur, tantò illuſtrius teſtimonium eſt opinionis, quàm de Principis ad quem legantur excellentia concepimus, iique cum ſe impenſius coli ſentiunt, animum magis beneuolum induunt, erga Principem illum, qui mittendę legationis auctor fuit. Porrò de prudentia quid attinet dicere, cum in negotiis tractandis, pace componenda, nuptiis conciliandis, fœderibus iungendis, aliiſque huiuſmodi ſumma dexteritas & prudentia neceſſaria ſit, cum in huiuſmodi rebus impingere maximè ſit in procliue. Itaque Salomon temerarij Principis in extremum diſcrimen res ſuas adducentis, errores legati ſapientis dexteritatę & ſapientia emendari docuit; quod enim in vulgata legimus. *Nuntius impij cadet in* Prou. 13.
malum, legatus autem fidelis ſanitas. Septuaginta 17.
verterunt, *Rex temerarius cadet in mala; legatus autem ſapiens liberabit eam.* Illud etiam plurimum iuuerit, ſi legatus Principis illius linguam ad quem mittitur calleat, nam remotis arbitris expeditius, & fidentius, ſua fas erit tractare negotia, nulliúſque interpretis fide interpoſita, qui ſi parum conſideratè, parúmve fideliter, quæ vltrò, citróque dicuntur interpretetur, facilè animos, qui reſponſionum humanitate leniendi eſſent, exaſperabit, totúmque negotium corrumpet. Vidit hoc prudenter Ezechias qui cum eos quos ſupra memo-

Digitized by Google

rauimus legatos ad Rabſacem miſit, hoc ſpectauit vt Syriacum idioma, quod Rabſaci erat familiare, tenerent. *Dixerunt autem* (inquit Scriptura) *Eliacim filius Helciæ, & Sobna & Iohae Rabſaci. Precamur vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriacè, ſi quidem intelligimus hanc linguam, & non loquaris nobis Iudaicè, audiente populo, qui eſt ſuper murum.* Sed ante omnia fidelitas in legatis exigitur, ne ſcilicet publica Principis negotia negligendo, aut etiam prodendo, priuata ſua compendia conſectentur, cuius rei exemplum habemus in Menelao in Machabæorum hiſtoria. *Et poſt triennij tempus,* inquit, *miſit Iaſon Menelaum ſupradicti Simonis fratrem portantem pecunias Regi, & de negotijs neceſſarijs reſponſa perlaturum. At ille commendatus Regi, cum magnificaſſet faciem poteſtatis eius in ſemetipſum retorſit ſummum ſacerdotium, ſuperponens Iaſoni talenta argenti trecenta. Acceptisq́; à Rege mandatis venit, nihil quidem habens dignum ſacerdotio.* Itaque Menelaus, quà adulatoria aſſentatione Regis animum demulcendo, quà pecuniis demerendo, nam plus obtulit, quàm Iaſon obtuliſſet, res ſuas promouit, alterius euertit.

4. Reg. 18. 26.

2. Mach. 4. 23.

De inſpectoribus Prouinciarum, ſiue viſitatoribus,

14 Tandem de Prouinciarum inſpectoribus, ſiue viſitatoribus breuiter agamus, quos aliquando Principes, qui per ſe ipſos regna luſtrare non poſſunt, eo conſilio mittunt in Prouincias, vt earum ſtatum cognoſcant, magiſtratuum fidem, iudiciorum integritatem explorent, rectè ne omnia vt par eſt, & iuxta legum præſcriptum fiant, an potius è contrario iura negligantur, & peſſundentur, populique malè habeantur, exhauriantur, tyrannicè tractentur. Sanè Samuel præcipuas Iſraelis ciuitates cum populum iudicaret, ipſemet

circuire

circuire conſueuerat, eo crediderim conſilio, vt ſui copiam faceret eum adire, & ius ſuum perſequi volentibus, vtque minores magiſtratus contineret in officio, & ab iniuria ſubditos prohiberet, de eo enim dicitur: *Iudicabat Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ, & ibat per ſingulos annos circumiens Bethel, & Galgala, & Maſphat, & indicabat Iſraelem in ſupradictis locis.* Hoc autem viſitandi munus, aut ſupremi Principis eſt, aut alicuius, quem ipſe cum ampla poteſtate ſibi ſubſtituerit, ſuaſque ei partes demandauerit: qui enim viſitandi ſunt, eos ſub aliorum poteſtate conſtitui neceſſe eſt. Itaque Eliu apud Iob de Deo Principum ſummo verba faciens. *Quis poterit*, inquit, *ſcrutari vias eius, aut quis poterit ei dicere, operatus es iniquitatem?* Ex Hebræo propriè verti poteſt. *Quis viſitabit ſuper illo?* Cùm ergo ad Prouincias, aut Regna inſpicienda viſitatores huiuſmodi deſtinati fuerint, vt eos officij ſui nomen ſatis admonet, diligenter inſpiciant qui mores in melius emendandi, quæ vitia exſcindenda, nec amicos illos S. Iob imitentur, qui cum afflictam eius fortunam inſpexiſſent, cúmque ad ſummam egeſtatem redactum, vlceribus plenum, ab omnibus deſtitutum reperiſſent, non tamen eius malis leuamentum aliquod attuliſſe, ſed potius calamitatem importunis diſputationibus exaſperaſſe, innoxium vexaſſe, & quaſi violati numinis reum peragere voluiſſe memorantur. Non parum ad rem noſtram facit quod in Machabæorum hiſtoria legimus, in qua poſt ingentes enumeratas calamitates quibus impius Rex Antiochus Hieroſolymam circumiectáſque ciuitates vexauit, afflixit, ac tantùm non attriuit, cum de Mathathia, & quinque

1. Reg. 17. 15.

Iob 36. 23.

Iob 2. 11.

1. Mach. 2.

Digitized by Google

Ibid.nu.6. eius liberis ſermo incidit, dicitur. *Hi viderunt*, vel vt eſt in Græco textu, *εἶδε, vidit*, ſolus ſcilicet Mathathias *mala quæ fiebant in populo Iudæ, & Ieruſalem.* An non videbant hæc mala cæteri omnes qui aderant, in quorum oculos incurrebant, cum in eorum conſpectu fierent? Sanè videbant, ſed ij tantùm vidiſſe dicuntur, qui vidiſſe non contenti, ad Rempubl. defendendam, & è tyranni manibus eripiendam, animum adiecerunt, eiúſque furori ſeſe opponere non dubitarunt. Et fortè

Gen. 11. 5. hoc ſenſu dicitur in Geneſi, *Deſcendiſſe Dominum*

Ibid. c. 18. 21. *vt videret ciuitatem, & turrim quam ædificabant filij Adam*; & rurſus eodem libro deſcendiſſe, vt videret an clamor Sodomorum qui ad eum aſcenderat, verus eſſet an falſus. Proculdubiò Domi-

Pſal. 137. 6. nus, qui vt canit S. Dauid, *alta à longè cognoſcit*, neceſſe non habet quemadmodum homines ad res ipſas accedere, quas vult contemplari, cum iis ſemper interſit, & præſens ſit; ſed ea loquendi formula vſus eſt Moſes iuxta humanum agendi morem, vt nos intelligamus, eos quorum fidei Reſpublicæ inſpiciendæ creditæ ſunt, propiùs accedere ad res ipſas debere, negotia quæ proponuntur diligenter verſare, atque cognoſcere, & tandem (quod potiſſimùm ab iis omnes expectant) prauos corrigere, ſontes plectere, publicæque quietis perturbatores compeſcere: quod conſequentur, ſi omnia ad æquitatis libellam diligenter exegerint, & ſi fieri poſſit antequam ad Principes ſuos redeant, ita omnia conſtituta reliquerint, vt etiam poſtquam prouincia exceſſerint, curſum teneant, & bene conſtantérque procedant.

Leges

Digitized by Google

Leges Reipublicæ neceſſarias eſſe, quales eſſe debeant, iiſq́ue parendum.

CAPVT IV.

1 LEgum præſcripta Rebuſpublicis vtilia eſſe, nullus vnquam, qui ſanæ quidem mentis eſſet dubitauit: illarum enim metu humana comprimitur audacia, tutáque redditur inter improbos innocentia, multáque ſanciendo Reipubl. ſtatui accommodata omne genus hominũ, quod ſinu ſuo, ciuitas aut regnum complectitur, inſtituunt, & ad officium vocant: *Lex ſapientis*, inquit Salomon, *fons vitæ, vt declinet à ruina mortis*; & ſenſus eſt, à legum fontibus, quos ſapiens toti Reip. recluſerit, promanare latices, qui, ex iis haurientibus, ſalutares ſint: & leges quaſi indicem eſſe, cuius beneficio à periculis imminentibus auertamur, & abducamur, ſi ad earum præſcriptum rectum iter inſiſtere ſtuduerimus. Itaque S. Dauid diuinam legem lucernam appellat. *Lucerna*, inquit, *pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. Et Salomon. *Quia*, inquit, *mandatum lucerna eſt, & lex lux*: cum enim mortalitatis huius ſemitæ nihil aliud ſint, quàm *tenebræ & lubricum*, Legis *Præceptum lucidum, & illuminans oculos*, tanquam pharus clariſſima accendi ſolet, vt omnes ad curſum intendant, & pericula ſi quæ interueniunt, declinent; ſic per legem quæ non concupiſcendum præcipit, ſe cognouiſſe affirmat D. Paulus cauendum

Leges vtiles eſſe ac neceſſarias Reipub.

Prou. 13. 17.

Pſal. 118. 105.

Prou. 6. 23.

Pſal. 34 6.

Pſal. 18. 9.

dum eſſe ne ad concupiſcentiarum ſcopulos de-
Rom.7.7. feramur. *Peccatum*, inquit, *non cognoui niſi per legem, nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces:* In pericula autem coguita, qui ſe ipſum induit, ſuo vitio perit, non legis quæ bona eſt, & peccatum omne ac nefas, quantum in ipſa eſt amolitur. Contra verò cum nullæ ſunt leges, quæ ad iuſtitiam, ac pietatem homines erudiant, aut cum ſunt quidem, ſed minimè ſeruantur, quod perinde eſt ac ſi non eſſent, nullum eſt incommodum, quod Rempubl. non inuadat; quare mala illa omnia, quæ ab Iſaia, quodam loco recenſentur, populúmque Iſraelis peſſum dediſſe deſcribuntur propterea, quòd diuina lex neglectui fuiſſet habita, & pactum quod cum illis Dominus pepigerat violatum, eas omnes Reſpublicas occupant, quæ legum negligunt ſanctiones, prauis inuentis, conſuetudinibus, quæ cum in ciuitatis mores irrepunt, omnem virtutem ac decus popu-
Iſa.24.4. lantur; *Luxit*, inquit, *& defluxit terra, & infirmata eſt, defluxit orbis, infirmata eſt altitudo populi terræ, & terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, diſſipauerunt fœdus ſempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores eius, ideoq; inſanient cultores eius, & relinquentur homines pauci; luxit vindemia, infirmata vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. Ceſſauit gaudium tympanorum, quieuit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam. Attrita eſt ciuitas vanitatis, clauſa eſt omnis domus nullo introeunte. Clamor eſt ſuper vino in plateis, deſerta eſt omnis lætitia, tranſlatum eſt gaudium terræ, relicta eſt in vrbe ſolitudo, & calamitas opprimet portas, quia hæc erunt in medio terræ,*

in

in medio populorum, &c. quæ in hanc eandem ſententiam proſequitur ſanctus Propheta. Nam reuera cum legum murus à potentioribus qui legibus parere nolunt, ſubruitur; aut cum vigor ille ſeneſcit, qui ſubditos legibus obedire compellit, ciuitas redigitur ad vaſtitatem: nam incolæ dilabuntur, agrorum cultura deſeritur, ciuitáſque tota ciuilibus turbis diſtrahitur, & laceratur, tandémque ad interitum ruat neceſſe eſt. Huc facit felix illa arbor, quæ Nabuchodonoſori Regi per quietem diuinitus oſtenſa eſt. *Videbat*, inquit, *& ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum, aſpectus eius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea, ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* Dan. 4.8. Cùm verba iſta conſidero, optimè mihi videtur congruere arboris iſtius ſimilitudo, opulentæ alicui ciuitati aut regno; quemadmodum enim arbor pingui ſolo innata, aquis irrigata perennibus, aperto, ſinceróque ſolis nitore illuſtrata in magnam excreſcit altitudinem, foliorum lætiſſima viriditate veſtitur, pomíſque aut baccis abundans peregrinos inuitat, vt patulis ſuccedentes vmbraculis ſub ramis acquieſcant, aues verò vt in eiuſdem complexu nidulentur; ad eundem planè modum, ciuitates diuitiis, ac potentia beatæ, ſed potiſſimùm iuſtis legum fundatæ ſanctionibus, non ſolùm ſpectantium oculos tenent ac rapiunt ordinis, ac decoræ deſcriptionis admiratione defixos, ſed quod caput eſt rebus omnibus neceſſariis ad vitam ac delicias opportunis abundant, integrúmque

que eſt, non inquilinis tantùm, ſed aduenis etiam, & peregrinis in ea ſtationem figere, & tutis eſſe ac quietis nullo planè accedente, legum beneficio ſecuritatem adeptis inferre moleſtiam. Quare quod S. Dauid de homine prædicat, qui in lege Domini meditatur die ac nocte, id vniuerſis bene

Pſal. 1.3. conſtitutis ciuitatibus conuenit, *vt ſcilicet ſint tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur.*

Legum neceſſitas in Rep. colligitur ex naturali rerũ ordine, ac lege.

2 Hunc autem legum ordinem, præſcriptúmque in Rebuſpublicis ſeruandum eſſe, illud etiam ſuadet, quod naturæ leges, cuius author eſt ipſe Deus, in mundo conſtantiſſimè ſeruari videmus, quas ſi qua poteſtas interueniens, aut tolleret, aut turbaret, molem hanc vniuerſam tam ſapienter inter ſe coagmentatam penitus labefactaret &

Eccle. 1.5. euerteret. *Nam oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibiq; renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu, pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Ad eundem modum ſtellæ ſuas nocturno tempore ſeruant ſtationes, & in militiæ caſtrorúmque morem iuxta Domini leges lumen ſuum exerunt,

Bar. 3.34. faces orbi terrarum circunferentes. *Stellæ autem,* inquit Baruch, *dederunt lumen in cuſtodijs ſuis & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt; Adſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Rurſus terra, & mare, quod illius ſinu fouetur, eiuſdem Legiſlatoris mandatis ita parent, vt ne latum quidem vnguem ab illius præſcripto diſcedant. Audiamus

Domi

Digitized by Google

Dominum de turbine ſic alloquentem ſeruum ſuum Iob. *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius? Cum me laudarent ſimul aſtra matutina & iubilarent omnes filij Dei? Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens, cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*; quemadmodum enim *ignis, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt verbum eius*, ita cœli & omnia elementa, quæque in illis continentur diuinis imperiis conſtanter parent, iiſque cientur motibus, quos ipſe præſcripſerit, ſua ſeruantes loca, naturæque ſuæ conſentaneas functiones eodem ſemper tenore exhibentes, vt meritò cum diſcipulis ſtupore defixis dicere poſſimus. *Quis putas eſt iſte, quia & ventus & mare obedıunt ei?*

Iob 38.4. Pſal. 148. 8. Marc. 4. 40.

3 Quid porrò dicemus de legibus illis quas iis naturis dedit, quæ rationis participes ſunt? verè cum S. Dauid dicere poſſimus, *Tu mandaſti mandata tuâ cuſtodiri nimis.* nam non ſolùm quale ſibi præſtari vellet obſequiũ legibus datis aperuit, ſed ſeueris etiam in violatores animaduerſionibus quantoperè Reip. intereſſet oſtendit, earum ſanctionibus ad virtuté, & publicum bonũ ciues inſtitui, & ſi opus ſit, inflictis pœnis in officio contineri. Diſcere poſſumus hoc ex Angelis, quos cum Dominus ad ſui ipſius imaginẽ ac ſimilitudinem condidiſſet, eximiiſque naturæ, & gratiæ orna-

Idem probatur ex diuinis legibus quas Deus hominibus præſcripſit: vbi etiam de legũ obſeruatione.

Digitized by Google

mentis decoraſſet, vt propterea in omnes conue-
niat, quod de vno quopiam illorum prædicat
Ezech. 28. 17. Ezechiel Propheta. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, ple-
nus ſapientia, & perfectus decore, in delicijs paradiſi
fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum*: tamen
cum in ſuperbiam elati legem Domini ſeruare
contempſerunt, *illis peccantibus Dominus non peper-
2.Petr.2. 4. cit*, vt quodam loco dicit S.Petrus. *ſed rudentibus
inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. quod
aliis verbis ſanè grauiſſimis S. Iudas expreſſit in
Iudæ 1.6. catholica epiſtola ſua, cum ait. *Angelos verò, qui
non ſeruauerunt ſuum Principatum, ſed dereliquerunt
ſuum domiciliũ, in iudicium magni diei vinculis æternis
ſub caligine reſeruauit*. Nec diſſimilis in homines
primos animaduerſio quos in paradiſo voluptatis
collocatos ita gratia, & originali iuſtitia dona-
uerat, vt eorum appetitiones rationi, & carnem
ſpiritui ſubiiceret, eoſque à mortalitatis neceſſi-
tate, aliiſque malis & ærumnis eximeret, vitám-
que fœlicem & tranquillam largiretur. Hos ergo,
poſtquam præſcriptam legem violarunt, iuſtitia
originali ſpoliatos, & paradiſo exturbauit, &
morti fecit obnoxios, cæteriſque malorum exa-
minibus, quæ nos quotidie experimur ita ſubie-
cit, vt pro meris voluptatibus, quibus in amœno
illo deliciarum viridario fruebantur, nunc malo-
Pſal. 74.9. rum pœnarúmque calix, *cuius fex non exinanitur*,
nobis propinetur, vt reuera quicumque morta-
Thren.3. 15. lem hanc vitam viuimus, *abſynthio inebriati* nullam
quietis partem capere poſſumus; nec maiores
tantum culpas, quæ leges illius in rebus grauio-
ribus violant, ſeuerioribus pœnis inflictis vindi-
cat, vt Sodomitarum & Gomorræorum infame
Iudæ 1.7. crimen. de quibus S. Iudas cum ait: *Sodoma &*

Gomor

Gomorra & finitimæ ciuitates, ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes: ſed etiam peccata illa & noxas, quæ non ita graues nobis videntur, atrociter aliquando, ſi ita de Diuina iuſtitia licet, loqui, pœnis etiam mortis, ad legum ſuarum ſanciendam diſciplinam puniendas cenſuit, vt prophetæ illi accidit, qui cum cibum contra Domini præſcriptum, alio Propheta illi offerente & decipiente ſumpſiſſet, à Leone quem obuium habuit in via occiſus eſt. Itaque leges ſuas Dominus ante Principis oculos verſari iuſſit, eáſque apud ſe deſcriptas habere, omneſque ſubditorum actiones ad earum normam exigere. Nam Regi futuro ita præſcribitur in Deuteronomio. *Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præſcripta ſunt, nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram aut ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſraël.* Quibus verbis tria monita maximi momenti continentur. Primum eſt, vt legem Dei optimè calleat, atque vt obliuioni, & illius ignorationi occurratur, illam ipſe deſcribat, quod præceptum non tam ſignificat diuinam legem Regis manu in membranis exſcribendam, quàm iuxta Sapientis conſilium, *In tabulis cordis deſcribendam* ita exactè, & ad amuſſim, vt Principis cogitationes, verba, & facta perfectiſſimum quoddam exemplar ſit ad diuinæ legis præſcriptum efformatum, & effictum, ſítque ipſe lex quæ

3.Reg.13.24.

Deut.17.18.

Prou.3.4.

Digitized by Google

quædam viuens, & ſpirans, in quam ciues omnes oculos ſuos coniicientes Principis ſui exemplo proficiant ad omne decus. Quicunque enim dat præcepta hominibus, ad vitam, moreſque fingendos, ipſi eodem modo viuendum eſt, quem aliis præſcribit, ne ſi aliter ipſe vixerit, præceptis ſuis fidem detrahat, leuioremque doctrinam ſuam faciat, ſi re ipſa reſoluerit, quod verbis conatur aſtringere; cuius enim importunitatis eſt homini libero leges imponere velle, quibus ipſe non pareas? aut quibus cum ipſe tuleris fraudem facias? Itaque Moyſes qui Iſraëlitici populi caput erat, cum è montis vertice reuerteretur ad ſuos, tabulas legis, manibus tenuiſſe dicitur, facto ſuo monens non tantùm præceptis illis capita ſubmittenda, eorúmque auctorem veneratione ac reuerentia proſequēdum, ſed etiam præ manibus Principi habenda eſſe, & executioni mandanda, ne leges ſine moribus vanæ ſint, nihilque proficiant. Alterum monitum eſt, vt leges Sacerdotum exemplaribus congruant, vt nimitum cum ſuarum legum exemplaria, cum Sacerdotū exemplaribus compoſuerint, cum illis conſentiant, ne fortè mundi aut Dæmonis placita pro legitimis, probatis, rationique conſentaneis legibus admittant. Quare quæcumque leges Sacerdotum doctrinæ, quæ in Eccleſia recepta eſt repugnant, eæ tanquam iniquæ abrogandæ ſunt, & abolendæ, ſi fortè iam latæ fuerint; nulla autem ratione ſi non extent Reipubl. cui maximè noxiæ eſſent proponendæ aut ingerendæ. *Labia enim Sacerdotis* (vt eſt apud Malachiam) *cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Bene Sacerdotes appellantur Angeli, vt nimi

Malach. 2. 7.

nimirum intelligamus quemadmodum Angeli hominibus naturæ excellentia præſtant, eoſque dirigunt, & docent ea quæ à Domino præcipiuntur; ita Sacerdotes quibuſlibet hominibus, Principibus etiam & Regibus antecellere, hoſque ab illis conſilium capere debere, iis in rebus, quæ ad Diuinam legem aliqua ratione ſpectauerint: quod ipſum Dominus docuit, cum Ioſue belli exercituſque ducem conſtitui, Eleazarũ verò ſummum Sacerdotem initiari iuſſit, qui, *Si quid agendum eſſet, conſuleret Dominum, & ad illius verbum egrederetur ipſe, & ingrederetur* (qui modus loquendi cuncta facere ſignificat) *& omnes filij Iſraël cum eo, & cætera multitudo.* Cumque Ioſue magiſtratum iniret, ita illum Dominus allocutus eſt. *Confortare, & eſto robuſtus valde, vt cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes ſeruus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, vt intelligas cuncta, quæ agis; non recedat volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt cuſtodias, & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo, tunc diriges viam tuam, & cuſtodies eam.* Tertium monitum eſt, vt caueat ne nimios ſpiritus aſſumat, *eleuetúrque cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos,* atque propterea leges negligat, quaſi ipſis minimè obnoxius, cum nullus ſit, qui leges euertentem poſſit coërcere. Itaque Princeps ne illis ſimilis ſit, in quos Chriſtus inuehitur cum ait, *Dicunt enim & non faciunt, alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Pontificique illi Ananiæ quem D. Paulus verbis illis increpuit. *Percutiat te Deus paries dealbate, nam tu quidem ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Rigidus

Num. 27. 21.

Ioſ. 1. 7.

Matth. 23. 3.

Act. 23. 3.

dus ſit legum ſatelles, quaſque aliis præſcripſerit, etiam ipſe patiatur, memor ſe maiori Principi, factorum, dictorumque ſuorum rationem redditurum, & ſi nullus ſubditorum dicere poteſt, cur ita facis, non propterea ſi leges violauerit, præſcriptumque mandatorum Dei tranſilierit, impunè laturum: quod S. Dauid agnouit, & verò etiam prædicauit, cum peccati ſui labes deplorans in Pſalmo ita flebiliter canit. *Tibi ſoli peccaui*; quamuis enim in Vriam, cuius thorum violauerat, quem periculo expoſitum interfecerat, offendiſſet, quamuis Berſabee ad peccati conſuetudinem pellexiſſet, & vt Scriptura loquitur *blaſphemare feciſſet inimicos Domini*, tamen ait, *Tibi ſoli peccaui*; quia ſcilicet nulla erat tanta in Republ. illa poteſtas, quæ pænæ alicui ſontem Dauidem poſſet addicere: ſed quidquid in Deum, in Vriam, in leges denique ipſas peccauerat, diuinæ vltionis vindicta, à qua ſe ipſum eximere, aut ſubducere non poterat, erat expiandum.

Pſal. 50. 6.

2. Reg. 12. 14.

4 Sed ad legum obſeruationem reuertamur, quæ cum omnibus temporibus & locis, à violatorum iniuria vindicandæ ſunt, tum potiſſimùm cum recentes adhuc ſunt, & nuper latæ, ne ſi contemni ſtatim incipiant cum feruntur, illarum ius & auctoritas obſoleſcat, & concidat. Quod enim ſcelus incredibile alioqui, & vltra audaciam poſitum videbatur illud primi legum euerſores fieri poſſe oſtendunt, & verò vt fiat timidius aggredientibus viam munientes animos addunt. Hinc Adami, & Euæ peccatum tam diuturnis, tam grauibus pœnis vindicatum, hinc cædes Abel à Cain illius fratre patrata, vnde primò tellus *aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris*

Curandum Principi, vt leges ſeruentur, præſertim cum recenter latæ ſunt.

Geneſ. 4. 11.

tris de manu Cain: cum ad illum diem nullo ſanguine eſſet polluta, illas Domini in Cainum diras euocauit. *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos, vagus & profugus eris ſuper terram:* grauis admodum pœna, & expedito aliquo genere mortis longè grauior; nam quod nos legimus *vagus & profugus*, Septuaginta habent, στένων καὶ τρέμων *gemens & tremens*, alij σαλευόμενος καὶ ἀκαταστῶν. ac ſi diceret, curarum ac mœroris ſalo agitatus, carnificinaque pectus fodientis & lancinantis conſcientiæ inſtinctus, alias ſubinde regiones mutans. Hinc Iudas *Crepuit medius & diffuſa ſunt omnia viſcera eius*, quòd nuper inſtituti Sacramenti ſanctitatem non reueritus primus ore ac corde, quo dirum illud conceperat facinus, quod mens cogitare refugit, ſacrum illud myſterium indignè tractare, nec minùs quàm alij, quorum ſincerus erat animus, & pectus pietate ſubactum, vſurpare non dubitauerit. Hinc cum Chriſti tunc primùm naſcens Eccleſia verſaretur in primordiis, tantáque eſſet Chriſtianorum liberalitas, vt propriis latifundiis ac domibus pretio diſtractis, pecunias quas conflauerant, ad Apoſtolorum pedes proiicerent, Ananiæ ac Saphiræ crimen, qui venditi agri pretij partem aliquam ſibi retinuerunt, non verbis tantùm acribus caſtigauit, ſed etiam exanimauit; nam dixit Petrus. *Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo. Audiens autem Ananias verba hac cecidit, & expirauit, & factus eſt timor magnus ſuper omnes*

Ibidem.

Act. 1. 18.

Act. 5. 3.

omnes, qui audierunt: quo ſcilicet alij qui mortuum viderant Ananiam, aut ad quos facti fama peruenerat, à diuinæ legis præceptis violandis reuocarentur. Hinc etiam lege Domini Moſis præco-

Num. 15. 32. nio conſtituta, cum *filij Iſraël in ſolitudine inueniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moyſi & Aaron, & vniuerſæ multitudini, qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes, quid ſuper eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moyſem. Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Cúmque adduxiſſent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus eſt, ſicut præceperat Dominus.* Quamuis enim fieri potuerit vt non diuturnus labor eſſet colligentis ligna, aliquoque neceſſitatis prætextu à grauioris criminis noxa liberari poſſe videatur, ſecus tamen, vel ex eo iudicandum eſt, quod morti oppetendæ iuſto Domini iudicio addictus eſt, eam ob cauſam vt

Theodoret. q. 31. in Numer. Saluian. lib. 6. de prouidentia circa medium. Ioſue 6. 19. Ioſue 7. 26.

aliqui Patres putant, quod primus legem illam de Sabbatho non violando eſſet tranſgreſſus. Hinc tandem Acham filius Charmi, cum legem primus violaſſet, qua iuſſerat Dominus, ne quis ex ſpoliis Iericho ſibi quidquam reſeruare auderet, *Sed quidquid erat auri, & argenti, & vaſorum æneorum, & ferri, Domino conſecraretur, & in theſauris eius reponeretur*: Ioſue Dux populi, Domino per ſortes tanti criminis reum iudicante, in vindictam ſceleris, cæterorúmque terrorem lapidibus obruit, magnum ſuper eum lapidum aceruum aggerando, vallique in qua eſt occiſus, *Vallis Acher*, id eſt, *turbationis*, triſte nomen imponendo, quæ appellatio Scriptura atteſtãte loco illi diutiſſimè hæſit, non minus ad patrati criminis memoriam renouandam, quàm ad vindictæ terrorem incutiendum,

tiendum, abſterrendóſque poſteros, qui olim lapides illos in vnum aggeſtos conſpecturi eſſent, noménque vallis audituri, ne ſanctitatem legum parui pendere, aut perrumpere auderent. Sed de his hactenus: nam ſuperiore libro, cum de vindicatiua Principis iuſtitia diſputaremus, nonnulla dicta ſunt, quæ huc commodè transferri poſſunt, quæ qui volet cognoſcere, inde petat licet.

5 Quærat hic aliquis, melius ne ſit, & Reipublicæ ſalutarius, multas ferre leges, illudque cōnari nequid à legiſlatore prætereatur, quod legibus comprehenſum non ſit; an verò parciùs adhibendæ, ea tantùm præſcribendo, quæ maioris ſunt momenti, reliqua Principis arbitrio reſeruando. Sanè magis placet leges paucas eſſe; nam præterquam quod plurimas habere leges corruptæ Reipublicæ ſignum eſt, flagitiorum æquè, ac legum mole laborantis, illud etiam incommodum eſt, quod multis obruti præceptis, ea vel obliuiſcimur, vel etiam, quod deterius eſt, contemptum imus. Adde hominum naturam libertatis tenacem ad ea vt plurimum niti quæ vetita ſunt, vt exemplo diſcimus vxoris Loth, cui cum imperatum eſſet ne oculos ad flagrantis incendio ciuitatis aſpectum reflecteret, humano malo, quo ægriùs vetitis abſtinetur, parum dicto audiens in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. Itaque Apoſtoli in Synodum coacti, nouamque Eccleſiam legibus fundantes, paucula quædam eo tempore neceſſaria ſtatuerunt, reliqua omnia miſſa facientes in hæc verba concilij illius canonem concipientes. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab*

Leges paucas eſſe debere.

Geneſ. 19. 17.26.

Act. 15. 28.

immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos bene agetis. Valete. & S.Petrus eos verbis caſtigans, qui onera Eccleſiæ conabantur imponere grauiora, quàm vt ferri commodè poſſent. *Nunc ergo*, inquit, *quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Sanè iugum graue, nam ſi iis credimus qui curioſiùs iſta perſecuti præceptorum veteris legis numerum ſupputarunt, vniuerſæ legis præcepta ſexcenta tredecim fuerunt, vetantia quidem ad trecenta ſexaginta quinque, quot nimirum dies annum conſiciunt; affirmantia verò, ducenta octodecim, vt verè S.Auguſtinus, legis illius multiplex præſcriptum, *Innumerabilium obſeruationum ſarcinam* appellarit: quod tamen nullus ſapientiſſimo legiſlatori vitio vertat, nam peruicax ille, & duræ ceruicis populus, & ad idololatriam procliuis graui multarum legum obſeruatione premendus fuit, vt ſcilicet ceremoniis illis, ritibuſque peragendis intentus, circumiectarum nationum errores non hauriret. Adde multiplicibus illis, quaſi lineamentis ac picturis euangelicam legem fuiſſe rudibus illis populis exprimendam, Chriſtique olim venturi neceſſitatem aperiendam, qui humanarum virium imbecillitati ferret opem, aliquid de pondere minuendo, & ad id quod fuiſſet impoſitum, commodiùs portandum, vires ſufficiendo. Cæterum noua lex ceremonialibus illis, ac iudicialibus legibus abrogatis ad pauciora multo ſacramenta, & ritus, vnicumque ſacrificium reuocata eſt, vt proinde meritò à D. Paulo nouum teſtimonium, *verbum breuiatum* dictum ſit, nulluſque iure conqueri poſſit,

Act.15.10.

Abulenſ. in cap. 1. Ruth. q. 24.
Serm.9. de verbis Domini.

Rom.9. 28.

poſſit, quaſi legum cumulo preſſus, aut eas memoria complecti, aut opere præſtare arduum ſit & difficile, cum dixerit Dominus. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Matth. 11. 30. Sed potius legum hanc facilitatem & paucitatem exoſculando, *ſubiiciens illis collum, ſuſcipere debeat diſciplinam,* Eccleſ. 51. 34. vt alicubi loquitur Eccleſiaſticus.

Curandum vt ſubditi legibus non inuiti pareant.

6 Illud tandem optandum eſt, & verò etiam ſperandum in Republ. iuſtis legibus temperata, quam ſapiens aliquis Princeps, & communis boni cupidus moderetur, vt non tam atrocitatem pœnarum timentes ſubditi legibus pareāt, quàm virtutis amore & beneuolentia ducti, qua Principem proſequuntur: quod ſi conſequi Princeps poſſit, tunc demum Rempubl. omni ex parte beatam futuram putet. Iudæi qui Ieroſolymis verſabantur, ad eos qui erant in Ægypto cum ſcriberent aliquando, nihil ſe melius optare poſſe illis, ſunt arbitrati, quàm ſi eam mentem ipſis iniici diuinitus precarentur, qua volenti animo diuinæ legis mandata capeſſerent. *Det vobis*, inquiunt, 2. Mach. 1. 3. *cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem, corde magno, & animo volenti:* tunc enim *iugum ſuaue, & onus leue*, quod imponitur à lege, eſſe videtur, cum non propterea illi paremus, quia lex per metum à nobis exprimit vt illud faciamus, ſed nos, quæ iubentur, alacriter facimus, quia legum ſanctionibus ſubiacere delectat. Ideo S. Dauid de ſe ipſo prædicat in Pſalmis. Pſal. 118. 127. *Dilexi mandata tua ſuper aurum, & topazion, propterea ad omnia mandata tua dirigebar:* quaſi diceret, cum mandata tua maximi facerem, & mirum in modum placerent, quippe, quæ rationi ſunt ac virtuti conſentanea, propterea rectum virtutis tra-

Digitized by Google

mitem conſtanter tenebam nuſquam à virtutis via declinans, ſiue ad dexteram ſiue ad ſiniſtram. Sed egregiè meo quidem animo Eccleſiaſticus, qui auditorem ſuum ita vult ſapientiæ præſcripta, atque inſtituta capeſſere, vt ea non tanquam graue iugum, ſed potius tanquam præclarũ quoddam honeſtamentum, & quaſi torques quoſdam non vincula, aut compedes eſſe putet, ſic enim lo-
Eccleſ. 6. 24. quitur. *Audi fili, & accipe conſilium intellectus, & ne abiicias conſilium meum. Iniice pedem tuum in compedes illius & in torques illius collum tuum, ſubiice humerum tuum, & porta illum, ne accidieris vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illũ, & in omni virtute tua conſerua*
Ibid. n. 30. *vias eius.* Et paulò poſt. *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & baſes virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ, decor enim vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutaris, ſtolam gloræ indues eam, & coronam gratulationis ſuperpones tibi.* Ita enim frequenter vſu venit, vt quæ virtutis ſtudioſis grata accidunt, & mirum quantum iucunda, eadem ſi eiuſdem virtutis oſoribus agenda proponantur, ardua, aſpera, difficilia appareant, ac proinde ab illis opere præſtandis, quantum poſſunt refugiant. Cum Dominus in Sinæ montis vertice ſeruo ſuo Moyſi legis tabulas digito ſuo conſcriptas, populoque vt ſeruarentur proponendas traderet, magnum ij, qui ad montis radicem conſederant, timorem conceperunt: nam cum nubes verticem occupaſſent, tonitruorum tumultum exaudiebant, fulgurationes intuebantur, eliſorumque fulminum iactus formidabant.
Exod. 19. 16. *Iamque aduenerat tertius dies*, inquit Scriptura, *& mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem,*
clan

clangórque buccinæ vehementius perſtrepebat, & timuit populus qui erat in caſtris. At Moſes, ſi Philoni credimus, adeò terrificis illis tumultibus non perturbabatur, vt potius ſuauibus muſicorum inſtrumentorum ſonis, vocibuſque modulatis mulceretur, quod etiam in ſua Apocalypſi D. Ioannes expertus eſt, qui ait. *Audiui vocem citharœdorum, citharizantium in citharis ſuis, & vocem quam audiui ſicut vocem tonitrui magni:* vt nimirum ex hiſce locis intelligamus facilè, plurimum intereſſe, quo quis modo ſit diſpoſitus, nam eaſdem leges quas duras aliqui, & ad ſeruandum difficiles exiſtimabunt, faciles alij imo verò iucundas arbitrabuntur; quod ſi Princeps ita animos ſubditorum moderari nouerit, & molliter leges proponere, vt ſubditi volentibus animis illas complectantur, expeditam viam inuenerit, qua citra pœnarum terrorem publicum ciuitatis bonum conſtanti, ſuauique legum obſeruantia promouere poſſit.

Philo. lib. de ſomniis.

Apoc. 14. 2.

7 Porrò, cum nodus aliquis in germano legis ſenſu percipiendo inciderit, curandū eſt, vt iuxta Legiſlatoris mentem, adhibitis fidis legū illarum Interpretibus, difficultatem quæ negotium nobis faceſſit euoluamus: fit enim nonnunquam vt animi perturbationibus tranſuerſi agantur homines, & ad ſua commoda, aut compendia, legum verba traducant, interpretationibus in eam quam voluerint partem, mala fide torquentes. Huiuſmodi Phariſæorum, & Scribarum erat ingenium, quos Chriſtus Dominus increpat apud Matthæū, quod minus verè legem de parentibus colendis interpretarentur. *Deus dixit,* inquit Chriſtus, *Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri aut*

Quomodo leges interpretari debeamus.

Matth. 15. 4.

 matri,

Digitized by Google

matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram: Qui locus ſanè difficilis, ex alterius Euangeliſtæ verbis illuſtrari poteſt &
Marc. 2. 11.12. explicari. ſic enim legimus apud S. Marcum. *Vos autem dicitis, ſi dixerit patri aut matri Corban, quod eſt donum, quodcunque ex me tibi profuerit, & vltra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo aut matri.* Et ſenſus eſt, vos Phariſæi & Scribæ verum præceptorum Domini ſenſum prauis veſtris interpretationibus corrumpitis, nam cum Dominus iubeat filios, parentes honore afficere, eoſque, cum opus habuerint, alere, vos contrà filiorum auaritiam & in parentes impietatem obſecundantes, aut etiam priuata lucra captantes, & in vos deriuantes ea, quæ parentibus potiori iure deberentur, filiis auctores eſtis, vt cum ſacrificia aliqua offerunt, pro parentibus etiam ſuis offerant, qui proinde ad partem aliquam ſacrificio oblatæ rei percipiendam admittantur, qua iuuentur quidem, & aliqua ratione eorum ſubleuetur inopia; cæterum eos, non id præſtare compellitis, quod diuino iubentur præcepto, vt ſcilicet eorum occurrant neceſſitatibus, & quibus in rebus opus habuerint pro facultate proſpiciant. Mendax planè interpretatio, & à mendacij parente profecta. Antiquus enim mos eſt callidi illius ſerpentis, ac veteratoris diuinarum legum, verba ſecùs interpretari, quàm iuxta Legiſlatoris mentem capienda ſint. Sic enim primorum humani generis parentum ſimplicitati impoſuit, cum eo conſilio pomi illius eſum vetitum dixit;

quod

Digitized by Google

quod Deus rerum omnium ingenium ac facultates perſpectas habens vereretur, ne ſi illius arboris fructu veſcerentur, tantam rerum omnium ſcientiam conſequerentur, vt Deorum quorundam inſtar haberent. *Scit enim Deus*, inquit, *quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Quod quàm verum eſſet, exitus ſatis oſtendit. Geneſ. 3. 1.

8 Tandem, quia legibus omnia complecti non poſſumus, nec fortè, ſi poſſemus, expediret, veteribus receptiſque conſuetudinibus ſuus honos habendus eſt, illiſque tanquam non temere inductis inſiſtendum, curandúmque vt ſartæ tectæ in Republ. cuſtodiantur. Nam ſi cum ipſa lege conſuetudo componatur, quamquam illi concedit in multis, in aliquibus tamen hæc illi præſtare deprehendetur. Legem enim aut vnus duntaxat, aut pauci, qui in varias ferme ſententias diſtrahuntur, certè non omnes ferunt. At conſuetudo omnium vſu & moribus vſurpatur. Lex pœnis, quas intentat, armata ſibi ciues obtemperare compellit: conſuetudo blandè hominum ſubit voluntates, mentibúſque ſibi conciliatis, quæ fieri vult, vt etiam fiat perſuadet. Lex vno Principis verbo antiquatur & reſcinditur, conſuetudo difficiliùs à ciuium abſtrahitur complexu, fitque nonnunquam, vt quantumuis Principes obnitantur obtineat. Leges tandem obſcuræ plerumque ſunt, multiſque prauis explicationibus patent. Conſuetudo aperta eſt, & perſpicua, vt nullus illius obtentu alterum circumuenire, aut fucum illi facere poſſit. Itaque reperimus conſuetudines quaſdam longò vſu confirmatas, eandem ferè vim quam leges obtinuiſſe. Exemplum ha-

Quadã de conſuetudinibus.

bemus in ea, quam facto ſuo Dauid, ac deinceps perpetuò militaris caſtrorum mos retinuit, vt ſcilicet ij milites, qui ad cuſtodiendas ſarcinas ſediſſent in caſtris, non minùs eſſent participes prædæ quàm ij qui cum prodiſſent in expeditionem, pericula adiſſent, ſuoque ſudore, aut etiam
1.Reg.30. 25. ſanguine prædam illam peperiſſent. *Et factum eſt,* inquit Regum hiſtoria, *ex die illa & deinceps conſtitutum & præfinitum, & quaſi Lex in Iſraël, vſque in diem hanc,* vt ſcilicet, *æqua pars eſſet deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, ſimiliterque diuiderent.* In ſacra etiam Euangeliorum hiſtoria habemus eam fuiſſe Hieroſolymis conſuetudinem, vt quot annis, cum dies ſolemnis Paſchatis reuolueretur, vnum aliquem Præſes populo liberum
Matth.27. 15. à carcere dimitteret, quem ipſi poſtulaſſent. *Per diem autem ſolemnem*, inquit D. Matthæus, *conſueuerat Præſes populo dimittere vnum vinctum quem voluiſſent:* quæ conſuetudo ad publicam feſti illius diei lætitiam augendam inuenta eſt; Plurimum enim populus lætatur, ſi vel vni periclitanti ſalutem afferre poſſit, qui tam inſignis beneficij auctorem populum agnoſcat, & quandiu vixerit prædicet, quanquam laudabili conſuetudine in Chriſtū Dominum à Phariſæis, Scribiſque concitatus populus abuſus eſt, cum nocentiſſimum Barrabam, plurimiſque & grauiſſimis ſceleribus coopertum liberum dimitti voluit; eum verò qui adeo nullum crimen aut noxam admiſerat, vt etiam eſſet de multis priuatim, & de vniuerſo populo optimè meritus, vt ſibi ad mortem dederetur, poſtulauit. Laban tamen, qui genero ſuo Iacob, pro Rachele quam adamauerat, & vt ſibi in vxorem daretur poſtulauerat, Liam natu grandiorem

Digitized by Google

diorem ſuppoſuit, quantumuis conſuetudine ſuæ gentis ſe ſatis excuſatum putaret, dicebat enim. *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores antea tradantur ad nuptias*, violatæ fidei iniuriæque Iacobo impactæ crimen non euaſit, nam tunc demum laudabiliter conſuetudinem, quam obtendebat, ſeruaſſet, ſi nulla interueniente fraude de Lia cum ipſo matrimonio iungenda tranſegiſſet, nec contra quàm naturæ leges poſtulant, fidem fefelliſſet, & Liam filiam, nullo matrimonij vinculo intercedente, proſtituiſſet potius, quam legitimo iure Iacobo quid ageretur ignoranti coniunxiſſet. Tunc enim conſuetudo in abuſum degenerat, cum aduerſus naturæ iura molitur aliquid, aut contra id quod diuinis legibus eſt conſtitutum, quas totius Reipubl. conſentientis auctoritas (vtpote ſupremi Principis Dei voluntate latas) abrogare non poteſt. Geneſ. 29. 26.

De Ciuitatis condendæ ſitu, aliiſque eodem ſpectantibus.

CAPVT V.

1 SI vlla res alia Principum nomen illuſtrat, eorúmque famam propagat, & ad poſteros tranſmittit, ea eſt conſtructio ciuitatis, ſi opportuno loco ſita, ſi ædificiorum deſcriptione elegans, ſi ciuium multitudine celebris fuerit; veriſſimè enim dictum eſt ab Eccleſiaſtico. *Filij & ædificatio ciuitatis confirmabit nomen*. Quemadmodum enim qui filios genuit, etiam ſi fato ipſe

Glorioſum eſſe Principi ciuitates condere.

Eccleſ. 40. 19.

conceſſerit, in liberis tamen ſuperſtitibus expreſſam ſui reliquit imaginem, iuxta eiuſdem Sapientis dictum, cuius illa ſunt verba, *Mortuus eſt Pater, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Ita qui ciuitates fundarunt, legibúſque datis vniuerſæ politiæ ſtatum conſtituerunt, inſtar parentum habent, & à ciuium illorum pietate perpetuos honores ferunt. Itaque poſt terræ eluuionem, quæ ſub Noe fuit, cum hominum familiæ plurimæ eſſent, & quæ ex iis naſcebantur capita propemodum eſſent innumerabilia, adeo vt eos vnius regionis fines complecti non poſſent, cum de aliis quærendis ſedibus conſilium agitarent, antequam alij ab aliis ſepararentur, de ciuitate condenda, ad tantæ rei memoriam celebrandam, ſtatuerunt. *Dixitque alter ad proximum ſuum* (inquit Scriptura) *Venite, faciamus lateres & coquamus eos igni. Habuerúntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cemento, & dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras.* Facit enim ad celebritatem nominis, quam quærebant, conſtructio ciuitatis, quanquam illi pro gloria quam impotentiùs affectauerant, arrogantique conſilio vrbis moliendæ, illorum cæptis reſiſtente numine, ſuperbiæ infamiam conſecuti ſunt. Nec diſſimilis Princeps ille, cuius ſuperbia deſcribitur in libro Iob, de quo præter cætera, qua ſuperbiæ, qua potentiæ ſuæ argumenta, quæ illic enumerantur, illud etiam dicitur. *Habitauit in ciuitatibus deſolatis, & in domibus deſertis, quæ in tumulos ſunt redactæ*: cuius loci ſententia eſt, Principem illum pro ſua potentia vrbes euerſas, & ſolo æquatas inſtaurare, &

Eccleſ. 30. 1.

Geneſ. 11. 3.

Iob 15. 28.

Digitized by Google

& prætorio ac palatiis Regio ſumptu, ac magnificentia excitatis ibi ſedem figere, vbi prius vaſtitas fuerat, & ſolitudo. Quàm autem glorioſum eſt Principi, ſi dirutam ciuitatem, in qua, vt Iſaias loquitur, *requieſcebant beſtiæ, & replebantur domus draconibus, & in qua ſtruthiones habitabant, & ſaltabant piloſi, & reſpondebant vlulæ in ædibus, & ſirenes, in delubris voluptatis*, egeſtis ruinis, tectiſque excitatis primam faciē ciuitati inducat, & à ſumma vaſtitate & ſolitudine ad celebritatem, frequentiamque traducat? In huiuſmodi ciuitates optimè conuenit, quod Iſaias habet quodam loco. *Primo tempore,* inquit, *alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali, & nouiſſimo aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in Regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Ex Hebræo vertit Forerius. *Primo tempore vilis fuit terra Zabulon, & nouiſſimo honorata fuit via maris.* Quemadmodum enim regiones illæ, de quibus loquitur Iſaias, ignobiles prius fuerant, ſed poſteaquam Apoſtolos genuerant, quorum ſonus ex illis egreſſus regionibus in omnem terram exiuit, & vſque ad fines terræ ingentem gloriam ſunt conſecutæ: ita ciuitates quæ raro fuerint habitatore ſemirutæ, ſi Principum induſtria ad magnam perueniant frequentiam & celebritatem, cum prius eſſent quaſi vmbra mortis ſepultæ, caput exerunt, & incolarum multitudine & opulentia, quaſi lucem aſpiciunt. Ex quo magnum in Principem decus redundat, nam vt eſt in Prouerbiis Salomonis. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.*

Iſa. 13. 21.

Iſai. 9. 1.

Prou. 14. 18.

De ſitus ſalubrita-

2 Illud autem primò curandum eſt, ſi noua aliqua

[Lo]c in quo [l]ocanda ciuitas. qua ciuitas conſtituenda ſit, vt ſaluberrimus locus eligatur, is autem erit excelſus non nebuloſus, regionéſque cœli ſpectans, non æſtuoſas, neque frigidas ſed temperatas; cum enim calores aut frigora nimia ſunt, vitia corporibus infunduntur; temperatæ verò regiones, vt corporibus ſalubres, ita mentis functionibus exercendis ſunt accommodatæ: Paludes autem præſertim vitandæ, quæ ex ſtagnantibus & inertibus aquis graues & peſtilentes emittunt auras, quæ. cum in adiacentes ſparguntur ciuitates, mirum quantum corporibus nocent; quod ſi ea cautio ratione carentibus animalibus à natura ipſa tributa eſt, vt ſalubribus & temperatis loca mutent inſalubria, & quæ aut nimio frigore laborant aut æſtus intolerando vapore aduruntur vt in ciconiis, hirundinibus, turturibuſque videmus, de quibus ita loquitur Ieremias, *Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus ſui*, quæ hominum ſit ſtultitia, ſi ea ſedibus figendis eligant loca, in quibus aut caloribus nimis coquantur corpora, aut frigoribus aſſiduis torpeſcant, vitæque incommodis viuendi curſum contractiorem faciant? De præclara ciuitate Ieruſalem, ita loquitur Dauid. *Fundatur exultatione vniuerſa terra mons Sion, latera aquilonis, ciuitas Regis magni.* Pagninus vertit. *Pulcher climate gaudium vniuerſa terra*: & ſenſus eſt, eam ciuitatem præclaro in tractu, regione, loco ſcilicet amæno ſalubri & vbere, collocatam eſſe, & ſanè ita fuit; nam non in ſaluberrimo tantum tractu poſita erat, ſed etiam in monte, quod ad munitionem, ſalubritatem aëris, proſpectuſque delectationem facit, & in terræ Chanaam vmbilico;

[I]ere. 8.7.

[P]ſalm. 47. 1.

quare

quare etiam appellatur ab Ezechiele. *Vmbilicus terræ.* Itaque S. Dauid canit in Pſalmis *fundamenta eius in montibus ſanctis*; quod nimirū non vnius montis vertice eſſet ſuffulta, quod vt dixi ad munitionem facit, nam greſſu in aduerſum ſubeuntibus, ac proinde fatigatis pauci de ſuperiore loco facilè obſiſtunt, vimque illatam nullo negotio propulſant. Itaque Saul cum Dauidem montis cacumina tenere audiuiſſet, expeditiſſimam militum deligit manum, ex vniuerſis copiis, qui robore & leuitate membrorum præſtantes, & animorum ardore ſtrenui, alacreſque ad Dauidem aſcendere non dubitarent. *Aſſumens ergo Saul,* inquit Scriptura, *tria millia electorum virorum ex omni Iſraël perrexit ad inueſtigandum Dauid, & viros eius, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus perviæ ſunt.* Quod autem in regionis illius medio ſita eſſet Ieruſalē, non vno teſtimonio Scripturæ probari poteſt. Legimus enim apud Ezechielē. *Iſta eſt Ieruſalem, in medio gentiū poſui eam, & in circuitu eius terras.* Et in Pſalmis. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Chriſtus ſcilicet Dominus noſter, qui extra illius ciuitatis mœnia Crucem, noſtram ſalutem operatus, aſcendit: nec tantum in medio terræ Chanaam ſita eſt Ieruſalem, ſed medium etiam locum obtinet inter eas regiones, quas olim antiqui cognitas habuerunt, adeo vt ſi circini pedem alterum Ieroſolymis figas, alterum ad extrema vſque Africæ littora porrigas, fiet, vt illo circumacto, omnes ferè priſcis illis temporibus cognitæ regiones concludantur. Habent autem, quæ ſic poſitæ ſunt ciuitates eam vel maximam opportunitatem, quòd propter eam quæ cum cæteris ciuitatibus intercedit vicinitatem, bona quibus

Ezech. 38. 12. Pſal. 86. 1. 1. Reg. 24. 3. Ezech. 5. 5. Pſalm. 73. 12.

bus abundant cum illis communicant, ea verò quæ deſunt, ab illis abundè ſuppeditantur. Qua de re nonnulla dicta ſunt, cum de mercatura diſputaremus.

An potiores ſitus earum vrbium, qui ora maris adiacent.

3 Eadem de cauſa ditiores vt plurimùm ſunt eæ ciuitates, quæ mari adiacent, cuiuſmodi Tyrus erat, quam à diuitiis, ex negotiatione paratis, & ab inſtitorum incolarumque frequentia, mirum quantum ſacra ſcriptura celebrat apud Ezechielem. Quanquam ſunt qui potius laudent earum
Ezech. 27. 3. ciuitatum ſitus, quæ paululum recedunt à mari, nam negotiatorum, exterarumque gentium colluuione, quanta in maritimis cernitur ciuitatibus non polluuntur, per quos, mores ſi non praui ſaltem exotici & peregrini importantur, & tamen iis non deſtituuntur cōmoditatibus, quibus illi fruuntur, qui tractus mari imminentes
Iſa. 37. 22. incolunt. Talis Ieruſalem, quam propterea *Virginem* Prophetæ non ſemel appellant, quod alienigenarum gentium moribus corrupta non eſſet, cum tamen rebus omnibus abundaret, quæ mari aduehuntur, ſub Salomone præſertim Principe, qui claſſibus in varias regiones deſtinatis non ſolum res ad victum cultumque neceſſarias, ſed ad omne deliciarum genus opportunas Ieroſolymam inuexit. Si tamen bellicis commoditatibus agamus, quæ mari adiacēt ciuitates, & ad reſiſtendum munitiores eſſe ſolent, cum facilius tanto aquarum interiectu arceantur hoſtes, & ad nocendum ſi fortè aliis bellum inferre neceſſitas cogat, opportuniores; quippe quæ non terra tantum militem in expeditionem emittere, ſed claſſibus etiam inſtructis hoſticas regiones infeſtas habere poſſunt. Hinc apud Iſaiam Tyrus dicitur

Digitized by Google

citur *Fortitudo maris*, quòd à vicinitate maris, & ad ſe tuendam, & ad alias ciuitates inuadendas eſſet inſtructior. Iſai.23.4.

4 Quod ſi præter maris vicinitatem illud etiam adſit, quod ſolo vbere & pingui vrbs noſtra ſit poſita, plurimum ſanè commoditatis acceſſerit, quantumuis enim aliunde importatæ diuitiæ in celebri aliquo emporio abundent, tamen quia bellis interdum, aut aliqua ratione intercluditur mare, multis premi anguſtiis neceſſe eſt ea loca, quæ nec naturalibus regionis diuitiis redundant, nec aliunde aduectis mercibus gaudere poſſunt. Itaque Hieruſalem præter cæteras laudes, quæ in eam conueniunt, à glebarum etiam fœlicitate commendationem habuit, ſolique feracitate, dicente Domino apud Prophetam. *Vinea facta eſt dilecto meo, in cornu filio olei*, in Paleſtinæ ſcilicet tractu, qui ſi figuram ſpectes, cornu refert: filio autem olei, id eſt pingui & olei abundantia redundante. In huiuſmodi autem ſolo habitantibus, *Omne robur panis, & omne robur aquæ*: vt eſt apud Iſaiam; Quidquid ſcilicet ad victum neceſſarium eſt (quod panis & aquæ nomine vſitato ſcripturæ loquendi ſchemate nuncupatur) ſemper adeſt, cum interim, qui aridis locis conſederunt, rerum penuria frequenter laborare conſueuerint.

Pingue ſolum, & vber vrbi ponēda deligendum.

Iſai.5.1.

Iſai.3.1.

5 Quærat aliquis quis magnitudinis modus in condenda ciuitate ſtatuendus ſit, ampláne, an anguſtis finibus circumſcripta eſſe debeat. Huic quæſtioni facilis eſt reſponſio. Dicendum enim eſt pro populi illas habitaturi frequentia, vrbes aut laxiores eſſe debere, aut murorum ambitu contractiores. Si populus cui ſedes paratur, magnus

Quam ampla ciuitas eſſe debeat.

Digitized by Google

gnus ſit, ſi ſolum vber, ſi locus portuoſus vnde aduenarum frequentia ſperetur, magnæ etiam capacitatis, vrbes extruendæ ſunt. Contra ſi paucorum colonia deducenda ſit, ſi ſteriles campi, ſi locus remotus à mari, paucos euocet peregrinos, breuiori murorum gyro contenti eſſe poterimus. Quanquam raro accidit vt vniuerſæ ciuitati ſimul condendæ deligatur area, viæ ac plateæ, domus & prætoria, pontes & templa, aliæque illius partes ſimul omnes deſcribantur, ſed incolarum paulatim creſcente numero, nouæ ſubinde domus & palatia excitantur, donec ad ſummam frequentiam, & amplitudinẽ perueniatur. Quamuis enim legamus in Scripturis exẽpli gratia Ecbatana ciuitatem ab Rege Medorum excitatam, murorum ambitu ſeptam, turribuſque in miram altitudinem eductis munitam eſſe, ita enim narratur initio libri Iudith. *Arphaxad itaque Rex* (Iudith. 1. 1.) *Medorum ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo, & ipſe ædificauit ciuitatem potentiſſimam, quam appellauit Ecbatanis, ex lapidibus quadratis & ſectis, fecit muros eius in latitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta, turres verò eius poſuit in altitudinem cubitorum centum:* Sitque probabile Regem illum multas bello ſubiugatorum hominum myriadas in eam compuliſſe, quod verba illa videntur indicare, *Rex Medorum ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo:* non tamen facilè adducor vt credam ab Arphaxad planè inchoatam eſſe, ſed inſtauratam potius, amplificatam, mœniúmque ambitu munitam fuiſſe ciuitatem; ita tamen, vt illius aliquod priùs veſtigium eſſet. Quo etiam ſenſu à Nabuchodonoſor Rege dictum eſt apud Danielem. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego* (Dan. 4. 27.) *ædifica*

ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Et in libro Geneſeos cum dicitur. *De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuem & plateas ciuitatis, & Chale. Reſen quoque inter Niniuem & Chale. Hæc eſt ciuitas magna.* Quantam enim eſſe oporteret Principis illius potentiam, qui ingentis vaſtitatis ciuitatem ab ipſis fundamentis moliri, & cum nullum eſſet illius rudimentum, perficere poſſit, qualem nobis ſacræ litteræ deſcribunt, cum de Niniue loquuntur, quam trium dierum iter habuiſſe ex ſacra diſcimus hiſtoria, quæ profectò ingens eſt amplitudo, ſiue triduo tantùm poterat circuiri, ſiue (quod magis eſt, ſed planè videtur ſuperare fidem) à porta ad oppoſitam portam per mediam vrbem tranſeundo trium duntaxat dierum ſpatio perueniri poterat: ſiue tandem (quod verius eſſe puto) totam vrbem, vel certè præcipuos vicos & fora perambulare volenti, trium continentium dierum tempus erat neceſſarium, quod maximam quidem vrbem fuiſſe oſtendit, non tamen portentoſæ, & vix cuiquam credibilis magnitudinis, qualem duo illi priores dicendi modi videntur exhibere? Temeritas autem ſit, tam ingentes excitare ſtructuras & moles, priuſquam experimento didiceris ſalubre ne ſit, an graue cœlum, opportunum ne culturæ ſolum an ineptum, commodum an incommodum peregrinis & ciuibus: vix enim fieri poteſt, vt humano conſilio omnia præcaueamus, & præcipiamus locorum incommoda, & vicia, quæ paulatim experiendo ipſo tandem temporis curſu ſentiuntur.

Geneſ. 10. 11.

Ionæ 3.3.

De figura an ſcilicet quadrata, vel potius rotunda.

6 Sed quæ figura vrbis, quadrata-ne an rotunda aptior erit? Magis placet ſi quadrata non ſit,

neque angulis procurrentibus, vt ſcilicet ex pluribus locis hoſtis (ſi quando obſidione eam cinxerit) conſpici poſſit: in quibus enim anguli procurrunt, ea ciuitas difficiliùs defenditur; quod anguli magis hoſtem quàm ciuem tueantur. Ideo circularem formam in metandis caſtris aliis prætuliſſe videtur Saul, nam de Dauide à paſcuis properante ad exercitum, in quo fratres eius militabant, dicitur, *Venit ad locum Magala, & ad exercitum.* Magala Hebraicè circulum ſignificat, eóque nomine, ſi loci proprium nomen non eſt, caſtra orbiculari forma contra hoſtes munita deſignantur. Quod ſi quis eam ciuitatem opponat, quæ D. Ioanni viſa eſt in Apocalypſi, dequa ita ſcribit. *Et ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt quanta & latitudo.* Facilis eſt reſponſio. Nam ibi de Beatorũ ciuitate ſermo eſt, quam nulli bellorum tumultus concutiunt, quæque nihil ab hoſtibus timet extra omne periculum poſita, aliam fortè faciem, figurámque habitura ſi militantis & ſe ſe ab hoſtibus aſſerentis typo deſcriberetur.

1. Reg. 17. 10.

Apoc. 21. 16.

De nomine vrbi imponendo.

7 Tandem vrbi nomen aliquod apponendum eſt, vt vel ab ipſo auctore nomenclaturam ſortiatur, vel aliud nanciſcatur, quod fauſti ſit ominis. Et quidem ab auctoribus dictæ ſunt multæ, quarum Scriptura meminit, ab Romulo, Alexandro, Antiocho, Seleuco; Roma, Alexandria, Antiochia, Seleucia. Putant enim Principes, nec immeritò ad nominis ſui celebritatem facere, ſi amplarum ciuitatum conditores ipſi dicantur, & quoties vrbis illius nomen vſurpatur, rerum ab ipſis geſtarum memoria renouetur. Itaque Abſalon cum nullos liberos genuiſſet, ſibi ad nominis peren

perennitatem arcum triumphalem aut pyramidem excitarat, ne vllo vnquam tempore Abſalonis memoria poſſet obſoleſcere. *Porrò Abſalon*, dicitur in Regum hiſtoria, *erexerat ſibi cum adhuc viueret titulum, qui eſt in valle Regis. Dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei; vocauitque titulum nomine ſuo, & appellatur manus Abſalon vſque ad hanc diem.* Quod verò fecit Abſalon etiam reliqui faciunt Principes, cum ſe ſe obtulerit occaſio. Quare de iis omnibus canit S. Dauid. *Relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum, domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie, & progenie vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* Quorum verborum ſenſus eſt, Potentes viros cum extinguuntur, diuitias & theſauros, quos congeſſerant aliis relinquere, eorum verò cadauera exigui alicuius conditorij anguſtiis contineri, illudque ipſis pro tabernaculo, imò pro domicilio & palatio futurum, quamuis nomen illuſtre ſupereſſe poſſit, variáque variis locis rerum geſtarum monimenta, epigraphæ marmoribus inciſæ, pyramides vrbeſque de conditorum nomine appellatæ. Quod ſi magis placeat nomen aliud indere, quod ab Ædificatoris nomine deductum non ſit, illud videtur ſeruandum vt boni ſit ominis, aut certè in oppidum illud, propter ſoli, aut cœli proprietates, aut propter vbertatem camporum, frequentiamue incolarum, aut aliquid ſimile egregiè conueniat. Id à veteribus Hebræis frequenter videmus vſurpatum. Nam Bethania *obedientiæ domum* ſignificat; Bethleem *domum panis*; Ephrata, *vbertas, ſiue frugifera*; Hauoël-Iair *oppida illuminationis*; Corozain, *myſterium*; Cariath Sepher, *ciuitas litterarum*; Ieruſa-

2.Reg.18. 18.

Pſalm.48. 12.

lem *viſio pacis*, ſeu *pulchritudo pacis*. Nam Hebræorum eſt conſuetudo, vt cum pulchrum aliquid ſignificare volunt, frequenter videndi, aut viſus vocabulo vtantur; ea enim eſt pulchri facultas, vt oculos rapiat, & conuertat ad ſe ſe. Itaque in

Geneſ. 2. 9. Geneſi dicitur. *Produxit Dominus Deus, de humo omne lignum pulchrum viſu.* Et alibi dicitur, eodem

Geneſ. 12. 11. tamen libro. *Noui quod pulchra ſis mulier*: in Hebræo eſt, *Scio quòd ſis mulier pulchra viſu.* & alibi quod in vulgata legimus. *Aſcendebant ſeptem boues pulchræ & craſſæ, aliæ quoque ſeptem fœdæ*: In Hebræo eſt. *Vaccæ pulchræ viſu*, & *Vaccæ malæ viſu.* Ex hoc ergo factum eſt, vt vox viſum ſignificans, pro ipſa accipiatur pulchritudine, & apud Italos noſtros, qui pulchri ſunt, à viſu dicuntur Viſtoſi. Quare quod in hiſtoria Regum dicitur de Ba-

2. Reg. 23. 21. naid, *Ipſe quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum ſpectaculo*, ex Hebræo verti poteſt. *virum*

Iſai. 53. 2. *viſu.* & quod legimus apud Iſaiam. *Vidimus eum, & non erat aſpectus*: ex Hebræo bene vertas. *Non erat viſus.* Ex quibus intelligitur, Ieruſalem nomen ſignificare *viſum, viſionem*, ſiue *pulchritudinem pacis*, vt ipſa vocis etymologia illud videatur ſpondere, quod Iſaias clariùs pollicitus eſt, cum

Iſai. 32. 18. ait. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* &

Iſai. 66. 12. alibi. *Declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis.* & in Pſalmis. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.*

An

An Peregrini in ciuitates admittendi, & an Ciues deductis coloniis aliò ablegandi.

CAPVT VI.

1 QVæri meritò poteſt futurus ne ſit in bene conſtituta Republ. Peregrinis locus; videmus enim nationes aliquas inter ſe quietiſſimè agere, reliquorum verò mortalium cætus refugere, & commercia abnuere, nec intra ſuos fines peregrinos pati;adeò vt ſi quis externus in eorum ciuitates pedes intuliſſe prehenſus fuerit, ea res homini illi ſit capitalis. In Republ. quidem Hebræorum, vt hinc exordiamur; non ſolùm aduenis erat locus, ſed magnum etiam eorum numerum in ea aliquando fuiſſe comperio, vt ſub Dauide, ac Salomone, cùm Iſraëlis Regnum maximè floruit; nam in ſecundo Paralipomenon libro dicitur. *Numerauit Salomon omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſraël, & inuenti ſunt centum quinquaginta millia, & tria millia ſexcenti.* Hos autem omnes ætate,& viribus integris fuiſſe neceſſe eſt ;nam laborioſiſſimo operi, ad lapides ſcilicet in montanis latomiis cædendos,& ad onera conuehenda, Regis imperio deſtinati ſunt, dicitur enim eodem loco, *Fecitquè ex eis ſeptuaginta millia qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent, tria autem millia, & ſexcentos præpoſitos operum populi.* Oportet autem ex eodem genere ſenes multos, infantes, mulieres,

An Peregrini in vrbem admittendi, aut aliqua occaſione ſiue pacis ſiue belli tempere eiiciendi.

2.Paral.2. 17.

Ibid.n.18.

Digitized by Google

& inualidos fuiſſe, qui hoc numero non cenſerentur. Hi ergo aduenæ, ſiue proſelyti, quanquam ſe ſe aggregarant Iudæis, & circuncißione conſignati eorum ſacra, religionemque ſuſceperant, tamen, vt nomine diſtinguebantur, vt apparet ex illa S. Lucæ enumeratione, in qua dicitur: Act.2.11. *Iudæi quoque & proſelyti.* ita etiam iure æquales non erant: nam iſti in terra promißionis nec agrorum poſſeßiones adipiſci poterant, quæ veris tantùm Iſraëlitis cedebant per tribus & familias; nec ad Reipubl. honorifica munia adſpirare, quorum ij tantùm participes erant, qui Iſraëlitici ſeminis prærogatiua gauderent. Quanquam autem hoc vt plurimum ſeruaretur, vt ſcilicet ab adminiſtranda Republ. aduenæ, ſiue proſelyti arcerentur, probabile tamen eſt aliquos peculiari priuilegio admiſſos, quos vel perſonæ dignitas, vel promerita in Iſraëlem, vt id conſequerentur dignos reddidiſſent. Talis videtur Achior ille, ex Ammonitarum natione, quæ gens licet ordinaria Dei lege prohiberetur, ne vnquam in Eccleſiam Dei, hoc eſt in publicorum munerum communionem venire poſſet, vt ex Deuteronomio (Deut.23.3.) diſcimus, populo tamen Dei aggregatus eſt, & non ſolùm ciuitatis iure donatus, ſed etiam vt probabiliter ſentit D. Thomas, & cum eo Serrarius noſter, vt populi honores gerere poſſet; quod (D.Th.1.2. q.105.a.3. Serrar. in c.14.Iud.) nimirum Ammonitarum Ducem, domi ſuæ potentem, & opulentum, de Iudæis, eorumque Deo coram Holopherne in omnium Principum conſpectu fortiter, & honorificè locutum, modis omnibus ornare rationi conſentaneum videretur. Sed hoc vt dixi Achiori ex priuilegio indultum eſt, & fortè aliis poſtea eiuſdem conditionis, aut

meriti:

meriti : & ſanè ſi hoc non licuiſſet, quomodo Phariſæi tam intenta cura proſelytos facere ſtuduiſſent, gentilibus ad Iudæorum ſacra traductis, quibus procliue fuiſſet cum vrgerentur, humilem in ea Republ. proſelytorum conditionem, qua deterrerentur, obiicere? Non tamen negauerim ferè pauperiores fuiſſe proſelytos, & aduenas, abiectioriſque fortunæ: quod ex eo colligitur, quod exigua fortè aliqua ſtipe ad vitam tolerandam aſſignata à Salomone ad onera portanda deputati ſunt, vt ſupra ex Paralipomenis diximus, cum interim Iſraëlitæ diuitum & ingenuorum more bene haberentur; ita enim legimus in hiſtoria Regum. *De filiis autem Iſraël non conſtituit Salomon ſeruire quenquam, ſed erant viri bellatores & miniſtri eius, & Principes, & Duces, & Præfecti curruum & equorum, &c.* Quodque in Deuteronomio cum pauperibus viduis, ac pupillis aduenæ cenſerentur, ſiue in terra Iſraël ſedes fixas haberent, ſiue in ea peregrinarentur, patriam poſtea repetituri: vtroſque enim vox Hebræa גר & Græca *προσήλυτος* complectitur, quibus ad inopiæ ſolatium concedebãtur manipuli à meſſoribus per obliuionem in agro relicti, oliuæque & racemi, qui in oliuetis & vinetis collectorũ manus effugiſſent. Hæc ergo aduenarum conditio fuit in Hebræorum Republ. Quod ſi iam quæratur vniuerſim admittendi ne ſint, aut quod barbaris aliquibus placere dicebamus, procul habendi peregrini: Reſpondeo duplex tempus diſtingui poſſe, belli alterum, alterum pacis, & ſanè cum hæc contigerit quid pulchrius eſſe poteſt, quam conuenarum vndique confluentium multitudo, qui aut mercaturam exercentes, cibaria, veſtes, domeſticæ

3. Reg. 9. 22.

Deut. 24. 19.

ſuppellectilis, aut bellici apparatus inſtrumenta, in ciuitates importare conſueuerunt, aut alia aliqua honeſta de cauſa ciuitates illas incolentes, artificiis, induſtria, profeſſione diſciplinarum, pecuniis allatis publico commodare ſolent, quibus rebus cum abundant ciuitates, nihil deſiderare poſſunt eorum, quæ ad vitam propagandam, imò ad eam fæliciter ac beatè traducendam facere poſſunt. Hanc ob cauſam Tyrij, quos per Prophetam caſtigat Dominus, ſibi nimium quantum placebant, quòd Syri, Damaſceni, Carthaginenſes, aliæque nationes longiùs diſſitæ portum illum ſubirent, emporiumque frequentarent, ex quo fiebat, vt ciuitas opibus, potentia, deliciis etiam abundaret. Quare apud Ezechielem hæc
Ezech.27. 3. legimus. *O Tyre, tu dixiſti: Perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita. Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum*; quo loco Propheta latè inſtitorum peregrinorum multitudinem recenſere pergit, quorum diuitiæ & deliciæ cum Tyriis, in quorum ciuitatem inferebantur, communes fiebant. Nam finitimos populos ciuitatum proximarum euocare ſolet, mercatores quidem quæſtui faciendo imminentes lucri ſpes oſtentata, humilẽ verò plebem & obſcuram annonæ vilitas opportunitáſque earum rerũ parandarum, quibus vita ſuſtentatur. Quanquam verò peregrini nullam Reipubl. partem attingere debent, nec in curiam admitti, nec exercere ſolent iudicia. Quare
Geneſ.19. 9. Lotho dicebant Sodomitæ; *Ingreſſus es vt aduena, nunquid vt iudices?* Indulgeri tamen poteſt, & vero etiam ſolet in bene temperatis ciuitatibus, vt ſi multi gentis alicuius, præſertim mercatores, celebre aliquod emporium habitent, quia inter ſe frequen

frequenter agunt, exiſtuntque controuerſiæ quæ morum illorũ,& linguæ non ignaro diſceptatore indigent, quædam illis iudicia relinquantur, & ab ipſiſmet, vel à Principe vnus aliquis, vel plures nationis illius conſules aut iudices, qui cauſas cognoſcant, conſtituantur. Babylone captiui agebant Hebræorum plurimi, iis Rex permittebat vt ſuos haberent iudices, qui iuxta patrios mores, ac leges ius dicerent. Id ita ſe habuiſſe diſcimus ex Suſannæ hiſtoria apud Danielem, in qua legimus: *Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes iudices illo anno.* Dan. 13. 5. Quibus etiam capitalium cauſarum cognitio permiſſa videtur, quod Iudæis Romani concedendum non putauerunt, poſtquam Iudæa in prouinciam redacta eſt, & Roma miſſis Præſidibus cœpit gubernari. Atque propterea ſi Ruperto credimus, aliiſque ſententiam illius ſecutis Pilato dicente Iudæis de Chriſto, *Accipite eum vos; & ſecundum legem veſtram iudicate eum,* Ioan. 18. 31. *dixerunt Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam.* Quod ſi bellicus aliquis tumultus ingruerit, rurſus diſpiciendum arbitror, magnus ne ſit externorum numerus, meritóque formidandus, an modicus, & à quo nihil admodum incommodi rebus noſtris timere poſſimus; nam ſi pauci fuerint, ſi pacati, ſi armorum tractandorum imperiti, nullam video cauſam propter quam Regni finibus exigantur, imò plerumque accidere poſſe arbitror, vt pauci illi obſidium inſtar obtineant, fiatque vt aduerſarius Princeps ſuorum periculo deterritus (ne ſcilicet in ſuos quid grauius conſulatur) à violandis externis qui in ſuo Regno viuunt, abſtinere compellatur. Quod ſi magna ſit multitudo peregrinorum, ſi ingenia acria, parum

Digitized by Google

quieta, ſi rerum nouarum cupida, ſi rei militaris non planè rudia, tunc diligenter cauendum Principi putauerim, ne quid ab externis iſtis hominibus publica res detrimenti capiat. Itaque niſi illud euenerit, quod frequenter ſolet accidere vt

Iſai. 13.14. ſcilicet tempore bellici tumultus, *Vnuſquiſque*, vt loquitur Iſaias, *ad populum ſuum conuertatur, & ſinguli ad terram ſuam fugiant*, Principi cordi eſſe debebit, vt eos ſuis finibus pellat, aut certè numerum minuat, quo ciuibus ſuis ſecuritatem paret, eorumque conatus anteuertat, ne dicere cogatur

Pſal. 53.4. aliquando Dauidicum illud. *Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me*, viribuſque extrinſecus aduenientibus inteſtino malo adiutis extrema ciuitati pernicies concilietur, locuſque fiat Prophe-

Iſai. 25.2. tæ illius querimoniæ, qui dicebat. *Quia poſuiſti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum vt non ſit ciuitas.* Quod etiam timuit Pha-

Exod. 1.10. rao cum dicebat ſuis, *Venite, ſapienter opprimamus eum* (Iſraëlem ſcilicet) *ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, ex-*

1. Reg. 29. 3. *pugnatiſque nobis egrediatur de terra.* Recolendaque Satraparum Achis prudens ſententia, qui Dauidem cum Hebræis ſub externo Rege aduerſus ſuos merentem adeo ſuſpectum habuerunt, vt non prius de illo dimittendo Principem ſuum vrgere deſtiterint, quàm quod cupiebant effectum dediſſent. Sed fortè miretur aliquis, quamobrem Philiſtæi, qui Dauidis arma ſuſpecta habuerant, nec eum in caſtris hærere permiſerant, ne fortè cum ad pugnam ventum eſſet proditis Philiſtæis, Saulis partes adiuuaret, eum tamen in terram Philiſtæorum præſidio militum vacuam redire permiſerunt, nec timuerunt ne fortè dum ipſi

Digitized by Google

ipſi verſarentur in caſtris ipſe regionem vaſtaret ac diriperet, prædas ageret, ſtragemque latè daret imbellis turbæ, quæ domi remanſerat, viris bellatoribus in expeditionem egreſſis; nam quod Amalecitæ fecerũt, qui cum Dauidem abeſſe ſenſiſſent, *Impetum fecerũt ex parte auſtrali in Siceleg, & percuſſerunt Siceleg, & ſuccenderunt eam igni, & captiuas duxerunt mulieres ex ea, à minimo vſque ad magnũ;* 1. Reg. 30. 1.
Eandem opportunitatẽ nactus præſtare potuiſſet, præſertim tam inſigni iniuria Satraparum prouocatus, qui eum tanquam Regi parum fidum è caſtris exegerant; nec fortè minus placatum ſibi Saulem reddidiſſet, ſi aliam quampiam Regni Achis partem, turbis excitatis infeſtam reddidiſſet, nam & hoſtium caſtra, cura ac timore compleuiſſet, & copias Philiſtinorum in plures diſtraxiſſet partes, cum patria tecta quæ reliquerant, fumantia procul conſpexiſſent, cedeſque, quas hoſtilis furor perpetraret, animo coniectarent, ad auxilium ſuis ferendum accurrere coacti fuiſſent. Sed fortè prudenter Philiſtæi magis ſibi à Dauide timebant, ſi remaneret in caſtris, cum præſertim agmen vniuerſum clauderet, faciléque poſſet in Philiſtæorum terga cum Saule pugnantium mucrones diſtringere, qua etiam ratione Saulem ſibi magis reddidiſſet placatum, ſi ad eos occidendos viros, quibus Philiſtæorum ſtabat imperium opis aliquid cum maxima vrgeret neceſſitas contuliſſet. Nec adeo à militum præſidio deſtitutæ Philiſtæorum ciuitates erant, vt à ſexcentis viris ſibi timere poſſent, cùm præſertim mœnibus vndique cingerentur, vt facilè externam paucorum hominum vim propulſare poſſent, de regionis enim huius ciuitatibus legimus

in

Deut. 9. 1. in Deuteronomio eas fuiſſe *Ingentes, & ad cœlum vſque muratas:* Nec ſi oppidulum Siceleg, quod Dauidi tribuerat Achis, vt ibi cum ſuis moraretur, Amalecitarum incurſibus, & iniuriæ opportunum fuit, idem de aliis maioribus Philiſtæorum oppidis credendum eſt. Nam Siceleg ſolus Dauid cum ſuis incolebat, quibus ad bellum egreſſis propugnatoribus vacua Siceleg eſt relicta; at verò ciuitates reliquæ, vt frequentiores, ita etiam plurimis in bellicā expeditionem emiſſis, multi tamen hæſerant domi, qui ingruentem hoſtem propulſare poſſent.

2 Ad vrbes etiam amplificandas aſyla conducunt, de quibus quæri poteſt, an iure aperiri poſſint exulibus eiectitiiſque, qui patria propter patrata crimina, aut ob iuſtam Principis offenſionem exciderant, admiſſis & in tutelam etiam receptis, quòd Ægypti Rex cum Ieroboamo feciſſe videtur, qui cum à Salomone ſibi periculum imminere ſenſiſſet, *Fugit ad Seſac Regem, & fuit ibi vſque ad mortem Salomonis*, vt habemus in Regum hiſtoria. Et quidem huiuſmodi aſylis fauere videtur Deuteronomij lex, quæ eſt huiuſmodi. *Non tradas ſeruum Domino ſuo, qui ad te confugerit, habitabit tecum in loco qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requieſcet, ne contriſtes eum.* Sed lex iſta Deuteronomij de iis ſeruis accipienda eſt, qui quod malè habeantur à Dominis, eorum ſæuitiam fugiunt, tantiſper abfuturi dum ſe dominorum frangat indignatio, ad eos quorum poſſeſſio ſunt, cum ira ſubſederit, redituri. Sanè ſi Principes facinoroſos homines tueantur, iure timendum eſt, ne ipſi ad audendum proiectiores impunitate fiant. Adde paſſim cenſere omnes, iura legéſque amicitiæ

De Aſylis, an licita ſint.

3. Reg. 11. 40.

Deut. 23. 15.

Digitized by Google

amicitiæ violari, ſi eos quos Principes perduelles, aut infenſos experti ſunt, quique de Republ. malè ſunt meriti, Princeps alius, alioqui amicitiam profeſſus, apud ſe honeſtè habitos, ſecuros & impunes eſſe velit. Diuum Petrum Herodes detinuerat in cuſtodia, qui mox angeli miniſterio eductus, periculum euaſerat: commouit ea res Herodem, qui propterea *Tyriis, & Sidoniis iratus erat*, quod Petrum, quem læſæ maieſtatis reum ipſe faciebat, in ſuam ipſi fidem recepiſſent. Quare Sidonij & Tyrij interpoſita Blaſti gratia placatum Regem ſibi reddere ſtuduerunt, ne fortè duriorem ipſo irato annonam experirentur commeatibus, quibus indigebant, interclusis. Et tandem fœderis ea conditio fuit inter Romanos, & Iudæos his verbis concepta in Machabæorum hiſtoria, *Si qui ergo peſtilentes refugerunt de regione ipſorum ad vos, tradite eos Simoni Principi Sacerdotum, vt vindicet eos ſecundum legem ſuam.* Nec verò ſatis commoda videtur hæc ratio ad ciuitates augendas, nam ſceleſtos homines, & criminibus infames, quis credat fidos fore, & quietos ciues ſi in Reipubl. ſinum recipiantur? imò potius ſuſpectos Principi eſſe debere crediderim, ne ſi fortè bellicus aliquis tumultus exarſerit, vt ſuorum Principum gratiam ineant, & ad reditum in patriam ſibi viam muniant, noui aliquid moliantur in eorum perniciem, apud quos pacatè ad eam diem verſati ſunt, quo nomine apud Achis Regem Seth quantum poterant Satrapæ contenderunt, & verò etiam euicerunt, vt Dauid à caſtris procul haberetur, vt huius capitis initio dictum eſt.

Act.12.20.

1.Machab. 15.21.

1.Reg.27. 12.

An vtilis Coloniarũ deductio.

3 Sequitur, vt de Coloniis dicamus, quæ à veteri

veteribus multas ob cauſas excogitatæ ſunt, nimirum ad deuictos populos in fide & officio continendos, ad conſtituenda variis in locis Imperij propugnacula, ad remunerandos veteranorum militum labores, qui ætate ac laboribus fracti prædiolo aliquo publica auctoritate donati, poſt impetratam miſſionem in ſuo lare, quod vitæ ſupererat, quietè tranſigebant, ad ciuitatem vrbana plebe (tanquam ſanguinis miſſione in humano corpore facta) exonerandam, qua etiam ratione ſeditionibus occurrebatur, quæ cum hoc genus hominum corripuerunt, feruere violentiùs ſolent; tandem ad gentem illam augendam, qua coloniæ emittuntur. Quemadmodum enim arborum rami ab arbore aliqua deciſi, in magnas etiam ipſi euadunt arbores, cum fertili panguntur ſolo, quæ alioqui ad eam magnitudinem non excreuiſſent, ita pauci etiam homines, qui cum patriam colerent, mutuò ſe prementes creſcere non poterant, in varias diſtracti regiones, mirum quantum eo laxamento capiant incrementi. Huius rei luculentum habemus in Scripturis teſtimonium, nam vt canit S. Dauid, *Intrauit Iſraël in Ægyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham, & auxit populum ſuum vehementer:* tot verò hominum myriadum (nam cum cenſus in deſerto, illis ex Ægypto exeuntibus initus eſt, ſexcenta millia virorum ſuperarunt, iis in cenſum præteritis, qui aut vigeſimum annum non attigiſſent, aut maſculini ſexus non eſſent) ſeptuaginta quinque animæ, vt legimus in Apoſtolorum actis, ſtirps fuerunt. Nec terra tantam populorum varietatem, nacta eſſet, niſi poſt Noe diuiſæ fuiſſent gentes poſt diluuium, earum Principibus diuerſas regiones

Pſal. 104. 23.

Numer. 1. 45.

Act. 7. 14.

Geneſ. 10. 32.

nes petentibus, in quibus creſcente ſobole frequentiſſimæ ciuitates conditæ ſunt, terræque tractus incolarum multitudine celebrati. Porrò Coloniæ hanc Reipubl. afferunt vtilitatem, quod cum eiuſdem ſint nationis, eiſdemque legibus, ac moribus, quibus diuturno vſu aſſueuerunt, viuant, ſuæ genti magis fidæ, eiuſdémque cum ſuis à quibus originem ducunt factionis eſſe conſueuerunt, nec facilè in ritus ac mores alienos degenerare. Philippi ciuitas in Macedonia Romanorum erat colonia, de qua in actis Apoſtolorum ita legimus, *Inde venimus Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas Colonia.* Porrò in hanc ciuitatem cum D. Paulus veniſſet, diuinæque doctrinæ prædicatione ciuium animos commouere cœpiſſet, multíque vt ferè accidit orientis veritatis oſores extitiſſent, eam in primis obtendere cœperunt cauſam, propter quam nouitiam illam religionem, quam noui præcones circumferebant, ſuſcipere non poſſent, quod ſcilicet Romanorum genus eſſent, quibuſcum ſanguinis propinquitate coniuncti, cultu etiam religionis ſimiles eſſe debebant nouis ſacris, quæ inculcabantur planè repudiatis; ita enim loquebantur: *Annuntiant morem, quem non licet nobis ſuſcipere cum ſimus Romani.* Itaque Aſſyriorum Rex cum anno nono Oſeæ Regis Samariam cepiſſet, Iſraëlitarúmque populum in Aſſyrios tranſtuliſſet, ne ſcilicet ampliùs rebellare poſſent, aut tumultuari, colonias ſuorum in Regnum Samariæ deduxit, vt illud magis fidum, pacatum, dictóque audiens haberet. *Adduxit autem*, inquit Scriptura, *Rex Aſſyriorum de Babylone, & de Cutha & de Auah, & de Emath, & de Sepharuaim, & collocauit eos in ciuitatibus*

Act. 16. 21.

4. Reg. 17. 6.

Ibid. n. 24.

Digitized by Google

tatibus Samariæ pro filiis Iſraël qui poſſederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius: & ſanè illi conſilium proceſſit, nam adeò coloni iſti à Regum Aſſyriorum, Chaldæorum, Medorum, atque Perſarum fide non defecerunt, vt etiam pro illorum tuenda ditione, arcendiſque Iudæis, vt Principibus ſuis gratificarentur, plus æquo ſoliciti fuiſſe reperiantur. Nam cum duæ tribus, Iuda ſcilicet & Benjamin de Babylone reuertiſſent, vrbiſque Ieruſalem mœnia, qua denuo moliri, qua collapſa reſtaurare cæpiſſent, ſuper hoc Regi Artaxerxi, cui ſuam fidem probare cupiebant, ſcripſerunt, qua in epiſtola hæc inter alia leguntur. *Nos memores ſalis, quod in palatio comedimus, & quia læſiones Regis videre nefas ducimus, miſimus & renuntiauimus Regi*; nec prius ædificatione prohibere Iſraëlitas deſtiterunt, quàm ſuo reſcripto Rex & Iudæis ciuitatis ædificandæ, poteſtatem faceret, & ipſi quietem agere iuberentur.

1.Eſdr.4.14.

Beneuolentiam populi, ſubditorúmque, Principem ſibi conciliare debere.

CAPVT VII.

Beneuolẽtiam populorum parari moderatione imperij. & lenitate agendi cum ſubditis.

1 INter præcipua Regni præſidia meritò beneuolentia populorum in Principem numeranda eſt, quos quia nec armis cogere, vt ament, nec eorum beneuolentiam auro parare poſſumus, ſed fide, officio, imperandíque moderatione, & lenitate,

lenitate, aliiſque artibus nobis conciliamus, paucula quædam attingenda ſunt, ex quibus intelligere poſſit Princeps, qua ſibi ratione ad eorum voluntates demerendas viam munire poſſit. Quáuis ergo Principi neceſſaria ſit maieſtas, de qua ſuperiore libro ſatis diſputatum eſt, ab ea tamen ſi amari velit, faſtus omnis, ſuperbáque oſtentatio remouenda eſt, cauendúmque ne populi meritò ſuſpicari poſſint Principem typho poteſtatis inflatum, alios præ ſe contemnere, aut etiam auerſari, ſed potius illi ita agendum eſt, vt celſitudinis Regiæ faſtigium, quantum ſalua maieſtate poteſt, lenitate agendi demittat, vt ſcilicet, quantum ſubditi reuerentur viri Principis auctoritatem, tantum mores placidos, ac faciles ſuſpiciant, & exoſculentur. *Rectorem te poſuerunt*, inquit Eccleſiaſticus, *noli extolli, eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis.* Quod quamuis à Sapiente de modiperatoribus in conuiuiis, quorum Regnũ in potandi menſura verſabatur, dictum ſit, commodè tamen ad alios quoſcumque transfertur, qui in alios imperium ſortiuntur. Nec verò facilitas hæc, quam Principi commendatam cupio, ita beneuolentiæ gratiam conciliat, vt corrumpat maieſtatis decus, nam virtutes hæ ſpecie diſpares, ita inter ſe prudentia iungi, ac temperari poſſunt, vt alteram altera tueatur ac protegat. Luculentus huius rei teſtis eſt Sapiens, cuius illa ſunt verba in Eccleſiaſtico. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.* Cuius loci ſenſus eſt, vt alio loco dixiſſe meminimus, ſi moribus fueris mitibus, ſi in ſubditis gubernandis plus beneuolentia quàm ſeueritate, cohortatione quàm commotione, charitate quàm poteſtate agendum putaueris,

Eccleſ. 32. 1.

Eccleſ. 3. 19.

Digitized by Google

taueris; adeò gloriæ & maieſtatis dignitatem non amittes, vt potius id ſis conſecuturus, vt ad dignitatem, quam Principatus faſtigium ſecum affert, beneuolentiæ etiam ſubditorum cumulus accedat. Vel etiam ſenſus eſſe poſſit, adeò diligeris à ſubditis, vt hominum gloriam, quam cum Principatu conſecutus es, populorum æquet beneuolentia, aut etiam ſuperet. *Miſericordia & veritas,* inquit Salomon, *cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Quibus verbis, paucis complexus eſt Sapiens eas artes, quibus populorum beneuolentiam citra peccati alicuius culpam, imò cum virtutis laude poſſit Princeps aucupari, fide nimirum, & conſtantia dictorum, & conuentorum, quod veritatis voce expreſſit, & miſericordia in ſubditos, propenſaque voluntate, calamitates eorum, miſeriaſque ſubleuandi, ſique ſontes aliqui plectendi ſint, clementia, qua rigor ille iuſtitiæ mitigatur, & molleſcit. Quanquam vulgatus noſter interpres, pro vna Hebraica voce, duplicẽ poſuit in ſua interpretatione; nam quod ipſe primò miſericordiam dixit, deinde clementiam, vnius & eiuſdem Hebraicæ vocis eſt interpretatio, quæ vtrumque ſignificat, nam חֶסֶד benignitatem, ſeu beneficentiam, pietatem, humanitatẽm, affectuſque propenſionem ad aliquod bonum, aut officium in aliquem conferendum. Veritas autem conſtantiam, vt dixi, in pactis, conuentiſque ſignificat. Sic cum dicitur in Geneſi: *Si facitis miſericordiam, & veritatem cum Domino meo, indicate mihi*; Senſus eſt, ſi beneficium hoc in Dominum meum conferre vultis, & collatum conſtanti voluntate conſeruare, indicate mihi. Huc facit, quod de Regno Dauid legimus in Machabæorum

Prou. 20. 28.

Geneſ. 24. 49.

Digitized by Google

bæorum hiſtoria, cum dicitur. *Dauid in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem Regni, & ſacula:* & ſanè mansuetudinem illius, moréſque facillimós, non alij tantùm laudibus extollunt, ſed ipſemet prædicat in Pſalmo cum ait. *Memento Domine, Dauid, & omnis manſuetudinis eius,* cuius fructum vberrimum tulit; nam Regnum ſuum iuxta Salomonis dictum ſtabiliuit, ſuoſque omnes adeò Regiæ incolumitatis amantes, ac ſtudioſos reddidit, vt quia ſemel capitis periculum adierat, eum in poſterum à belli diſcrimine arcerent, ne fortè, vt ipſi loquebantur, *Extingueretur lucerna Iſraël*, mortis ſcilicet tenebris luculenta illa lampas obrueretur, quæ Iſraëlem vniuerſum clariſſimo ſuo ſplendore recrearet. Quo exemplo cum aliis huc ſpectantibus vtitur D. Ambroſius ad rem de qua agimus confirmandam, libro de officiis ſecundo: quem locum, quia inſignis eſt, addere placuit; ita enim ſcribit. *Ac primùm nouerimus nihil tam vtile, quàm diligi, nihil tam inutile quàm non amari. Nam odio haberi exitiale ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni ſedulitate commendemus exiſtimationem, opinionémque noſtram, ac primùm placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum: popularis enim & grata eſt omnibus bonitas, nihilque tam facilè illabitur humanis ſenſibus. Ea ſi manſuetudine morum, ac facilitate animi moderatione præcepti, & affabilitate ſermonis, verborumque honore, patienti quoque ſermonum vice, modeſtiaq; adiuuetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim, non ſolum in priuatis, ſed etiam in ipſis Regibus, quantum facilitas blandæ affabilitatis profuerit; aut ſuperbia, verborúmque obſuerit tumor, vt Regna ipſa labefactaret, & poteſtatem ſol-*

1. Machab. 2. 57.

Pſal. 131. 1.

2. Reg. 21. 17.

D. Ambr. 2. de offic. cap. 7.

 ueret.

ueret. Iam ſi quis conſilio, vſu, miniſterio, officiis, popularem comprehendat gratiam, aut ſi quis periculum ſuum pro vniuerſa plebe offerat, non eſt dubium, quod tantum charitatis à plebe in eum refundatur, vt populus ſalutem eius, & gratiam ſibi præferat. Quantas Moyſes à populo Dei illatas abſorbebat contumelias, & cum Dominus in inſolentes vindicare vellet, ſe tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem ſubduceret. Quam miti ſermone poſt iniurias appellabat populum, ſolabatur in laboribus, delinibat oraculis, fo-
Exod.33. *uebat operibus, & cum Deo conſtanter loqueretur, homines tamen humili, & grata appellatione affari ſolebat,*
Exod 34. *Meritò æſtimatus eſt ſupra homines, vt & vultui eius*
Deut.34. *non poſſent intendere, & ſepulturam eius non repertam crederent, quia ſic ſibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro manſuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. Quid eius imitator Dauid electus ex omnibus ad plebem regendam, quàm mitis & blandus, humilis ſpiritu, ſedulus corde, facilis affatu? Ante*
1.Reg.17. *regnum ſe pro omnibus offerebat, Rex cum omnibus*
1.Reg.18. *æquabat ſuam militiam, & partiebatur laborem, fortis in bello, manſuetus in Imperio, patiens in conuicio, ferre magis promptus quàm referre iniurias; Ideo tam charus*
2.Reg.2. *erat omnibus, vt iuuenis ad Regnum etiam inuitus peteretur, reſiſtens cogeretur, ſenex ne prælio intereſſet, à ſuis rogaretur, quod mallent omnes pro ipſo periclitari, quam illum pro omnibus. Ita ſibi gratis officiis plebem obligauerat. Primùm, vt in diſcordiis populi exulare in He-*
2.Reg.3. *bron mallet, quàm in Ieruſalem regnare. Deinde vt etiam in hoſte poſitam virtutem diligeret, iuſtitiam etiam his, qui arma contra ſe tulerant, æquè ac ſuis præſtandam putaret. Denique fortiſſimum aduerſæ partis propugnatorem Abner Ducem & inferentem prælia, miratus eſt, & orantem pacis gratiam non aſpernatus, honorauit*

noraiit conuiuio, interemptum inſidiis doluit & fleuit, proſequutus exequias honeſtauit, mortem vltus conſcientiæ fidem præſtitit, quam filio inter hereditaria iura tranſcripſit: magis ſollicitus ne innocentis mortem inultam relinqueret, quàm quò ſuam mortem doleret, non 3.Reg.2.
mediocre iſtud præſertim in Rege, ſic obire humilitatis 1.Reg.21.
munia, vt communem ſe exhiberet etiam infimis: alieno 2.Reg.23. 2.Reg.24.
periculo cibum non quærere, potum recuſare, peccatum fateri, ſeque ipſum pro populo offerre morti, vt in ſe Diuina indignatio conuerteretur cum ferienti Angelo offerens ſe diceret. Ecce ego peccaui, & ego paſtor malum feci, & iſte grex quid fecit? Fiat manus tua in me. Nam quid alia dicam, quod dolum meditantibus os Pſal.37.
ſuum non aperiebat, & tanquam non audiens, nullum Pſal.108.
ſermonem referendum putabat. Non reſpondebat conui- Pſal.100. Pſal.101.
tiis; cum ſibi derogaretur, orabat; cum malediceretur, benedicebat; ambulans in ſimplicitate, & ſuperborum fugitans arrogantiam, ſectator immaculatorum, qui cinerem miſcebat alimentis ſuis, cum peccata propria deploraret, & potum ſuum temperabat fletibus. Meritò ſic expetitus eſt ab vniuerſo populo, vt venirent ad eum omnes tribus Iſraël dicentes. Ecce nos oſſa tua, & caro tua ſumus, & heri & nudiusrertius, cum eſſet Saul, & regnaret ſuper nos, tu eras qui producebas & inducebas Iſraël, & dixit tibi Dominus. Tu paſces populum meum 2.Reg.5.
Iſraël. Et quid plura de eo dicam, de quo huiuſmodi Dei Pſalm.88. 21.
proceſſit ſententia, vt de eo diceret. Inueni Dauid ſeruum meum, ſecundum cor meum? Quis enim in ſan- Act.13.
ctitate cordis, & iuſtitia ſicut iſte ambulauit, vt imple- Pſalm.39.
ret voluntatem Dei? Propter quem & delinquentibus 3.Reg.11.
poſteris eius venia data, & prærogatiua eſt reſeruata hæredibus. Quis igitur non diligeret eum, quem videbat ita charum amicis, vt quia ipſe ſincerè amicos diligebat, æquè diligi ſe à ſuis amicis arbitraretur? Denique

Digitized by Google

parentes eum filiis ſuis, filij præferebant parentibus. Vnde grauiter indignatus Saul percutere Ionathã filium ſuum haſta voluit, quia pluris apud eum valere Dauid amicitiam iudicabat, quàm vel pietatẽ, vel auctoritatẽ paternam. Etenim ad incentiuũ charitatis cõmunis plurimum proficit, ſi quis vicem amantibus reddat, nec minus redamare ſe probet, quàm ipſe amatur, idque amicitiæ fidelis patet exemplis. Quid enim tam populare quàm gratia? Quid tam inſitum naturæ, quam vt diligentem diligas? quid tam inolitum atque impreſſum affectibus humanis, quàm vt eum amare inducas in animum, à
Ecclеſ.29. *quo te amari velis? Meritò Sapiens dixit. Perde pecu-*
Eccleſ.22. *niam propter fratrem & amicum. & alibi. Amicum ſalutare non erubeſcam, & à facie illius nõ me abſcondam; ſiquidem vitæ & immortalitatis medicamentum in ami-*
Eccleſ. 6. *co eſſe Eccleſiaſticus ſermo teſtatur, & ſummũ in chari-*
1.Cor.13. *tate præſidium, nemo dubitauerit, cum Apoſtolus dicat. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, charitas nunquam cadit. Ideo Dauid non cecidit, quia charus fuit omnibus, & diligi à ſubiectis quàm timeri maluit. Timor enim temporalis tutaminis ſeruat excubias, neſcit diuturnitatis cuſtodiam. Itaque vbi timor diſceſſerit, audacia obrepit, quoniam fidem non timor cogit, ſed affectus exhibet. Prima ergo ad commendationem noſtri eſt charitas. Bonum eſt ergo teſtimonium habere de plurimorum dilectione. Hinc naſcitur fides, vt committere ſe ſuo effectori non vereantur etiam alieni, quem pluribus charum aduerterint. Similiter etiam per fidem ad charitatem peruenitur, vt qui vni aut duobus præſtiterit fidem, tanquam influat in animos vniuerſorum, & omnium requirat gratiam.* Hactenus D. Ambroſius. Hoc artificio beneuolentiæ populorum captandæ abuſus eſt Abſalon cum ad Regni faſtigium niteretur, nam cum maieſtatem non ne-

glexiſſet,

glexiſſet, nam *fecit ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum*, beneuolentiæ etiam ſignificationibus quantum poterat populares ſuos ſatagebat allicere, nam *Manè conſurgens Abſalon ſtabat iuxta introitum portæ, & omnem virum qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudicium, vocabat Abſalon ad ſe, & dicebat de qua ciuitate es tu? Qui reſpondens aiebat: Ex vna tribu Iſraël ego ſum ſeruus tuus. Reſpondebátque ei Abſalon. Videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti. Sed non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege. Dicebátque Abſalon: Quis me conſtituat iudicem ſuper terram, vt ad me veniant, omnes qui habent negotium, & iuſtè iudicem? Sed & cum accederet ad eum homo vt ſalutaret eum, extendebat manum ſuam, & apprehendens, oſculabatur eum, faciebátque hoc omni Iſraël venienti ad Iudicium vt audiretur à Rege, & ſolicitabat corda* (vel vt alij vertunt, *furabatur corda virorum Iſraël:*) & verò illi procedebat conſilium; nam plurimos habuit ſuarum partium ſectatores, qui illum ad Regnum pro viribus admouere ſtuduerunt, effectúmque dediſſent, niſi Dominus eorum conatus euertiſſet, & conſilia, non audito Achitophele, infatuaſſet.

2.Reg. 15. 1.

Ibid. n. 2.

2 Porrò annonæ vilitate magnam à populo Princeps init beneuolentiam, nam ſi immodicis rerum venalium pretiis fatigetur, non diuitibus tantùm qui ſupprimendo tritico duriorem annonam faciunt, aut præualentibus mancipibus, qui quod magnæ plebis parti ſufficere poſſet, ſoli ipſi mercantur, ſed Principi etiam iraſcitur, eumque conuiciis lacerat, quod genus hoc hominum, qui tantoperè publicæ rei incommodant, compeſcere negligat, illudque vſu venit, quod quodam loco

Annona vilitate, Principes apud populum inire beneuolentiam.

Digitized by Google

Pſalm. 58. 16. legimus in Pſalmo. *Etſi non fuerint ſaturati, murmurabunt*; quemadmodum enim cauendum eſt Principi, ne nimia rerum, quæ ad victum neceſſariæ ſunt, laxitate, populus otio marceſcat, & in luxuriam ſoluatur, ita curandum eſt, ne ciborum aliarúmque rerum venalium caritate conflictetur; nam quemadmodum ſeruilia mancipiorum ingenia molliter tractanda non ſunt, nec tamen ad vitam propagandam neceſſaria ſubtrahenda,

Prou. 33. 28. vt quodam loco monet Salomon cum ait, *Cibaria & virga, & onus aſino: panis & diſciplina & opus ſeruo*: Ita populus ſi attollat ſpiritus, aſtrictiore diſciplina, operibuſque faciendis exercendus eſt & premendus, ſemper tamen annonæ difficultas, reique frumentariæ inopia omni opere auertenda, ne ſi plebem fames inceſſerit, odium in Principem concipiat, tandémque diuturno tempore collectum dolorem in caput eius effundat, aut eorum, quibus de medio ſublatis famam eximendam, cibariorum conſecuta commoditate crediderit. Æmulanda Principi viro eſt ſummi omnium Principis Dei profuſa in homines liberali-

Pſal. 144. tas; nam cum *oculi omnium in ipſum ſperent, ipſe dat eſcam illorum in tempore opportuno, aperit manum ſuam & implet omne animal benedictione*, ſuo enim tem-

Pſal. 146. 8. pore *operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam. Producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum, datque iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*: Nullaque eſt locis tam ſepoſita natio, aut moribus, tam barbara & agreſtis, cui diuinum Numen res ad victum neceſſarias ſingulari ſua prouidentia non ſuppeditarit; cúmque tam bonus ac liberalis Prin-

Matth. 5. 45. ceps *ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos & malos,*

&

Digitized by Google

& pluat ſuper iuſtos & iniuſtos; eos etiam illuſtrioribus ſuæ beneficentiæ ſignificationibus fouet, quos vt ſuos peculiari cura regendos ſuſceperit, vt quondam Hebræorum populum, cuius ſe Dominus Principem adeò profitebatur, vt iniquè tulerit eorum animos ſe paſtore, ac rege repudiato & abiecto, Regis habendi, iuxta cæterarum nationum morem, cupiditatem inceſſiſſe. Itaque horreis ſuis reſeratis, tantum inde cibariorum deprompſit, quantum non fami ſolum depellendæ ſatis eſſet, ſed etiam exquiſitorum ciborum cupiditati explendæ: nam *mandauit nubibus de ſuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia. Tranſtulit auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua Africum, & pluit ſuper eos, ſicut puluerem, carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata*, in Deuteronomio verò pollicitus eſt iis qui Diuinam legem incorruptam ſeruauerint, rerum omnium ad victum neceſſariarum vbertatem & copiam, ac proinde temporibus opportunis pluuiam ſatis, vineis, oliuetis, paſcuiſque immiſſurum, frugeſque omnis generis largiturum recepit. *Si obedieritis*, inquit Moſes, *mandatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis Dominũ Deum veſtrum, & ſeruiatis ei in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra; dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam, & ſerotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fœnúmque ex agris ad paſcenda iumenta, & vt ipſi comedatis & ſaturemini.* Hoc enim Domino ſolẽne fuit, vt populo ſuo quandiu veram tenuit religionem, nihil deeſſe fineret, ſed largiter omnia, quæ ad victum ſunt neceſſaria ſuppeditaret, iuxta id quod

Pſalm. 77. 23.

Deut. 11. 13.

Ioël.2.24. & 26. per Prophetam prædictum fuerat. *Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo, & comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcum, & non confundetur populus meus in ſempiternum.* Cum ergo Principibus honeſtiſſimum ſit pro modulo Dei ſummi Regis beneficentiam in ſuos æmulari, curandum illis eſt ſedulò, vt populis illis, quibus præſunt, non ſolùm ea, quæ ad victum neceſſaria ſunt, non deſint; ſed etiam abundent oppida generis omnis cibariorum; ita enim fiet, vt ſibi populorum voluntates, animóſque deuinciat, & cum opus fuerit ad ipſa etiam belli diſcrimina ſubeunda paratos habeat.

Spectaculis beneuolentiam Principi conciliari.

3 Poſt exemptam cibo famem, oculorum ſuccedit cupiditas, ſpectaculorum ſcilicet ac luſuum, cuius rei exemplum habemus in Exodo; nam cum ex inauribus populi opere fuſorio Aaron vitulum efformaſſet, illíque circa recens idolum circumfuſi epulis largiùs indulſiſſent, ad ludos quibus numen illud nouum colerent, ſéque ratione aliqua delectarent conuerſi ſunt. Nam *ſedit* Exod.32. 6. *populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere* nabliis, ære, tympanis, tybiis, citharis, & in choro ſaltationibus, vulgaríque laſciuia, recepto gentium more feſtum diem agitantes: & quidem cantantium voces adfuiſſe, chorósque ſaltantium, habemus ex ſcriptura; nam deſcendens Moſes, cum ex edito loco populi fremitum acciperet. *Vocem*, inquit, *cantantium ego audio; cúmque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum, & choros.* Idem Paleſtinorum ingenium, qui poſt celebrata inter ſe conuiuia captiuum Sampſonem adduci iuſſerunt, vt eo ſaltante, aut aliqua alia ratione ludēte ſolatium

ſolatium captarent oculorum. *Lætantéſque,* inquit Scriptura, *per conuiuia ſumptis iam epulis præceperunt, vt vocaretur Sampſon, & ante eos luderet, qui adductus de carcere, ludebat ante eos.* Porrò æquum eſt, & ad beneuolentiam conciliandam Principibus vtile, ſi ab honeſtis ſpectaculorum aliquorum voluptatibus populum non prohibeant, iis nimirum quibus ſaluo numinis metu, & honore, ſuo in tempore, & ſuo in loco frui ſcelus non ſit; nam ſi de turpibus obſcæniſque ſpectaculis loquamur, cuiuſmodi noſtris temporibus comœdiæ ſunt, quas meritò publicæ libidinis proſtibula, impudicitiæ conſiſtoria, obſcænitatis magiſteria, omniúmque turpitudinum theatra poſſimus appellare, in quibus nihil aliud videas aut audias, quàm agentium ſtrophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles iocos, ſordidos paraſitos, turpiſſimos lenones, eas à ciuium oculis procul remouendas cenſeo; neque enim illis ſpectandis innocens ad remiſſionem animi appetitur voluptas, vt vitiorum aſſertores, blandi turpitudinúmque indulgentes patroni, qui hiſce libidinum ſimulachris auctoritatē præſtare conantur, dicere conſueuerunt, ſed inuerecundo ſermone, motibuſque obſcænis, viri vltra muliebrem mollitiem diſſoluti, per oculorum & aurium blandimenta ſimplicium mentibus lethale venenum inſtillant, omnéque genus corruptelæ, ex quibus libidines exardeſcunt, alieni thori violantur, matronarum pudicitia vitiatur, inimicitiæ, rixæ, factiones exiſtunt in ciuitatibus, malúmque tandem à priuatis ædibus progreſſum, integras reſpublicas corrumpit & euertit; vt libro ſuperiore, cum de libidinis malis diſputaremus, Scripturæ teſtimoniis comprobauimus. Iud. 16. 25.

Quale

Quale ſit Tyrannidis ingenium, & de vitanda Tyrannide.

CAPVT VIII.

Tyrãni nomen non ſemper in vitio poni in ſcripturis.

2. Mach. 7. 27.

Habac. 1. 10.

1 TYranni vox ſacræ Scripturæ phraſi aliquando in vitio ponitur, (vt cum Antiochus in Machabæorum hiſtoria *crudelis Tyrannus* appellatur) aliquando Regem tantùm Principemve ſignificat, vt cum legimus apud Habacuc, *Et ipſe de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculi eius erunt.* Quem locum ita vertit D. Hieronymus. *Ducet ante currum ſuum captiuos Reges & habebit irriſui.* Septuaginta habent, ϗ τύραννοι παίγνια αὐτοῦ, *Et Tyranni ludibria, aut ludicra eius erunt.* In Hebræo eſt, *& Principes riſus illi*, ſiue ſignificetur Nabuchodonoſorem Principibus abuſurum ad exercendos luſus, quibus ipſe delectabatur, vt Sampſone Philiſtæi; ſiue potentiæ ipſius deſcriptio ſit, qui ſuis fidens viribus nullis aliorum Principum exercitibus, aut munitionibus terreretur. Sic etiam in libro Eſther loquitur Aman.

Eſther 6. 9.

Homo quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus Regiis, & primus de Regis Principibus ac Tyrannis teneat equum eius. Idem iudicium eſt de voce Tyrannis, vt cum dicitur in libro Iob. *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorũ incertus eſt Tyrannidis eius.* In Hebr. ad verbum. *Numerus annorum abſconditi ſunt Tyranno.* Quo loco vox Hebr. עריץ non tam eum ſignificat, qui impotenti dominatu populos premit, quàm robuſtum, fortem, potentẽ; ita enim eandem vocẽ Septuaginta, Vulgatúſque variis Scripturæ ſacræ locis reddiderunt. Itaque

Iob 15. 20.

Tyran

Tyrannus à Rege diſtat factis non nomine. Eius nos ingenium quale ſit deſcribemus, ex quo facile erit intelligere, quàm deteſtanda res ſit Tyrannis, quantóque niſu à Republ. vt certiſſima illius peſtis, amolienda.

2 Ac primum quidem locum inter Tyranni notas, crudelitas obtinet, quæ etiam Tyrannum facit. Itaque non ſemel Scriptura cum ſæuitiam Tyrannorum, virórumque potentium, qui innocentes opprimunt, notaret, eos leones, aut leonibus ſimiles eſſe dixit. Ita Salomon in Prouerbiis. *Leo rugiens, & vrſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem*; Et D. Paulus, cum Dei beneficio, ſe Neronis immanitatem euaſiſſe ſcriberet ad Timotheum. *Liberatus*, inquit, *ſum de ore leonis*, In Pſalmis etiam Principes viri, qui diuitum nomine à vulgatæ editionis auctore, & Septuaginta interpretibus deſignantur, leones dicuntur in Hebraico contextu; nam quod eſt in Pſalmis, *Diuites eguerunt, & eſurierunt*, D. Hieronymus vertit *Leones*: quo etiam nomine prædiuites Tharſis negotiatores aliique diuitiarum, & potentiæ typho in humile hominum genus ſæuientes appellantur ab Ezechiele propheta. *Negotiatores*, inquit, *Tharſis, & omnes leones eius*. Huiuſmodi leonem nobis ſacra Euangelij hiſtoria Herodem exhibet, qui teneros infantes ab vberibus matrumque complexu auulſos regni ſibi, vt ipſe arbitrabatur, conſtituendi cauſa, in ipſa Bethleem, & finibus eius magno numero deteſtanda prorſus crudelitate mactauit, ne à filij quidem cæde temperans, ſi quod grauiſſimis auctoribus diſcimus, meretur fidem. Nec minus ſæuum Abimelech ingenium, qui, vt dicitur in Iudicum hiſtoria, *Venit in domum patris*

Prima Tyranni nota, crudelitas.

Prou. 28. 15.

2. ad Timot. 4. 17.

Pſal. 77. 11.

Ezech. 38. 13.

Matth. 2. 16.

Iudic. 9. 5.

patris ſui in Ephra, & occidit fratres ſuos filios Ierobaal ſeptuaginta viros, ſuper lapidem vnum; vt ſcilicet familiæ illius ſtirpibus omnibus euulſis, ſolus ipſe Regno potiretur, in quos illud optimè Salomo-
Prou. 11. 17. niš conuenire poteſt, *Qui crudelis eſt, etiam propinquos abiicit*, cùm Tyranni de quibus loquimur non tantùm eos abiecerint, ſed etiam de medio illata morte ſuſtulerint. Eleganter Iſaias Tyrannorum ſæuitiam ob oculos ponit, cum Iſraëliticum populum ab illorum immanitate liberum
Iſa. 14. 5. fore prænunciat, *Contriuit*, inquit, *Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cedentem populum in indignatione, plaga inſanabili, ſubiicientem in furore gentes, perſequentem crudeliter*. Virga enim aut ſceptrum, quo Principes quaſi paſtorali pedo vti debuiſſent, ea vt virga quondam Moyſis in colubrum conuertitur, qui venenatis ſuis morſibus miſeros mortales abſumat. Hanc autem morum inclementiam vocis etiam conſequitur aſperitas, & inhumanitas, in quà (cum vox animi ſit index) crudelitatis eius, de qua nunc dicebamus, eminent notæ. Cum ligna Rhamnum Regem conſtituiſſent, vt eſt in apologo in libro Iudicum, quæ arbor vt pote nullo fructu commendabilis, ſed tantùm aculeis & ſpinis aſpera, quibus tractantium manus cruentet, tyranni typum præfert,
Iud. 9. 14. ſuperbè inducitur locuta Tyrannorum more. *Dixerunt omnia ligna*, inquit Scriptura, *ad Rhamnum. Veni, & impera ſuper nos*; *qua reſpondit eis. Si verè me Regem conſtituitis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite*; *ſi autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani.* Tyranno etiam quam Principi conuenientior nota illa, & ſæpius memorata reſponſio Roboami, qui aliquid ſibi de

tributis

tributis remitti poſtulantes, ita eſt allocutus: *Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro; pater meus occidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* In Iob etiam hiſtoria quidam de amicis Iob, ita de Deo loquitur. *Qui non accipit perſonas Principum, nec cognouit Tyrannum, cum diſceptaret contra pauperem.* Ex Hebræo verti poteſt. *Non cognouit clamorem,* vel *clamantem contra pauperem*, vt enim mites & moderati Principes clamores cohibent, nec magis elata voce loquuntur, quàm audientium diſtantia poſtulet, vt de Chriſto ab Iſaia prædictum eſt, cum ait quodam loco. *Non clamabit, neque accipiet perſonam, neque audietur vox eius foris.* vel vt eſt apud Matthæum. *Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.* Ita ſuperbi & Tyranni ſtultorum more in loquendo, *exaltant vocem ſuam*, vt ſcilicet ea ratione ſubditis formidabiliores euadant. Illud tandem Tyrannorum ſæuitiam, de qua agimus, plerumque exaſperat, & diriorem ſubditis reddit, quod eorum iniuriæ, etiam cum crudeliter habentur, hilari vultu, non patienter tantùm ferendæ ſunt; nam & inter mortis comminationes & pericula vultu nihil exprobrante, ſed tranquillo ac læto, quidquid à Principe decretum fuerit, admittendum eſt, diligenterque prouidendum, ne aliquo vel leui ſigno incluſus, & imo pectore compreſſus dolor erumpat. Ita etiam ſub bono Principe Salomone, compoſitus erat Semei, qui cum Regiã Dauidis maieſtatem, non conuitiis ſolùm, ſed lapidibus etiam ingeſtis violaſſet, illique Salomon interdixiſſet, ne ex vrbe Ieruſalem pedem efferret, aut torrentem Cedron tranſiret, interficiendus ſi ſecus faceret; Regi

3.Reg. 12. 14.

Iob 34.19.

Iſai.42.2.

Matth.12. 19.

Digitized by Google

3.Reg.2. 38. Regi ita reſpondiſſe fertur; *Bonus ſermo. ſicut locutus eſt Dominus meus Rex, ſic faciet ſeruus tuus.*

3 Portò crudelitas, de ſuſpicionibus, timoribuſque naſci plerumque ſolet, nihil enim non metuunt Tyranni,cum ſecuritas, ſerenáque tranquillitas in eorum ſit animis, qui nullius ſceleris conſcientia perturbantur: eos enim, vt loquitur ſanctus Iob, *Conturbat formido ſubita.* & alibi. *Cum ſteterit, non credit vitæ ſuæ.* Nam ſi menſæ aſſederit, cogitat auro etiam venena potari; ſi ſtipatorum ſuorum corona cinctus incedat, timet ne quis ancipiti gladio latus hauriat, nulláque hominum códitio ab iſta Principis ſuſpicione immunis eſſe poteſt, non propinqui, non filij, non vxores,non coniunctiſſimi quique amicitiæ vinculo, quos omnes aut priuatis odiis ductos, aut regnandi cupiditate incitatos, aut accepta pecunia corruptos facilè credit, ac propterea eos occidendo inſidias anteuertendas eſſe conſtituit. Eos verò maximè Tyrannus formidare conſueuit, quos genere, opibus, claritate virtutis, rerúmque geſtarum inter cæteros caput viderit extuliſſe, quorum propterea capita demetit, vt ſe ab illis ſecurum præſtet. Quare de Tyranno legimus in libro Iob. *Detraxit fortes in fortitudine ſua.* vel. vt interpretantur Septuaginta, *Furore euertit.* Hunc verò metu conſternatæ mentis terrorem eleganter nobis ponit ob oculos liber Sapientiæ, in quo ita de Ægyptiorum metu (quod ad rem noſtram transferri poteſt) ſcribitur cap. decimo ſeptimo. *Siue ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimiùm, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus, aut mugientium valida*

Tyrannos timidos eſſe.& ſuſpicionibus obnoxios.

Iob 22.10.

Iob 24.22.

Iob 24.22.

Sap.17.17.

beſtiarum

Digitized by Google

beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo, deficientes faciebant illos præ timore: timoris verò cauſam ſi quæras, ab eodem Sapiente affertur, cum ait, *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Atque ita Reges ac Tyranni cum legibus atque iudiciis non teneantur, naturæ tamen lege, & conſcientiæ iudicio vexantur & torquentur, ſuorúmque ſcelerum facibus, & furiis ita agitantur, vt partem nullam quietis capere vnquam poſſint. *Sonitus terroris*, dicitur in libro Iob, *ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Fugit enim impius nemine perſequente*; vt quodam loco dixit Salomon: contra quod facit iuſtus, cuius conſcientia nullis malefactorum ſtimulis foditur, ac lancinatur, de quo ita pronuntiat, *Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit.*

Sap. 17. 10. — Iob 15. 21. — Prou. 28. 1. — Ibidem.

4 Altera Tyrannorum nota, eſt immenſa quædam auri argentique quâ iure, quâ iniuria coaceruandi cupiditas, nullaque iuris, ac legum reuerentia, ſi huic pecuniarum cogendarum ſiti repugnare videantur. Iobum arguens, quaſi Tyrannum, Eliphaz Themanites, ita in illum inuehitur. *Abſtuliſti pignus fratrum tuorum, ſine cauſa, & nudos ſpoliaſti veſtibus. Aquam laſſo non dediſti, & eſurienti ſubtraxiſti panem, in fortitudine brachij tui poſſidebas terram, & potentiſſimus obtinebas eam. Viduas dimiſiſti vacuas, & lacertos populorum comminuiſti.* Ac ſi dicat, ſordidè admodùm & illiberaliter te geſſiſti, qui cum nulla ſubeſſet cauſa, in alienas fortunas auidus inuolaſti, violentuſque fratres tuos, quos propinquitatis iure, tueri potius debueras, ac fouere non pecuniis tantùm, ſed ipſis etiam veſti-

Tyrannos auaros eſſe & rapaces. — Iob 22. 6.

bus ſpoliaſti: pectúſque tuum durum, & à miſericordia adeò fuit alienum, vt eſurientibus faméque enectis, fruſtulum cibarij panis inuideres, miſeróſque mortales multis malis vexatos, violento dominatu premeres, exactionibus, tributiſque potiùs degluberes, quàm tonderes; viduas ipſas omni mortalium ſubſidio deſtitutas, omnibuſque qui ſenſum habent humanitatis miſerandas, rapinis tuis exhauſiſti, boniſque omnibus per ſummam iniuriam euertiſti. Sed expreſſiùs etiam Tyrannorum rapacitatem, ponit ob oculos apologus ille Nathani, quo Dauidis factum prudenter caſtigauit, errantemque ad crimen de-

2. Reg. 12. 3. teſtandum adduxit. *Pauper*, inquit, *nihil habebat omnino, præter ouem vnam paruulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius ſimul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi ſicut filia. Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium Peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad ſe.* Ita locutus eſt Nathan, cuius narrationis atrocitas, adeò Regis animum commouit, vt iure iurando confirmarit ſe tantum ſcelus eius, qui illud ad-

Ibid. n. 5. miſiſſet morte vindicaturum. *Iratus autem*, inquit Scriptura, *indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir, qui fecit hoc; ouem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum iſtud, & non pepercerit*; quod autem facinus tam immane Dauidi viſum eſt; id, eſt Tyrannis familiare, qui pauperes reculis ſuis quas ad propagandam vitam neceſſarias habent, ſpolient, diuitias verò ſuas, theſauróſque

róſque, aut ſitum ducere permittant, vt in illos conueniat illud D. Iacobi, *Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, aurum & argentum veſtrum æruginauit:* aut certè in paraſitos Lenones, adulatoreſque effundant, quam ob cauſam fortaſſe diuites à Zacharia *quercus Baſan* dicti ſunt, quos ibi Kaldæus *Satrapas prouinciarum* appellauit. Quemadmodum enim quercus, quo vberior eſt glandium prouentus, plures paſcunt porcorum greges, ita potentum diuitias, quas ad pauperum inopiam ſubleuandam æquius fuiſſet expendere, vltima fæx hominum adulatores quos dixi, & paraſiti turpiter abſumere conſueuerunt, vtque pecuniis perpetuò abundent quas ita prodigant, non verentur *terminos tranſferre, diripere greges*, & tanquam ſuos *paſcere eos, aſinum pupillorum abigere, & auferre pro pignore bouem viduæ. Subuertunt pauperum viam, & opprimunt pariter manſuetos terræ. Agrum non ſuum demetunt, & vineam eius, quem vi oppreſſerint, vindemiant. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes, quibus non eſt indumentum in frigore, quos imbres montium rigant, & non habentes velamen amplexantur lapides* (antrorum ſcilicet & cauernarum, in quas ſeſe abdunt ad vim frigoris euadendam) *vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem ſpoliauerunt. Nudis & incedentibus abſque veſtitu, & eſurientibus tulerunt ſpicas. Inter aceruos eorum meridiati ſunt, qui calcatis torcularibus ſitiunt. De ciuitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamauit*, vt tandem eos finis ille excipiat, qui ibidem exprimitur. *Et Deus inultum abire non patitur.* Cui perſimilis eſt illa conqueſtio apud Micheam. *Audite Principes Iacob, & Duces domus Iſraël, nunquid non veſtrum eſt*

Iacob. 5.2.

Zachar. 11. 6.

Iob 24.2.

Michæ. 3. 1.

Digitized by Google

ſcire iudicium, qui odio habetis bonum & diligitis malum? qui volenter tollitis pelles eorum, de ſuper oſſibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ? Hunc autem locum, qui totus per allegoriam tractatur à Propheta, à Chaldæo paraphraſte abſque figura, ita ad rem noſtram effertur. *Violenter populi facultates ab eo rapientes, pecuniamque eorum pretioſam ab eis tollentes, & qui diripuerunt ſubſtantiam populi mei, & pecuniam eorum pretioſam tollunt, reliquiaſque eorum conſumunt, conuerſi diuidunt eos, quemadmodum qui concidunt membra in fruſta in medio lebetis, & particulas in ollæ medio.*

Tyrannos eſſe legum violatores & contemptores.

5 Legum porrò violatio, aut etiam contemptus tyrannidem comitatur. *Vir enim vanus,* vt eſt in libro Iob, *in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri, ſe liberum natum putat.* In quem locum D. Gregorius ita ſcribit: *Homo quia ad ſequentem vitam ducitur, neceſſe profectò eſt, vt in cunctis ſuis motibus, ſub diſpoſitione diſciplinæ religetur, & quaſi domeſticum animal loris vinctum ſeruiat, atque æternis diſpoſitionibus reſtrictum viuat. Qui ergo implere cuncta quæ deſiderat, per effrænatam libertatem quærit, quid aliud quàm pullo onagri eſſe ſimilis concupiſcit, vt diſciplinæ hunc lora non teneant, ſed ardenter vagus per ſyluam deſideriorum currat?* Quia igitur Tyrannus ferum animal, & iugi impatiens fræno aliquo, aut *camo maxillas ſuas conſtringi* non patitur, omne ius peſſumdat, leges figit atque refigit, veterumque ſtatuta, ac decreta, ludibrio habet, & vt eſt apud Iſaiam, *Tranſgreditur leges, mutat ius, diſſipat fœdera ſempiterna*; quare mirum non eſt, ſi quod ibidem Propheta conqueritur. *Terra infecta eſt ab habita*

Iob 11.12.

Pſal. 31.9.

Iſa. 24.5.

Ibidem.

Digitized by Google

habitatoribus ſuis, nullúmque incommodi genus in Rempubl. importatum non eſt. Quemadmodum enim ſeruatis legibus acceptum referre debemus quidquid boni eſt in Republ. iuxta Sapientis dictum. *Lex Sapientis fons vitæ, vt declinet à ruina mortis*; ita illis poſthabitis, aut neglectis, Rerumpublicarum euerſiones & ruinæ conſequuntur. Prou. 13. 17.

6 Rurſus Tyranni *rebelles ſunt lumini*, vt eſt in libro Iob; timent enim, ne ſi praua ipſorum opera in bono collocentur lumine, omnibus appareat quàm diſtorta ſint, & à recta virtutis & iuſtitiæ regula diſcordent. Propter hanc cauſam veritatis præcones oderunt, eóſque qui falſitate detecta, ſanam doctrinam qua eorum corrigantur prauitates in medium proferunt. Hoc enim proculdubio ſi vllum aliud hominum genus, illud eſt de quo ſanctus Paulus ad Timotheum ſcribens ait fore aliquando homines, qui *ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*. Hoc enim quorumdam malè ſanorum hominum ingenium eſt, eorum præſertim, qui *circà fidem naufragauerunt*, vt dogmatis etiam planè falſis, & germanæ Theologorum doctrinæ aduerſantibus quædam ſibi fingentes ſomnia, & pſeudoprophetas quoſdam excitantes, qui erroribus patrocinentur, veritati tenebras ſtudeant offundere; in quos egregiè conueniat illud Iſaiæ. *Populus ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, Nolite videre, & aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores*. Id nimirum agentes, ne omnes intelligant ea, quæ mo-

Tyrannos doctos homines veramque doctrinam odiſſe.

2. Timot. 4. 3.

1. Timot. 1. 19.

Iſa. 30. 9.

liuntur, veritati, probitati legum Eccleſiaſticarum aut etiam Diuinarum obedientiæ repugnare, cumque ſemidoctos aliquos, malitia potius inſtructos, quàm imbutos litteris, quâ prece, quâ pretio pellexerint, vt errores illos propugnent omnia ſibi tuta arbitrantur, nec aut ſtimulos conſcientiam fodientes, aut veritatis ſtrenuos ſatellites, qui veritatem voce ſcriptiſue defendunt audientes, nec metuentes infamiam, quam ſibi apud cordatos homines cōciliant cæci, ac tantum non amentes, imò planè amentes qui ſolida bona terrenis poſthabent, lumen veritatis auerſantur, tenebras errorum vltrò accerſunt, & cùm omnibus hominibus miſerabiliores ſint, ſe beatos putant, aut etiam prædicant. Tales cum alij, tum ij fuerunt Principes qui Caluinianas & Lutheranas peſtes noſtra, aut Patrum noſtrorum memoria, prauóſque illos errores, qui ex ipſis inferni faucibus emerſerunt amplexi ſunt, vaniſſimóſque illorum buccinatores fouerunt, aut etiam armis tutati ſunt, ne quas commeriti fuerant, pœnas darent, qui quantum Reipubl. incommodarint (vt de aliis grauiſſimis malis nihil dicam) omnis clamat Septentrio, vt rem per ſe apertiſſimam exemplis quæ paſſim in oculos incurrunt confirmare ſuperuacaneum ſit. Quantò ſapientius illi, qui cum nodi aliqui aut difficultates incidunt, quas facilè ipſi per ſe non expediunt, verentes ne fortè ſpecie veri decipiantur, doctos pioſque viros conſulunt, ipſáſque totas academias litteratorum hominum, veritatis indagatrices, & magiſtras; curántque vt re bene diſcuſſa implicata euoluantur, & obſcura ab eorum ingeniis, & doctrina lucem accipiant, conſpirantéſque eorum ſenten

ſententias amplectuntur, quæ etiam ferè fauſtum à Domino, & optatis reſpondentem exitum nanciſcuntur. *Sermo dicebatur in veteri prouerbio*, vt habemus in 2. Regum lib. *qui interrogat, interroget in Abela, & ſic perficiebant.* Prouerbio locum fecit Abelæ Iſraëlitidis vrbis opinio Sapientiæ, quod nimirum in ea (vt etiam in Cariath Sepher, quæ ciuitas à litteris & diſciplinarũ profeſſione nomẽ habebat) quoddam eſſet emporium doctrinarum, quò ſe conferre conſueuerant, qui aliqua de re dubitabant, & quod tulerant reſponſum, illud *perficiebant*, hoc eſt, quaſi rectè agendi normam ſequebantur. Vel certè ſenſus eſt, ad rem noſtram accommodatus, *& ſic perficiebant*, id eſt, quæ optabant, mentéque ac votis deſtinabant, Sapiens illud conſilium ſecuti, aſſequebantur. Vtinam hæc mens omnibus ſit Principibus, vt veritatem ſincerè quærant, ac proinde ibi quærant, vbi non magno negotio, à bona fide agentibus poteſt inueniri, ac præſertim apud Romanam ſedem, omni vetuſtatis oraculo ſanctiorem, & veriorem, quæ meritò eas voces vſurpare poteſt, quibus illa mulier pro Abela Ioab alloquebatur. *Nonne ego ſum, quæ reſpondeo veritatem in Iſraël?*

2. Reg. 20. 18.

Ioſue 15. 15.

Ibid. n. 19.

7 Hæ ſunt Tyrannorum notæ, quas ſi Princeps in ſe ipſo deprehenderit, meritò timere poterit, ne ſubditorum animis impotenti dominatu exaſperatis, rebus nouis ſtudere incipiant. Illuſtre habemus huius rei exemplum in Regum hiſtoria, in qua ita legimus. *Factum eſt autem cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos iudices Iſraël: Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel, & nomen ſecundi Abia, iudicum in Berſabee: & non ambulauerunt filij illius in viis eius, declinauerunt poſt auaritiam, acceperúntque*

Tyrannidẽ cauſam eſſe mutationum, & euerſionum Rerumpub.

1. Reg. 8. 1.

munera & peruerterunt iudicium. Congregati ergo vniuerſi maiores natu Iſraël venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei. Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis; conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſa habent nationes. Imò tyrannidis rigor animos etiam ad deteriora ſolicitat. Id enim interdum accidere, & ſacrarum hiſtoriarum exempla; & tot ſæculorum experimenta docuerunt; nec tamen cum id fieri autumo, eorum ego conatus etiam approbo, qui manus ſuas in Chriſtos Domini audent extendere,

1. Reg. 24. 11. & cap. 26. 11.

qui nouerim Dauidem laudari, quod Sauli inimico ſuo, à quo querebatur ad necem, quemque abiecerat Dominus, violentas manus afferre noluerit, de quo ita ſcribit S. Ambroſius in officiorum libris. *Quàm honeſtum quod Dauid, cum potuiſſet Regi inimico nocere, maluit parcere? quàm etiam vtile, quia ſucceſſori hoc profuit, vt diſcerent omnes fidem Regi proprio ſeruare, nec vſurpare imperium, nec vereri, &c.* Imò Samuel ipſe, qui iam ex viuis exceſſerat, cum Pythoniſſæ carminibus euocatus fuiſſet, ſigno honoris, eundem Saulem eſt proſecutus: id ex eo colligimus, quòd ad mulierem illam Regio cultu depoſito Rex veniſſet, cum primùm Samuel excitatus emerſit. *Exclamauit voce magna* (Pithoniſſa) *& dixit ad Saul. Quare impoſuiſti mihi? tu es enim Saul.* Cui nimirum tanquam Principi ſigno aut motu aliquo exerno Samuel ſignum exhibuit reuerentiæ, ex quo Saulem illum eſſe, mulier eſt aſſecuta. Regiæ igitur dignitatis maieſtas & ſanctitas verenda eſt, quamuis interdum accidat, vt praui mores, & execrandi ſint.

3. offic. c. 9.

1. Reg. 28. 12.

Deū Tyrānidis ſcelus grauibus pœnis vindicare.

8 Vt tamen manus hominum euadant Tyranni, certè vindicem Domini dextram, quæ *attingit à fine*

à fine vſque ad finem fortiter, non euadent; *Quo enim ibunt à Spiritu Domini? & quò à facie eius fugient? Si aſcenderint in cœlum, illic eſt; ſi deſcenderint in infernum, adeſt. Si ſumpſerint pennas ſuas diluculo, & habitauerint in extremis maris, etenim illuc manus Domini deducet eos, & tenebit eos dextera illius. Vir qui errauerit à via doctrinæ* (inquit Sapiens) *in cœtu gigantum commorabitur.* Septuaginta verterent ἀνὴρ πλανώμενος ἐξ ὁδοῦ δικαιοσύνης ἐν συναγωγῇ γιγάντων ἀναπαύσεται, id eſt, *vir qui errauerit à via iuſtitiæ, in cœtu gigantum*, vel vt habet Symmachi interpretatio θεομάχων eorum ſcilicet, qui cum Deo pugnare non verentur (cuiuſmodi Tyranni ſunt, qui *nec homines timent, nec Deum reuerentur*) *commorabitur aut requieſcet.* Ex Hebræo verti etiam poteſt. *In cœtu mortuorum*, qui cætus eorum eſt, qui verè mortui ſunt morte ſecunda, omníque reſurrectionis ſpe deſtituti. Idémque ſignificare poteſt vox gigantum, qua voce aliqui putant ſignificari homines virium ſuarum fiducia omne fas, & ius contemnentes, quorum facinora non abſimilia illis eſſent, quæ de gigantibus Græci memorant: in quam ſententiam illud etiam accipiunt, quod habemus in Pſalmo. *Non ſaluabitur gigas in multitudine virtutis ſuæ.* Itaque ho[c] ſenſu nullis magis gigantis nomen conuenit, quàm Tyrannis, qui agreſti ingenio, & feroci potentia ad iniuſtitiam abutuntur, & pleraque omnia violenter adminiſtrant.

Pſal. 138. 7. — *Prou. 21. 16.* — *Pſal. 32.*

9 Sed quærat fortaſſe quiſpiam quid cauſæ ſit, quòd cum Tyranni *In Cathedra ſedeant peſtilentiæ*, vel vt D. Auguſtinus exponit, *In Cathedra dominandi*, quem tamen dominatum ad peſtem conuertunt ſubditorum, illos tandiu patiatur Domi-

Cur Deus in Rebuſp. Tyrannos permittat. — Pſalm. 1. 1.

nus, nec peſtes huiuſmodi cum primùm populos corripuerint amoliatur. Huic quæſtioni ſatisfa-

Iob 34.30. cit Eliu in libro Iob cum ait. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Sæpe enim accidit, vt quis ad honores & magiſtratus, imò ad Regnum ipſum perueniat, non quòd ipſe eo gradu dignus ſit, ſed quòd peccatis ſuis populi commeriti ſint, vt à tali Principe regerentur. Quare D. Gregorius locum illum enarrans ita

Moral. lib. 25. cap. 14. 14. alias 20. ſcribit. *Nullus qui talem Rectorem patitur, eum quem patitur accuſet, quia nimirum ſui fuit meriti, peruerſi Rectoris ſubiacere ditioni. Culpam ergo proprij magis accuſet operis, quàm iniuſtitiam gubernantis. Scriptum*

Oſeæ 13. 11. *namque eſt; Dabo tibi Reges in furore meo. Itaque Reges idolorum cultores, quibus tanquam flagellis ad populum ſuum corripiendum vti volebat Dominus, Chri-*

Iſai. 13. 3. *ſtos ſuos appellat, & ſanctificatos ſuos. Ego mandaui, inquit per Iſaiam, ſanctificatis meis, & vocaui fortes in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in montibus, quaſi populorum frequentium, vox ſonitus Regum gentium congregatarum, Dominus exercituum præcepit militiæ belli venientibus de terra procul à ſummitate cœli Dominus & vaſa furoris eius, vt diſperdat omnem terram. & de Cyro Rege Perſarum hæc legimus*

Iſai. 45. 1. *apud eundem Prophetam. Hæc dicit Dominus chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas & non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et alibi dicitur.*

Iſai. 10. 5. *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea.* His ergo tanquam furoris ſui vaſis, virgis, flagellis, ac quaſi carnificibus quibuſdam vtitur Dominus vt de populis pœnas ſumat, ſæuitiam impla-

Digitized by Google

implacabilem Tyrannorum inducens, magiſtratuúmve moleſtam aſperitatem, vt qui à Domini lege, tramitéque virtutis aberrauerant, in viam ſalutis redeant, quique tenebris peccatorum obcæcati lumen veritatis non aſpiciebant quaſi amaro felle (quod Tobiæ accidiſſe narratur in eius hiſtoria) lumen veritatis intueri rurſus incipiant, quæque facienda cognouerint, operibus perficere aggrediantur. Illud tamen aduertendum eſt, huiuſmodi Tyrannos licet à Domino populos premendi facultatem acceperint, non tamen plus in eos poſſe, quàm Dominus ipſe permiſerit, quemadmodum etiam ſancto Iob videmus accidiſſe, quem cum Dominus in patientiæ exemplum, fortunis, liberis, corporis ſanitate à Dæmone ſpoliari permiſiſſet, non tamen omnia in eum permiſit, ſed animam illius ſeruari iuſſit, cum ait, *Ecce in manu tua eſt, veruntamen animam illius ſerua.*

Tob. 11. 13.

Tob. 2. 6.

De ſeditionibus Ciuiúmque diſcordiis, quibus Reſpublicæ euertuntur.

CAPVT IX.

1 EGregiè Galatas monuit D. Paulus. *Si inuicem mordetis*, inquit, *& comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Qua metaphora illos monere voluit, vt à domeſticis ciuilibuſque diſcordiis temperarent, quibus Reipubl. corpus non minus

Galat. 5. 15.

Ingentibus malis ſubiacere Reſpubl. propter diſcor-

dias, turbaſque ciuiles. minus conſumitur, quàm cum homines vi morbi in rabiem acti ſua ipſorum membra, manus videlicet aut brachia morſibus apperentes rodunt, & depaſcuntur. Hoc enim illud eſt, quod eodem
Iſai.9.20. vſus loquendi Schemate dixit Iſaias. *Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit, Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſem, ſimul ipſi contra Iudam.* Id planè accidit in ciuili Iſraëlitarum bello, contra tri-
Iud.20.1. bum Benjamin; Nam cum habitatores Gabaa, impuri homines, Leuitæ vxore ad ſuas explendas libidines abuſi eſſent, & ad mortem vſque vexaſſent, nec Benjamitæ ſceleris auctores ad pœnam reliquis poſtulantibus Iſraëlitis tradere voluiſſent, bellum ciuile exarſit, cumque mutua cæde ter exercitus concurriſſent, plurimi mortales ce-
Ibid. n.21. & 25. ciderunt. Nam ex Iſraëlitis ad quadraginta hominum millia cæſa ſunt, ex tribu autem Benja-
Ibid.n.35. min, *Filij Iſraël viginti quinque millia & centum viri, omnes bellatores & educentes gladium*, cúmque fuga ſibi conſulere ſatagerent Benjamitæ, in inſidias delati ſunt, quas fugientibus ſtruxerant Iſraëlitæ,
Ibid. n.37. *qui cum repente de latibulis ſurrexiſſent, & Benjamin terga cædentibus daret, ingreſſi ſunt ciuitatem, & percuſſerunt eam in ore gladij*; adeo vt alia decem & octo virorum millia cæderentur, facibuſque in-
Ibid. n.44. iectis ſuccenſa vrbis tecta abſumerentur. Tantaque fuit tribus illius clades, vt poſtquam pugnandi ardor ille deſederat, intelligerent Iſraëlitæ vindictā facinoris illius in magnum totius Reip. incommodum recidiſſe, nam vt ait Scriptura,
Iud.21.6. *Ducti pœnitentia filij Iſraël ſuper fratre ſuo Benjamin cæperunt dicere. Ablata eſt tribus vna de Iſraël.* Et fortaſſe pertinacioribus odiis quàm par fuiſſet, pugnatum eſt. Sed vt acer eſſe ſolet inter propin-
quos

Digitized by Google

quos amor, ita grauiores & acerbiores ſunt inimicitiæ; cum enim mutuis offenſionibus, & odiis certare cæperint, iura propinquitatis, quæ charitatis vincula eſſe debuiſſent, apud infenſos irarum incitamenta fiunt. Ea etiam cauſa eſt, propter quam odia inter parentes aut fratres inter quos maius vinculum eſt, arctiórque coniunctio, immaniora & diuturniora eſſe ſoleant. Vna Dauidis domus, non vnum rei huius de qua diſputamus, ſuppeditat documentum. Nam Amnonem fratrem ſuum Abſalon tanto proſecutus eſt odio, vt ſororis dedecus nonniſi ferro & cæde putauerit expiandum, quamuis tandiu concepti in fratrem odij pertinaciam texerit, donec illo ad conuiuium euocato, paratæ in beneuolentiæ ſymbolum dapes trucidati à ſatellitibus ſuis Amnonis calido cruore aſpergerentur. Nec maior Abſalonis in parentem reuerentia: nam quantum potuit, conatus eſt Regno illum euertere, atque etiã de medio tollere, nihil parentis canos miſeratus, in cuius perniciem Iſraëlem vniuerſum exciuit, infeſtiſque mucronibus, quamuis irrito conatu fugientis iugulum petiit. Nam de Cain quid attinet dicere, qui cum fratris ſui Abelis ſacrificia Deo præ ſuis grata fuiſſe animaduerteret, tam immane odium concepit in fratrem, vt immerentem & innoxium interficeret, terrámque fraterno ſanguine primus imbueret.

2.Reg.13. 19.

2. Reg.15. 1.

Geneſ. 4. 8.

2 Porrò cum aliàs ſit turbis, factionibus, & ſeditionibus locus, maximè tamen hiſce motibus opportunæ ſunt Reſpubl. cum nullus eſt qui ad Regni ſedeat gubernacula, vt interregni tempore ſolet accidere, impunitate enim propoſita, quam Principis ſcelera vindicantis pollicetur abſentia, ſcelesti

Quibus potiſſimùm occaſionibus temporibuſque diſcordiæ gliſcant in Republica.

ſceleſti & turbulenti homines nihil non audent, Reipublicæque ſtatum aggrediuntur euertere. Quare Scriptura cum tumultum illum, bellúmque ciuile Iſraëlitarum contra Benjamitas recenſuiſſet, aliáque nonnulla incommoda, quæ Reſpubl. illa paſſa fuerat malorum omnium radicem indicans, ita loquitur in extremo libro Iudicum; *In diebus illis non erat Rex in Iſraël: ſed vnuſquiſque quod rectum ſibi videbatur, hoc faciebat.* tunc enim vt quodam loco ait S. Dauid, *In circuitu impij ambulant* omnem circa regionem latrociniis infeſtam habentes, aut alia ratione turbantes, vt cuique fuerit collibitum. Nec multo melior ciuitatis ſtatus cum Principes adhuc infantes ſunt, aut ætate tenera, & puerili, v. Regiam dignitatem conſilij & virium imbecillitas contemnendam reddat. Quare Salomon ita pronuntiat. *Væ tibi terra cuius Rex puer eſt.* Cuius Reipubl. infelicitatem ad rem de qua agimus accommodatiùs, expreſſiúſque ſcribit Iſaias. *Et dabo,* inquit, *pueros Principes eorum, & effæminati* (vel vt eſt in Hebræo *paruuli,* ſeu, vt interpretatur Kaldæus, *infirmi*) *dominabuntur eis. Et irruet populus, vir ad virum, & vnuſquiſque ad proximum ſuum, tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem*; quæ ſanè mala in aliis etiam Rebuſpubl. euenire non ſemel animaduertimus, illud præſertim quod dicitur. *Tumultuabitur ignobilis contra nobilem:* Nam nullam ferè Ariſtocratiam fuiſſe vnquam crediderim, in qua plebs ægrè non tulerit dominatum eſſe penes paucos quorum potentiæ inuidet, & quibus iniquo animo penituſque inuito ſubeſſe ſolet, in omnes iugi excutiendi occaſiones intenta, quamquàm nobilitas dum nimium populares

Iud. 21. 24.
Pſal. 11. 9.
Eccleſ. 10. 16.
Iſai. 3. 4.
Ibidem.

lares premit & ab omni publico munere plebeij ordinis homines ſubmouet, ac præ ſe quaſi ciuitatis fæcem contemnit, malum iſtud ſi non creat, ſaltem in ſinu fouet, quod fortaſſe beneficentia & clementia morum ſi non ſanare, certè mulcere gliſcentiſque violentiam mitigare poſſet.

3 Cæterum ſi Reipublicæ tranquillitatem aliquæ huiuſmodi turbæ corripuerint, fuerintque contra ciues arma capienda, ſemper meminerit Princeps, contra ciues bellum eſſe, quantumque ſanguinis cæde ſuorum ſparſerit, tantùm Reipub. vires infringi ac debilitari, quæ tot ciuium imminuta capitibus, ad eam deueniet imbecillitatem, vt externa bella ſi fortè ingruant propulſare non poſſit, quo nomine Iaſon in Machabæorum hiſtoria meritò reprehenditur. *Iaſon verò,* inquit, *non parcebat in cæde ciuibus ſuis, nec cogitabat proſperitatem aduerſum cognatos malum eſſe maximum, arbitrans hoſtium & non ciuium ſe trophæa capturum.* Illa enim ferè pudenda victoria eſt etiam in iuſta cauſa, quæ Regni vires euertit, ciuium numerum imminuit, manus propinquorum ſanguine imbuit, humique iacentem ac proſtratum Reipubl. ſtatum relinquit. Quare prudentes & cordati viri, res alioqui bonas, & quæ magno eſſent vſui, ſi diſcordiarum rixarúmque fuiſſent cauſa, infauſto nomine notarunt, vt turbarum illarum cauſas execrandas eſſe nullus non intelligeret. Iraque Iſaac puteum illum, cuius cauſa cum paſtoribus ſuis, paſtores Geraræ iurgati ſunt. *Calumniam* & *Inimicitias* appellaui, vt in Geneſeos hiſtoria legimus.

In diſcordiis belliſq; ciuilibus quantum fieri poterit ſanguini parcendũ.

2. Mach. 5. 6.

Geneſ. 26. 20. 21.

De tollẽdis diſcordiis ciuilibus documentum.

4 Tandem in ſeditionum diſcordiarúmque amoliendis cauſis, affectibuſque ciuium mitigandis,

dis, & ad concordiam, mutuámque beneuolentiam traducendis Principis induſtria deſudare debet. Itaque non negligat oblocutorum quod-
Iob.41.12. dam genus, qui *halitu ſuo prunas ardere faciunt*, & inter pacatos ciues, quà magiſtratuum impotentiam aut tyrannidem, quà in tribuendis honoribus inæqualitatem, quà à maioribus conſtitutam Reipub. formam carpendo, tranquillum Reipub. ſtatum perturbant, & omnia ſuſdeque euertere
Prou.16. 27. moliuntur. *Vir impius*, inquit Salomon, *fodit malum, & in labiis eius ignis ardeſcit; homo peruerſus ſuſcitat lites, & verboſus ſeparat Principes:* Fodiunt malum, quia ſimiles iis ſunt, qui latentes, & ingenti telluris aggere obrutas res magno labore, ſtudióque in lucem educunt, nam ſopitas, & obliuione ſepultas diſcordiarum cauſas exiſtere faciunt, ſicque lites ſuſcitant, diſcordiaſque inter priuatos homines, aut etiam inter Reipubl. Principes, ex quo malorum Iliades conſequuntur, totiuſque Reipubl. euerſio, & ruina, quæ tunc præceps ruit, cum ciuium diuiſæ ſunt
Pſalm. 54. 10. linguæ, videturque *iniquitas & contradictio in ciuitate*, vt quodam loco loquutus eſt Dauid.

Bellis

Digitized by Google

Bellis Reſpublicas interdum euerti, & liceat ne bellum gerere, quique finis in ſuſcipiendis bellis ſpectandus ſit.

CAPVT X.

SEquitur vt de bello dicamus, vique externa, quæ Reſpublicas interdum euertit, vt Chananæorum populis accidit, qui Hebræorum armis ſunt ſubacti, rurſuſque ipſis Hebræis, qui Diuino auxilio deſtituti, exterarum nationum potentiæ impares Reipubl. ſuæ ruinam non ſemel, ciues etiam ſuos in captiuitatem abductos ſpectare coacti ſunt. Verùm quia nonnulla de bello ad ciuilem doctrinam ſpectantia, non inutiliter diſputari poſſunt, paucis hiſce extremi libri capitibus ea complectemur, quæ ad rem noſtram facere videbuntur, preſsè tamen & paucis quantum homini ſacras litteras, non armorum tractandorum ſcientiam profeſſo, ſatis eſſe videbitur.

1 Ac primò illud ſtatuendum eſt, nullo iure vetitum eſſe, cum ratio recta ſuaſerit, aliaque adiuncta (de quibus paulo poſt dicemus) adfuerint, arma contra hoſtes capere, acie inſtructa confligere, ſi reſiſtant occidere, regiones hoſtium, oppidaque inuadere, vno verbo bellum gerere. Id ſacræ Scripturæ teſtimoniis, exempliſque probari facile poteſt; nam ſanctiſſimi viri, ipſarumque *Licitũ eſſe aliquando bellũ gerere probatur ex Scripturis.*

Scripturarum præconio laudati, bella geſſiſſe, leguntur Abraham, Moſes, Ioſue, Gedcō, Sampſon, Dauid, Ioſias, & Machabæi, & in noui teſtamenti libris legimus Centurionem, qui Christo Domino dicebat. *Habeo ſub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alio veni, & venit,* à Domino laudatum, non autem reſponſum, aut præceptum tuliſſe, vt abdicata militia, aliud vitæ genus inſtitueret. Quod idem de altero Centurione Cornelio, cuius mentio eſt in actis Apoſtolorum, dicendum eſt, de quo legimus fuiſſe *virum iuſtum & timentem Deum,* non autem à Domino, aut ſancto Petro à quo baptizatus eſt prohibitum fuiſſe, quo minus Principis ſui ſtipendia mereret, aut cum opus eſſet caſtra ſequeretur. Nec Domini præcurſor Ioannes, qui magna libertate in vitia ad ſe adeuntium inuehebatur, hoc crimen diſſimulaſſet, cum ſeſe illi milites ſiſterent, & quid facto opus eſſet interrogarent, vt ſalutem æternam conſequi poſſent, & tamen eis vt militarent faciebat poteſtatem, ſalutaribuſque duntaxat monitis inſtructos dimittebat. *Interrogabant eum,* (inquit S. Lucas) *& milites, dicentes: Quid faciemus & nos? & ait illis. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Si Chriſtiana diſciplina,* inquit D. Auguſtinus, *omnia bella culparet, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abiicerent arma, ſeque militiæ omnino ſubtraherent, dictum eſt autem: Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum, quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit.* Quid quod Dominus bella quædam vt gererentur ipſe præcepit, vt cum Iſraëlitarum populo iuſſit,

Matth. 8. Act. 10. Luc. 3. Ad Marcellinum cap. 5.

iuſſit, vt contra Amalechitas expeditio ſuſciperetur? Sic enim in hiſtoria Regum legimus. *Hæc dicit Dominus exercituum. Recenſui quæcumque fecit Amalech Iſraëli, nunc ergo vade & percute Amalech, & demolire vniuerſa eius, non parcas ei:* nec præcepit tantùm ſed etiam miris modis præliantes adiuuit, nam Ioſue depugnante bella Domini, ſolis curſus inhibitus eſt, pluresque lapidum grandine de cælo demiſſa, ex Iſraëlitarum hoſtibus obruti ſunt, quàm militum gladiis interfecti. Machabæis etiam Angeli equitum ſpecie adfuerunt, quorum auxilio illuſtrem de hoſtibus ſuis victoriam reportauerunt, vt dubitari non poſſit, quin diuino conſilio bella illa ſuſcepta fuerint, quibus tam impensè Dominus fauerit.

1. Reg 15.

Ioſue 10.

2. Mach. 10.

2 Sed antequam progrediamur vlteriùs, quandoquidem vt certum ſtatuimus licere Principi cum propriæ Reipubl. intererit, bellum ſuſcipere. Quærat aliquis quid facto opus ſit Principi, cum inter finitimos bellum exarſerit, medium ne ſe vtriſque amicum præbere debeat, nullius partem fouentem, aut iuuantem, an verò ſatius ſit alteri parti ſe adiungere, & pro illorum altero ſtare aduerſus alterum. Alicui fortè videri poſſit melius eſſe neutrum contra alterum iuuare; nam qui inter ſe pugnant Principes, dum illum qui medius eſt ſibi conciliare ſatagunt, aut dum ſibi ab illo metuunt, officiis in illum beneficiiſque certabunt. Deinde, quia ſi contra neminem arma expediat, & rebus ſuis parcet, & ciuium ſuorum ſanguini, & inſuper idoneus pacis ſequeſter inter hoſtes eſſe poterit: ſi verò ſe turbis immiſceat, nec aliis prodeſſe, nec fortè cum voluerit referre pedem honeſtè poterit, & ſuas res in diſcrimen adducet;

An vtile ſit Principi neutrũ contra alterũ iuuare, cũ bellũ inter finitimos exarſerit.

Prou. 26. 17. adducet; nam vt docet Sapiens, *ſicut qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixæ alterius.* Quemadmodum enim canes ſi auribus apprehẽdantur, facilè irritantur, & dentes in prouocantes exerunt: Ita qui aliis inter ſe contendentibus, cum ſua parum aut nihil interſit, ſe tamen immiſcet, exaſperatos iracundia animos facilè concitat, & alterutrum, ſi non vtrumque, ſibi inimicum reddit. Præterea alia exiſtit vtilitas, quod dum ſe finitimi bellis atterunt, atque conficiunt, qui quieti egerunt, ſi fortè laceſſiti iniuria arma iure capere potuerint, integris viribus in hoſtes cooriuntur, & ex aliorum ruinis ſibi parant incrementum; quod ſpectaſſe videtur Rex ille Moabitarum, cum ſuis animos 4. Reg. 3. 23. addens ita loquebatur. *Pugnauerunt Reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuò, nunc ſurge ad prædam Moab.* Verius tamen videtur, vtilius eſſe alteri parti adhærere: nam qui nullam ſequitur, nulli etiam amicus eſſe cenſetur, & qui ſe deſertum videt Luc. 11. 23. iniquo tempore illud vſurpare poſſe videtur; *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Quare D. Paulus cum Iudæos in diuerſa rapi ſtudio religionis animad- Act. 23. 6. 7. uerteret, ſe Phariſæum eſſe palam profeſſus eſt, quæ illi profeſſio cauſa ſalutis fuit; contra quam accidit viris Iabes Galaad, qui propterea quod à Iud. 21. 9. 10. bello quod contra Benjamitas vniuerſæ tribus indixerant abſtinere noluerant, cæſi ipſi ſunt, & eorum vrbs capta & euerſa eſt. Nec Lais ciuitati vtilius fuit quod cum finitimis nec commercia exerceret, nec amicitias coleret, nec fœdere vllo iungeretur, nam propterea cladem ingentem paſſam eſſe ſacer contextus ſatis indicat, cum ait: Iud. 18. 28. *Percuſſerunt eos in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt*

Digitized by Google

derunt, nullo penitus ferente præſidium, eo quod procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam ſocietatis, ac negotij. Quæ verò hactenus diſputauimus ſaluo partium iure, bellique iuſtitia intelligenda ſunt; nam ſi cum honeſtate vtilitas pugnet, nulli dubium eſſe poteſt honeſtatem vtilitati anteferendam, nec regnandi, aut Regni amplificandi cauſa, cuiuſquam ius violari poſſe.

3 Porrò conditiones nonnullæ adeſſe debent, quæ ſi deſint, bella ſunt iniuſta, auctoritas nimirum legitima in indicente bellum, iuſta belli ſuſcipiendi cauſa, rectus etiam finis, formaque gerendi, de quibus ſingillatim pauca attingemus. Iis igitur Principibus, & Rebuſpublicis, ius eſt gerendi belli, quæ neminem agnoſcunt in rebus temporalibus ſuperioré, cuiuſmodi Reges erant in Scriptura Iſraëlitarum, Perſarum, Aſſyriorum, Ægyptiorum, quorum frequens mentio eſt in ſacris litteris, quorum etiam bella, clades, victoriæ recenſentur. Apud iſtos igitur ius eſt gerendi belli, cum id Reipubl. neceſſitas poſtulauerit: ſed iuſta etiam eſſe debet cauſa propulſandi nimirum iniuriam, iúſque ſuum, ſi quis illud violare tentauerit, defendendi. Eſtque adeò pectori mortalium inſitum bellum ſuſcipiendum non eſſe, niſi iuſta ſubſit cauſa, vt etiam Tyranni alienorúmque Regnorum inuaſores, id iure facere videri velint, cuiuſmodi fuiſſe Nabuchodonoſor ex ſacris litteris legimus, qui cum Hebræos primus, nulláque prouocatus iniuria laceſſere, imò in eorum fines irrumpere non dubitaſſet, ita tamen locutus eſt, ac ſi Hebræi Regium ius violare occupaſſent, vltroque iniuriam aliquam intuliſſent. *Nam cum miſiſſet ad omnes, qui habitabant in* Iudith 1, 7.

Quæ conditiones requirantur, vt bellum quod ſuſcipitur, iure ſuſcipiatur.

 Cilicia,

Cilicia, & Damaſco, & Libano, & ad gentes quæ ſunt in Carmelo & Cedar, & inhabitantes Galilæam, & in campo magno Eſdrelon, & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem vſque ad Ieruſalem, & omnem terram Ieſſe, quo vſque perueniatur ad terminos Æthyopiæ; Iubens nimirum, vt iugo illius colla ſubmitterent, & Nabuchodonoſor Regem ſuum iuſſis illius parendo agnoſcerent, nec quod

Ibid. n. 12. iniuſtè poſtulauerat obtinuiſſet. *Indignatus Nabuchodonoſor Rex aduerſus terram illam iurauit per thronum, & Regnum ſuum, quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.* Quaſi verò fuiſſet aliqua in re violatus ab illis, qui libertatem ſuam propugnare ſtatuerant, Regnum autem Nabuchodonoſor aggredi, aut alia ratione illi incommodare, ne in animo quidem habuerant. Sed nimirum ita Rex loquebatur, vt omnes exiſtimarent ſe ius ſuum defendere, non in alienum inuolare, vimque regionibus illis afferre, quod iuſtis ipſius poſtulatis (vt credi volebat) non acquieuiſſent. Huc ſpectat rectus in bellis ſuſcipiendis finis, quæ eo fine ſuſcipienda ſunt, vt ſine iniuria in pace viuamus. Itaque Dominus præcipit in Deuterono-

Deut. 20. 10. mio. *Siquando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem.* Nec Dauid cum Golia pugnaturus aliud ſpectauit quàm populi ſui tranquillitatem, & pacem, diuinæque gloriæ amplificationem, quam auctum iri ſperabat, ſi carneam illam turrem gentis paleſtinæ propugnaculum euertere & ad terram affligere potuiſſet; Quare

1. Reg. 17. 46. Philiſtæum ita alloquebatur. *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera caſtrorum Philiſtiim hodie volatilibus cæli, & beſtiis terræ, vt ſciat omnis terra, quia*

eſt

Digitized by Google

eſt Deus in Iſraël, & nouerit vniuerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta ſaluat Dominus, ipſius enim eſt bellum, & tradet vos in manus noſtras. Tandem quoad modum gerendi bellum illud vt iuſtè geratur, ſeruandum eſt, vt ſanguini humano, quantum fieri poteſt, parcatur. Quare conditionem accepit Saul Iſraélque vniuerſus, quam propoſuerat Golias cum diceret, *Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen; Si quiuerit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui; Si autem ego præualuero, & percuſſero eum, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis.* Hoc ſi optaſſet Abner, qui poſt extinctum Saulem exercitum Isboſeth cum imperio moderabatur, ſanè iuſtè feciſſet, ne enim Gentilium ſuorum ſanguis funderetur abſque vitio à Ioab Dauidici exercitus Duce poſtulare potuiſſet, vt patria aliquot ſelectorum militum componerentur, quo ſcilicet paucorum periculo cæteris incolumitas pararetur. *Egreſſuſque eſt Abner filius Ner*, inquit Regum hiſtoria, *& pueri Isboſeth filij Saul de caſtris in Gabaon, porrò Ioab filius Saruia, & filij Dauid egreſſi ſunt, & occurrerũt ei iuxta piſcinam Gabaon, & cum in vnum conueniſſent, è regione ſederunt, hi ex vna parte piſcinæ, & illi ex altera. Dixitque Abner ad Ioab. Surgant pueri, & ludant coram nobis, & reſpondit Ioab, ſurgant: ſurrexerunt ergo, & tranſierunt numero duodecim de Benjamin ex parte Isboſeth filij Saul, & duodecim de pueris Dauid, apprehenſoque vnuſquiſque capite cõparis ſui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt ſimul, vocatumq́, eſt nomen loci illius, Ager Robuſtorũ in Gabaon.* Verùm credibilius eſt, nullum interceſſiſſe pactũ inter illos pacis poſt duellum ineundæ, ſed ſtrenuitatis, fortitudiniſque duntaxat oſtentandæ cauſa, milites

1. Reg. 17. 8.

2. Reg. 2. 12.

Digitized by Google

illos depugnaſſe, quare poſtquam mutuis vulneribus, duodecim illa pugnatorum paria occubuerunt, exercitus etiam vtrique conflixerunt, vt enim legimus ibidem, *Ortum eſt bellum durum ſatis in die illa, fugatuſque eſt Abner, & viri Iſraël à pueris Dauid.* Nec contra ea quæ diximus obiici poteſt, Dominum præcepiſſe, vt terræ Chanaan habitatores penitus abolerent, vt habemus in libro Numerorum. Nam bellum inter Dauidem & Isboſeth ciuile erat, & inter eos gerebatur, qui eiuſdem Reipubl. partes erant, eiuſdemque Religionis cultores: quod verò cum Chananæis Domino auctore ſuſceperant, eo ſpectabat vt ſimul cum impia gente idolis addicta, & omnibus ſceleribus cooperta, profanus cultus tolleretur, & Hebræis pacata ſedes pararetur, omníſque in ethnicorum vitia prolabendi occaſio remoueretur, nationibus illis penitus exciſis. Itaque Iſraëlitæ, qui Domini voluntatem habebant exploratam, ſeſe, vt id, quod Domino gratum eſſe ſciebant, facerent, nuncupato etiam voto obſtrinxerunt, vt eodem Numeri libro legimus. *Iſraël,* inquit, *voto ſe Domino obligans ait, ſi tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius.* Quod votum Domino fuiſſe gratiſſimum Scriptura ſignificat, cum ait. *Exaudiuitque Dominus preces Iſraël, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubuerſis vrbibus eius, & vocauit nomẽ loci illius Horma, id eſt anathema.*

Ibid. n. 15. | Num. 21. 2. | Ibid. n. 3.

De facialibus mittẽdis, & rebus iniuſtè ablatis, aut occupatis antequam ad arma veniatur, repetendis.

4 Illud tandem aduertendum eſt, quandoquidem bella tardè ſuſcipienda ſunt, eaque duntaxat, quæ pia, & pro defendenda Republ. neceſſaria fuerint, priuſquam exercitus, & arma expediantur, legatos res repetitum mittendos eſſe; qui ſi poſtulata impetrauerint, à violentia erit abſtinendum;

nendum; ſin minus, bellum erit indicendum, vt nimirum & hoſtes, & quicumque alij, qui quod factum fuerit cognouerint, à quo ſtet iuſtitia, quique recti fines tranſilierit, intelligant. Nouem tribus Iſraël contra tres, quæ primæ iuxta Iordanem ſortis ſuæ funiculum nactæ fuerant, bellum cogitabant indicere, quod veram patriámque religionem prodidiſſe dicerentur, ergo certos quoſdam homines legarunt ex primariis populi *Phinees ſcilicet filium Eleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo, ſingulos de ſingulis tribubus,* qui nimirum diligenter cognoſcerent vera ne eſſent, quæ de ipſis fama vulgauerat, dicerentque. *Hæc mandat omnis populus Domini, quæ eſt iſta tranſgreſſio? cur reliquiſtis Dominum Deum Iſraël ædificantes altare ſacrilegum, & à cultu illius recedentes?* Iephte etiam cum primum Principatum auſpicatus eſt, bellúmque cum Ammonitis inſtaret, antequam manus armis admoueret, *Miſit nuncios ad Regem filiorum Ammon qui ex perſona ſua dicerent. Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me, vt vaſtares terram meam? quibus ille reſpondit, quia tulit Iſraël terram meam.* Cui rurſus Iephte factum excuſare aggreſſus eſt, cauſaſque afferre propter quas Iſraëlitæ cum de Ægypto aſcenderent, bellum geſſiſſent contra filios Ammon, quod ſcilicet aditu eos ad promiſſam à Domino regionem armis prohibere inſtituiſſent, contra quos bellare coactus eſt, vt ad poſſeſſionem ſuam adeundam viam ferro aperiret, quandoquidem hoſtilibus alioqui copiis iter fuerat interſeptum. Qui verò ita circunſpectè bella ſuſcipiunt, vt pacem potiùs optent omnique ratione contendant hoſtes ſuos ad officium faciendum inducere, eos dixerim *ſanctificare bellum,*

Ioſue 24. 13.
Ioſue 22. 16.
Iud. 11. 12.
Mich. 3. 5.

lum, quod alicubi legimus apud Prophetam; nam & iura ſua defendunt, nihilque moliuntur, quod diuinæ legis, naturæue præſcripto aduerſetur; ſed arma ipſa quæ tractant, bellúmque quod gerunt iuſtitiæ ſtudio, cauſæque pietate ſanctificant: qui verò ſecus faciunt, omnéſque belli mouendi occaſiones arripiunt, ciuiúmque ſecuritatem per incertos euentus certaminum in diſcrimen adducunt, tenuis alicuius compendij cupiditate, certa, grauique iactura victoriam petentes: Ij ſanè, vt moderatè loquar, inconſultè faciunt, cum non alibi cunctantior Princeps eſſe debeat, quàm in expediendis armis, belliſque ſuſcipiendis, ex quibus omnium malarum rerum pelagus exundat, etiamſi iuſtiſſima ſint; quam etiam Fortaſſis
2.Reg.24.14. ob cauſam cum Dauidi Peſtis, Belli, Famíſve optio data eſſet, Peſtem bello duxit eſſe potiorem.

An pax perpetua ineunda ſit, an verò ad tempus tantùm.

5 Cæterum, quia finis belli pax eſt; Quærat aliquis ſatius ne ſit pacem cum hoſtibus quibus reconciliamur ad certum tantùm tempus inire, an verò perpetuam, & nulla temporis periodo finiendam? Reſpondeo pacem perpetuam eſſe debere, hoc enim ab induciis diſtinguitur quæ ad certum tempus inter hoſtes conciliari ſolent. Si enim ad tempus tantùm pax fiat, nec ſuſpiciones inter Principes aut Reſpubl. amoliri, nec diſcordiarum fibras, ac radices exſcindere, nec curis ſoluti quiete agere poterimus, contra quam optat
1.Timot.2.1.2. Apoſtolus, qui fidelibus *obſecrationes, orationes, poſtulationeſque*, indicit, *pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillã vitam agant*, & alibi, propius ad rem noſtram, cunctis à Do-
2.Theſſ.3.16. mino pacis, ita bene precatur; *Ipſe autem Dominus*

pacis

pacis det nobis pacem ſempiternam, vt nimirum *in charitate fundati & radicati*, vt idem loquitur ad Epheſios ſcribens, amicitias bona fide, firmitérque colamus. Itaque in veteri lege fœdera frequenter appellantur ſempiterna, quod multis locis repetitur in Geneſi, Numeris, Paralipomenis, Iſaia, & alibi, & pacta ſalis, hoc eſt firma, ſtabilia, perennia. Quemadmodum enim ſal carnes prohibet ne putreſcant, eáſque conſeruat; ita pactum ſalis illud eſt, quod à corruptione & violatione alienum eſt, quia ſcilicet firmum, ratum, perpetuum eſt. Quod ſi fortè fœderum memoria temporis longinquitate obſoleſcat, miſſis legationibus ſubinde renouanda eſt, & conuentorum leges, pactáque inſtauranda, quod Iudæos cum Romanis, & Spartanis feciſſe legimus in Machabæorum hiſtoria. Quemadmodum etiam fœdus quod Dominus cum populo ſuo pepigerat, eiuſdem voluntate, & iuſſu frequenter renouabatur, vt nimirum obliuioni occurreretur, nec apud dilectam illam Rempubl. legum cum Deo pactarum memoria poſſet intercidere.

Epheſ. 3. 17. Geneſ. 9. 16. & 17. 7. Num. 25. 13. 1. Paralip. 16. 15. Iſai. 24. 9. Num. 18. 19. 1. Machab. 12. 14. 15.

De belli Duce, eiuſque notis.

CAPVT XI.

Ducẽ belli optimum quærendũ, cum bellãdi neceſſitas incubuerit.

1 PRinceps cui belli incubuerit neceſſitas, in eo curam intendat, vt egregium copiis ſuis Imperatorem paret, nam militaris turba ſine duce, quid aliud ſit quàm corpus ſine ſpiritu, quàm Remiges ſine gubernatore curſum dirigente?

gente? viderunt hoc Iſraëlitæ, qui cum exercitum ingentem coëgiſſent, omniúmque voluntates in idem conſpirarent, ita enim loquitur Scri-
Iud.10.11. ptura; *Conuenit vniuerſus Iſraël ad ciuitatem quaſi homo vnus, eadem mente vnoque conſilio*; Ducem nihilominus tam diligenti ſtudio quærendum putauerunt, vt tanquam de re maximi momenti Domini oraculum expeterent. ita enim ibidem
Ibid. n.18. Iudicum narrat hiſtoria. *Qui ſurgentes venerunt in domum Dei, hoc eſt in Silo, conſuluerúntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro Princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus reſpondit Dominus. Iudas ſit Dux veſter.* Nec deſunt in Scriptura rei malè geſtæ, aut in vltimum diſcrimen adductæ exempla, propterea quod aut nullus eſſet exercitui Dux, aut ſi quis erat, cecidiſſet in bello;
2.Reg.4.1. Cum cecidiſſet Abner in Hebron. *Omnis Iſraël perturbatus eſt*, tanto duce deſtitutus, vnoque Ho-
Iudith.14.17. loferne capite truncato, *Principes virtutis Aſſyriorum ſciderunt omnes veſtimenta ſua, & intolerabilis timor & tremor cecidit ſuper eos, & turbati ſunt animi eorum valde, & factus eſt clamor incomparabilis in medio caſtrorum eorum, cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audiſſet, fugit mens & conſilium ab eis, & ſolo tremore & metu agitati fugæ præſidium ſumunt, ita vt nullus loqueretur cum proximo ſuo, ſed inclinato capite relictis omnibus euadere feſtinabant Hebræos, quos armatos ſuper ſe venire audientes, fugiebant per vias camporum, & ſemitas collium.* Vidit etiam Syriæ Rex, cui cum Iſraëlitis erat bellum, maximum eſſe in Imperatore momentum; quare ita ſuis
3.Reg.22.31. præceperat, *Non pugnabitis contra maiorem & minorem quempiam, niſi contra Regem Iſraël ſolum*: quod diſcrimen Rex ille præcauere niſus eſt, ac proinde

inde Regia abiecta purpura Imperatorioque paludamento, plebeij ac vulgaris militis indutus amiculo, ne ſcilicet ab hoſtibus agnoſceretur, pugnam ingreſſus eſt. *Porrò*, inquit, *Rex Iſraël mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum.* Ibid. n. 30.

2 Sed quærat hic aliquis, expediatne Regem ipſum in caſtris verſari, & Imperatorem agere, an ſatius ſit partes ſuas alteri mandare, qui fide & ſtrenuè Principis ſui bella depugnet. Ac ſanè Regum munus eſſe, ante ſuos in bellum deſcendere illud ſuadet, quod non Principes tantùm, aut Paſtores populorum dicuntur Reges in ſacris litteris, ſed etiam Duces; nam Dominus cum alloquitur Samuelem, à quo Saul in Regem inungendus erat, ait. *Vnges eum Ducem ſuper populum meum Iſraël.* & Regni Iſraëlitici primores cum Dauidem admouerent ad Regnum, dicebant; *Ecce nos os tuum & caro tua ſumus, ſed heri & nudiuſtertius cum eſſet Saul Rex ſuper nos, tu eras educens & reducens Iſraël: Dixit autem Dominus ad te. Tu paſces populum meum Iſraël. & tu eris Dux ſuper Iſraël.* Et Salomon cum Dauidis adhuc ſuperſtitis voluntate regnum accepit, non Rex tantùm, ſed populi etiam Dux appellatur: *Sedebit* (Salomon inquit Dauid) *ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me, illique præcipiam, vt ſit Dux ſuper Iſraël, & ſuper Iudam.* Nec aliud fuit populi votum Regem poſtulantis. *Rex* (inquiunt) *erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* His addi poſſunt exempla fortiſſimorum Principum, qui ſuis ipſi exercitibus præfuerunt, vt Alexander Macedo, cuius laudata eſt in ſacris litteris fortitudo: Saul; Dauid, aliique, qui quanto

An debeat Princeps in caſtris verſari, & belli Ducē agere.

1. Reg. 1. 16.

2. Reg. 5. 1.

3. Reg. 1. 35.

1. Reg. 8. 19.

Digitized by Google

quanto maiore ſunt auctoritate, quàm inferiores Duces, tanto faciliùs continent in officio, ſuaque præſentia militem vrgent, vt ſeſe alacriùs impendat, periculáque non reformidet, quod ſcilicet ſe ſpectante Principe non gratuitò fortem futurum eſſe confidat. Sed alteri etiam parti ſua firmamenta non deſunt, quibus probatur Principem, quo extincto totius Reipubl. ſtatus periclitari ſolet, dubiis præliorum euentis eximendum eſſe, quod Dauidis milites ſpectauerunt, nam cum Rex tributo in tres partes exer-
2.Reg.10. 2. citu dixiſſet: *Egrediar & ego vobiſcum. Reſpondit populus: Non exibis, ſi enim fugerimus non magnopere ad eos* (hoſtes ſcilicet) *de nobis pertinebit, ſiue media pars ceciderit è nobis, non ſatis curabunt; quia tu vnus pro decem millibus computaris; melius eſt igitur vt ſis nobis in vrbe præſidio, ad quos Rex ait, Quod vobis videtur rectum, hoc faciam.* In eandem ſententiam addita etiam iuriſiurandi religione, viri Dauid Principem ſuum ab expeditionibus bellicis prohibentes, locuti ſunt. Nam cum Rex prope abfuiſſet à vitæ periculo, Abiſai conſobrini ſui præ-
2.Reg.21. 17. ſidio ereptus, *Iurauerunt viri Dauid dicentes: Iam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſraël.* Quare caſtris abſtinuit, belláque per duces ſuos, Ioab præſertim virum nauum, & multis præliis exercitum adminiſtrauit. Quod plerumque Principibus faciendum cenſeo, niſi grauiſſimum aliquod periculum vniuerſæ immineret Reipubl. quod niſi præſente Rege auerti non poſſe putaretur. Tunc enim inducenda ſunt illi arma, ſtandum in acie, & pro communi ſalute Regni, aut Prouinciarum fortiter depugnandum, citra verò huiuſmodi periculum minora bella Ducibus

Digitized by Google

Ducibus etiam minoribus arbitror deleganda.

3 Illud etiam monendi ſunt Principes, ſummum rei militaris Præfectum, vnum tantum eſſe debere, ne fortè æquato inter duos aut plures imperio diſſenſionibus inter ſe diſcordent, remque totam in magnum aliquod periculum adducant. Duo fratrum paria in rei de qua agimus confirmationem afferri poſſunt. Machabæi duo Simon & Iudas Mathathiæ filij; his enim quamuis vt propinguitatis ita amoris vinculo inter ſe coniunctiſſimis, populi regendi cum ita credita eſt, vt Iudas bellicis expeditionibus, cum ſummo Imperio præeſſet, Simon verò qui conſilio plurimùm valebat, tanquam cæterorum in reliquis Pater eſſet. *Vos ergo filij*, inquit Mathathias, *confortamini & viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis. Et ecce Simon frater veſter ſcio quòd vir conſilij eſt, ipſum audite ſemper, & ipſe erit vobis Pater. Et Iudas Machabaus fortis viribus à iuuentute ſua, ſit vobis Princeps militia, & ipſe aget bellum populi.* Idem iudicium de Moſe, & Aaron, quamuis enim Moſi populi imperium deprecanti Aaron ſocius diuino nutu additus fuerit, dicente Domino ad Moyſen, *Aaron frater tuus Leuites, ſcio quod eloquens ſit, ecce ipſe egreditur in occurſum tuum, videnſque te latabitur corde, loquere ad eum & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & oſtendam vobis quid agere debeatis, ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum:* Quamuis patratis ſignis, rebus quæ à Moyſe proponebantur, auctoritatem conciliauerit, orationéque ſua fidem apud populum fecerit, ita enim eodem libro legimus, *Locutuſque eſt Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moyſem, & fecit ſigna coram populo; & credidit populus.*) ſumma

An vnum tãtùm belli Dux, an verò plures eſſe debeãt.

1. Mach. 2. 64.

Exod. 4. 14.

Ibid. n. 30.

ma tamen populi regendi, bellique adminiſtrandi poteſtas penes Moyſen fuiſſe videtur, qui cum imperio cunctis præeſſet, Reipubl. habenas, & pacis tempore & belli moderaretur. Nec reprehenſione aut pœna caruit Barac, qui cum aduerſus Siſarã diuinitus Dux electus eſſet, ad bellum egredi non audebat, niſi Deboram prophetidem

Iud.4.8. ſibi ſociam expeditionis aſciſceret; nam *dixit ad eam Barac; ſi venis mecum vadam, ſi nolueris venire mecum, non pergam: quæ dixit ad eum, Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara*; quod vt ab ea prædictum eſt, ita planè accidit; nam Iahele tempo-

Iud. 4. 24. ra Siſaræ clauo perforante gloriam ſublati hoſtis, qua Barac fuerat vitio ſuo fraudatus, conſecuta eſt, iiſque qui cum imperio exercitibus præſunt, documentum reliquit, nec vno Duci geminos, nec mulierem viro præferendam aut æquandam fuiſſe. Sed ad Imperatoris notas deueniamus.

In belli Duce rei militaris peritiam, quæ experientia colligitur requiri.

4 Primùm igitur rei militaris ſcientiam, peritiamque longo vſu, & exercitatione collectam, in ſupremo Duce requiro. Neque enim regendis exercitibus ille aptus fuerit, qui nunquam vrbe pedem extulerit, aciem viderit, tubæ ſonitum, caſtrorúmque fremitũ audiuerit, ſed is tandem, qui multa expleuerit ſtipendia, cum hoſtibus pedem crebrò contulerit, expertuſque didicerit, quomodo extruenda aut explicanda ſit acies, locanda caſtra, cum hoſtibus confligendum, cæteráque calluerit, quæ militari experientia, meliùs quàm lectione librorum aut ingenij bonitate Duces aſſequuntur. Talis ſanè Dux Ioſue fuit fi-

Ioſue 1.1. lius Nun, qui frequenter in ſacris litteris *Moyſi miniſter* appellatur, quod ſcilicet eius lateri perpetuò

Digitized by Google

tuò affixus, tam excellentis exemplaris intuitu adminiſtrandorum bellorum doctrinam excellentem hauſerit; adhuc enim ſuperſtite Moyſe, exercitúmque Iſraëlitici populi ductante, difficillimis expeditionibus Moſis iuſſu non ſolùm interfuit, ſed etiam præfuit, cuius militari prudentiæ tantum datum eſt, vt militum delectus, pugnădíque cum hoſtibus modus illi penitus committeretur: ita enim legimus in Exodo. *Dixitq́ Moyſes ad Ioſue, elige viros, & egreſſus pugna contra Amalech. Fugauitq́ Ioſue Amalech, & populum eius in ore gladij.* Sic Dauidis adhuc paſtoris, mox futuri militis, tum tribuni, tandémque ſupremi Iſraëlis Ducis tyrocinium aſſiduę venationes imbuebant. Fuit autem puerilis illius exercitatio luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, edita montium iuga ſuperare, horrentibus ſcopulis gradum inferre, & cum obuiis belluis certare, cum fugacibus curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu. Itaque verè apud Saulem penè puer gloriatur, cum ait. *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos & percutiebam, eruebamq́ de ore eorum, & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamq́ eos. Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* Quę Dauidis facta commemorans Eccleſiaſticus. *Cum leonibus,* inquit, *luſit quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit ſicut in agnis ouium, in iuuentute ſua.* Mox à ſylueſtribus iſtis pugnis ad arma progreſſus meruit in Saulis caſtris, & poſt Goliam ſingulari certamine proſtratum; *Fecit eum Saul tribunum ſuper mille viros, & egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi, in omnibus quoque vijs ſuis Dauid prudenter*

Exod. 17. 9. & 13.

1. Reg. 17. 34.

Eccleſ. 47. 3.

1. Reg. 18. 13.

denter agebat. Mox Saule Dauidis caput data opera, occaſionéque quæſita periculis obiectante
Ibid.n.25. (nam *Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philiſtinorum*) regiones hoſtium populatus, ducentíſque viris interfectis eorum præputiis Regi annumeratis, non magis vxoris Michol, quam adamauerat, nuptias, quam Regis ſibi conciliauit odium, qui cum omnia illius incrementa ſuſpecta haberet, de medio ſublatum Dauidem cupiebat, quem Regno diuina deſtinatione, populíq; illum amore proſequentis fauore, imminere animaduertebat. Tandem fuga elapſus Dauid multíſque modis à Saule iactatus, ad Achis Regem Geth ſe recepit, indéque excurſionibus ſubinde factis arma ſitum contrahere non ſinebat, donec ſatraparum ſuſpicionibus aliam ſibi ſedem parare iuſſus eſt. Tandémque ad Regnum admotus, cum Hebræorum hoſtibus tantum geſſit bellorum, vt à Domi-
1. Par. 28. 3. no *vir bellator appellatus ſit*, multíque viri bellatores, armorúmque tractandorum peritiſſimi, tanquam ex militari quodam Dauidis ludo extiterint, quorum catalogus texitur in Regum hiſtoria, breuiter etiam ac ſummatim inſignibus eorum facinoribus commemoratis, quæ ex loco indicato quilibet cognoſcere poterit. Quæ verò de Ioſue & Dauid dicta ſunt, de aliis etiam nonnullis Ducibus dici poſſunt, Iephte, Ioab, Iuda Machabæo, qui non prius exercituum Imperatores renunciati ſunt, quàm diuturna tractandorum armorum experientia, militaris ſcientiæ laudem ſibi parauiſſent. Sed de hoc ſatis.

Corporis etiam fortitudo militares labores ferre poſſit.

5 Illud etiam in exercitus Imperatore videtur optandum, vt vel ad militum beneuolentiam colligendam, vel ad inertium metus eximendos, vel ad

ad acres & erectos virtutis exemplo magis ac magis excitandos ea ſit virium firmitate, vt cum militibus ſuis laborum particeps eſſe poſſit, iſque animi vigor ſit, vt ad pericula capeſſenda non deſit audacia. Itaque corpus exercendum eſt, vt inediæ patiens ſit, vigiliæ, algoris, æſtus, cúmque ad arma veniendum eſt, Princeps in prœlium deſcendere non dubitet, ſi res ita poſtulet, eóque conſerto vltimus excedat ex acie. Digna ſanè ſtrenuo Imperatore vox illa Gedeonis, qua ſuos excitabat milites. *Quod me facere videritis*, inquit, *hoc facite, ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero ſectamini.* Iud.7.17.
Nec fortiùs locutus eſt quàm fecit, nam primus ipſe Madianitarum ſtationes ingreſſus eſt, vt ipſa Scriptura docente colligimus, cum ait: *Ingreſſusq́ eſt Gedeon, & trecenti viri, qui erant cum eo in partem caſtrorum.* Ibid.n.19.
Hac etiam de qua loquimur corporis fortitudine animíque ſtrenuitate præditus fuit Dauid, de quo præter cætera quæ multis locis de illo ſacræ prædicant ſcripturæ, ita legimus in Regum hiſtoria. *Ipſe eſt* (Dauid ſcilicet) *quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* 2.Reg 23.8.
Quo loco Dauidis fortitudo cum celeberrimi cuiuſdam bellatoris fortitudine componitur, cuius Hebraicum nomen in Latinam dialectum tranſlatum, tenerrimum ſonat ligni vermiculum, cuius nimirum egregia facta, quo tempore Regum hæc hiſtoria conſcripta eſt, omnium ore celebrabatur, illúdque præſertim quod vno impetu, vnóque congreſſu octingentos occidiſſet. Et ſanè Dauidi inter tot bella, terrores, fugas, præſentiſſimáque vitæ pericula locus non fuit, aut tempus delicias conſectandi cum puer agitaret in montibus parentis ouiculas paſcens, cúmque in ſpelun-
 cis

cis Saulis metu latitaret, vigiliarum, ſomníque nec die nec nocte diſcriminata tempora habere potuit, cibíq; ac potionis tantum adhibuiſſe credendus eſt; non quantum ſuaderet voluptas, ſed quãtum ſedando naturali deſiderio ſatis eſſe poſſet. Eóque aliquando compulſum legimus vt Abimelech ſacerdotem in hæc verba rogare coactus ſit; *Nunc ergo ſi quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, vel quidquid inueneris*, vt ſcilicet ipſe famem, quíque illum comitabantur, ſedare poſſent. Huiuſmodi ergo Ducem milites nacti nihil non audent; támque præſenti ſunt animo, vt difficultatibus obluctari, eáſque perrumpere non reformident, donec ſibi, & Duci cum victoria, gloriam etiam & decus inſigne pepererint.

1. Reg. 21. 3.

Prudentia militari Ducẽ præditum eſſe debere.

6 Cæterùm fortitudini prudentia iungenda eſt, eáque illa regenda, vt ſcilicet omnia in bello cautè Dux circunſpiciat, ne feſtinatione præpropera, aut incauta temeritate, rei bene gerendæ occaſiones corrumpat, aut etiam in diſcrimen aliquod adducat. Sunt enim aliqui adeò rudes, & hebetes vt paratas inſidias, & pericula quæ in oculos incurrunt non aduertant, auiculis quibuſdam incautioribus ſimiles, ante quas cum retia explicentur, & ad capiendum inſtruantur, in ea tamen, aut in laqueos ab aucupe poſitos, ſe induunt, de quibus fortè accipi poteſt illud Sapientis. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum:* vt ſenſus ſit, tanta eſt quarumdam ſimplicitas auium, vt etiam apertas inſidias non declinent, ſed retibus aut laqueis quantumuis apparentibus pedes aut collum inſerant. Itaque laudandus Samariæ Rex, cui cum Leproſi illi dixiſſent, *Iuimus ad caſtra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, niſi equos & aſinos*

Prou. 1. 17.

4. Reg. 7. 10.

Digitized by Google

nos alligatos, & fixa tentoria, ſuſpicatus hoſtes inſidias fugæ ſimulatione texiſſe, ita ſuos allocutus eſt: *Dico vobis, quid fecerint nobis Syri, ſciunt quia fame laboramus, & idcirco egreſſi ſunt de caſtris, & latitant in agris, dicentes. Cum egreſſi fuerint de ciuitate, capiemus eos viuos, & tunc ciuitatem ingredi poterimus:* nec prius hoſtes fuga dilapſos eſſe credidit, quàm miſſis exploratoribus, deſertis caſtris, ſarcinis, veſtibus, ac vaſis omnis generis abiectis, panico terrore diuinitus immiſſo, ſe inde Syros timore perculſos proripuiſſe cognouiſſet. Quem ſi Gorgias fuiſſet imitatus, ſanè ſibi melius, ſuíſque conſuluiſſet: Nam, vt legimus in Machabæorum hiſtoria, *Venit Gorgias in caſtra Iudæ noctu, & neminem inuenit, & quærebat eos in montibus, quoniam dixit: Fugiunt hi à nobis. Sed cum dies factus eſſet, apparuit Iudas in campo*, Gorgiáque abſente cum hoſte conflixit, plurimíſque cæſis, caſtris Gorgiæ, & opulenta præda potitus eſt. Itaque quod monet Salomon cum ait, *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*, ſedulò ſeruandum eſt, ne ſcilicet in cippum aliquem, aut laqueum impingat Dux, ſeróque dicere incipiat. Non putaram. Hanc ob cauſam Eſdras amicitiam fœdúſque ſuſpectum habuit, quod Iſraëlitarum hoſtes cum ipſo pangere ſatagebant, miſſis nuntiis qui dicerent; *Veni & percutiamus fœdus pariter*: nam prætenſo amicitiæ & fœderis honeſto nomine parabantur inſidiæ; *Ipſi autem*, inquit Eſdras, *cogitabant vt facerent mihi malum.* Cautè igitur eorum conatus eluſit nunciis miſſis, qui dicerent: *Opus grande ego facio, & non poſſum deſcendere, ne fortè negligatur cum venero, & deſcendero ad vos. Miſerunt autem ad me ſecundum verbum hoc per quatuor vices; & reſpondi eis iuxta ſermonem prio-*

Ibid. n. 12.

1. Mach. 4. 5.

Pro. 4. 25.

Eſdr. 26. 2.

Ibid. n. 3.

 rem.

rem. Ad hanc etiam prudentiam militarem de qua agimus, illud ſpectat in primis, vt à belli Duce omnis abſit temeritas, & omnia cautè & cum cõ-
Ioſue 7. 4. ſilio adminiſtrentur. Sic Ioſue cum renuntiaſſent exploratores duo millia militum ſatis eſſe ad occupandam Hai, ipſe tamen eò tria millia deſtinauit. Contra verò temeritatis notam meritus eſt Amaſias Rex Iuda, qui cum ſecundo prælio cum Idumæis conflixiſſet, ſucceſſu elatus Ioas Regem Iſraël ſuis iam viribus præfidens, prouocauit ad
4. Reg. 14. 9. bellum, cuius confidentiam poſtquam Ioas irriſiſſet, Cardui parabola, qui cedri Libani filiam in vxorem filio ſuo depoſcere non dubitauit, cornua etiam contudit: nam cum prȩlio decreuiſſent, qui plus audaciæ quàm virium attulerat, profligatus eſt, verúmque eſſe Salomonis oſtendit ora-
Prou. 16. 18. culum dicentis: *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus.*

Plurimũ in belli Duce exiſtimationem quæ de ipſius virtute habetur, ad res bene gerendas momenti habere.

7 Porrò ex militari prudentia, & fortitudine quaſi quædam ſoboles naſcitur exiſtimatio, quæ ad res bene gerendas mirum quantum prodeſt. Cum titulos, quibus olim decorandus erat, eximius ille Princeps quem deſcribit Iſaias, enumerat Propheta, eum *fortem* appellat & *conſiliarium*, quorum primum ad bellicam virtutem, ſecũdum ad prudentiam ſpectat: quare mirum non eſt ſi audiat etiam *admirabilis*, quæ laus dotes iſtas in
Iſa 9. 6. Imperatore conſequitur. Multa præclarè geſſerat in bello Holofernes, quæ Scriptura enumerat
Iudith 2. 12. cap. ſecundo hiſtoriæ Iudith: nam *venit ad magnos montes Angæ, qui ſunt à ſiniſtro Ciliciæ, aſcenditq́ omnia caſtella eorum, & obtinuit omnem munitionem. Effregit autem ciuitatem opinatiſſimam Melothi, prædauitq́ omnes filios Tharſis, & filios Iſmahel, qui erant con-*

tra

tra faciem deſerti, & ad auſtrum terræ Cellon, & tranſiuit Euphraten, & venit in Meſopotamiam, & fregit omnes ciuitates excelſas, quæ erant ibi à torrente Mambre, vſquequo perueniatur ad mare, & occupauit terminos eius à Cilicia vſque ad fines Iapheth, qui ſunt ad auſtrum. Abduxitq; omnes filios Madian, & prædauit omnem locupletationem eorum, omneſq; reſiſtentes ſibi occidit in ore gladij: & poſt hæc deſcendit in campo Damaſci, in diebus meſſis, & ſuccendit omnia ſata, omneſq; arbores & vineas fecit incidi. Cum ergo tam multa præclarè geſſiſſet, mirum non eſt, ſi nomen ipſius fama circumtulit; tantáque exiſtimatio victorias illas conſecuta eſt, vt quod ibidem additur, *ceciderit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram.* Dauid etiam, vt legimus in hiſtoria Regum; *Fecit ſibi nomen cum reuerteretur capta Syria in valle Salinarum cæſis decem & octo millibus.* Nec minor Iudæ Machabæi apud Iſraëlitici nominis aduerſarios fuit exiſtimatio, eo enim cum exercitu adueniente, ne aſpectum quidem illius ſuſtinuerunt hoſtes. *Et cognouerunt*, inquit, *caſtra Timothei, quia Machabæus eſt, & fugerunt à facie eius, & percuſſerunt eos plaga magna*; quæ virtutis & fœlicitatis opinio aduerſarios conturbat, militum animos confirmat, ciuitatum & prouinciarum ad deditionem ſollicitat, voluntates, exercitus integros in fugam vertit, aut Imperatori adiungit, vno verbo difficultates omnes emollit ac perrumpit, victoriáſque conciliat. Magnum autem eſt in fama momentum, initio bellorum, in quam enim partem, aliqua facta fuerit inclinatio, ſecundo rumore omnia in maius attollente, variè militum animos afficit, nam eorum qui detrimentum aliquod paſſi ſunt, conſternat metúque percellit, eos verò, qui

Ibid n. 15.

2. Reg. 8. 13.

1. Mach. 5. 34.

rem bene geſſerunt, ad audendum reddit alacriores. Hoc potiſſimùm argumento vſum videmus Chuſai Arachitem cum Abſalonem deterreret, ne continuò iis quas habebat copiis, in Dauidem impetum faceret, metum enim iniicere conatus eſt, ne fortè ſi aliquid, dum nimis properatur, peccatum eſſet, pauore vulgato à partibus Abſalonis Iſraëlitas expectatione bellici euentus ſuſpectos abſtraheret. *Cum ceciderit*, inquit, *vnus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, & dicet. Facta eſt plaga in populo, qui ſequebatur Abſalon, & fortiſſimus quiſque cuius cor eſt quaſi leonis, pauore ſoluetur.* Sed de Duce hactenus, ad milites veniamus.

2.Reg.17.3.

De Militum delectu, diſciplina, exercitatione, & armis.

CAPVT XII.

Locus quidam Iſaiæ explicatur, quo egregij militis deſcriptio cõtinetur.

1 EXpediti, fortis, & ad tolerandos labores infracti exercitus egregia deſcriptio eſt apud Iſaiam, in qua, quid in milite ad bellum profecturo deſiderandum ſit, videtur contineri; cum enim exteras nationes immiſſurum Dominum populo ſuo minaretur Propheta, ita loquitur. *Et eleuabit*, Dominus ſcilicet, *ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce feſtinus velociter veniet. Non eſt deficiens neque laborans in eo, non dormitabit neque dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius. Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti.*

Iſai.5.26.

Digitized by Google

tenti. Vngulæ equorum eius, vt ſilex, & rotæ eius quaſi impetus tempeſtatis. Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur & non erit, qui eruat. Sanè expediti qui de finibus terræ velociter adeſſe, ac tantùm non aduolare poſſent. Viribus integris, quòd non eſſet deficiens, aut laborans in eis, ac nocturnas docti excubias, qui neque dormirent, neque dormitarent, ſub armorum pondere minimè fatigati, ſiue ſtandum eſſet in acie, ſiue caſtra aliò transferenda, quippe quorum cingulum renum eorum non ſolueretur, veſtibus bene muniti, ad frigoris & hyemis iniurias perpetiendas, quorum ne corrigia quidem calceamenti rumperetur. Armis probè inſtructi, ſagittis nimirum & arcubus, quibus eo tempore maximus in bellis vſus, nec pedites tantùm, ſed etiam equites, & currus falcati, iique optimi; nam vngulæ equorum eius vt ſilex, & curruum rotæ cùm equis rapientibus per ſaxa decurrerent, quaſi impetus tempeſtatis. Ducis verò ac militum tantus vigor animi, ac robur corporis, vt cum leonibus componi poſſint, rugitus eius vt leonis. Huiuſmodi milites qui nactus eſt, is certiſſimum habet Reipubl. in bellis, ac pace præſidium; quare idem Iſaias alio quodam loco firmamenta commemorans, quæ eſſet Dominus propter peccata populi ex Hebræorum Republ. ſublaturus, *conſiliarium ſcilicet, & ſapientem de archuectis, & prudentem eloquij myſtici iudicem, & prophetam*, etiam milites, & quidem primo loco commemorat, cum ait. *Fortem & virum bellatorem.* & alibi, ciuibus militum præſidio deſtitutis auctor eſt, vt fluuiorum inſtar, quorum aquæ ab vna regione ad aliam maximâ velocitate decurrunt, Iſai.3 2.

ita ſe ſe ab hoſtium impetu, quem ſuſtinere non
Iſa. 23. 11. poſſit ſubducere ſatagant. *Tranſi*, inquit, *terram tuam, quaſi flumen filia maris, non eſt cingulum vltra tibi.* Quæ vltima verba aliqui de mœnium ambitu accipiunt, quo quaſi cingulo ædes, ac fora ciuitatis coërcentur; alij de militibus qui baltheis militaribus accincti eſſe ſolent, vt ſenſus ſit, à militibus planè es deſtituta, ac ſi Italica lingua exprimere volentes omnem periiſſe equitatum, diceremus in Italia, *non c'é reſtata lancia.*

2 Milites ergo Reipubl. neceſſarij ſunt, quibus hoſtes arceantur, & iura ciuitatis ac Regni ſarta tecta conſeruari poſſint. Sed quia non quilibet armis tractandis idonei ſunt, quòd quidam corporis viribus deſtituantur, quidam animi, diligens à Duce habendus eſt delectus, ne ſi confuſam turbam eduxerit in expeditionem, impedimentum potius ſe habere, quàm auxilium ſuo malo tandem intelligat. Quare prudenter faciebat Saul, de quo legimus in libris Regum, *Quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, ſociabat ſibi*; non enim tantum multitudo quantũ virtus in bellis poteſt, & in magnis etiam exercitibus pauci ſunt, qui prælia profligant. Itaque idem Saul ex vniuerſo Iſraëlis exercitu, in quo trecenta ac triginta millia militum cenſebantur, tria tantùm millia elegit, tantuliſque copiis, cum Ionatha filio partitis, rem proſperè geſſit contra Philiſtæos. *Et elegit*, inquit, *ſibi Saul tria millia de Iſraël, & erant cum Saul duo millia, in Machmas & in monte Bethel, mille autem cum Ionatha, in Gabaa Beniamin: porrò cæterum populum remiſit vnumquemque in tabernacula ſua. & percuſſit Ionathas ſtationem Philiſtinorum, quæ erat in Gabaa.* Moſes

Huiuſmodi milites ad defendendam Rempubl. deligendos eſſe.

1. Reg. 14. 52.

1. Reg. 13. 2.

ſes etiam Madianitarum vlturus iniurias, cum in eos, ita iubente Domino, militem educturus eſſet, duodecim tantùm hominum millia, ex totidem tribubus elegit, millenos ex ſingulis, hoſque duntaxat ad profligandum populum armis, viriſque florentem ſatis eſſe duxit, nec eum fefellit opinio; nam quinque regibus cæſis, quorum nomina in Numerorum hiſtoria recenſentur, plurimiſque in bello captis, vicos & caſtella flammis aboleuerunt, prædam plurimam aſportarunt, iumentorum armenta abegerunt, reſque Madianitarum mirum in modum afflixerunt. Sed operæpretium eſt ipſa ſacræ Scripturæ verba audire, quibus deligendorum militum ratio deſcribitur. *Armate*, inquit, *ex vobis viros ad pugnam, qui poſſint vltionem Domini expetere de Madianitis. mille viri de ſingulis tribubus eligantur ex Iſraël, qui mittantur ad bellum.* Minoribus ergo Ducibus ea cura mandatur, vt eos potiſſimùm eligant, quos bene nouerint: hoc enim ſatis indicat, quod dicitur ex vobis, cumque vna duntaxat tribus, quot erant ad expeditionem neceſſarij ſuppeditare poſſet, ex vniuerſis tribubus optimos quoſque ſeligi iuſſit. Niſi fortè, eo conſilio hoc factum dicamus, vt deuictorum hoſtium gloria non vni tantùm tribui priuatim, ſed Iſraëli vniuerſo deberetur, quod ſanè vtiliter Duces exercituum imitari poſſunt. Nam cum exercitus plerumque ex diuerſis conſtent nationibus, non ita fauendum eſt vni, vt cæteræ negligantur, ſed curandum vt ad militare decus omnes pariter (niſi peculiaris aliqua ratio contrarium ſuadeat) aſpirare poſſint. Illuſtre etiam militaris delectus exemplum habemus in Gedeone, qui Diuino imbutus ſpiritu, cum animum

Num. 31. 3.

Ibidem.

mum adieciſſet ad populum ſuum à Madianitarum imperio aſſerendum, conuocatis ad arma popularibus ſuis, non omnes in caſtris habendos
Iud. 7. 3. cenſuit, ſed Domino monente, *Locutus eſt ad populum, & cunctis audientibus prædicauit. Qui formidoloſus & timidus eſt, reuertatur. Receſſerúntque de monte Galaad, & reuerſi ſunt de populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanſerunt. Dixitque Dominus ad Gedeon, adhuc populus multus eſt, duc illos ad aquas, & ibi probabo illos, & de quo dixero tibi, vt tecum vadat, ipſe pergat, quem ire prohibuero, reuertatur. Cumque deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum; qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum, qui manus ad os proiicientes lambuerant aquas trecenti viri; omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian, omnis autem reliqua multitudo, reuertatur in locum ſuum.* Sunt qui putent & inter hos Ioſephus Iudæus, eos qui toto corpore ad bibendum procubuerunt, fortiores fuiſſe, & confidentiores, atque propterea nullo ingruentium hoſtium metu perterritos non timuiſſe ita ſeſe ad potum cõponere, vt non facilè ſe poſſent erigere; trecentos verò vno duntaxat inclinato genu propterea lymphas curuata manu ad os admouiſſe, quòd ab imminentibus hoſtibus incommodi aliquid formidarent, ac propterea vel ad pugnandum ſi opus eſſet; vel etiam ad fugam expediti eſſe vellent. Eo autem conſilio Dominum formidoloſos iſtos delegiſſe potiùs, quàm fortes, vt reportatam deinde victoriam non ſuis

aſcri

aſcriberent viribus, bellatorúmque fortitudini, ſed planè intelligerent fuſos, cæſoſque Madianitas fuiſſe, quòd eos Dominus, cui perinde eſt in paucis ac in multis vincere, in Gedeonis manus tradidiſſet: verum potius ego crediderim eo delectu confidentiſſimum quemque, fortiſſimúmque delectum eſſe, quemadmodum enim qui primo loco dimiſſi ſunt, timidi erant, dictum enim eſt; *Qui formidoloſus, & timidus eſt, reuertatur*, iique relicti ſunt qui belli diſcrimina minus horrebant, cur paulò poſt formidoloſi potius eligendi fuerunt quàm fortes? Propter eam dices rationem, quam Ioſephus inſinuat, vt reportatæ victoriæ decus Diuino auxilio non ſuæ fortitudini acceptum referrent. Atqui quantumuis fortem fuiſſe dicamus exiguam illam trecentorum manum, an non illuſtri miraculo victoriam dicemus adeptos? nam cum tam multi eſſent hoſtes vt locuſtarum multitudini eos ſacra Iudicum hiſtoria, & arenæ quæ in littore maris eſt, contulerit, ſanè mirum eſt, tam multos ſubita conſternatione perculſos, vbi primum Gedeon tubas inflauit amphoraſque comminuit, capeſſiuiſſe fugam, aut ſe mutua cæde confeciſſe, tandemque inter nocturnos terrores, circa torrentium confragoſa palantes periiſſe. Iud. 7. 3.

3 Ætatis autem ratio habenda eſt in eligendo milite, vt neque viribus defecti ſenes, neque pueri teneri adhuc & delicatuli, ſed viri viribus integris militaribuſque laboribus pares vocentur ad ſagum. Quis autem ſit modus ætatis ad bellum aptæ ſatis exprimitur in hiſtoria Numerorum; nam cum cenſus eorum, iuſſu Domini initur, qui ferendis armis apti eſſe poſſunt, ij prætereuntur qui vigeſimo anno minores eſſent. *Numerate*, inquit, *De militũ deligendorum ætate.* Num. 26. 2.

quit, *omnem ſummam filiorum Iſraël, à viginti annis & ſupra per domos & cognationes ſuas cunctos qui poſſunt ad bella procedere*; nam præterquam quod viribus ac corporibus, nondum ad labores perpetiendos duratis, facilè ſuccumbunt qui iuniores ſunt, animus etiam imbecillus eſt, & ad micantium gladiorum, cruoriſque conſpectum conſternatur. Gedeonis filium natu maximum in caſtris, atque inter armorum ſtrepitum educatum fuiſſe par eſt credere, cum tamē parentis iuſſu, in Zebee & Salmana viros Principes Madianitarū Reges, euaginato gladio iuſſus eſt incurrere, eoſque concidere, non eſt auſus; cuius rei rationem illam
Iud.8.20. affert Scriptura quòd puer eſſet, *Dixitque Iether primogenito ſuo, ſurge & interfice eos, qui non eduxit gladium, timebat enim, quia adhuc puer erat.* Quia verò fortes ex fortibus exiſtunt, nec aquilæ imbelles columbas progenerant, aut ex leonibus lepores naſcuntur; ij fortes futuri non immeritò creduntur, qui à parentum maiorúmque ſuorum, aut etiam conſanguineorum virorum in arte bellica fortium, habuerint commendationem. Ita Dauidis domus, fratres ſcilicet & conſobrini à bellica fortitudine laudem conſecuti ſunt. Nota eſt Ioab & Abiſai Saruiæ Dauidis ſororis filiorum ſtrenuitas, Aſaelis etiam mira in currendo velocitas; Ionathan etiam filij Samaa fratris Dauid egregium facinus in Regum hiſtoria narratur; nam cum bellum gereretur in Geth,
2.Reg.21.20. *occidit virum excelſum qui ſenos in manibus pedibuſque habebat digitos, id eſt viginti quatuor: & erat de origine Arapha.* Mathathiam etiam virum fortiſſimum,
1.Machab.2.24. qui primus gentium Iudæos ad profanas religiones trahentium, duróque prementium domina-

tu,

tu, iugum excuſſit, Iudas filius excepit, qui cum ab ipſo Mathatia laudatus eſt, fratribuſque in bellicis expeditionibus præpoſitus, his verbis; *Et Iudas Machabæus, fortis viribus à iuuentute ſua, ſit vobis Princeps militiæ, & ipſe aget bellum populi*; tum rebus geſtis, quæ Machabæorum recenſet hiſtoria, clariſſimus fuit. Nec ruſticam plebem in ſui exercitus milites deſcribere Dux noſter dedignabitur, quos vt pote ſub diuo & in laboribus enutritos, vſus docet hyemem, & æſtatem iuxta pati, humi requieſcere, famem, ſitimque exiguo rerum parabilium guſtu ſedare, quibus nec locus vllus aſper aut arduus eſt, qui tandem nec ipſam mortem multum formidant, cum vrbanarum deliciarum expertes, duritiæ, patientiæque aſſueti, cum è vitæ ſtatione migrandum eſt, non dolent ſe à voluptatibus abſtrahi, ſed potius quod requietem optatam oppetita morte nanciſcantur, alacri animo ſanguinem vitamque profundunt. Talis fuit Samgar, filius Amath, qui vt erat ad ruris opera ſuccinctus, vomere in teli vſum conuerſo, ſexcentos obtriuit Philiſtæos. Talis Dauid, qui de poſt fœtantes ad militarem vitam Regiumque faſtigium euocatus eſt. Talis tandem Gedeon, vt de aliis nihil dicam, qui *cum excuteret, atque purgaret frumenta in torculari* ad populi ſui ducatum, Deo per eum ſalutem populo parante, euectus eſt.

Ibid. n. 66.

Iud. 6. 11.

Nec prætermittendum eſt id, quod apud Hebræos diuinæ legis auctoritate ſancitum reperio, noſque paulò ante cum de Gedeone ageremus indicauimus, vt ſcilicet ab exercitu ignaui omnes, ac formidoloſi remouerentur: ne dum res armis geritur, in fugam auerſi Rempubl. perderent.

Propter

Propter hanc igitur cauſam immunes erant à militia, qui ædificata noua domo nondum integrum annum, illa vſi fuerant, tum qui plantata vinea, nondum ex ea fructus perceperant, & præter hos, qui deſponſata vxore, nondum eam domum duxerant, ne harum rerum deſiderio, ſibi parentes, & ſeruantes ſe relictis voluptatibus, parum fortiter rem gererent. Itaque proclamabant in caſtris. *Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauido? vadat & reuertatur in domum ſuam, ne pauere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut & ipſe timore perterritus eſt.* Atque vtinam noſtris etiam temporibus, aut ſuam trepidationem fateri non erubeſcerent timidi, aut belli Duces huiuſmodi militum iacturam non formidarent, adeò enim iſtorum opera exercitus non indigent, vt potius vulgato, & communicato cum aliis pauore plus ipſi turbent aciem, quàm incurrentium hoſtium cunei, maiorémque cladem à ſuis Reſpubl. capiat, quos pro ſe armatos emiſit ad bellum, quàm abiis, qui ſe illius hoſtes ſunt profeſſi.

Deut.20. 8.

4 Sed tollenda illorum opinio eſt, aut potius error, qui ſibi perſuaſerunt Chriſtianæ Religionis dogmata militum animos frangere, & ad pericula ſubeunda remiſſiores reddere, minuſque feroces. Primò, quòd cruentas animalium mactationes Chriſtiana Religio in hoſtias mutauerit incruentas quo ſanguinis ſpectaculo ab oculis mortalium ſubducto, molliores redduntur animi, & à cædium conſuetudine magis abhorrentes. Sic elephanti ad ſanguinis, aut rei alterius ſanguinem referentis conſpectum efferantur, vt habemus in Machabæorum historia, *Et elephantis*, inquit, *oſtenderunt ſanguinem vuæ, & mori. ad acuen*

An Chriſtiana religio milites ignauos faciat, aut minus fortes.

1.Machab. 6 34.

acuendos eos in prælium. Secundò, quia Chriſtiana religio eos fælices, & beatos prædicat, qui pauperes ſunt, qui elatos ſpiritus non habent, qui mites ſunt, qui illatas iniurias patienti, & æquo animo ferunt, quæ documenta animos deiicere videntur, & ad accipiendam iniuriam, eos qui ea ſequuntur, reddere opportunos. Tertiò, quia Chriſtianis bona inuiſibilia proponuntur in præmium, quod genus bonorum à ſenſibus remotum ſegnius animos irritat, quàm ea bona quæ aſpectabilia ſunt, & præſentia. Quã ob cauſam Moſes à D. Paulo laudatur, quòd *Fide reliquerit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis, inuiſibilem enim tamquam viſibilem ſuſtinuit.* Quartò, quòd Chriſtianis edicat D. Iacobus ne iraſcantur, *Ira enim viri*, vt inquit ipſe, *iuſtitiam Dei non operatur*; at nemo neſcit iram cotem eſſe virtutis, & ſine qua excitari, aut exeri non poſſit, ab illa verò quaſi animatã egregia edere facinora; nam vt eſt apud Sapientem, *Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuã.* Sed contrarium multo verius eſt, ac certius. Primò, quia Chriſtiana religio magna proponit præmia, quibus etiam ad egregia patranda facinora Chriſtianorum animi excitantur. Sic Moyſes qui *In remunerationem aſpiciebat*, vt loquitur D. Paulus, magna omnino fecit, quemadmodum & magna contempſerat. Et de Gentilibus quidem illud Apoſtoli dici poteſt, eos tantos labores poſuiſſe, *vt corruptibilem coronam acciperent, nos verò vt incorruptam.* Secundò, quia corporis valetudo viriumque firmitas Dei donum eſt; *Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.* Qualem fortitudinem Diuino beneficio nactus eſt Caleb, qui

Hebr. 11. 27.

Iacob. 1. 20.

Prou. 18. 14.

Hebr. 11. 26.

1. Cor. 9. 25.

2. Paral. 16. 9.

Ioſue 14. 10. de ſe ipſo verè prædicabat, *Hodie octoginta quinque annorum ſum, ſic valens vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum, illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum.* Hoc autem Diuino munere illum conſecutum fuiſſe teſtatur Eccleſiaſticus, Eccleſ. 46. 11. cum ait; *Dedit Dominus ipſi Caleb fortitudinem, & vſque in ſenectutem permanſit illi virtus, vt aſcenderet in excelſum terræ locum, & ſemen ipſius obtinuit hæreditatem, vt viderent omnes filij Iſraël quia bonum eſt obſequi ſancto Deo*; quam eandem ob cauſam copiis Iſraëlitarum, cum ex Ægypto egreſſi ſunt, largi- Pſal. 104. 37. tus eſt Dominus, *vt non eſſet in tribubus eorum infirmus*, vt cecinit ſanctus Vates. Tertiò, quia Chriſtiana religio cultores ſuos docet quàm facilis ſit vitæ iactura, maxima, & æterna bona ſperantibus, quibus frequenter auditum ſit illud Matth. 10. 28. Chriſti Domini: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere:* ex quo animus pronus fit, vt in ferrum ruat, ſi ſit opus, cui ignauum & pudendum videatur parcere vitæ, olim tanto cum fænore redituræ. Quartò, quia aſtricta eſt, & ſeuera Chriſtiana diſciplina; ſuos enim ad ieiunia, chameunias, tenuem, parabilémque victum, aſperúmque corporis cultum condocefacit, quæ rudimenta ſunt aptiſſima ad Iud. 7. 5. efformandos milites, quos Gedeonicis illis ſimiles facit, qui corpora ad potus voluptatem non abiiciebant, ſed quod naturæ neceſſarium erat, erecti ac ſtantes, aut certè non multùm ad blandientia inclinati, capiebant. Quæ verò à contrariæ ſententiæ patronis obiiciebantur, dilui facilè poſſunt. Ac primò non negamus conſpectu cruoris, & ſanguinis efferari animos, vt illis accidebat,

Digitized by Google

bat, quos Sapientia *comeſtores viſcerum hominum, & deuoratores ſanguinis appellauit*, ſed longo interuallo diſſita ſunt inhumana feritas, & virtus militaris, quod inficiari non poterit qui ad memoriam reuocauerit, quam mites fuerint Dauid, cæteríque Iſraëlitarum Duces, de quibus tamen affirmat D. Paulus *per fidem viciſſe regna, effugaſſe aciem gladij, fortes factos in bello, & caſtra vertiſſe exterorum.* Ad ſecundum, tertiumque argumentum dicimus, Christianam Religionem minuere illam quidem aut tollere gloriæ, aut diuitiarum cupiditatem: accendere tamen in ſuorum mentibus melioris, ac fælicioris vitæ deſiderium, ac bonorum quæ nulla æui diuturnitas corrumpere poſſit; quibus propoſitis multò magis quàm illis generoſi animi impetus incitari poſſit. Quod ſi quoſdam memorant profanorum hiſtoriæ, qui ſe in voragines præcipites pro Republ. dederunt, aut in confertas hoſtium copias ad certam mortem immiſerunt, vt poſthumam captarent famam, cuius ipſi fructum nullum viuentes percepturi erant: quis negauerit promiſſione cæleſtium bonorum tarditatem imbecillitatis humanæ ad decus, & gloriam, & ad fortiter faciendum ſtimulari poſſe? Nec verò Chriſti lege ita commendatur humilitas, aut patientia, aut etiam imperatur, vt cum bellica pugnent fortitudine, neque enim virtutũ chorus ſibi aduerſus eſt, aut contrarius; ſed illud duntaxat præcipitur, vt moderatè agamus, nec licere putemus iniurias illatas perſequi, aut vlciſci auctoritate priuata, vt illi faciebant, de quibus dicitur in libro Sapientiæ, *ſit fortitudo noſtra lex iniuſtitiæ.* Nec quidquam moderatio illa obeſt fortitudini, nam feroces illi, qui ſe, cum procul

Sap. 12. 5.
Hebr. 11. 32.
Sap. 2. 11.

abſunt à periculo, iactant, & ſua prædicant facinora milites glorioſi, cum manus cominus ſunt conferendæ, aliis ſunt magis trepidi, & ad fugam

Pſal. 77. 9. proniores. *Filij Ephrem mittentes & intendentes arcum conuerſi ſunt in die belli.* Ad quartum dicimus, aut neceſſe non eſſe ab iracundia præſidium petere pugnaturis, aut ſi neceſſe ſit, non defuturam Chriſtianis militibus, qui ex Pſalmo frequenter

Pſal. 4. 5. audiuerint, *Iraſcimini. & nolite peccare.*

De diſciplina militari monita quædā.

5 Venio ad diſciplinam militarem, ſeucrámque illam militis conformationem ad robur & virtutem, quæ præcipuum eſt exercituum decus, & ſtabilimentum, quæ victorias parit & triumphos. Ad hanc autem ſpectat in primis, vt Ducis imperiis prompte fortitérque pareatur, qui ſecus fecerint pro magnitudine criminis iuſtas perſoluant pœnas, vt ſcilicet vel mulcta imponatur, vel ignauiæ & dedecoris nota, vel etiam in grauioribus culpis, capitali pœna puniantur. Huc facit

2. Reg. 14. Saulis factum, qui volens meritas à Paleſtinis pœnas ad ſatietatem repetere, cum diris deuouiſſet eum, quicumque intermiſſa cæde, ante noctem cibum caperet, nolens ante tenebras inſequendi, & cædendi finem facere, forte accidit vt Ionathas cum ſuo armigero, qui primus victoriæ illius auctor fuerat, abeſſet à caſtris, ac propterea parentis imprecationes non exaudiret; itaque cum ad ſyluam quandam delatus eſſet, melliſque fauum nactus, mel ſumma virga intincta comediſſet, cum quod acciderat Saul cognouiſſet ex filio, iuriſiurandi religione ductus, ſtudióque ſanciendæ diſciplinæ militaris, quòd iuſſionem parentis improbaſſet triſte exemplum ſibíque luctuoſum, ſed vt videbatur vniuerſo populo ſalubre

Digitized by Google

bre ſtatuit edere, vt nimirum Ionathas neci traderetur, quod parentis decretum æquo animo tulit Ionathas, nec mortem deprecatus eſt. Sed vniuerſa multitudo præſtantem iuuenis de tota gente optimè meriti, indolem miſerata, irato Patri eripuit ac ſeruauit incolumem. Et ſanè ad continendos in officio milites, genus hominum ferox & contumax, aliqua pœnarum ſeueritas in loco adhibita plurimum poteſt, Ducibuſque ac legibus reddit obedientes, iiſque obtinetur vt cuſtodiæ, vigiliæque, & ordo ſtationum intenſiori ſeruetur cura, nec paſſim milites per circumiectos campos, vicóſque cum capitis ſui periculo, totiuſque exercitus diſcrimine vagentur ad prædam. Ac ſanè in Moyſis exercitu magnam diſciplinæ militaris curam fuiſſe oportet, quandoquidem cum ad fines Idumææ perueniſſet, Legatis præmiſſis ad Regem, petiit liberum ad terram ad quam pergebat tranſitum, potuitque ſibi tantùm de militis obedientia, diſciplináque militari polliceri, vt fidem ſanctè dare non vereretur, ſe ſine cuiuſquam iniuria iter facturum, reſque omnes venales quibus opus habuiſſet dato pretio coëmpturum, ipſo etiam aquæ hauſtu pecunia redempto. *Obſecramus*, inquit, *vt nobis tranſire liceat pro terram tuam, non ibimus per agros, neque per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, ſed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinantes, donec tranſeamus terminos tuos.* Num. 20. 17. Eſt autem ad diſciplinam hanc nouus miles, ex vrbana præſertim plebe collectus, diligenter condocefaciendus, nam laſciuiens inter patrias delicias, non ſe facilè patitur adſtringi, ſed ad ciuitatis voluptates, commoditateſque ſubinde animum

refert, vt Hebræis Moſem ſecutis videmus vſu veniſſe, de quibus dicitur in libro Numerorum:
Num. 11. 4. *Vulgus promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio, ſedens & flens iunctis ſibi pariter filiis Iſraël, & ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, pomaque, & cepe, & allia. Anima noſtra arida eſt, & nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man.* Itáque ſeditionem mouere cœperunt, tamque diuturnæ ac laborioſæ peregrinationis culpam in Moſen conferre, cuius nimirum ſuaſu dicerent reliquiſſe ſe fertiliſſimam regionem, nuncque non ſolum eius vbertate carere, verùm etiam pro ſperata fælicitate, cum extrema ciborum inopia, aliarumque rerum ad victum neceſſariarum egeſtate luctari. Sed Dominus qui præcipuam populi illius gerebat curam, diſciplinam plurimorum morte ſanciuit; quamuis enim coturnicibus immiſſis caſtra compleuit, tamen non multò poſt in inſanam vulgi inſolentiam, ac maledicta animaduertit.
Pſalm. 77. 31. Nam *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſraël impediuit.* Sed pertinet etiam ad caſtrorum diſciplinam, vt arceantur ſcorta, quibus molliuntur & franguntur in libidinem militum animi, Numénque ſceleribus ad vindictam prouocatur, vt Iſraëlitis accidit, qui cum filiabus Moab miſcentes corpora, & gentilium idola venerantes, vt à ſcortis inirent gratiam, grande genti
Num. 25. 3. vniuerſæ crearunt malum. *Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitam in lupanar, & perfodit ambos ſimul,*

virum

virum ſcilicet & mulierem in locis genitalibus, ceſſauitque plaga à filiis Iſraël, & occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum.

6 Tranſeo ad exercitationem quæ ſanè ad formandum militem neceſſaria eſt, ne ſcilicet cum acie inſtructa, concurrendum erit, ordines deſerant, aut turbent, Ducis imperium non exaudiāt, armáque tractare neſciant, quibus vel impetant hoſtes, vel petitiones illorum excipiant, aut declinent, aliáque huiuſmodi, quę Tyrones per quotidiana exercitia, campeſtréſque meditationes edocendi ſunt. Itaque apud Hebræos exercitationis huius cura peculiaris exercitato alicui viro videtur incubuiſſe; nam inter eos qui à Nabuzardan militię Regis Babylonis Principe in captiuitatem ſunt abducti, reperio etiam *Sopher Principem exercitus, qui probabat Tyrones de populo terræ,* & qui exercitibus præerant, frequenter in ſacris litteris Magiſtri militiæ dicuntur, vt Putiphar eunuchus Pharaonis qui Ioſephum emit in ſeruum, vt Nabuzardam apud Ieremiam, vt nimirum quemadmodum nomen exercitus, exercitationem quæ militibus familiaris, & quotidiana eſſe debet, reuocat in memoriam, ita ipſi Duces cum ſe Magiſtrorū nomine appellari animaduertunt, recordentur muneris ſui, fiántque ſpectatores & moderatores militum, ſciamachias & ficta certamina ineuntium, vt, cum vſus tulerit, paratum ſit agmen, & Ducem ſequi, ſéque in diſcrimen dare, & non voces tantùm imperantis excipere, ſed nutibus etiam parere, quæ res ſi vlla alia victoriam conciliare ſolet.

De militari exercitatione.

4. Reg. 25. 19.

Geneſ. 37. 36.

Ierem. 39. 9. 10.

7 Tandem de armis dicendum eſt, quæ Princeps multò antè parata habere debet, quàm belli

De militi armis.

ſuſpicio ingruerit, inſtruendumque prudentium Principum more copioſum armamentarium, vnde cum opus fuerit bellicæ machinæ, omneque telorum genus depromi poſſit. Sic Salomon de quo legimus in libro Paralipomenon ſecundo,
2.Paral.9. 15. *Fecit igitur Rex Salomon, ducentas haſtas aureas, de ſumma ſexcentorum aureorum, qui in ſingulis haſtis expendebantur, trecenta quoque ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta, poſuitque ea Rex in armamentario, quod erat conſitum nemore.* Quæ poſtea omnia ſiue domus Regiæ ornamenta, ſiue munimenta in Ægyptij Regis prædam ceſſerunt.
2.Paral.12. 9. Nam, vt eodem libro dicitur. *Receſſit Seſac Rex Ægypti ab Ieruſalē ſublatis theſauris domus Domini, & domus Regis omniaque ſecum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex æneos, & tradidit illos Principibus ſcutariorum, qui cuſtodiebant veſtibulum palatij, cumque introiret Rex domum Domini, veniebant ſcutarij, & tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium ſuum.* Quæ vltima verba ſcutorum illorum vſum indicant, vt ſcilicet iis qua ornati, qua armati Regij ſtipatores incederent cum Regi prodeundum eſſet in publicum, militum ſuorum ſatellitio circumcincto. Nihil tamen obſtat, quin credamus, præter clypeos iſtos pretioſioris materiæ, alios etiam plures fuiſſe in armamento conditos, ex ære, aut chalybe, aut ferro, aliáque omnis generis ferramenta armandis militibus deſtinata, quæ prudentes Principes, cum opus eſſet, ad manum habere voluerunt. Imo de Roboamo legimus in ſingulis ciuitatibus armamentaria inſtituiſſe, apothecáſque quibus omnis generis commeatus aſſeruaretur, vt ſi aliqua occurreret neceſſitas,
externo

Digitized by Google

externorum impreſſiones ſuſtinere ac propulſare poſſent facile vrbium præfecti. De præcipuis quibuſdam Roboamo ſubiectis vrbibus legimus in Paralipomenis: *Cúmque clauſiſſet eas muris, poſuit in eis Principes, ciborumque horrea, hoc eſt olei, & vini; ſed in ſingulis vrbibus fecit armamentarium ſcutorum, & haſtarum, firmauitque eas ſumma diligentia.* Idem colligendorum armorum ſtudium fuiſſe in Ozia Rege Iuda diſcimus ex eodem, in quo hæc habentur. *Præparauit quoque eis Ozias, id eſt cuncto exercitui, clypeos, & haſtas, & galeas, & loricas, arcuſque & fundas ad iaciendos lapides, & fecit in Ieruſalem diuerſi generis machinas, quas in turribus collocauit, & in angulis murorum, vt mitterent ſagittas, & ſaxa grandia.* Antiochi etiam Regis miniſtri in Machabæorum hiſtoria dicuntur, *Ædificaſſe ciuitatem Dauid muro magno & firmo, & turribus firmis, & feciſſe eam ſibi in arcem, & poſuiſſe ibi arma, & eſcas, & congregaſſe ſpolia Ieruſalem.* Quoniam verò quibus eſt armamentarium multis refertũ armis, ij in bellicis tumultibus confidentiores eſſe ſolent, quod iis arreptis, plebéque ciuitatis armata, aut vim inferre, aut arcere illatam facili negotio poſſint, ne occaſione iſta ad res nouandas, turbandámque Rempubl. ſubiecti populi excitarentur; reperio Principes aliquos ſubditos ſuos ita premere conſultum putauiſſe, vt omnem armorum vſum illis prohibuerint, armáque ipſa, eorumque artifices ſubtraxerint, vt accidit Iſraëlitis cùm Philiſtæorum imperio ſubiacerent. Porrò, inquit Regum hiſtoria, *faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſraël, caueruntque Philiſthim ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Deſcendebat ergo omnis Iſraël ad Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſque vome-*

2. Paralip. 11. 11.

2. Paralip. 26. 14.

1. Machab. 1. 30.

1. Reg. 13. 19.

Digitized by Google

rem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum. Retuſa itaque erant acies vomerum & ligonum, & tridentum, & ſecurium, vſque ad ſtimulum corrigendum. Cúmque veniſſet dies prælij, non eſt inuentus enſis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule, & Ionatha, excepto Saul, & Ionatha filio eius. Et fortè propter eandem cauſam currus hoſtium ſuccendi iuſſit Dominus, equóſque ſubneruari, ne ſi fortè populis illis integri relinquerentur, ad inſtaurandum bellum, incitamento forent.
Ioſue 11. 6. *Equos eorum,* inquit Dominus ad Ioſue, *ſubneruabis, & currus igne combures.* Cui etiam præcepto paruit Dauid
2.Reg.8.4. de quo legimus; *Et captis Dauid ex parte eius mille ſeptingentis equitibus & viginti millibus peditum ſubneruauit omnes iugales curruum, dereliquit autem ex eis centum currus;* quibus fortaſſe ad conuehendas ſarcinas, alioſque belli vſus indigebat. Hoc Principum ſtudium in parandis ſibi armis aut hoſtium corrumpendis eſſe debet; ſed cuilibet etiam militi curandum eſt, vt arma omnia polita ſint, omni rubigine deterſa, & ad præliorum vſus quam aptiſſima. Quod apud Iſaiam dicitur quodam
Iſai.21.5. loco, *Accipite clypeum.* Ex Hebræo verti poteſt. *vngite clypeum:* Quare laudantur milites illi apud
Nahum 2. 8. Nahum, de quorum clypeis dicitur *Clypeus fortium eius ignitus.* Quòd politiſſima cum eſſent eorum ſcuta aduerſo feriente ſole quaſi flammas vomerent, vt etiam dicitur in Machabæorum hiſtoria,
1.Machab. 6.39. vbi legimus; *Et vt refulſit ſol in clypeos aureos reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis.* Sanctus etiam Dauid quodam loco Dominum quaſi virum pugnatorem exhibens gladium illi tribuit bene politum, quod enim le-
Pſal.7.13. gimus in Pſalmo; *Gladium ſuum vibrauit,* & Hieronymus

Digitized by Google

ronymus vertit *Acuet*, ex Hebrææ vocis proprietate, quidam verti poſſe putant, *Expoliet*; alij, quod idem eſt, *ſplendificabit*. Ne autem facilè rubiginem contrahant ferramenta, ſuis vaginis, & inuolucris aptè condenda ſunt: Quare Goliæ gladius apud Achimelech dicitur fuiſſe *inuolutus pallio*, alio ſcilicet ſuper vaginam integumento, ne facilè puluere fædaretur. Parique diligentia clypeum milites vindicabant à rubigine, & ſordibus, vt ex Iſaia colligi poteſt, apud quem legimus quodam loco; *Et parietem nudauit clypeus*, quæ verba ex Hebræo verti poſſunt, *ſcutatus miles nudauit clypeum*. Hoc autem ſi diligenter milites faciunt, ſibi ipſis decus addunt, armorum ſplendore, & honeſtamento conſpicuos ſe reddentes, quare dicitur in Pſalmo, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum Potentiſſime, ſpecie tua & pulchritudine tua*. Quæ verba quidam appoſitiuè accipiunt, vt ſenſus ſit armis tuis, & gladio tuo muni te, quod munimentum pariter ſunt; & corporis etiam ſpecies, & ornamentum.

1. Reg. 21.

Iſai. 22. 6.

Pſal. 44. 4.

De recenſendis militibus.

8 Solent autem exercituum Duces, vt explorent an milites armis, & equis bene ſint inſtructi, vt illis ſtipendia quæ meruerunt perſoluant, vt copiarum ſuarum numerum cognoſcant, eas in conſpectum dare, antequam ad pugnæ diſcrimen veniatur. Præſtitit hoc Saul, de quo dicitur primo Regum: *Præcepit itaque Saul populo, & recenſuit eos quaſi agnos, ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda*. Tò *Quaſi agnos*, in Hebræo eſt בַּטְּלָאִים batthelaim *in agnis*, vel *cum agnis*. Vatablus, Abulenſis, & alij commenti cuiuſdam Rabbinorum meminerunt; qui fingunt militũ vnumquemque agnũ attuliſſe, ſicque numeratis agnis, non

1. Reg. 15.

non autem militibus, ſummam totius exercitus fuiſſe collectam; Id autem propterea fuiſſe factum, ne inito cenſu malum aliquod vt poſtea Dauid, ſibi populóque Saul accerſeret. Sed Rabbini ſuo more nugantur. Neque enim probabile videtur tantum agnorum numerum in regione non admodum ampla facile inueniri potuiſſe, quot erant militum capita, nec, ſi inuenti fuiſſent, Saulem exercitum non numeraſſe verè dici potuiſſet, aut incommodum quod verebatur ſatis cauiſſe. Si ergo vulgatæ editionis auctorem ſequamur, ſenſus erit, exercitum ea facilitate qua agni à Paſtore numerantur, recenſitum fuiſſe: ſi verò legamus vt in Hebræo textu nunc habemus בַּטְּלָאִים *batthelaim* per beth, non כַּטְּלָאִים *Catthelaim* per caph, vt legit vulgatus, dicemus *Thelaim* loci cuiuſdam nomen eſſe, iuxta quem à Saule luſtratus ſit exercitus. Quod etiam ſecuti ſunt Septuaginta, qui vocem *Thelaim*, tanquam proprium loci nomen, retinuerunt.

De equeſtribus copiis, ſtratagematis, exploratoribus.

CAPVT XIII.

1 EXiſtimet fortaſſe aliquis Iſraëlitarum populo in ſacris litteris curruum & equitatus vſum planè fuiſſe interdictum. Hoc enim ſignificare videtur, quod Dauid cecinit in Pſalmis. *De equitatu.*
Pſal. 19.8. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Illi obligati ſunt & ceciderunt,*

derunt, nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur. Ab increpatione tua Deus, dormitauerũt qui aſcenderunt equos. Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Expreſſiuſque in Deuteronomij lege, equitatus videtur prohiberi, cum dicitur: *Cumque fuerit conſtitutus* (Rex ſcilicet) *non multiplicabit ſibi equos:* & quod Iſaias mala illis interminatur qui præſidium ſuum in equitatu, & quadrigis Ægyptiorum collocabant, eodem reſpexiſſe videtur. *Væ*, inquit, *qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multa ſunt, & ſuper equitibus, quia præualidi nimis, & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſraël, & Dominum non requiſierunt.* Philo tamen Iudæus rerum, & legum ſuæ gentis bene doctus in ſuo de agricultura tractatu, equitatus neceſſitatem & commoda commemorans conſtanter affirmat, non id voluiſſe Dominum, vt equites in ſuis exercitibus Iſraëlitæ planè non haberent, ſed potius myſterium aliquod, quod ipſe recludere conatur illo interdicto abſcondi.

Pſalm. 32. 16. Pſalm. 75. 7. Pſal. 146. 10. Deut. 17. 16. Iſai. 31. 1.

At enim dicat aliquis, *ait Philo*, magnam eſſe potentiam Regis in equitatu, non minorem vtique quàm in pedeſtribus, vel naualibus copiis, nonnunquam verò etiam vtiliorem, tunc præſertim cum ſine dilatione opus eſt expedita celeritate, temporibus moram non ferentibus, ſed ipſum momentum occaſiones vrgentibus, vt cunctatio non damnum modo, ſed cladem quoque illatura videatur occaſione tanquam nube præteruolante.

Huic

Digitized by Google

,, Huic nos reſpondemus nullum belli præſidium
,, legiſlatorem noſtrum à Principe ſubmouiſſe, ne-
,, que copias eius parte aliqua mutilaſſe, imò quan-
,, tum fieri poteſt augere conatum eſſe, vt robore
‘‘ ac multitudine freti ſocij facilè hoſtium aciem
,, prouocarent. Quis enim alius ſic docuit, vel in-
,, ſidias collocare, vel inſtruere aciem, vel ordinatè
,, legiones diſtribuere, eaſque tribunis & centurio-
,, nibus aſſignare, vt res poſtulat, nunc pluribus,
,, nunc paucioribus, vt hic noſter legiſlator, ad om-
,, nia rei militaris præcepta ritè tradenda confir-
,, matam habens longo vſu peritiam? Sed ille in
,, eo quo dixi loco, non facit verba de iſto equita-
,, tu quales Principes ſolent colligere ad infeſtan-
,, dos hoſtes, tuendoſque ſocios neceſſariò, ſed de
,, eo qui animæ noſtræ ineſt. Pergitque allegori-
cam de vitioſis affectibus, ac cupiditatibus comprimendis explicationem afferre, quæ ſanè interpretatio ad fulciendam Philonis de equitatu Iſraëlitis minimè interdicto ſententiam non eſt neceſſaria. Nam firmæ ſatis coniecturæ afferri poſſunt, quibus oſtendatur curruum & equitatus vſum planè vetitum Iſraëli non fuiſſe. Nam ſanctus Dauid, Diuinæ legis obſeruantiſſimus, cum plurimas Regis Adarazer quadrigas in ſuam redegiſſet poteſtatem, plurimos quidem equos ſubneruauit iuxta Domini præceptum, de quo alibi diximus, non tamen totam illam equorum & quadrigarum prædam planè corrupit, dicente
1. Paralip. 18.4. Scriptura: *Cepit ergo Dauid mille quadrigas eius, & ſeptem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, ſubneruauitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis quas reſeruauit ſibi.* Adonias etiam Dauid filius, cum paternum Regnum affectaret,

fecit

fecit ſibi, recepto Regum ac Principum more, currus & equites. Samuelque cum ius Regiũ populo, Principem importuniùs poſtulanti, explicaret, ita loquitur. *Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, faciétque ſibi equitem & præcurſorem quadrigarum ſuarum.* Quod ſanè effectum dedit Abſalon alter filius Dauidis cum ad Regnum aſpirare conaretur. Tandem ad Salomonem, cum nondum à pietate, ac religione defeciſſet, adducebantur per ſingulos annos equi, & muli, vt habemus in Regum hiſtoria, vt ſcilicet iis equitatus augeretur, aut ſuppleretur. Nec ſanè obſtant, aut Dauidis & Prophetarum allata teſtimonia, aut lex ipſa Deuteronomij, quæ magis videtur vrgere. Nam eâ lege non magis equorum multitudo prohibetur, quàm ingens pecuniarum, & theſaurorum aceruatio, aut vxorum greges, vt enim dicitur, *Non multiplicabit ſibi equos*, etiam de vxoribus & theſauris dicitur: *Non habebit vxores plurimas, neque argenti, & auri immenſa pondera.* Nam ſi ingens equitum multitudo à populi Principe aleretur, periculum ſanè erat, ne rei bene gerendæ fiduciam in ſuis viribus atque equitibus collocarent, quod Dominus qui peculiari prouidentia populi ſui res moderabatur, conabatur auertere. Hoc autem eſt, quod Prophetæ reprehendunt; quare Iſaias, *Si reuertamini*, inquit, *& quieſcatis, ſalui eritis: In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. Et noluiſtis, & dixiſtis: Nequaquam, ſed ad equos fugiemus, ideo fugietis. Et ſuper veloces aſcendemus, ideo velociores erunt qui perſequentur vos.* Et alibi ſtudium parandi equitatus æquè prohibens, ac pecuniarum immenſam cupiditatem: *Repleta eſt*, inquit, *terra, argento & auro, & non eſt finis theſaurorum*

3.Reg.1.5.
1.Reg.8.11.
Deut.17.16.
Ibid.n.17.
Iſai.30.15.
Iſai.2.7.

Digitized by Google

rorum eius, & repleta eſt terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ illius. Illud etiam erat incommodum, quod equis ex Ægypto, aliiſque circumiectis regionibus adducendis intenti facilè peregrinos mores, ſuperſtitioſaſque idolorum religiones combibere nullo negotio poterant, cum præſertim ad eas procliue eſſet nimium quantum Iſraëlitarum ingenium. Iſtam autem negotiationem ſatis frequentem fuiſſe ſub Salomone colligitur ex Regum hiſtoria, in qua dicitur. *Educebantur equi Salomoni de Ægypto & de Coa; negotiatores enim Regis emebant, atque in hunc modum cuncti Reges Hebræorum & Syriæ equos venundabant.* Tandem illud etiam periculum erat, ne ſibi nimiùm placerent Principes illi, ſi plurimas equitum turmas aluiſſent, propterea quod magnum eſt Regij ſplendoris, ac potentiæ argumentum, magnámque habet equitatus maieſtatem, propter equorum generoſitatem, phalerarum & currulium ornamentorum magnificentiam, ex quibus Principis animus in ſuperbiam, viriumque ſuarum nimiam confidentiam poteſt extolli. Non itaque prohibitus in Deuteronomio eſt equorum vſus, ſed tantum immoderatus & nimius. Quo nomine reprehendendus Salomon, dequo dicitur. *Habuit Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum equitumque duodecim millia; conſtituitque eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat Rex in Ieruſalem.* & alibi: *Congregauit Salomon currus, & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.*

2.Reg.10. 28. 29. — 2. Paral.9. 25. — 3.Reg.10. 26. — 2.Paral.1. 14.

De ſtratagematis.

2 Quod ad ſtratagemata attinet, callidaque conſilia, quibus hoſtis à ſolerti Duce, omneſque rei promouendæ occaſiones circunſpiciente circum

cumueniri ſolet, illud eſſe apud omnes certum arbitror, nimirum licere non tantùm petitiones & conſilia aduerſariorum declinare, & eludere, ſed militaribus etiam artificiis, conſilia occultando, diſſimulando, atque etiam multa ſimulando, quibus hoſtes decipiantur, capiantur, aut vincantur, ſe ſe hoſtibus præſtare conari. Id quàm verum ſit, virorum etiam ſanctitate præſtantium exempla demonſtrant, vt Ioſue, quem legimus inſidias poſuiſſe cum aduerſus Haitas Domini iuſſu copias eduxiſſet. *Ponite*, inquit Ioſue, *inſidias poſt ciuitatem, vt longius recedatis, & eritis omnes parati:* Gedeon etiam qui Domini iuſſu, & ductu contra Madianitas præliabatur, noto illo ſtratagemate ingentem illam hoſtium multitudinem non modò in effuſam conuertit fugam, ſed Domino panicum immitente terrorem, effecit, vt ſeſe mutua cæde conficerent. Nam trecentis non amplius ex vniuerſo exercitu fortiſſimis viris quos ſecum adduceret electis, faceſque fictilibus includens lagenis, cum ſilentio ad caſtra Madianitarum, qui nihil minus ſuſpicabantur; ſed vino ſomnoque ſepulti paſſim in tentoriis ſtrati iacebant, cum armata ſuorum manu perueniſſet, hydriiſque confractis tubas inflaſſet, caſtra vniuerſa tanto concuſſit terrore, vt omnes ſeſe in fugam darent, gladioſque in ſuos conuerterent, ex quo factum eſt, vt admodum luculentam victoriam Gedeon reportaret. Illud videtur obſeruandum neceſſe eſſe, vt bellè procedant, ita rem totam diſponere, vt omnia ſuo tempore fiant; neque v.g. qui in concaua aliqua valle deliteſcunt, priùs erumpant quàm rei bene gerendæ poſtulet opportunitas. Quare Ioſue ſigno ſuis dato, eos ad

Ioſue 8. 4.

Digitized by Google

inuadendos hoſtes euocauit, legimus enim in
Ioſue 8. 19. eius hiſtoria: *Cumque eleuaſſet*, inquit, *clypeum ex aduerſo, ciuitatis inſidiæ, quæ latebant ſurrexerunt conſeſtim: & pergentes ad ciuitatem ceperunt, & ſuccenderunt eam.* Tandémque illud diligenter prouidendum cenſeo, ne dum aduerſarios putamus incautè agere, ipſi in eorum fraudulentas tendiculas incidamus: ea enim omnia nobis vehementer ſuſpecta eſſe debent, quæ adeo videntur abſurda, vt prudentem belli Ducem luce tam aperta hallucinari turpiſſimum ſit; tunc enim licet ſuſpicari, dolos necti, inſidiaſque parari, quantúmque cauendum eſt ne occaſiones per ſocordiam elabi patiamur è manibus, tantùm, aut etiam plus curas noſtras intendere debemus, ne circumueniamur ab hoſtibus, in eaſque anguſtias compellamur, vnde rebus ſaluis pedem referre non poſſi-
Iud. 20. 31. mus. Si cauiſſent hoc Benjamitæ cum de ciuitate erumperent, nec ſimulatè effugientes hoſtes longiùs ab oppido quàm par erat, perſecuti eſſent, nec in paratas inſidias, quibus intercepti penè deleti ſunt, incidiſſent.

3 Paucula quædam hic de exploratoribus ad-
De exploratoribus. dam, quorum opera non inſidias tantùm euitaturis, ſed iis omnibus qui de rebus bellicis vt Duces, aut Conſiliarij iudicaturi ſunt, apprimè eſt neceſſaria; cum de re aliqua prudenter ſtatuere nequeamus, ſi nos aliquod rei adiunctum, conditióve imprudentes fefellerit. Itaque parum hac in re diligentes fuiſſe videntur Philiſtæi, qui tunc primùm cognouerunt arcam in caſtra delatam
1. Reg. 4. 5. eſſe ab Hebræis, cum *vociferatus eſt omnis Iſraël clamore grandi, & perſonuit terra, & audierunt Phyliſtiim vocem clamoris, dixeruntque; Quænam eſt hæc*

vox

vox clamoris magni, in caſtris Hebræorum? & cognouerunt quòd arca Domini veniſſet in caſtra. Attentior multò Rex Ierichuntinus, quem exploratores Iſraëlitæ qui apud Rahab meretricem diuerterant, fallere non potuerunt. *Qui pergentes*, inquit historia Ioſue, *ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis nomine Rahab, & requieuerunt apud eam; Nuntiatumque eſt Regi Iericho, & dictum. Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem de filiis Iſraël, vt explorarent terram.* Quamuis enim diuina prouidentia quæ animum Rahab ad miſerationem flexit, eos periculo ſubtraxit, & ad ſuos reduxit incolumes; apparet tamen non indiligentes exploratores habuiſſe Regem, qui rem adeò ſecretam tam citò cognoſcere potuit. Cum ergo aliquod bellum ingruerit, acri homines ingenio, corpore expediti, miniméque timidi, mittendi ſunt, qui res aduerſariorum cognoſcant, regionis, cœlique naturam, incolarum vires, munitiones ciuitatum, equitum, peditúmque numerum, & alia huiuſmodi, quæ in deliberationibus, de figendis, aut mouendis caſtris, de explicanda acie, aut cum hoſte confligendo, prodeſſe poſſunt. Fecit hoc diligenter Moſes, qui cum in promiſſæ regionis limine ſtetiſſet, nonnullos exploratores, viros, inter cæteros ſuæ gẽtis præcipuos, *Miſit ad conſiderandam terram Chanaan, & dixit ad eos. Aſcendite per meridianam plagam, cúmque veneritis ad montes, conſiderate terram qualis ſit, & populum qui habitator eſt eius, vtrum fortis ſit, an infirmus; ſi pauci numero an plures, ipſa terra bona, an mala, vrbes quales, murata an abſque muris, humus pinguis an ſterilis, nemoroſa an abſque arboribus, confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ.* Quæ omnia diligen-

Ioſue 2.1.

Num.13.18.

Digitized by Google

ter & ſtrenuè perfecerunt, quadraginta dierum ſpatio totam eam regionem luſtrantes, fructuſque eius vberis ſoli argumentum reportantes. Quamquam quod ad incolarum vires attinet, non mediocriter populi animum conturbarunt, monſtra quædam hominum de genere giganteo iactantes, quibus ipſi compoſiti locuſtarum inſtar haberent. *Ibi vidimus*, dicebant, *monſtra quædam filiorum Enoc de genere giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Quo loco notandum, curandum Principibus eſſe, vt cum mittuntur exploratores, aut redeunt, id clam populo fiat, ne ſi aduerſi aliquid eos apportare contingat, exercitus conſternatio conſequatur, vt Moſi accidit, cuius imperium formidoloſus populus terroribus illis perculſus detrectabat, paſſim enim dictitabant in caſtris. *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt.* Porrò in exploratoribus requiritur, vt non omnibus rumuſculis fidem accommodent, ſed ea demum referant ad Ducem, quæ certa fuerint, quippe quæ aut ipſi oculis hauſerint, aut idoneis fideque dignis auctoribus cognouerint; tales ij fuiſſe videntur, de quibus dicitur in libro Ioſue, *Quod cum audiſſent filij Iſraël, & ad eos certi nuntij detuliſſent.* Tales etiam Dauidis exploratores, de quibus Regum hiſtoria. *Miſit*, inquit, *exploratores, & didicit quod illuc veniſſet certiſſimè*; Saul ſcilicet cum ſuis. At quia fieri poteſt, vt non ita facilè Dux idoneum exploratorem nanciſci poſſit, cuius ſcilicet dictis ita credendum videatur, vt diſcrimen propter ea quæ ex ipſo cognita fuerint ſubeatur, non imprudenter faciet Princeps, ſi Gedeonis magni apud Hebræos Ducis exemplo, ad loca cogno

Ibid. n.34. Ibid. n.33. Ioſue 22. 11. 1. Reg. 26. 4.

Digitized by Google

cognoſcenda acceſſerit ipſe expeditis aliquibus comitatus, citraque capitis periculum quantum fieri poterit: Tutiùs enim oculis credi ſolet quàm auribus, meliuſque intelliget deſcendendum ne ſit in certamen, an verò abſtinendum, ſique confligendi ſteterit ſententia, quomodo diſponendæ acies, quibus in locis collocandæ inſidiæ, aliáque huiuſmodi, quæ quomodo tractãda ſint, vix quiſpiam qui non viderit, aſſequi poteſt. De Gedeone igitur legimus, *Deſcendit ergo ipſe, & Phara puer* Iud. 7. 11. *eius in partem caſtrorum, vbi erant armatorum vigiliæ,* & mox bonæ ſpei pleniſſimus ingentes animos ſuis addidit dicens: *Surgite, tradidit enim Dominus* Ibid. n. 15. *in manus noſtras caſtra Madian.* Illud etiam notandum videtur ex circumiectis populis quibuſcum contentiones, & diſcordias finitimi frequenter exercent, cognoſcere poſſe Principem regionis alicuius naturam, incolarum vires atque ferociam, mores ac religiones, militarem etiam exercitationem, aliáque huiuſmodi quæ cùm illis bellum inferendum eſt neceſſaria, aut certè magno vſui eſſe poſſunt; ſic Holophernes *Vocauit* Iudith 5. *omnes Principes Moab, & Duces Ammon, & dixit* 3. *eis: Dicite mihi, quis ſit populus iſte qui montana obſidet, aut quæ, & quales, & quantæ ſint ciuitates eorum, quæ etiam ſit virtus eorum, aut quæ ſit multitudo eorum, vel quis Rex militiæ illorum, & quare præ omnibus qui habitant in oriente iſti contempſerunt nos, & non exierunt obuiam nobis, vt ſuſciperent nos cum pace?* Ac ſanè ſi quemadmodum ea interrogabat, quæ bonum Ducem decet cognoſcere, ita iis fidem accommodaſſet, quæ Achior Dux filiorum Ammon, vt pote Hebræorum finitimus verè fideliterque ſuggeſſit, ſaniora fortaſſe ſuſcepiſſet conſilia, quæ

Digitized by Google

ſuperbiæ typhus viriúmque ſuarum confidentia diſcuſſit. Illud tandem dicendum ſupereſt plurimum Principi prodeſſe, aut Duci ſi ſe in arcana interioráque aduerſariorum conſilia penetrare poſſit, quid cogitent aut moliantur per exploratores odorando. Sic Dauid cum Chuſai Arachitem obuium habuiſſet, Principem ſuum per quoſcumque caſus ſequi paratum, ita eum eſt allo-

2.Reg. 15. 33. cutus. *Si veneris mecum, eris mihi oneri; ſi autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Abſalon: Seruus tuus ſum Rex, ſicut fui ſeruus Patris tui, ſic ero ſeruus tuus, diſſipabis conſilium Achitophel: Habes autem tecum Sadoch & Abiathar Sacerdotes, & omne verbum quodcumque audieris de domo Regis, indicabis Sadoch & Abiathar Sacerdotibus. Sunt autem cum eis duo filij eorum Achimaas filius Sadoch, & Ionathas filius Abiathar, & mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis*; Quod conſilium vt excogitatum fuit prudenter, ita feliciter ſucceſſit: Nàm & Achitophelis conſilium ſalutare id agente Chuſai exploſum eſt, & quidquid conſiliarij Abſalomi cenſuiſſent per Achimaas & Ionatham, vt condictum fuerat, cognouit.

Aliqua de Transfugis.

4 De transfugis quid ſentiendum, & quatenus, illis fidendum ſit, ſatis conſtare poteſt ex ſupra diſputatis, cum de Dauide ad Achis Regem Seth tranſeunte mentio incidit: ea qui voluerit, ne ſæpius inutiliter repetantur, recognoſcere poterit. Illud in præſentia quæri poteſt, prudenter ne fecerint Bethuliæ ciues, qui Achior Ammonitem ab Holopherne eiectum, & ad Hebræos tranſire compulſum, non benignè tantùm, ſed etiam ho-

Iudith 6. norificè apud Oziam gentis Principem hoſpitio, dato etiam epulo ſuſceperunt, vt habemus in Iu-

dith

dith hiſtoria. Dubitandi anſam præbet quorundam transfugarum ſimulatio, quos ſcimus non ſolùm egregiè frontem finxiſſe mentiendo, & ad dicipiendum verba aptè probabiliterque compoſuiſſe, ſed eo etiam fallendi ſtudio prouectos, vt ſibi ipſis manus inferrent, ſeque aut vulneribus cruentarent, aut etiam auriculas, & nares inhoneſto vulnere præciderent, vt fidem apud hoſtes quos decipere parabant, inuenire poſſent. Quæ res cum Duces omnes admoneat, vt quàm diligentiſſimè cuncta circunſpiciant, ne fortè eos in fraudem contingat impelli; factum etiam Bethuliæ ciuium, quaſi nimiùm ad credendum facilium ac ſimplicium damnare videtur. Reſpondendum cenſeo, prudenter illos egiſſe videri, nam prætterquam quod apta, ſapienſque eorum, quæ apud Holophernem ſibi acciderant, narratio, fidem Achiori conciliabat: fieri etiam potuit, vt viri non procul à Bethulia habitantis grauitas famaque virtutis Hebræis pridem eſſet non ignota. Deinde quod caput eſt, quamquam eum benignè acceperunt, & honorificè, vt dignitas perſonæ, & ratio poſtulabat humanitatis; nihil tamen egiſſe leguntur, quod bono Reipublicæ ſtatui incommodare poſſet: Nam quãuis probabile exiſtimem, quod alibi dictum eſt, ciuitate donatum, & priuilegio honoribus gerendis idoneum redditum, tamen priuſquam ſolueretur obſidio, nec adhibitus eſt ad ſecreta conſilia, nec vllam militarem præfecturam conſecutus; ſed potius cum apud Oziam hoſpes verſaretur, ita in omnium ac præſertim ipſius Oziæ oculis vixit, vt ſi quid moliretur, aut moueret, ſtatim deprehendi poſſet. Ipſum verò procul à publicis negotiis quietè egiſſe, vel ex eo

Digitized by Google

colligitur, quòd cum Iudith in vrbem reuersâ, amputato Holophernis capite, magna eſſet omnium ordinum vt in publica gratulatione cócurſatio, ingenteſque populi exultantis clamores, & Iud.13.27. vociferationes; ipſe tamen non niſi euocatus ad tantæ rei ſpectaculum domo prodiiſſe legatur.

De caſtris & arcibus.

CAPVT XIV.

De caſtrorum deſcriptione, vexillis, &c. Num.2.2.

1 DEſcriptionem caſtrorum populi Hebræi antequam ad promiſſam venirent regionem, habemus in Numerorum hiſtoria. *Singuli,* inquit, *per turmas, ſigna, atque vexilla, & domos cognationum ſuarum caſtra metabuntur: filij Iſraël per gyrum tabernaculi fœderis; ad orientem Iudas figet tentoria*; pergitque minutim explicare quem vnaquæque tribus locum occcuparit, qui Duces, Principeſque familiarum, quot etiam capita ſub vexillis cenſuerint; ex qua deſcriptione illud habemus, totam caſtrorum conformationem quadratam fuiſſe, quæ figura ſanè commoda videtur, quanquam alias etiam metandi formas in vſu fuiſſe facile crediderim. Sanè de Dauid dicitur in 1.Reg.17.20. Regum hiſtoria: *Et venit ad locum Magala.* Tò, *Magala* Hebr. *Rotunditatem* interpretari poſſumus, vt etiam Septuaginta verterunt; Kaldæus autē dixit *Caſtra*, vt ex hoc capere poſſimus coniecturam, locum illum orbiculari figura caſtra aliquando habuiſſe, ſiue Dauid ipſe, ſiue quiuis alius belli Dux, cum ſuo ſibi exercitu conſederit. Sed quamcumque

cumque habuerint formam, vt ſcilicet meliùs ac commodiùs Imperator duxerit, multum expedit in ſua quoſque tentoria ita diſtributos eſſe, vt omnis perturbationis tollatur occaſio, quod in Hebræorum metaturâ, quam diximus, ſeruatum videmus, vt ſcilicet alij ſeorſim ab aliis, ſuis locis conſiſterent, ſuáque haberent ſigna & vexilla quibus diſtinguerentur ab aliis. De quibus vexillis vereor vt verum ſit, quod quidam Rabbini tradiderunt in vexillis ſcilicet Iudæ fuiſſe leonem; quod ſcilicet Iacob morti proximus cum de filiis ſuis propheraret, Iudam appellauit leonem, *Catulus*, inquit, *leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti: requiens accubuiſti vt leo, & quaſi leena, quis ſuſcitabit eum?* In ſignis verò Ruben hominis figuram expreſſam fuiſſe, quod ipſe primus homo eſſet de ſemine Iacob, vt dicitur eodem Geneſeos cap. *Ruben primogenitus meus.* In ſignis verò Ioſeph fuiſſe taurum, propterea quod de ipſo dicitur in Deuteronomio. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Tandem tribum Dan colubrum in vexillis ſuis prætuliſſe, ex eo coniecturam capientes, quod de eo dicitur in Geneſi. *Fiat Dan coluber in via ceraſtes in ſemita.* Sed nimirum familiare eſt Rabbinis vera falſis aſpergere, & nugas ſuas pro ſolidis, probatíſque hiſtoriis obtrudere. Si enim ſatis ſolida probatio eſſe poſſit, quod metaphoris ab aliquibus animalibus deſumptis, leones dicantur aut ceraſtæ; etiam Gad leonem prætuliſſe dicendus erit; de quo dicitur in Deuteronomio. *Quaſi leo requieuit*, imò ipſi Dan non minus leo tribuendus fuit, quàm Iudæ, cum eodẽ Deuteronomij loco *Dan catulus leonis* appelletur, Iſachar verò qui dicitur *Aſinus fortis*, non aliud inſigne iſtis auctoribus

Apud Abulenſ. in c. 2. Num. Gen. 49. 9.

Ibid. n. 3.

Geneſ. 49. 17.

Deut. 33. 20.

Ibid. n. 22. Geneſ. 49. 14.

ribus habere poterit, quàm ſtolidum illud & rude animal, quo Iſachar per metaphoram appellatus eſt. Illud etiam monendum videtur, caſtra bene poni in edito aliquo loco, aut tumulo, vnde ſubeuntes hoſtes facilè propelli poſſint, quod paſſim factitari videmus ab Imperatoribus exercituum, ſic Philiſtæi editum locum caſtris occupauerant, ad quos Ionathas cum armigero ſuo adrepere conatus eſt. *Erant*, inquit Scriptura, *inter aſcenſus per quos nitèbatur Ionathas tranſire, ad ſtationem Philiſtinorum, èminentes petræ ex vtraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli, hinc & inde prærupti.* Sic Benjamitarum reliquiæ poſt cladem ab Iſraëlitis acceptam confugerunt ad petram Rhemnon, vt loci beneficio externam vim facilius arcerent, in qua etiam quatuor integros menſes ita ſederunt, vt ab hoſtibus nulla ratione potuerint violari. Cauendum tamen eſt, ne dum locum editum cõſectatur Imperator, longius à fluminibus aut fontibus recedat, laboréntque ſui penuria aquarum, adeò vt cum aquatum mittendi erunt, fluminis aut fontis vndam ſanguine redimant. Itaque Gedeon iuxta fontem qui vocatur Arad cum ſuis legitur conſediſſe, ne ſcilicet aquæ ex longinquo, cum militum ſuorum diſcrimine petendæ eſſent. Porrò caſtra aggeribus, vallo, foſſáque munienda ſunt, ne facilè ad illa hoſtes obrepere poſſint, aut repentè impreſſione facta nihil tale cogitantes opprimere. Videtur hoc neglexiſſe Saul, qui cum *caſtrametatus eſſet in Gabaa Hachila*, vt dicitur in Regum hiſtoria; nec nocturnos adhibuit excubitores, qui ſomnum ſuum ab hoſte ſecurum redderent, nec caſtra foſſis aut vallo muniuit, quibus Dauid penetrare prohiberetur, ſed ſuis fortè viribus

1. Reg. 14. 4.

1. Reg. 26. 3.

Digitized by Google

bus fretus, hoſtium paucitate contempta, ſeſe incuſtoditum compoſuit ad ſomnum, non intelligens quàm grande periculum adiret, quod tamen non alia ratione euaſit, quàm eius benignitate in cuius manus inciderat. Maior etiam Amalecitarum ſocordia, qui quod abſente Dauid de Iuda, & de terra Philiſtiim prædas egerant, & Siceleg ciuitatem igne ſuccenderant, omnia tuta arbitrantes paſſim per herbam fuſi vino epulíſque indulgebant, nulla caſtrorum muniendorum cura ſuſcepta, quaſi nihil ab irritato, violatóque hoſte, viribus tamen integro timendum ſupereſſet. *Ecce illi* (inquit Scriptura) *ſuper faciem vniuerſæ terræ diſcumbebant, comedentes & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem, pro cuncta præda & ſpólijs, quæ ceperant de terra Philiſtijm, & de terra Iuda. Et percuſſit eos Dauid à veſpere vſque ad veſperam alterius diei, & non euaſit ex eis quiſquam, niſi quadringenti viri adoleſcentes, qui aſcenderant camelos, & fugerant.* Audiendus itaque Dauid, cuius eſt militare illud præceptum. *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda veſtra in virtute eius, & diſtribuite domos eius vt enarretis in progenie altera.* Omnibus ſanè caſtra figentibus, aut arcem aliquam excitantibus, aut cuſtodientibus planè neceſſarium. Senſus autem eſſe poteſt; ſtationes diſponite, excubitores nocturnos diurnóſque in mœnibus & propugnaculis collocate, qui eam circumdent & paſſibus complectantur in circuitu, & per gyrum ambulando. *Numerate turres eius* (ſic enim Pagninus legit quod in vulgata habemus) *Narrate in turribus*, diligenter cuncta recognoſcendo, animúmque applicate ad ea munienda, & inſtauranda quæ veſtram operam deſiderãt, ſiue

1. Reg. 30. 16.

Pſalm. 47. 13.

ſiue ille murus ſit,ſiue antemurale. Quod enim vulgatus dicit. *Ponite corda veſtra in virtute eius,& diſtribuite domos eius.* Idem Pagninus vertit ex Hebræo. *Ponite cor veſtrum ad antemurale eius, roborate palatia eius.*

De arcibus conſtruendis, earũq; ſitu.

2 Quæ de caſtris hactenus diſputauimus,ad arces etiam fermè accommodari poſſunt,de quibus præterea paucula quædam addenda ſuperſunt, quæ nunc explicabimus. Sunt autem arces regni totius propugnacula,quæ ciuitates & oppida minora ab hoſtium incurſionibus tuta reddunt,& in quas belli tempore tanquam tutiſſimas ſtationes, ſeſe recipiunt milites, vniuerſámque regionem quantumuis hoſtilibus armis infeſtam in Principis ſui fide retinent, & conſeruant. Itaque antiquis illis temporibus video Reges ſolicitos fuiſſe de arcibus excitandis, locíſque opportuniſſimis diſponendis,vt hoſtibus iter in regnum intercluderent, incoláſque ab exterius ingruente vi redderent ſecuros. Sic de Baaſa legimus in Regum
3.Reg.15. 17. hiſtoria. *Aſcendit quoque Baaſa Rex Iſraël in Iudam & ædificauit Rhama,vt non poſſet quiſpiam egredi, vel ingredi de parte Aſa Regis Iuda.* Quod iniquiſſimo animo tulit Aſa,quaſi quoddam iugum ſuis ceruicibus eſſet impoſitum, quod omni ratione amoliendum, & excutiendum putauit. Itaque Syriæ Regem Benadad in Baaſan ſuſcitauit, in quem cum Syrus expeditionem adornaret; Baaſa eius
Ibid.n.21. aduentu audito; *Intermiſit ædificare Rhama,* vt ſcilicet ſe ſuóſque ad tantam belli molem ſuſtinendam compararet. Nec ſatis habuit Iudæ Rex Aſa in aduerſarium ſuum Benadad concitaſſe,ſed munitione euerſa Baaſæ, aliam munitionem cenſuit opponendam, quam vt extrueret, ſubditis ſuis conue

Digitized by Google

conuehendæ materiæ ad ſubſtructiones faciendas neceſſitatem impoſuit. Ita enim legimus eodem loco: *Rex autem Aſa nuntium miſit in omnem Iudam, dicens: Nemo ſit excuſatus. & tulerunt lapides de Rhama, & ligna eius de quibus ædificauerat Baaſa, & extruxit de eis Rex Aſa Gabaa Beniamin, & Maſpha.* Qua in re ſatis apparet planè ſibi perſuaſiſſe Aſa arcem illam ita ſuo Regno incommodare, vt theſauri omnes domus Domini, & Regij ærarij profundendi potius eſſent, quàm arcis illius perficiendę Iſraëlis Regi concederetur facultas. Nam *tulit Aſa omne argentum, & aurum quod remanſerat, in theſauris domus Domini, & in theſauris domus Regiæ, & dedit illud in manus ſeruorum ſuorum, & miſit ad Benadad*, vt ſcilicet in fines Baaſæ cum exercitu irrumperet, & ab inchoato opere, quod moliebatur, auerteret. Quod cum impetraſſet aſcendit in Rhama, & munimentum illud iuxta Sapientis dictum ſolo æquauit. *Ciuitatem fortium*, inquit Salomon, *aſcendit ſapiens, & deſtruxit robur fiduciæ eius.* commodè enim locus hic de oppidis, arte vel natura munitis accipi poteſt, quæ propterea *robur fiduciæ* dicuntur, quòd qui ea inſederunt, hoſtium conatus irritos fore confidant. Sapientis autem eſt, iuxta Salomonis dictum, eas munitiones ſolo æquare, quas aut tueri non poſſis, aut propter periculum, ne ab hoſtibus occupentur, indéque tuis te armis oppugnent, diſturbandas eſſe prudentes rerum æſtimatores iudicauerint, ad quem fortaſſe ſenſum trahi poſſunt verba illa, quæ de Dauid legimus in libris Regum. *Percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ.*

Ibid. n. 22. Ibid. n. 18. Prou. 21. 22. 2. Reg. 8. 2.

Alia quadam de arcium ſitu.

3 Bene autem collocantur arces in collibus, editiſque locis, in faucibus etiam vallium, præſertim

tim ſi opportunitate ſitus hoſtium incurſionibus,
2. Eſdr. 3. 26. & irruptionibus aditum intercludant. *Nathinæi habitabant in Ophel vſque contra portam aquarum ad Orientem & turrim quæ prominebat*, vt habemus in libro Eſdræ. Vox Ophel עפל iuxta aliquorum ſententiam apud Hebræos *fauces* ſignificat, quas Græci πύλας vocant; Itali, *Chiuſe*. Quare nonnulla huiuſmodi loca arcibus inſeſſa apud eoſdem Serrauallis nomen inuenerunt. Videtur datus locus Nathinæis ad cuſtodiendum, ne ad Regiam hoſtibus pateret irruptio. Quia verò huiuſmodi loca in faucibus vallium conſtituta obſcura eſſe ſolent, quod ſolis radios non facilè admittant, hinc fortè factum eſt, vt cum quarto libro Regum dicitur:
4. Reg. 5. 24. *Cumq; veniſſent iam veſperi*, vbi eadem vox Hebræa recurrit, Septuaginta verterint, *εἰς σκοτεινὸν, in obſcurum*. Rabbini apud D. Hieronymum in
Iſa. 32. 14. illud Iſaiæ, *Tenebræ & palpatio*, vocem *Ophel*, quæ in Hebraico textu eſt, *Tenebras*, ſeu *Nubilum* interpretantur, & fuiſſe eius nominis turrim putant Hieroſolymis, quæ tantæ celſitudinis eſſet, vt vſque ad nubes erigeret caput, vt ibi loquitur Hieronymus. Quod de Manaſſe dicitur in Paralipo-
2. Par. 33. 14. menis; *Poſt hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad Occidentalem in conualle, ab introitu portæ piſcium per circuitum vſque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer*. Tò, *per circuitum*, ex Hebræo ad verbum vertere poſſis, *& circumdedit*, ſiue *fecit circuitum, arcem, aut turrim, & exaltauit illam valde.*

De arcium propugnatoribus. 4 Porrò arcibus ſtrenuorum militum manus, qui eas tueantur, præficienda eſt, nec vnquam committendum, vt ſiue fiducia pacis cum hoſtibus initæ, ſiue virium contemptu militibus deſtituantur. Documento nobis eſſe poteſt quod de ciuitate

ciuitate Hais, ſacra hiſtoria Iudicum commemorat. *Euntes*, inquit, *quinque viri venerunt Hais, videruntq́ populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sydoniorum ſecurum & quietum, nullo eis penitus reſiſtente, magnarumq́ opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum. Profecti igitur ſunt de cognatione Dan ſexcenti viri, accincti armis bellicis, veneruntq́ in Hais, ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbemq́ incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præſidium, eo quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quicquam ſocietatis ac negotij.* Quæ ſanè narratio nobis ob oculos ponit ſupinā Haitarum negligentiam, qui cum iniuriæ eſſent opportuni, propterea quòd procul aberant à Sidoniis, aliiſque omnibus à quibus auxilium ſperare poſſent, ſi periculum aliquod ingrueret, quod accedentibus oppidi diuitiis, & opulentia ſuſpicari debuerant, ita ſalutem ſuam neglexerunt, vt ſexcentis dumtaxat viris præda fuerint, patriámque incendio abolente perdiderint. Quod ſanè illis non eueniſſet, ſi tantas opes, tam procul ab amicis poſitas non incuſtoditas relinquendas putauiſſent, arce ciuitatis, ſi quam habebant, aut certè portis armatorum militum excubiis, munitis. Quod ſi ciuitatem munitam habeas armis, viriſque: cauendum eſt, ne ſi bellicus aliquis tumultus increpuerit è ſuis ſtationibus milites præſidiarij omnes educantur; accidit enim nonnunquam, vt omnibus ad bellandum effuſis, deſtituta ciuitas in hoſtium manus veniat, diripiatur, & extrema quæque patiatur. Docet hoc Haitarum clades, qui Iſraëlitarum exercitum fugere arbitrantes, *Vociferantes pariter & ſe mutuò cohortantes perſecuti ſunt eos,*

Iud. 18.7.

Ibid. n. 11. & 27.

Ioſue 8.16.

eos, & cum receſſiſſent à ciuitate, & ne vnius quidem in vrbe Hai & Bethel remanſiſſet, qui non perſequeretur Iſraël (ſicut eruperant aperta oppida relinquentes) inſidiæ quæ latebant ſurrexerunt confeſtim: & pergentes ad ciuitatem ceperunt, & ſuccenderunt eam. Aliquid etiam tale paſſus legitur Dauid, qui cum abeſſet à Siceleg, quo in oppido cum ſuis habitare tunc

1.Reg.30.1. temporis conſueuerat, *Amalecitæ impetum fecerunt ex parte auſtrali in Siceleg, & percuſſerunt Siceleg, & ſuccenderunt eam igni, & captiuas duxerunt mulieres ex ea, à minimo vſque ad magnum.* Quamuis autem Amalecitis carò ſteterit ab acta præda, vt eodem capite Regum perſequitur hiſtoria, tamen tam grande incommodum, ciuitatis nimirum incendium, ſuorúmque periculum euaſiſſet, ſi parte militum relicta, ab hoſtium incurſionibus ſecuram, cum ipſe aliò proficiſceretur, reliquiſſet, quod laudabiliter feciſſe legimus Iudam Machabæum, quem cum neceſſitas vrgeret, vt in Galaaditim cum fratre Ionatha proficiſceretur, exercitus partem reliquit Ioſepho, vt ab hoſtium impreſſionibus ſi fortè per Iudę abſentiam aliquid mouerent,

1.Mach.5.18. tutam redderet regionem. *Et reliquit*, inquit, *Ioſephum filium Zachariæ, & Azariam Duces populi, cum reſiduo exercitu in Iudæa ad cuſtodiam:* ſed ſalutaria etiam monita addidit, ne ſcilicet manus conſererent cum hoſtibus, ne multitudine ſuperati, ipſorum culpa Reſpub. caperet detrimentum, ſed ſatis

Ibid. n.19. haberent vim externam propulſare. *Et præcepit illis dicens. Præſtote populo huic, & nolite bellum committere aduerſum gentes donec reuertamur.* Illud tandem pro paragraphi huius clauſula addamus, Principibus prodeſſe populis finitimis in fide, & officio continendis, ſi in eorum arcibus, expenſis ſuis

ſuis Reges milites alant, qui ſeditiones motúſque popularium comprimant, ipſóſque Principes vicinos promiſſis, conuentiſque ſtare compellant. Id iuſtè parta victoria fieri poteſt, nam quas vrbes deuicto Principi adimere poſſis, ſi hac conditione reſtituas, vt nationis tuæ præſidiarios milites admittat, in reliquis ſuo iure, rem omnem politicam adminiſtret, non iniuriam facis quòd aliquid auferas, ſed beneficium non vulgare quòd multa, quæ iure belli adimere potuiſſes, liberaliter per vim ſubactis remittas. Hoc ipſum feciſſe videtur Dauid, de quo ita legimus in libris Regum. *Fecit quoque ſibi Dauid nomen cum reuerteretur capta Syria in valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus, & poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitq́ præſidium, & facta eſt vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid:* niſi fortè regionem pleno iure poſſedit, quod vulgata hæc verba (*facta eſt Idumæa ſeruiens Dauid*) ſignificare videntur. 2. Reg. 8. 13.

5. Quod verò attinet ad portas arcium & ciuitatum cum ſuſpicio aliqua belli ingruerit, aut hoſtium agmina prope abfuerint, diligenter militum cuſtodia muniendæ ſunt, nec aperiendæ in tenebris, ſed clara luce, ne aliqua fortè fraus ab hoſtibus ad omnes occaſiones intentis fieri poſſit. Præſtitit hoc Nehemias, qui ſe ita ſcribit præcepiſſe; *Non aperiantur portæ Ieruſalem vſque ad calorem ſolis, & portæ clauſæ ſunt & oppilatæ, & poſui cuſtodes de habitatoribus Ieruſalem ſingulos per vices ſuas.* Quare parum conſultè feciſſe videtur Rex Iericho, qui cum ſe tenebræ noctis intenderent, tunc demum portas claudere iubebat, vt ex Ioſue hiſtoria diſcimus: nam cum Iſraëlitæ hoſtes inſtarent, eorúmque fama vniuerſas illas regiones peruaſiſſet,

De cuſtodiendis ciuitatum & arcium portis.

2. Eſdr. 7. 3.

Ioſue 2. 5.

Digitized by Google

uaſiſſet, prudens conſilium fuiſſet, ſi citiùs claudi iuſſiſſet, quàm cum pacata circum erant omnia, nullúſque hoſtis qui pacem turbaret, timeretur.

Monita quædam ad pugnam ſpectantia.

CAPVT XV.

In aggrediendis hoſtibus loci temporiſq; opportunitatem captandam. Prou. 20. Prou. 24.

1 QVandoquidem bella non viribus tantùm corporis geruntur, ſed multo magis prouidentia, & conſilio, vt docet Salomon, cuius illa ſunt verba. *Cogitationes roborantur conſiliys, & gubernaculis tractanda ſunt bella.* Et alibi. *Vir ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus & validus, quia cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus, vbi multa conſilia ſunt.* Si fuerit cum hoſte confligendum, diligenter omnia circunſpicere debet Imperator, vt ſi aliquam rei bene gerendæ occaſionem à loco, à tempore, aliáve circunſtantia captare poſſit, eam præterlabi non ſinat: fieri enim poteſt, & vero non ſemel vſu venit, vt qui alioqui militum numero, & robore pares non erant, induſtria, & conſilio militari etiam ſuperiores euaſerint. Sic Abraham cum Lothi cognati ſui, tum Sodomitarum, amicorum, & vicinorum clade commotus, cum ſe ſuóſque

Geneſ. 14. 14. ad opem ferendam expediuiſſet, *Numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & perſecutus eſt eos vſque Dan, & diuiſis ſocyis irruit ſuper eos nocte, percuſſitq; eos.* Quod ſanè factum, militarem Abrahami prudentiam commendat; etenim diuiſis

uiſis copiis, ex multis diuerſíſque partibus in eos impetum faciendo, terrorem maiorem incuſſit, ſpeciémque exhibuit ingentis exercitus, quo omni ex parte ſe putarent circumſiſti, adeò vt nullus ad fugam aditus pateret. Quæ res adeò conſternauit hoſtium animos, vt quiſque fuga ſe periculo ſtuderet eripere. Sic etiam Ioſue vrbem Ierico expugnaturus non ab vna tantùm parte copias admouit, ſed exercitu in agmina diuiſo, cùm vociferatio militum, clangórque tubarum increpuiſſet, diuinóque miraculo muri corruiſſent, illicóque ciuitas ad prædam nudata mœnibus apparuiſſet; *Ingreſſi ſunt ſinguli per locum contra quem ſteterant.* Eodem conſilio cum Haitas expugnaret vſus eſt, copiiſque diuiſis quoſdam in inſidiis collocauit, alios aperto marte ad pugnam eduxit; ſic tandem Abimelech de quo legimus in Iudicum hiſtoria. *Abimelech tulit exercitum ſuum, & diuiſit in tres turmas, tendens inſidias in agris, videnſq; quod egrederetur populus de ciuitate, ſurrexit, & irruit in eos cum cuneo ſuo, oppugnans, & obſidens ciuitatem, duæ autem turmæ palantes per campum aduerſarios perſequebantur. Porrò Abimelech omni die illo oppugnabat vrbem, quam cepit interfectis habitatoribus eius, ipſaq; deſtructa, ita vt ſal in ea diſpergeret.* Ioſ. 6. 5. Ioſ. 8. 4. Iud. 9. 43.

2. Opportunum etiam tempus Abram elegit, nocturnum ſcilicet; nam noctis ſilentio parui motus, ingentes & horribiles videntur; nec ſatis cognoſci poteſt paruane ſit, an magna hoſtium manus, omniáque repentina, & quæ magis re ipſa ſentiuntur, quàm animi aut ſenſuum prænotione, vehementius animos hominum commouent, atque perturbant; animo verò perturbato, paruæ etiam res magnæ videntur, & horribiles. Præter- *An nocturno tempore aggredi hoſtem expediat.*

quam quòd nocturno tempore ſopitis, & vino languidis, inermibus etiam, nullóque ordine diſpoſitis cladem inferre non admodum difficile videtur, quo etiam ſtratagemate Gedeon Madianitarum copias ingentes, trecentorum dumtaxat militum armis peſſumdedit, quamquam ingenti miraculo, ſuo Duci Deus tam luculentam victoriam de tanta hoſtium multitudine largitus eſt. Simile Gorgię conſilium, diſſimili tamen euentu.

1. Mach. 4. 1. Nam, vt dicitur in Machabęorum hiſtoria. *Aſſumpſit Gorgias quinque millia virorum, & mille equites electos, & mouerunt caſtra nocte, vt applicarent ad caſtra Iudæorum, & percuterent eos ſubitò, & filij qui erant ex arce, erant illis Duces.* Sic tandem Ioſue quinque Regibus Amorrhæis in vnum collectis, repentinus ſuperuenit; eóſque plaga magna contriuit.

Ioſ. 10. 9. *Irruit itaque Ioſue,* inquit Scriptura, *ſuper eos repente tota nocte aſcendens de Galgalis.*

Cum hoſtibus confligendũ cum aliqua occaſione aut animis sũt cõſternati, aut fracti viribus.

3 Vtile etiam eſt, cum hoſtibus bello decernere, cum animis conſternati ſunt, aut corporibus imbecilliores. Nam & metus alacritatem frangit, & fames continénſque labor vires atterit, corporáque debilitat, vt conſerendo certamini parum idonei reddantur. Bonum victoriæ conſequendæ omen eſſe putauit Gedeon, cum ſomnio territum militem, cum ſocio ſermones miſcentem audiuit hordeacei panis nocturnum viſum commemorantem, quo impellente Madianitarum tentoria concidiſſent. Nec eum fefellit coniectura; quemadmodum enim gregario illi militi, diuinitus immiſſo viſo quod futurum erat ſignificauit Dominus, ità planè factum eſt terrore cunctis iniecto, quoad clangore buccinarum Gedeonis, adeò conterriti ſunt, vt nullus auderet reſiſtere,

Digitized by Google

ſtere, ſed omnes effuſam fugam, in qua funditus ceciderunt, occuparent. Simeon etiam & Leui ciuitatem Sichem filij Hemor armis aggreſſi ſunt die tertio poſtquam circumciſione fuerant conſignati, cum ſcilicet dolor acerbiſſimus vulnerum eſſe ſolet, tantáque in languentes corporum debilitate, cæde debacchati ſunt, vt omnes maſculos delerent, vrbem popularentur, in greges etiam & armenta ſæuirent, paruulos & mulieres captiuos abducerent, quæ in domibus, quæque in agris occurrebant, eodem impetu vaſtantes; nec vllus fuit qui à patriis tectis tātam cladem poſſet auertere, quòd nimirum dolor ad arma tractanda reddidiſſet ineptos.

Iud. 7. 13.

Geneſ. 34. 35.

An expectandi ſint hoſtes intra regnū, an verò in eorum fines irrumpendum.

4 Sed quærat fortaſſe aliquis vtilius ne ſit, cum bellum gerendum eſt, hoſtium aduentantium impetum domi præſtolari, an exercitu expedito in eorundem fines irrumpere, eóſque anteuertendo, quam vaſtitatem nobis meditabãtur eorum agris oppidíſque vltrò inferre. Ac ſanè vim externam propulſantes eam commoditatem habent, quod ſuæ ipſorum regionis bene periti, non mons, non vallis, non fluminis vadum, non occultus ad commeandum trames, non viarum latent compendia, quæ locorum experientia maximas auertit clades, victoriáſque luculentas conciliauit. Rurſus commeatus vberior, ſpontéque ſuppeditatur, non enim vi extorquetur ab inuitis, ſed ab amicis vltrò conuehitur. Militum etiam animi alacriores, quippe qui pro aris, & focis, pro vxoribus, liberíſque chariſſimis, pro templis & patria, tandem pro ſe ipſis ſe pugnaturos intelligũt, non autem expedire arma pro gloria dumtaxat Principis ſui augenda, quem temeritas ad bella

mouenda, ſuorúmque ſanguine parandum nomen impellat. Contra verò ſi in alienos fines ipſe tranſilias, tuam regionem ab hoſtilibus populationibus damníſque propemodum innumeris vindicas, hoſtiúmque vires minuis, atque debilitas; quare aliquibus magis placuiſſe video conſilium hoc, vt occuparent ipſi in hoſtem tranſire, vt Sehon Rex Amorrhæorum, qui cum ſuis finibus Iſraëlitas arcuiſſet, nec vllis conditionibus acquieſcere voluiſſet, vt per ſuas regiones inceptum iter continuarent, *Exercitu congregato egreſſus eſt obuiam in deſertum.* Dauid etiam cum primùm cognouit Philiſtæos bellum parare, non illos intra Regni fines expectandos duxit, ſed potius illis occurrendum; quod etiam feciſſe Ioas Regem Iſraëlis legimus, cùm Amaſias Iudæ Rex contractis copiis arma moueret. Et idem videtur indicari in Euangelica illa parabola quæ eſt apud D. Lucam, Regis nimirum euntis cómittere bellum aduerſus alium Regem, in qua particulæ illæ, *Iturus committere bellum.* & *cum decem millibus occurrere,* Regis illius qui ibi deſcribitur conſilium videtur oſtendere, non ſegniter domi deſidendo hoſtem intra ſuos fines opperientis, ſed vltrò in eius occurſum cum armato milite procedentis. Sed huic dubitationi ita cenſeo reſpondendum eſſe, vt ſi Princeps pacatum habet regnum, & ab ſeditionibus, diſcordiíſque ciuilibus tutum, ita vt cum è finibus ipſe pedem extulerit, nulli motus timeantur, iuſtúmque exercitum cogere poſſit, quo viribus non impar, aduenientibus hoſtibus cenſeatur, ſatius eſt belli incommoda in aduerſarium conuertere, quàm agrum tuum hoſtibus relinquere ferro, igníque vaſtandum. At ſi Princi

Num.21.23. 2.Reg.5.17. 4.Reg.14.11. Luc.14.31.

Digitized by Google

Principis externa expeditio res domi incompoſitas relictura eſt, ſi ſeditiones, inteſtiníque tumultus, meritò formidari poſſunt, ne ancipiti malo premetur Reſpublica, melius erit fines ſuos tueri, vim ingruentem propulſare, victorémque ſe futurum exiſtimare, ſi victus ipſe non fuerit.

5 Iuuat autem ad animos militum in prælio acuendos, ſi clangor tubarum, tympanorúmque tumultus languentes exſuſcitet animos, vt omnium gentium vſu paſſim fieri videmus. Nam canor ille Martius & ſegnibus vires ſufficit, eámque concitat alacritatem, ſine qua nec moliri arma, nec cum hoſte confligere milites poſſent. Idem de ſublatis clamoribus iudicium, qui truces, & inconditi ab ingenti exercitu ſublati aduerſarios terrent, commilitones in prælium incitant, diſcriminíſque in quod ſe coniiciunt, obuerſantem oculis ſpeciem, recordationémque minuere conſueuerunt. Fuit hoc Iſraëlitis familiare, de quibus legimus, *Exercitus egreſſus ad pugnam vociferatus erat in certamine*, & eodem capite, *Conſurgentes viri Iſraël & Iuda vociferati ſunt, & perſecuti ſunt Philiſtæos.* & Gedeon ſuis mandat: *Quando perſonuerit tuba in manu mea, vos quoque per caſtrorum circuitum clangite, & conclamate, Domino & Gedeoni. Populus etiam cum miſiſſet in Silo, & tuliſſet inde arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim, veniſſetq́ arca in caſtra, vociferatus eſt omnis Iſraël clamore grandi, & perſonuit terra:* quæ vociferatio vt alacritatem addidit Iſraëlitis, ita terrorem incuſſit Philiſtæis, vt ex eadem diſcimus hiſtoria, in qua ita dicitur. *Timueruntq́ Philiſtiim dicentes. Venit Deus in caſtra, & ingemuerunt dicentes; Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri & nu-*

De tubis, tympaniſq; militaribus ad animos in prælia acuendos.

1. Reg. 17. 20.
Ibid. n. 52.
Iud. 7. 18.
1. Reg 4. 4.
Ibid. n. 4.

dius tertius, væ nobis. Omne ſibi malum imminere præcipientes,& præſentia numinis,& aduerſariorum alacritate, quam ſublato ingenti illo clamore prodiderant.

De fuga, hoſtibuſq; perſequendis. 6 Sed quia nonnunquam accidit, vt quantumuis Imperator diligenter cuncta circunſpexerit, nec temerè deſcenderit in aciem, quia tamen communis Mars eſt, nullóque ſuo, ſed aliorum vitio fieri poteſt,vt exercitus prementibus aduerſariis pedem referre cogatur, fugáque ſibi conſulere, ita diſpoſitum militem habeat, vt non illi accidat, quod Aſſyriis eueniſſe legimus in libro Iudith. *Et quoniam*,inquit,*Aſſyrij non adunati in fugam ibant præcipites, filij autem Iſraël vno agmine perſequentes debilitabant omnes, quos inuenire potuiſſent;* quódque Dominus ſuis euenturum minitatur, ſi à vera religione deflexerint; *Corruent ſinguli ſuper fratres ſuos:* Curandum etiam eſt, vt ſi agmen aliquod, aut inſidiis hoſtium interceptum, aut vi oppreſſum euadere non potuerit, aliis ſaltem conſulatur, & in tutum adducantur: qua in re prudenter ſe geſſit Iacob, qui cum timuiſſet aduenientem Eſau fratrem ſuum, *Perterritus dimiſit populum, qui ſecum erat; greges quoque, & oues,& boues, & camelos in duas turmas dicens. Si venerit Eſau ad vnam turmam,& percuſſerit eam,alia turma quæ reliqua eſt ſaluabitur.* Solet autem facili negotio cliuus aliquis, editúſque locus fugam victorum tueri, eóſque ab hoſtium impreſſione tutos reddere. Sic Sodomorum Reges & Gomorrhæ, cum victi certamine fuiſſent; *Qui remanſerant,fugerunt ad montem:* quemadmodum etiam Benjamitarum reliquiæ in ſcopulis petræ Remmon,cum ingenti clade ſunt ab Iſraëlitis attriti,ne penitus delerentur

[Margin: Iudith 15. 4. — Leuit.26. 27. — Gen. 32.7. — Geneſ. 14. 10.]

tur conſederunt. Mœnibus autem vrbis alicuius quæ in proximo ſit, ſanè tutiſſimum eſt ſe includere, niſi verearis ne impetum hoſtium portis ac muris ſuſtinere poſſis; tunc enim ſatius videtur per apertos elabi campos, donec te inſtantibus hoſtium mucronibus planè ſubduxeris. Cum veniſſet Dauid in Ceilam qui prius per inania, & ingenti ſolitudine vaſta loca fugiebat Saulis inſidias, magnam concepit ſpem Saul illius capiendi; *Tradidit*, dicebat, *eum Deus in manus meas, concluſuſque eſt introgreſſus vrbem, in qua portæ & ſeræ ſunt. Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam deſcenderet in Ceilam, & obſideret Dauid & viros eius.* 1.Reg.23.7. Nec tamen qui alios fugientes perſequuntur, omnia tuta debent arbitrari, nam redit etiam virtus victis in præcordia, & fuga fingitur, & dolo trahuntur aliquando per metus ſimulationem incauti milites inſtructas inſidias, vt Benjamitis accidit, de quibus ſupra dictum eſt, qui cum Iſraëlem per vim cedere exiſtimaret, paulatim progreſſi, deducti ſunt ad eum locum, vbi paratis inſidiis circumuenti ſunt, & oppreſſi. Iud.20.32. Itaque ſibi melius Aſael conſuluiſſet, ſi Abner quem perſequebatur, conſilium admiſiſſet, qui ei dicebat, 2.Reg.2.21. *Vade ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, & apprehende vnum de adoleſcentibus, & tolle tibi ſpolia eius. Noluit autem Aſael omittere quin vrgeret eum. Rurſumque locutus Abner ad Aſael, recede, noli me ſequi, vt compellar fodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum; qui audire contempſit, & noluit declinare, percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit & mortuus eſt in eodem loco.* Cautè igitur armati proſequendi ſunt, ne, vt dixi, aut in inſidias deferaris libidine perſequendi, aut

dum aliis exitium inferre cogitas, tibi ipſi matu riùs temeritate, quàm putauiſſes, acceſſas.

7 Quod ſi fuga elapſus Imperator obſidionem tolerare cogatur, duo inter cætera ab obſeſſis ſatagat obtinere. Primum eſt, vt animos non deſpondeant, & ad deditionem facilius quàm par eſt, inclinent animos; quemadmodum videmus accidiſſe iis, qui Bethuliæ obſidebantur, vt narratur in hiſtoria Iudith, nam *Ad Oziam congregati omnes viri fœminaque, iuuenes, & paruuli, omnes ſimul vna voce dixerunt. Iudicet Deus inter nos, & te, quoniam feciſti in nos mala, nolens loqui pacificè cum Aſſyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum, & ideo non eſt qui adiuuet cum proſternamur ante oculos eorum in ſiti, & perditione magna. Et nunc congregate vniuerſos, qui in ciuitate ſunt, vt ſponte tradamus nos omnes populo Holophernis; melius eſt enim, vt captiui benedicamus Dominum viuentes, quàm moriamur, & ſimus opprobrium omni carni, cum viderimus vxores noſtras, & infantes noſtros, mori ante oculos noſtros. Conteſtamur hodie cœlum & terram, & Deum Patrum noſtrorum, qui vlciſcitur nos ſecundum peccata noſtra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holophernis, & ſit finis noſter breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate ſitis; & cum hæc dixiſſent factus eſt fletus, & vlulatus magnus in Eccleſia ab omnibus.* Tales quiritationes, lacrymæ, obſeſſorúmque ſtudia eſſe ſolent, contra quæ non minus forti pectore opus eſt, quàm blanda comitate, quibus partim mulceatur exaſperatus animus, perpeſſione malorum, partim deditionis conſilia conſtanter diſturbentur. Alterum eſt, vt incommoda tolerare patienter aſſueſcant, pro defendenda domo, patria, liberis, ipſaque vita, qua nihil charius

De obſidionibus.

Iudith 7. 12.

rius habere poſſumus. Hoc in Bethuliæ populo deſiderari poterat, vt ſcilicet ſpe fortunæ melioris in Domino collocata, patientiùs ſitim ferrent, aliaque obſidionis incõmoda. Hoc vt faciliùs aſſequatur Imperator, in ipſo obſidionis exordio cõſtituat diſpenſatores, qui commeatum, & cibaria omnia parcè diſtribuat, ne, ſi cõtingat obſidionem in longũ produci, neceſſariis vitæ ſubſidiis deſtituti, fame compellatur eas ab hoſte conditiones accipere, quas illi armis exprimere non potuerunt. De ciſternis Bethuliæ deficientibus ita dicitur in Iudith hiſtoria. *Defecerunt ciſternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non eſſet intra ciuitatem, vnde ſatiarentur vel vna die, quoniam ad menſuram dabatur populis aqua quotidie.* Quod in cæteris etiam rebus, quæ vſu conſumuntur ſeruandum eſſe, cum par ingruerit neceſſitas, nemo non videt. Iudith 7. 11.

8 Cæterùm, quia obſidionem tolerantes in ipſis etiam initiis quædam deficere ſolent, quia nimirum, quamuis intenta cura, ſoliciitaque animi prouiſio adhibeatur, vix ita proſpici poteſt, vt tantus frumenti numerus, aliarúmque rerum ad victum neceſſariarum copia importetur in ciuitates, aut arces, vt diuturno tempore nihil deſideretur: curandum eſt diligenter, vt huic occurratur incommodo, ne poſtea mœnibus incluſi ad vltimam vſque penuriam compulſi, leniendæ famis gratia, non equos tantum, & aſinos, ſed fœdiora etiam animalia, aut pelles, & lora feruenti aqua macerata, & reſoluta, quod aliquando accidiſſe legimus in veterum hiſtoriis, mandere cogantur. Cuius calamitatis luculentum habemus exemplum in Regum hiſtoria. Nam cum Benadad

De annona in vrbem, quæ obſidionem timet, importanda.

4. Reg. 6. 25. dad Syriæ Rex Samariam obſideret, *Facta eſt fames magna in Samaria, & tandiu obſeſſa, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum, quinque argenteis.* Putat Lyranus cum dicitur, *Caput aſini*, totum animal ſignificari, quæ vſitata eſt vernaculæ linguæ phraſis, & etiam latinæ, vt cum dicitur cenſu tot millia capita ciuium eſſe numerata: quo dicendi

Eccleſ. 25. 22. ſchemate vtitur etiam Eccleſiaſticus, *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* Verùm probabilius cenſeo cum aliis interpretibus, ita locum intelligendum vt verba ſonant, vt ſcilicet eo truculentæ famis amariſſimis legibus redacti eſſent Samaritæ, vt aſini caput à cetero corpore reuulſum octoginta argenteis venderetur. Argumento autem eſt, quod neque à columbino ſtercore obſcæna fames abſtinuit, imò, quod eſt maximè miſerandum, nec à propriis liberis, quos matres ad vſum nefariæ dapis conuertere non dubitarunt, & pro infelicibus cadauerum reliquiis coram Rege litigare, vt eodem capite legimus, locum Moſis vaticinio facientes, qui ita comminatus fuerat genti ſuæ,

Deut. 28. 53. ſi Diuinas leges violare fuiſſent auſi. *Comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum*; & Ezechielis triſti prædictione tanto po-

Ezech. 5. 10. ſtea denuntiantis. *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres ſuos.* Partes ergo prudentis Principis aut Ducis ſunt, mala iſta quantum fieri poterit, anteuertere, & annonam cum ſuppetit, largiter in vrbes inducere, vt ſi circumiectam regionem penuria inceſſerit, qui obſidentur non ſolùm vitam tolerare, ſed arma etiam pro defenſione patriæ fortiter, & animosè tractare poſſint.

9 Tandem cum res ipſa per ſe loquatur, neceſſe fortè non fuerit monere eos qui obſidione cinguntur, vt cum fœderatis, & ſuarum partium Principibus aut Ducibus gentis ſuæ, qui prope abſunt, & ſuppetias ferre poſſunt, nuntiorum, aut litterarum communione hoſtium progreſſiones, conſilia, conatus, cognoſcere ſtudeant: & viciſſim quibus ipſi premantur incommodis, & quibus rebus opus habent, aperiant, vltro, citroque deſtinatis nuntiis, habitu diſſimulato, aliáve neceſſaria cautione adhibita, ne intercipiantur, litteríſque eo artificio exaratis, vt ſi in hoſtium manus eas deferri cõtingat, intelligi non poſſint. Huius rei nonnulla excogitari & vſurpari ſolent artificia, vt cum cartæ circa virgam aliquam certæ menſuræ, quæ apud vtroſque ſit, qui illis vti neceſſe habuerint ita complicantur, coniunguntur, & per extremas margines committuntur, vt cum fuerint inſcriptæ, & dein explicatæ, & arcanæ illius rationis expertibus litteræ truncæ, & mutilæ appareant, membraque earum & apices in partes diuerſiſſimas ſpargantur: gnaris verò ſecretioris illius modi, & circa æqualem rudem, quam apud ſe habent rurſus complicantibus, ita concinnè coaleſcant, & coëant, vt integras incorruptaſque epiſtolas, & quæ nullo negotio legi poſſint exhibeant. Alij litterarum ordinem mutant, aut aliis elementis pro aliis vtuntur, v.g. B. pro A. D. pro C. vſurpando; aut etiam aliquo alio charactere in ordine alphabetico longius diſſito. Hunc autem modum ſecreta tegendi quæ Scripturæ committuntur, veteribus Hebræis non omnino inuſitatum puto, eiuſque in Ieremia veſtigium aliquod reperio, ſi D. Hieronymo, aliiſque

De arcanis litteris, quas cifras vocant, vltro citróque mittendis.

que grauiſſimis eius prophetiæ interpretibus credimus, qui cum cap. vigeſimo quinto Seſac nominatur, putant hypobolimæas eſſe litteras illas, & pro aliis ſubſtitutas, hoc ordine, vt ſcilicet loco primæ alphabeti, vltima ponatur, loco ſecundæ penultima, & ſic deinceps, qua ratione ſeruata cum Propheta reuera בָּבֶל Babel dicere vellet שֵׁשַׁךְ Seſac tamen dixit per anagrammatiſmum, idque eo conſilio feciſſe creditur, vt Chaldæorum qui tunc dominabantur, offenſionem euitaret. Siue ergo ratio hæc placeat, ſiue alia opportunior, nemo non intelligit eſſe frequenter neceſſarium, aliqua arte conari vigilem hoſtium pro vallo excubantium obſidionem eludere, vt quæ nuntianda ſunt, aut cognoſcenda litteris exarata fidelibus vltro citróque commeare poſſint.

Ierem. 25. 27.

De victoria, & illius vſu, victorúmque præmiis, triumphiis, & trophæis.

CAPVT XVI.

Pro victoria Deo gratias agendas eſſe.
1. Reg. 15. 29.

1 Librum hunc, & opus etiam totum claudent paucula quædam præcepta ad victoriam, eiuſque vſum ſpectantia. Si ergo Dominus, qui *Triumphator* à Samuele dicitur, hoc eſt victoriarum & triumphorum largitor, victoriam de hoſtibus conceſſerit, par eſt Deo gratias ingentes agere, cuius beneficio non ſolùm noſtra agmina conſeruata ſunt, ſed etiam tributum, vt hoſtium exer

exercitus funderetur. Quod ſedulò feciſſe videmus viros fortiſſimos æquè ac ſanctiſſimos Melchiſedech & Moſen. Nam ille quidem ſacrificium obtulit in gratiarum actionem pro reportata victoria de Chodorlahomor Rege Elamitarum, & fœderatis Regibus vt habemus in Geneſi his verbis. *At verò Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei, & ait. Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum & terram, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* Moſes verò cum vidiſſet *Ægyptios mortuos, ſuper littus maris, & magnam manum, quam exercuerat contra eos Dominus. Tunc cecinit Moſes, & filij Iſraël carmen hoc Domino, & dixerunt. Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum.* & quæ ſequuntur. Quæ omnia præclara ſunt, qualia nimirum decent virum diuino ſpiritu afflatum, quique beneficij, quo fuerat affectus, & periculi vnde ereptus, magnitudinem præclarè cognoſceret. Eſt autem victoriæ curſus ferè ſiſtendus cum nocte ipſa, ne per occaſionem tenebrarum aut inſidiis, aut alia ratione exercitus periclitetur; Dauid tamen Amalecitas, qui Siceleg ciuitatem, in qua cum ſuis Dauid habitabat inuadere, & prædis abactis diripere veriti non ſunt; *Percuſſit eos à veſpere uſque ad veſperam alterius diei.* prouectus fortaſſe deſiderio vindicandi iniuriam ſuis illatam, qui domo fuerant abducti, tectis ciuitatis inflammatis, dirutis, direptis, vt mirum non ſit ſi in gentiles, Iſraëliticique nominis hoſtes, indignatione juſta Dauid

Geneſ. 14. 18.

Exod. 13. 31.

Exod. 14. 1.

1. Reg. 30. 17.

Dauid excanduerit. Cæterùm cum hoſtes non reſiſtunt, ſed victoribus cedunt, à cæde, & ſanguine temperandum eſſe, ſenſus ipſe humanitatis perſuadet, quod cum in omni bello locum habeat potiſſimum, tamen verum eſt in ciuili, cum par ſit ſuis potiſſimùm parcere belli Ducem, quos gentis eiuſdem communione aut ciuitatis attingit. Cum Abner Dux quondam Saul cum ſuis conuerſus eſſet in fugam, victoriamque ſecutus

2.Reg.2. 26. Ioab fugientes vrgeret: *Exclamauit Abner ad Ioab, & ait. Nunquid vſque ad internecionem tuus mucro deſæuiet? An ignoras quod periculoſa ſit deſperatio? Vſquequo non dicis populo, vt omittat perſequi fratres ſuos? & ait Ioab. Viuit Dominus, ſi locutus fuiſſes manè, receſſiſſet populus perſequens fratrem ſuum; Inſonuit ergo Ioab buccina, & ſtetit omnis exercitus, nec perſecuti ſunt vltra Iſraël, neque inière certamen.*

2 Porrò non hominibus tantùm parcendum eſt, ſed molibus etiam ædificiorum, quæ tibi, tuiſque vſui futuræ ſunt, pecoribus, arboribúſque, quæ ſuccidenda non ſunt, aut incendenda; nam præterquam quod in ea ſæuire, quæ nullo modo reſiſtunt, aut iniuriam non fecerunt, & ratione etiam carent, barbari furoris eſt, damnum etiam ſibi inferunt, qui talia deſignant, cum poſt victoriam non res alienas, ſed ſuas igni ferroque corrumpant. Itaque Dominus, qui Chananæorum populos, ex Iſraëlitis deleri voluerat, ne illorum ſceleribus aut idololatriis contaminarentur; à cæde tamen arborum abſtinere manus milites ſuos iuſſit, ſic enim præcepit in Deuteronomio.

Victoriam citra crudelitatem perſequendam eſſe.

Deut.20. 19. *Quando obſederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis vt expugnes eam, non ſuccidas arbores, de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitum*

debes

debes vaſtare regionem, quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum. Si qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, & in cæteros apta vſus. ſuccide, & inſtrue machinas, donec capias ciuitatem, quæ contra te dimicat. Sæuitiæ etiam immodicæ argumentum eſt, quod aliquando factum legimus ab iratis Principibus, vt ſcilicet captis dirutíſque ciuitatibus ſal in iis diſpergeretur, quod etiam habemus in Scriptura. *Porrò Abimelech* (inquit liber Iudicum) *omni die illo oppugnabat vrbem quam cepit interfectis habitatoribus eius, ipſaq; deſtructa, ita vt ſal in ea diſpergeret.* Iud 9 45.

3 Victoriam prædatio conſequitur, ſpoliorúmque collectio, in quo idem recurrit præceptum, quod cum de inſiſtendo, fugientibus hoſtibus, diceremus allatum eſt, nam *cum omnis violenta prædatio cum tumultu* coniuncta ſit, ac propterea milites ordines deſerant, impeditioréſque ſint ad arma tractanda, propter ſarcinam detractorum ſpoliorum, hoſtium non ſolum inſidiis, ſed etiam violentiæ ſunt opportuni, accidítque frequenter, vt dolenda viciſſitudine, qui vicerant, redeuntibus hoſtibus certamine inſtaurato turpiter ſuccumberent, propterea quod per campos palantes deprehenſi, arcendæ hoſtium ſuperuenientium impreſſioni pares non fuerunt. Sapienter itaque ſuos ita monet Iudas in Machabæorum hiſtoria. *Non concupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt, & Gorgias, & exercitus eius prope nos in monte; ſed ſtate nunc contra inimicos noſtros, & expugnate eos, & ſumetis poſtea ſpolia ſecuri.* Decet autem ex collecta præda Diuinum numen à quo victoria profecta eſt, ſuſpenſis donariis, nobilique aliquo ad rei memoriam anathemate honorare,

De ſpolijs detrahẽdis & colligẽda præda.

Iſa. 9. 5.

1. Mach. 4. 17.

Digitized by Google

vt ſimul poſteris olim teſtimonio ſit, & bellicæ maiorum ſuorum virtutis, & in Deum etiam bonorum omnium auctorem egregiæ pietatis. Sic Abram de ſpoliis & manubiis deuictorum Regum Melchiſedech ſacerdoti decimam donauit partem, vt habemus in Geneſi, in qua legimus,

Geneſ. 14. 20. *Et dedit ei decimas ex omnibus.* Qui locus, quamuis ambiguus eſſe videatur, cum non magis colligi poſſe videatur Abramne Melchiſedecho, an potius ipſe Melchiſedech decimam donauerit Abramo: tamen Septuaginta interpretum grauiſſima auctoritas ambiguitatem ſuſtulit, cum habeant. *Et dedit ei Abram decimas ex omnibus*; clariſſimúmque D. Pauli teſtimonium in epiſtola ad Hebręos,

Hebr. 7. 1. rem planè reddit indubitatam, cum dicat: *Melchiſedech obuiauit Abræ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuiſit Abram.* Et

Ibid. n. 4. paulò poſt. *Intuemini quantus ſit hic, qui decimas*

Ibid. n. 6. *dedit de præcipuis Abram patriarcha*; & deinde. *Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abram.* Similem in Deum liberalitatem exhibuerunt Iſraëlitæ ſoluta obſidione Bethuliæ, & de Aſſyriis luculenta illa ſempérque

Iudith 16. 22. memoranda victoria reportata. *Et factum eſt poſt hac, omnis populus poſt victoriam venit in Ieruſalem adorare Dominum. & mox vt purificati ſunt, obtulerunt omnes holocauſta, & vota, & repromiſſiones ſuas.* Quod vulgatus noſter interpres *vota* dixit, in Gręco eſt ἑκούσια *ſpontanea*, ea ſcilicet, quæ ſponte, & nullo legis adigente præcepto quiſque offerre voluit, ſiue ex detractis ſpoliis, vt par eſt credere, ſiue ex iis quæ prius pro obtinenda victoria, ſe daturos Deo nuncupato voto, cum obſidione premerentur, obſtrinxerant. Quod verò dicitur

Repro

Digitized by Google

Repromiſſiones. Græcus habet δόματα, hoc eſt, *dona*, quæ ſcilicet liberali prorſus animo, nulláque præcedente aut voti, aut alterius generis obligatione, quiſque largitus eſt Domino; quod exemplum etiã ipſius Iudith, quod ſubiungit cõfirmat. *Porrò Iudith*, inquit, *vniuerſa vaſa bellica Holophernis quæ dedit illi populus & conopæum, quod ipſa ſuſtulerat, de cubili ipſius, obtulit in anathema obliuionis*; ſcilicet in donarium, quod conſpicuo aliquo loco ſuſpenderetur, hoc enim eſt ἀνάθημα, quæ vox hic habetur non ad inducendam obliuionem, ſed potius vt occurreretur obliuioni, ſempérque memoria eximii illius beneficij renouaretur, cum ſuperbi Ducis ſpolia ſpectantibus in oculos incurrerent. Nec militum pietas ſilenda, qui ſub Moſe meruerant; nam victoriam adepti de Madianitis, dona dicuntur obtuliſſe Domino in Numerorum hiſtoria. *Cumq́; acceſſiſſent*, inquit, *Principes exercitus ad Moyſem, & tribuni, centurioneſq́;, dixerunt: Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donarijs Domino, ſinguli quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides & armillas, annulos, & dextralia, ac murenulas, vt depreceris pro nobis Dominum. Suſceperuntq́; Moyſes & Eleazar ſacerdos omne aurum in diuerſis ſpeciebus, pondo, ſedecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos à tribunis & centurionibus. Vnuſquiſque enim quod in præda rapuerat ſuum erat, & ſuſceptum intulerunt in tabernaculum teſtimonij, in monimentum filiorum Iſraël coram Domino.* Et hæc quidem tribuni centurionéſque ſponte obtulerunt, reliquam enim prædam iuſſerat Dominus Moſen & Eleazarum ſacerdotem, vulgíque Principes inter milites partiri.

Num. 31. 48.

Ibid. n. 26. partiri. Ita enim legimus eodem capite. *Tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt ab homine vſque ad pecus. Tu & Eleazar ſacerdos & Principes vulgi, diuideſque ex æquo prædam inter eos qui pugnauerunt, egreſſique ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem, & ſeparabis partem Domino, ab his qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tam ex hominibus, quàm ex bobus, & aſinis, & ouibus, & dabis eam Eleazaro ſacerdoti, quia primitia Domini ſunt. Ex media quoque parte filiorum Iſraël accipies quinquageſimum caput hominum, & boum, & aſinorum, & ouium, cunctorum animantium, & dabis ea Leuitis, qui excubant in cuſtodiis tabernaculi Domini. Feceruntque Moyſes & Eleazar ſicut præceperat Dominus.* Quæ verba vt meliùs intelligantur: notandum eſt, non ita iuſſiſſe Dominum ex æquo partiri prædam, vt quantum in ſingula militum capita tribuebatur, tantum etiam eis qui non militauerant tribueretur. Hoc enim iuxta diſtributiuæ iuſtitiæ præſcriptum non fuiſſet, ſed tantum prædæ accepit reliqua multitudo, quæ ad bellandum profecta non eſt, quantum exercitus acceperat. Porrò cum exercitus duodecim millium numerum non ſuperaſſet, vt ex eodem ſacro contextu habetur, reliqui verò in caſtris hærentes quaſi ſexcenta millia capitum eſſent, ſatis apparet quàm melior bellatorum, quàm aliorum conditio fuerit, cum vnus dumtaxat ex his tantùm auferret è præda, quantum ex cæteris quadraginta, vel etiam quinquaginta. Quod ſi dicat aliquis prædam diuidendam æqualiter fuiſſe inter procedentes ad bellum, & remanentes in ca-
1. Reg. 30. 24. ſtris, iuxta eam legem quam Dauid ſanxiſſe legimus cum pronuntiauit. *Æqua pars erit deſcendentis*

Digitized by Google

dentis in prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident. Occurrendum eſt, legem hanc multò poſt à Dauide latam eſſe, nec ſatis hic conuenire; nam qui ad ſarcinas remanent, militant, participéſque ſunt periculorum, & laborum, non ſecus atque alij qui prodeunt ad certamen; at verò ſexcenta illa hominum millia, quamuis eſſent in caſtris, non tamen tunc aduerſus hoſtes Iſraëlitici nominis, arma ſuſceperant, ſed in ſuis tentoriis citra periculum, longè à bellico tumultu conſederant: Quare æquum non erat, vt qui laborem non ſuſceperant, nec diſcrimen adierant, in fructus aliorum ſudore & ſanguine partos inuolarent. Quòd ſi aliqua prædæ portiuncula Diuino iuſſu aſperſi ſunt, id factum videtur ad comprimendam inuidiam, pacémque inter eiuſdem populi ciues fouendam, aut etiam quia ita animi præparatione diſpoſiti erant, vt ſi opus eſſet in expeditionem ire non recuſarent. Illud etiam aduertendum eſt, diuiſionem hanc prædæ modo explicato inſtitutam non repugnare iis quæ attulimus, cum tribunorum ac centurionum oblationem commemoraremus, de quo ſacer contextus ita loquitur, *Vnuſquiſque enim quod in præda rapuerat, ſuum erat:* hoc enim de auro tantùm intelligendum eſt, quòd in communem partitionem conferendum non erat; ſed quiſque quod nanciſci potuiſſet, aut prædari ſibi reſeruabat. Quoniam verò alacriùs milites belli diſcrimina ſubeunt, ſi ſpes aliqua lucri, aut prædæ affulſerit; lege Deuteronomij cautum erat, vt cum populo victoria contigiſſet, præda milites potirentur. *Omnem prædam,* inquit, *exercitui diuides, & comedes de ſpolijs hoſtium tuorum, quæ Dominus Deus tuus*

Num. 31. 53.

Deut. 20. 14.

dederit tibi. Cui præcepto ad vnguem obtemperauit Ioſue, capta Hai, vt dicitur in Ioſue hiſtoria.

Ioſ. 8.27. *Iumenta autem & prædam ciuitatis diuiſerunt filij Iſraël ſicut præceperat Dominus Ioſue.*

De præmijs tribuendis qui victoriæ fuerint auctores.

4 Sed præter prædam hoſtibus ereptam, conſueuerunt etiam munifici Imperatores peculiaribus aliquibus præmijs ac donariis, armis, v.g. auro atque præclaro opere decoris, coronis, armillis, redditibus annuis, ac præſertim honoribus decernendis eorum munerari virtutem, qui egregiam nauauerint in bello operam, quíque eximio aliquo facinore reliquos antecelluerint. Communis hic erat Iſraëlitarum ſenſus, qui cum in valle Terebinthi contra Philiſtæos tenderent, Goliáſque agminum Saulis terror prodiret in campum, nec vllus cum illo congredi auderet, ita loquebantur. *Qui percuſſerit virum, ditabit eum Rex diuitijs magnis, & filiam ſuam dabit ei, & domum Patris eius faciet abſque tributo in Iſrael.* Et Saul iam Dauidi infenſus, cum ab inimico ſuo fautores, & amicos niteretur abſtrahere, eo nititur argumento perſuadere, quod habebat in animo, quod ſcilicet Dauid, quippe pauper & priuatæ fortunæ homo præmia illis dare non poſſet, aut mercedem eorum obſequiorum & ſtudiorum, quibus illum proſequebantur. *Audite nunc,* inquit, *filij Iemini; nunquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros, & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones? quoniam coniuraſtis omnes aduerſum me.* Idémque Dauid in eadem Regum hiſtoria dicitur præmium eſſe pollicitus ei, qui percuſſiſſet Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas; qui locus cum ad rem noſtram faciat, ſítque difficilis, & cognitionem habeat cum iucunditate coniunctam

1.Reg. 17. 25.

1.Reg.22. 7.

ctam, hic nobis explicandus eſt. His ergo verbis, vt tota res geſta eſt, deſcribitur in lib. 2. Regum. 2. Reg. 5. 6.
Et abijt Rex, & omnes viri qui erant cum eo in Ieruſalem ad Iebuſæum habitatorem terræ, dictumq́ eſt Dauid ab eis: Non ingredieris huc niſi abſtuleris cæcos, & claudos dicentes, Non ingredietur Dauid huc. Cepit autem Dauid arcem Sion, hæc eſt ciuitas Dauid. Propoſuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percuſſiſſet Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas, & abſtuliſſet cæcos & claudos odientes animam Dauid. Quod vt intelligatur, ſciendum eſt Iebuſæos arcis propugnatores loci opportunitate præfidentes cæcos & claudos pro arcis pinnis collocaſſe, quaſi defenſoribus iſtis vim omnem Dauidis & exercitus eius floccifacere poſſent, quod genus irriſionis Dauidis induſtriam exacuit, ad eas omnes artes excogitandas quibus edita illa munitione potiri poſſet: quare militibus qui eo niti auderent, & verò etiam aſpirare poſſent vſque ad domatum, tectorum ſcilicet, fiſtulas, quibus quaſi imbricibus ad colligendas aquas pluuias vtebantur, ac proinde in arcis faſtigio, quò perueniendum erat, viſebantur, pollicitus eſt ſe præmium tanto auſu non indignum largiturum. Nec defuit militibus virtus & alacritas, qui pro præmij propoſiti honeſtamento conſequendo, bene periculum tam grande adeundum eſſe putarent; itaque cum eò perueniſſent, mœniáque defenſoribus nudaſſent, cæcis & claudis odientibus Dauid, qui ſcilicet contra ipſum ſteterant, inuitis arce potitus eſt. Cæterum quoad virtutis præmia conſequenda attinet, haud parum infelix eſſe ſolet aulicorum aulæque conditio, in qua ſi quid peccatum ab aulicis fuerit, belli ducibus, aut Principis ad-

by Google

Gen. 4.7. miniſtris, ſtatim illis *In foribus adeſt peccatum*, rapiuntur in cuſtodias, extremo etiam ſupplicio puniuntur: ſi verò aliquid pro Principe aut Republ. fortiter in bello geſſerunt, ſi ſapientis alicuius ſalutariſque conſilij auctores fuerunt in pace, rarò, aut ſerò, aut fortè nunquam benefacto merces rependitur. Eunuchi qui contra Aſſue-
Eſther 2. rum coniurauerant, ſtatim *appenſi ſunt in patibulo*,
23. Mardochæus verò ſerò, & non niſi caſu quodam inſignis ſui in Regem promeriti præmiam tulit. Idem contigit Berzellai, qui non prius à Dauide inuitatus eſt, vt in Regia ciuitate Ieruſalem fructum caperet quietis, quàm annis grauis, & viribus adeò fractis eſſet, vt iam per ætatem aulæ honoribus, & voluptatibus parum eſſet idoneus, vt ipſe ſapienter excuſans ætatem, Dauidi reſpon-
2.Reg.19. dit. *Octogenarius*, inquit, *ſum hodie, nunquid vigent*
35. *ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue, aut amarum, aut delectare poteſt ſeruum tuum cibus, aut potus, vel audire poſſum vltra vocem cantorum, aut cantatricum? quare ſeruus tuus ſit oneri Domino meo Regi?* Et ſanè ita eſt; plus multo interdum negotij eſt id quod meritus fueris obtinere à Principe, aut à miniſtris eblandiri, quàm rebus præclarè geſtis aut præmium aliquod mereri, aut honeſtamentum
1. Reg. 17. virtutis. Dauidi propter vnum Goliam proſtra-
25. tum Michol in vxorem ex Regis promiſſione de-
1.Reg. 18. bebatur, ſed tamen non niſi centum Philiſtæo-
27. rum præputiis numeratis, quod meritus fuerat, potuit obtinere. Verùm non viuentibus tantùm ac ſuperſtitibus, ſed extinctis etiam debentur præmia, quæ in ipſis locum habere poſſunt. Sic
2. Par. 24. de Ioiada ſacerdote optimè de Republ. meritò le-
16. gimus. *Sepelieruntq́ue eum in ciuitate Dauid cum Regibus,*

Digitized by Google

gibus, eò quòd feciſſet bonum cum Iſraël, & cum domo eius. Ionathæ etiam ſepulchrum, cuius multa extiterunt in gentem ſuam promerita, honeſtiſſimum fuit, vt deſcribitur in Machabæorum hiſtoria. *Et planxerunt eum*, inquit, *omnis Iſraël planctu magno, & luxerunt eum dies multos, & ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui, & fratrum ſuorum ædificium altum viſu lapide polito, retro & ante. Et ſtatuit ſeptem pyramidas, vnam contra vnam patri & matri, & quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma, ad memoriam æternam, & iuxta arma naues ſculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare, hoc eſt ſepulchrum quod fecit in Modin, vſque in hunc diem.* 1. Mach. 13 26.

5 Sed fauendum etiam eſt liberis eorum, qui de Republ. rebus pręclarè geſtis bene meriti ſunt; quod enim filiis tribuitur, videtur rependi parentibus, qui etiam propterea ſibi minus parcent, liberaliúſq; & ſtudioſiùs in Principis obſequium ſe impendent, ſuſceptis laboribus aditíſque periculis, ſi cognouerint Principum liberalitatis, & beneficentiæ filios, quos ipſi poſt ſe reliquerint ſuperſtites, fore participes. Præſtitit hoc Dauid, qui olim à Ionatha Saulis Regis violentiæ ſubductus, aliíſque ornatus beneficiis, chariſſimi ac fideliſſimi amici memoriam, interpoſiti temporis diuturnitate ſibi eripi non eſt paſſus, atque ideo Miphiboſeth Ionathæ filium, pedibus captum, ſuæ menſæ perpetuò iuſſit aſſidere. *Ne timeas*, inquit, *quia faciens faciam in te miſericordiam propter Ionathàm patrem tuum, & reſtituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in menſa mea ſemper.* Illud tamen cauendum eſt, ne dum ſtudemus bonorum parentum filiis, aut in eos

Nobilium parentum, & bene de Rep. meritorũ liberis fauendum.

2. Reg. 7.

beneficia conferimus, continuò etiam putemus eos ſemper ad ea munera idoneos eſſe, quibus parentes eorum cum laude præfuerunt. Nam à magnorum parentum indole, ac ſapientia, filij nonnunquam degenerant, vt Roboamus, qui
Ecclef.47. 16. Salomonis filius, eius nimirum qui *Impletus eſt, quaſi flumen, ſapientia*, vt loquitur Eccleſiaſticus,
Ibid. n.27. ab eodem vocatur *gentis ſtultitia, & imminutus à*
Geneſ. 25. 27. *prudentia.* Quemadmodum etiam Iſaac, & Samuel viri ſanctitate & prudentia maximè con-
1.Reg 8 3. ſpicui, filios mirum quantum paternis moribus abſimiles ſuſceperunt, vt ex ſacris litteris habemus.

De triumphis, & trophæis. 6 Sequitur, vt aliquid etiam de triumphis, corúmque pompa & trophæis dicamus: quorum veſtigium aliquod apparet in ſacris litteris. Nam
1. Reg.15. 12. Saul poſt deuictos Amalecitas dicitur *Erexiſſe ſibi fornicem triumphalem*, arcum D.Hieronymus interpretatur in traditionibus Hebraicis. *Quando victoria potiebantur*, inquit, *faciebant arcum de myrtetis & palmis, & oliuis, ob ſignum victoriæ.* Hebræi pro fornice aut arcu habent יד *manum.* Septuaginta χεῖρα, ſiue quod trophæis manum imponerent, ad ſignificandum hoſtes valida manu deuictos: ſiue quod trophæa omnia manus appellarentur, ab iis manibus tranſlato vocabulo, quæ in biuijs aut triuiis ſtatui ſolent ad dirigendos peregrinos, ne aberrantes à via, aliò fortè deflectant, quò iter non intenderant. Quo ſenſu ac-
Ezech.21. 9. cipiendum eſt illud Ezech. *Et manu capiet coniecturam*, eius ſcilicet manus, quæ eſt in biuio, indicium ſequetur. Quia verò cippus ſuppoſitus, ſtipes erectus, & manus impoſita non diſſimilem à trophæis ſpeciem exhibet, factum putarim, vt idem

Digitized by Google

idem vocabulum, ad vtrumque ſignificandum à ſacris Scriptoribus adhiberetur. Dauid etiam cum deiecto, capitéque truncato Philiſthæo, reuerteretur, ſolemni pompa videtur in ciuitatem inuectus, mulieribus cantatricibus victorem carmine proſequentibus, & cum Saule redeunti obuiam effuſis. *Porrò*, inquit Regum hiſtoria, *cum reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël, cantantes choroſq; ducentes in occurſum Saul Regis in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris, & præcinebant mulieres ludentes atque dicentes. Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Súntque qui putent etiam Dauid, quemadmodum Saul ſibi aliquando triumphalem arcum excitaſſe; de arcu enim interpretantur, quod 2. Regum legimus. *Fecit quoque ſibi Dauid nomen, cum reuerteretur capta Syria in valle Salinarum.* Porrò in pompa ſolemni, triumphorum victores Duces, aut curru ſublimes vehebantur, aut equo: quem morem reſpexiſſe videtur Dauid cum canit in Pſalmo. *Proſperè procede, & regna*; pro quo in Hebræo eſt. *Vehere, inequita, inſide*; eodem ſenſu: qui enim vehuntur curru, aut equo, proſperè procedunt, ſecundo etiam fauore, & aura circunfuſorum populorum; regnant autem, aut inſident, cum Regni habenas tractant, & pro arbitrio vt victores conſueuerant, moderantur. Tandem arma victis detracta tholo templorum fixa ab antiquis reperio, vt Sauli extincti in templo Aſtharoth à Philiſthæis, aut etiam domi habita, conſpicuo tamen aliquo loco, vt ab omnibus cerni poſſent, vt arma Goliæ in tabernaculo Dauid, de quibus dicitur: *Arma verò eius in tabernaculo ſuo*, vel vt interpretantur aliqui, *in domo ſua*

1. Reg. 18. 6.

2. Reg. 8. 13.

Pſalm. 44. 5.

1. Reg. 31. 10.

1. Reg. 13. 54.

Beethle

Beethlemitica. Inſtituitur autem triumphorũ pompa, aut trophæorum, vt virtus illuſtri loco poſiſita ab omnibus hominum gradibus eum conſequatur plauſum, quem merita eſt; ex quo etiam reliqui ciues, qui ſpectatores triumphis interfuerunt, cum ſe dederit occaſio ita ſe gerere ſatagant, vt & ipſi aliis iucundo illuſtrique ſpectaculo eſſe poſſint.

***

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM
S. SCRIPTVRÆ.

Hoc Indice continentur tantùm ea loca, quę aliqua ratione explicantur, aut illuſtrantur : ea enim omnia colligere quæ citantur, nimium ſanè fuiſſet, cum totum opus ex ſacrarum litterarum teſtimoniis contextum ſit. Prior numerus ſignificat librum, ſecundus caput, tertius paragraphum, ſiue numerum margini adſcriptum.

Geneſis.

Cap.2.n.19. *ADduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* *l.3.c.3.n.6*

3.16. *Sub viri poteſtate eris & ipſe dominabitur tui.* *l.1.c.5.n.1*

3.9. *Adam vbi es?* *l.2.c.72.n.3*

4.2. *Fuit Abel paſtor ouium, & Cain agricola.* *l.2.c.17.n.3*

4.4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui.* *l.1.c.7.n.3*

4.11. *Vagus, & profugus eris ſuper terram.* *l.3.c.4.n.4*

4.20. *Tubal pater canentium cithara, & organo.* *l.1.c.8.n.3*

6.2. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ.* *l.2.c.25.n.3*

6.3. *Non*

6.3. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* l.2.c.13.n.1
9.4. *Carnem cum ſanguine non comedetis.* l.2.c.26.n.2
11.4. *Celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur.* l.3.c.5.n.1
11.5. *Deſcendit Dominus vt videret ciuitatem, & turrim.* l.3.c.3.n.14
12.11. *Dixit Sarai vxori ſuæ, noui quod pulchra ſis, &c. nonnulla ex hoc capite explicantur.* l.2. c.27.n.1
14.10. *Vallis autem ſylueſtris habebat puteos multos bituminis.* l.1.c.8.n.2
14.20. *Et dedit eis decimas ex omnibus.* l.3.c.16.n.3
15.15. *Ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona.* l.2.c.8.n.3
18.19. *Vt faciant iudicium, & iuſtitiam.* l.2.c.15.n.8
18.21. *Deſcendam, & videbo.* l.3.c.3.n.14
19.9. *Ingreſſus es vt aduena, nunquid vt iudices?* l.3. c.6.n.1
21.9. *Cum vidiſſet filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo.* l.2.c.3.n.2
21.14. *Mane autem ſurgens Abraham.* l.2.c.24.n.7
23.16. *Quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ.* l.2.c.9.n.1
24.49. *Si facitis miſericordiam, & veritatem cum domino meo, indicate mihi.* l.3.c.7.n.1
25.20. *Nomen putei vocauit calumniam.* l.3.c.9.n.3
25.21. *Appellauit eum inimicitias.* l.3.c.9.n.3
27.15. *Veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum.* l.2.c.23.n.1
27.27. *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, &c.* l.2. c.23.n.2
29.26. *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis vt minores antea tradantur ad nuptias.* l.3.c.4.n.8

30.37. *Tulit*

30.37. *Tulit Iacob virgas populeas, &c.* l.1.c.10.n.1

34.25. *In conſilium eorum non veniat anima mea.* l.3.c.2.n.5

36.33. *Mortuus eſt autem Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zara de Boſra.* l.1.c.6.n.2

39.9. *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* l.2.c.16.n.2

41.43. *Præco clamabat vt omnes coram eo genua flecterent.* l.1.c.8.n.13

41.45. *Vertitq; nomen eius, & vocauit illum linguâ Ægyptiaca Saluatorem mundi.* l.2.c.23.n.8

43.35. *Audierant enim quod ibi comeſturi eſſent panem.* l.2.c.24.n.1

44.5. *Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* l.2.c.32.n.6

44.15. *An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia.* l.2.c.32.n.6

48.18. *Non ita conuenit pater, quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.* l.1.c.7.n.1

49.3. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* l.1.c.7.n.2

49.5. *Simeon, & Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia.* l.2.c.27.n.2

Exodus.

Cap.1.10. *Venite ſapienter opprimamus eum ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit, cõtra nos bellũ, addatur inimicis noſtris, &c.* l.3.c.6.n.1

1.11. *Ædificaueruntq; vrbes tabernaculorum Pharaoni Phithom, & Rameſſes.* l.2.c.22.n.2

4.24. *Cum eſſet in itinere in diuerſorio occurrit ei Dominus, & nolebat occidere eum.* l.3.c.3.n.10

7.11. *Voca*

Digitized by Google

7.11. *Vocauit Pharao ſapientes, & maleficos, &c.* l.2. c.32.n.1
8.20. *Conſurge diluculo, & ſta coram Pharaone.* l.2. c.24.n.7
11.4. *Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, &c.* l.1. c.6.n.2. & c.7.n.2
21.14. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur.* l.2.c.5.n.5.
22.28. *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* l.1.c.3.n.2
28.30. *Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem.* l.1.c.8.n.1
32.6. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* l.2.c.25.n.4.& l.3.c.7.n.3
32.29. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & fratre ſuo vt detur vobis benedictio.* l.2.c.3.n.1
34.6. *Deus patiens, & multæ miſerationis.* l.2.c.13.n.1
39.43. *Moſes vidit cuncta completa, & benedixit eis.* l.2.c.3.n.5

Leuiticus.

Cap.2.13. *In omni oblatione tua offeres ſal.* l.2.c.16.n.7
3.17. *Nec ſanguinem, nec adipẽ comedetis.* l.2.c.15.n.8
8.30. *Aſſumens vnguentum quod erat in altari, aſperſit ſuper Aaron.* l.2.c.12.n.7.
10.9. *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu, & filij tui.* l.2.c.24.n.5
18.4. *Facitis iudicia mea.* l.2.c.15.n.8
25.23. *Terra non vendetur in perpetuũ, quia mea eſt, & vos aduenæ, & coloni mei eſtis, &c.* l.2.c.4.n.4

Numeri.

Digitized by Google

Numeri.

11.4. *Vulgus promiſcuum, quod aſcenderat cum eis flagrauit deſiderio,&c.* l.3.c.12.n.5

11.11. *Numquid ego concepi vniuerſam multitudinem hanc.* l.2.c.13.n.2.& l.1.c.9.n.3

11.16. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël,quos tu noſti quod ſenes ſint.* l.3.c.2.n.2

11.28. *Domine mi Moyſes prohibe eos.* l.2.c.11.n.1

15.35. *Morte moriatur homo iſte.* l.3.c.4.n.4

15.37. *Faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum.* l.2.c.25.n.3

18.19. *Pactum ſalis.* l.3.c.10.n.5

20.17. *Non ibimus per agros neque per vineas,non bibemus aquas de puteis,&c.* l.3.c.12.n.5

22.34. *Domine peccaui neſciens quod tu ſtares contra me, & nunc ſi diſplicet tibi vt vadam, reuertar.* l.1.c.3.n.6

23.19. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.* l.2.c.20.n.2

27.1. *Acceſſerunt filiæ Salphaad, &c. atque dixerunt, Date nobis poſſeſſionem inter cognatos patris noſtri.* l.1.c.7.n.5

27.21. *Ad illius verbum egredietur ipſe, & ingredietur.* l.3.c.4.n.3

31.27. *Diuides ex æquo prædam inter eos qui pugnauerunt.* l.3.c.16.n.3

31.53. *Vnuſquiſque quod in præda rapuerat, ſuum erat.* l.3.c.16.n.3

Deuteronomium.

Cap.8.9. *Cuius lapides ferrum ſunt,& de mõtibus eius æris metalla fodiuntur.* l.1.c.17.n.4

Ppp 12.8. *Non*

12.8. *Non facietis quæ nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectum videtur.* l.1.c.2.n.7
17.15. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* l.1.c.6.n.5
17.16. *Cumq́; fuerit Rex conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos.* l.3.c.13.n.1
17.17. *Non habebit argenti & auri immenſa pondera.* l.2.c.17.n.1
17.18. *Deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius, &c.* l.3.c.4.n.3
19.3. *In tres æqualiter partes totam terræ tuæ prouinciam diuides; vt habeat è vicino, qui propter homicidium profugus eſt quo poſſit euadere.* l.2.c.5.n.5
20.8. *Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauido? vadat & reuertatur in domum ſuam.* l.3.c.12.n.3
20.10. *Non arabis in boue ſimul & aſino.* l.2.c.18.n.9
23.2. *Non ingredietur mamzer in Eccleſiam Domini.* l.1.c.7.n.6
23.15. *Non trades ſeruum domino ſuo, qui ad te confugerit.* l.3.c.6.n.2
24.16. *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus.* l.2.c.12.n.3
25.4. *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* l.2.c.18.n.9
28.55. *Plagas magnas & perſeuerantes.* l.2.c.15.n.3
32.4. *Deus fidelis, & abſq; vllâ iniquitate.* l.2.c.15.n.3
32.9. *Iacob funiculus hæreditatis eius.* l.2.c.10.n.3
32.39. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* l.2.c.13.n.1
32.42. *Gladius meus deuorabit carnes.* l.2.c.16.n.1
33.10. *Ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum.* l.2.c.3.n.1
33.17. *Quaſi primogeniti Tauri pulchritudo eius.* l.1.c.7.n.3

33.19. *Inun*

Digitized by Google

33.19. *Inundationem maris quaſi lac ſugent & theſauros abſconditos arenarum.* l.2.c.17.n.5

33.25. *Sicut dies iuuentutis tua, ita & ſenectus tua.* l.2.c.26.n.1

33.29. *Negabunt te inimici tui, & tu eorum corda calcabis.* l.2.c.15.n.5

34.7. *Moyſes centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt, non caligauit oculus eius, nec dentes eius moti ſunt.* l.2.c.8.n.2

Ioſue.

Cap.6.n.26. *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitauit, & ædificauerit ciuitatem Hiericho in primogenito ſuo fundamentum eius iaciat, & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.* l.2.c.5.n.5

7.19. *Fili mi da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, &c.* l.2.c.12.n.3

7.26. *Vocatumq́; eſt nomen loci illius Vallis Achor.* l.3.c.4.n.4

10.1. & 3. *Quæ cum audiſſet Adoniſedec Rex Hieruſalem, miſit ad Oham Regem Hebron, &c. dicens ad me, abſcondite, &c.* l.1.c.6.n.2

Iudicum.

Cap.3.15. *Aod, qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* l.1.c.2.n.2

7.7. *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas liberabo vos.* l.3.c.12.n.2

7.27. *Quod me facere videritis, hoc facite.* l.3.c.11.n.5

8.14. *Interrogauit nomina Principũ, & ſeniorũ Socoth & deſcripſit ſeptuaginta viros.* l.2.c.12.n.3

8.20. *Dixitq́ Iether primogenito ſuo, ſurge, & interfice eos: qui non eduxit gladium, timebat enim, quia adhuc puer erat.* l.3.c.12.n.3
9.2. *Quid vobis eſt melius vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri, an vt dominetur vnus.* l.1.c.4.n.7
9.2. *Quid eſt vobis melius vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri, omnes filij Hieroboam, an vt dominetur vir.* l.1.c.6.n.5
9.15. *Egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* l.2.c.14.n.2
9.36. *Cum vidiſſet populum Saul, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo deſcendit.* l.3.c.2.n.8
9.45. *Ita vt Sal in ea diſpergeret.* l.3.c.16.n.2
10.4. *Habens triginta filios ſedentes ſuper triginta filios aſinarum.* l.2.c.17.n.3
11.1. *Iephte Galaadites filius mulieris meretricis.* l.1.c.7.n.6
17.6. *In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* l.1.c.2.n.7
20.2. *Omnes anguli populorum.* l.1.c.9.n.2
21.24. *In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed vnuſquiſque quod rectum ſibi videbatur, hoc faciebat.* l.3.c.9.n.2

Primus Regum.

Cap.1.16. *Vnges eum ducem ſuper populum meum Iſraël.* l.3.c.11.n.2
2.3. *Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi preparantur cogitationes.* l.3.c.2.n.6
6.19. *Percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* l.1.c.8.n.4
8.5. *Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſa habent nationes.* l.1.c.4.n.5

8.7. *Audi*

Digitized by Google

8.7. *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* l.1.c.4.n.5

8.20. *Rex noſter egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* l.3.c.11.n.2

10.22. *Ecce abſconditus eſt domi.* l.1.c.11.n.1

11.13. *Non occidetur quiſquam in die hac, quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſraël.* l.2.c.13.n.5

12.3. *Si de manu cuiuſquam munus accepi.* l.2.c.12.n.1

13.54. *Arma verò eius in tabernaculo ſuo.* l.3.c.16.n.6

14.38. *Applicate huc vniuerſos angulos populi.* l.1.c.9.n.2

14.52. *Quemcunque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, ſociabat ſibi.* l.3....

15.4. *Recenſuit eos quaſi agnos.* l.3.c.12.n.8

15.12. *Erexit ſibi fornicem triumphalem.* l.3.c.16.n.6

17.20. *Et venit ad locum Magala.* l.3.c.5.n.6.& c.14.n.1

19.23. *Et abiyt in Aioth in Ramatha.* l.1.c.8 n.1

20.2. *Non faciet pater meus quicquam grande vel paruum, niſi prius indicauerit mihi.* l.3.c.2.n.8

22.2. *Conuenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps,* l.1.c.2.n.4

23.9. *Applica Ephod.* l.2.c.6.n.1

25.22. *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hoc addat, &c.* l.2.c.15.n.9

25.28. *Faciet tibi Dominus domum fidelẽ.* l.2.c.15.n.3

28.6. *Et non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per prophetas.* l.2.c.6.n.1

28.9. *Noſti quanta fecerit Saül, & quomodo eraſerit Magos, & Hariolos de terra.* l.2.c.32.n.5

28.12. *Exclamauit voce magna, & dixit ad Saul; Quare impoſuiſti mihi, tu es enim Saul.* l.3.c.8.n.7

Digitized by Google

28.15. *Quare inquietaſti me,vt ſuſcitarer?* l.2.c.32.n.4
30.24. *Æqua pars erit deſcendentis in prælium,& remanentis ad ſarcinas.* l.3.c.16.n.3
31.4. *Irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* l.1.c.10.n.1

Secundus Regum.

Cap.3.39. *Ego autem adhuc delicatus & vnctus Rex, porrò iſti filij Samariæ duri ſunt mihi.* l.3.c.3.n.3
5.8. *Propoſuerat Dauid in die illa præmium ei qui percuſſiſſet Iebuſæum,& tetigiſſet domatum fiſtulas, & abſtuliſſet cœcos & claudos odientes animam Dauid.* l.3.c.16.n.4
6.7. *Iratus eſt Dominus contra Ozam,percuſſit eũ,&c.* l.3.c.3.n.5
8.2. *Menſus eſt duos funiculos; vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* l.2.c,12.n.7
8.13. *Fecit quoque ſibi Dauid nomen cum reuerteretur capta Syria.* l.3.c.11.n.7.& c.16.n.6
8.14. *Et poſuit in Idumæa cuſtodes ſtatuitq; præſidiũ.* l.3.c.14.n.4
9.7. *Faciam in te miſericordiam propter Ionathan patrem tuum.* l.3.c.16.n.5
10.21. *Ecce abſconditus eſt domi.* l.2.c.29.n.1
12.14. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini,propter verbum hoc filius,qui natus eſt tibi, morte morietur.* l.1.c.10.n.2
12.28. *Ne cum à me vaſtata fuerit vrbs nomini meo adſcribatur victoria.* l.3.c.3.n.7
12.31. *Populum quoque eius adducens ſeruauit,& circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitq; culteris,& traduxit in typo laterum.* l.2.c.3.n.1

14.1. *Si*

Digitized by Google

14.1. *Si mundi ſunt pueri maximè à mulieribus.* l.1. c.8.n.4
15.6. *Sollicitabat corda virorum Iſraël.* l.1.c.16.n.2
15.34. *Si veneris mecum, eris mihi oneri; ſi autem in ciuitatem reuerteris, &c.* l.3.c.2.n.11
16.20. *Ingredere ad concubinas patris tui, &c.* l.2. c.31.n.5
17.1. *Eligam mihi duodecim millia virorum, &c.* *nonnulla explicantur & illuſtrantur ex eo capite.* l.3.c.2.n.8
17.9. *Cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, & dicet, facta eſt plaga in populo.* l.3.c.11.n.7
19.35. *Octogenarius ſum hodie, nunquid vigent ſenſus mei.* l.3.c.16.n.4
20.18. *Sermo dicebatur in veteri prouerbio, Qui interrogat, interroget in Abela, & ſic perficiebat.* l.3.c.8.n.6
21.17. *Non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſraël.* l.3.c.11.n.2
23.8. *Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* l.3.c.11.n.5
23.21. *Ægyptium virum dignum ſpectaculo.* l.3. c.5.n.7

Tertius Regum.

Cap.1.20. *Verumtamen Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſraël, vt indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo, Domine mi Rex, poſt te.* l.1.c.6 n.3
2.31. *Amouebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt à Ioab, à me & à domo patris mei.* l.2.c.12. n.2

2.38. *Bonus ſermo; Sicut locutus eſt Dominus meus Rex ſic faciet ſeruus tuus.* l.3.c.8.n.2

3.8. *Seruus tuus in medio eſt populi.* l.2.c.14.n.1

4.1. *Et hi principes quos habebat, &c. recenſentur & explicantur nonnulla munera Aulicorum & adminiſtrorum Salomonis.* l.2.c.23.n.7

4.8. *Azarias filius Nathan ſuper eos qui aſſiſtebant Regi.* l.3.c.1.n.2

7.26. *Duo millia batos capiebat.* l.3.c.3.n.12

9.10. *Poſtquam ædificauerat Salomon duas domos, id eſt domũ Domini, & domũ Regis.* l.2.c.22.n.3

9.11. *Dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilaæ.* l.2.c.16.n.5

9.13. *Et appellauit eas terram Chabul.* l.2.c.16.n.5

11.4. *Cum Salomon eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres.* l.2.c.26.n.1

11.5. *Colebat Salomon Aſtarthen Deam Sidoniorum.* l.2.c.26.n.1

11.26. *Cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua.* l.1.c.8.n.1

11.27. *Et hæc eſt cauſa rebellionis, quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris ſui.* l.2.c.22.n.2

13.2. *Altare, altare, hæc dicit Dominus.* l.2.c.7.n.3

13.18. *Et ego Propheta ſum ſimilis tui, &c. feſellitq́ eum.* l.2.c.7.n.3

14.13. *Iſte ſolus infertur de Ieroboam in ſepulchrum.* l.1.c.10.n.1

15.17. *Ædificauit Rhama; vt non poſſet quiſpiam egredi aut ingredi.* l.3.c.14.n.2

15.26. *Qui peccare fecit Iſrael.* l.1.c.10.n.2

20.11. *Ne glorietur accinctus æquè vt diſcinctus.* l.2.c.29.n.4

22.19. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum,*

&

Digitized by Google

& omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris,&c.& bona pars illius capitis explicatur. l.3.c.1.n.2

22.31. *Non pugnabitis contra maiorem aut minorem quempiam, niſi contra Regem Iſrael ſolum.* l.3.c.11.n.1

22.31. *Rex Iſrael mutauit habitum ſuum,& ingreſſus eſt bellum.* l.3.c.11.n.1

22.42. *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua,erit anima tua pro anima illius.*l.2.c.12.n.1

Quartus Regum.

Cap.3.23. *Pugnauerunt Reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuo,nunc ſurge ad prædā Moab.*l.3.c.10.n.2

3.27. *Accipienſq́; filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo,obtulit holocauſtum ſuper murum.* l.1.c.7.n.1

5.13. *Pater & ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta.* l.2.c.13.n.2

5.24. *Cumq́; veniſſent iam veſperi.* l.3.c.14.n.3

6.11. *Conturbatum eſt cor Regis Syriæ pro hac re, &c.* l.3.c.2.n.11

6.25. *Facta eſt fames magna donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis.* l.3.c.15.n.8

16.18. *Muſach quoque Sabbathi quod ædificauerat in templo,& ingreſſum Regis exterius conuertit in templum Domini propter Regem Aſſyriorum.* l.2.c.2.n.3

18.26. *Precamur,vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriacè.* l.3.c.3.n.13

24.17. *Impoſuitq́; ei nomen Sedechiam.* l.2.c.15.n.8

25.6. *Locutus eſt cum eo iudicium.* l.2.c.15.n.8

25.10. *Princeps coquorum deſtruxit muros Hieruſalem.* l.2.c.24.n.6

25.19. *Sopher Principem exercitus qui probabat tyrones de populo terræ.* l.3.c.12.n.6

Paralipomenon primus.

Cap.12.8. *Facies eorum quaſi facies leonis.* l.2.c.30. n.8
21.25. *Dedit Dauid pro loco ſyclos iuſtiſſimi ponderis ſexcentos.* l.2.c.9.n.1

Paralipomenon ſecundus.

Cap.2.17. *Numerauit Salomon omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſraël.* l.3.c.6.n.1
4.5. *Capiebant tria millia metretas.* l.3.c.3.n.12
11.22. *Conſtituit in capite alium filium, Manca, ducem ſuper omnes fratres ſuos, ipſum enim Regem facere cogitabat, quia ſapientior fuit & potentior ſuper omnes filios eius.* l.1.c.6.n.3
12.11. *Veniebant ſcutarij & tollebãt eos, iterumq́; referebãt eos ad armamentarium ſuũ.* l.3.c.12.n.7
13.7. *Roboam erat rudis, & corde pauido.* l.2.c.32.n.6
16.9. *Oculi Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.* l.3.c.12.n.4
21.3. *Regnum autem tradidit Ioram, eo quod eſſet primogenitus.* l.1.c.7.n.1
29.35. *Et cõpletus eſt cultus domus Domini.* l.1.c.10.n.1

Eſdræ primus.

Cap.4.1. *Audierunt autem hoſtes Iudæ & Benjamin, quia filij captiuitatis ædificarunt templum Domino, &c.* l.2.c.2.n.2

Eſdræ

Digitized by Google

Eſdræ ſecundus.

Cap.3.26. *Nathinai habitabant in Ophel, vſq; contra portam aquarũ ad orientem,&c.* l.3.c.14.n.3

3.31. *Vſque ad domum Nathinæorum, & ſcuta vendentium.* l.2.c.17.n.5

Tobias.

Nunquam cum ludentibus miſcui me. l.2.c.25.n.4

Iudith.

Cap.1.12. *Iurauit quod defenderet ſe de omnibus regionibus ſuis.* l.2.c.18.n.10

1.22. *Iurauit quod defenderet ſe de omnibus regionibus ſuis.* l.3.c.10.n.3

2.2. *Et habuit cum eis myſteriũ conſilij ſui.* l.3.c.2.n.11

16.22. *Obtulerunt omnes holocauſta,& vota,& repromiſſiones.* l.3.c.16.n.3

16.23. *Obtulit in anathema obliuionis.* l.3.c.16.n.3

Eſther.

Cap.1.10. *Cum Rex incaluiſſet mero,præcepit vt introducerent Reginam Vaſthi.* l.2.c.25.n.5

4.2. *Non enim erat licitum, indutum ſacco aulam Regis intrare.* l.2.c.14.n.3

6.1. *Noctem illam Rex duxit inſomnem.* l.2.c.29.n.2

14.16. *In diebus oſtentationis meæ.* l.2.c.23.n.1

15.14. *Depoſuit veſtimenta ornatus ſui.* l.2.c.23.n.1

Iob.

Cap.1.1. *Vir ſimplex & rectus.* l.2.c.15.n.1

1.3. *Et*

Digitized by Google

1.3. *Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium, & tria millia Camelorum.* l.2.c.17.n.3

1.3. *Eratq́ vir ille magnus inter omnes orientales.* l.2.c.23.n.8

1.5. *Mittebatq́, ad eos,& ſanctificabat illos,cõſurgenſq́, diluculo offerebat holocauſtũ pro ſingulis.* l.2.c.24.n.6

2.4. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro animâ ſuâ.* l.2.c.24.n.3

3.14. *Cum Regibus & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines.* l.2.c.18.n.10

4.2. *Conceptum ſermonẽ tenere quis poterit?* l.3.c.2.n.9

5.2. *Paruulum occidit inuidia.* l.2.c.31.n.1

5.7. *Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum.* l.2.c.29.n.3

5.12. *Qui diligit cogitationes malignorũ,ne poſſint implere manus eorum quod cœperant.* l.3.c.2.n.6

8.2. *Spiritus multiplex ſermonis oris tui.* l.3.c.2.n.9

8.14. *Sicut tela aranearum fiducia eius.* l.2.c.18.n.5

10.17. *Inſtauras teſtes tuos contra me.* l.2.c.12.n.3

11.12. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullus onagri ſe liberũ natum putat.* l.3.c.8.n.5

12.6. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manibus eorum.* l.2.c.18.n.1

12.12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* l.1.c.7.n.3

13.8. *Nunquid faciem eius accipitis,& pro Deo iudicare nitimini.* l.2.c.9.n.2

13.9. *Aut placebit ei quem celare nihil poteſt, aut decipietur vt homo veſtris fraudulẽtijs?* l.2.c.2.n.4

13.27. *Poſuiſti in neruo pedem meum, ſcribis contra me amaritudines.* l.2.c.12.n.3

14.10. *Homo cum mortuus fuerit, & nudatus atque conſumptus vbi quæſo eſt?* l.2.c.18.n.9

15.7. Nun

Digitized by Google

15.7. *Nunquid primus homo tu natus es?* l.1.c.7.n.3
15.20. *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit.* l.2.c.8.n.3
15.20. *Numerus annorum incertus eſt tyrannidis eius.* l.3.c.8.n.1
15.28. *Habitauit in ciuitatibus deſolatis, & in domibus deſertis quæ in tumulos ſunt redactæ.* l.2.c.18.n.10.& l.3.c.5.n.1
15.32. *Antequam dies eius impleantur peribit, & manus eius areſcent, lædetur quaſi tinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proyciens florem ſuum.* l.2.c.8.n.1
18.7. *Conſilium tuum præcipitabit te.* l.3.c.1.n.3
18.12. *Attenuetur fame robur eius.* l.2.c.18.n.6
18.13. *Conſumat brachia illius primogenita mors.* l.1.c.7.n.3
18.14. *Auellatur de tabernaculo ſuo fiducia eius.* l.2.c.18.n.6
20.11. *Oſſa eius implebuntur vitiys adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* l.1.c.8.n.1.& l.2.c.26.n.1
21.11. *Exultant luſibus, tenent tympanum & citharam, &c. & in puncto ad inferna deſcendunt.* l.2.c.25.n.4
21.16. *Verumtamen quia non ſunt in manibus corũ bona, conſilium impiorũ longè ſit à me, quoties lucerna impiorũ extinguetur, & ſuperueniet in eis inundatio, &c. quæ ſequũtur, explicantur.* l.2.c.8.n.1
21.22. *Super illos ſtillabat eloquium meum.* l.1.c.1.n...
22.6. *Abſtuliſti pignus fratrum tuorum ſine cauſa.* l.3.c.8.n.4
22.25. *Erit omnipotens contra hoſtes tuos, & argentum coaceruabitur tibi.* l.2.c.18.n.4
24.22. *Detraxit fortes in fortitudine ſua.* l.3.c.8.n.3
26.5. *Gigantes gemunt ſub aquis.* l.1.c.8.n.1

27.16. Si

27.16. *Si comportauerit quaſi terram argentum, &c. iuſtus veſtietur illis & argentum innocens diuidet.* l.2.c.18.n.2
27.18. *Ædificauit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum.* l.2.c.18.n.5
28.16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.* l.2. c.23.n.1
29.16. *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam.* l.2.c.12.n.3
29.16. *Pater eram pauperum.* l.2.c.12.n.2
29.25. *Cum ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentiũ conſolator.* l.2.c.12.n.7
31.13. *Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo & ancilla mea cum diſceptarent aduerſus me.* l.2.c.9.n.2
31.24. *Si putaui aurum robur meum, ſi obryſo dixi, fiducia mea.* l.2.c.18.n.6
32.18. *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei.* l.3.c.2.n.9
34.19. *Nec cognouit tyrannum cum diſceptaret contra pauperem.* l.3.c.8.n.2
34.30. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* l.3.c.8.n.9
36,23. *Quis poterit ſcrutari vias eius? aut quis poterit ei dicere, operatus es iniquitatem?* l.3.c.3.n.14
37.7. *Qui in manu hominum omnia ſignat, vt ſinguli nouerint opera ſua.* l.2.c.32.n.6
38.37. *Quis enarrabit cœlorum viſionem? & concentum cœli dormire quis faciet?* l.1.c.4.n.2
40.4. *Eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtimentis.* l.2.c.23.n.1
40.14. *Ipſe eſt principium viarum Dei.* l.1.c.4.n.3
42.15. *Deditq; eis pater ſuus hæreditatem inter fratres eorum.* l.1.c.7.n.5

Pſalte

Pſalterium.

1.1. *In cathedra peſtilentiæ non ſedit.* l.3.c.8.n.9
2.1. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* l.1.c.10.n.1
2.9. *Et ipſe reget eos in virga ferrea.* l.1.c.4.n.4
2.9. *Tanquam vas figuli confringes eos.* l.2.c.6.n.2
2.9. *Reges eos in virga ferrea.* l.1.c.9.n.3
2.10. *Et nunc Reges intelligite, &c.* l.1.c.10.n.1
5.5. *Manè aſtabo tibi.* l.1.c.8.n.2
7.1. *Domine Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me, ne quando rapiat vt leo animam meam.* l.1.c.4.n.3
7.13. *Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit.* l.2.c.13.n.1
7.13. *Gladium ſuum vibrabit.* l.3.c.12.n.7
11.3. *In corde & corde loquuti ſunt.* l.2.c.15.n.1
11.9. *In circuitu impij ambulant, ſecundùm altitudinem tuã multiplicaſti filios hominũ.* l.1.c.6.n.3
13.6. *Conſilium inopis confudiſtis.* l.1.c.1.n.6
14.3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.* l.2.c.15.n.1.
15.16. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* l.2.c.10.n.2
17.26. *Cum ſancto ſanctus eris.* l.2.c.12.n.1
17.45. *Populus quẽ nõ cognoui ſeruiuit mihi.* l.2.c.23.n.4
18.6. *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſq; ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* l.1.c.4.n.2
22.1. *Dominus regit me.* l.1.c.4.n.4
24.8. *Dulcis & rectus Dominus.* l.2.c.12.n.7
24.14. *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum.* l.1.c.8.n.2

27.7. *Adiu*

Digitized by Google

27.7. *Aſiutus ſum & refloruit caro mea.* l.2.c.8.n.3
29.12. *Conuertiſti planctum meum in gaudium, &c.* l.2 c.25.n.4
30.20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam abſcondiſti timentibus te.* l.1.c.8.n.2
32.16. *Non ſaluabitur gigas in multitudine virtutis ſuæ.* l.3.c 8 n.8.
33.11. *Diuites eguerunt & eſurierunt.* l.2.c.18.n.1
35.12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* l 3.c.1.n.3
36.34. *Vt hæreditate capias terram, cum perierint peccatores videbis.* l.2.c.18.n.2
37.11. *Cor meum conturbatum eſt.* l.1.c.11.n.3
40.5. *Inimici mei dixerunt mala mihi, Quomodo morietur, & peribit nomen eius, &c. & quæ ſequuntur, explicantur.* l.2.c.30.n.2
44.3. *Specioſus forma præ filijs hominum.* l.2.c 3.n.8
44.4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè. Specie tua & pulchritudine tua.* l 3.c.12.n.7
44.5. *Proſperè procede & regna.* l.3.c.16.n.6
44.6. *Intēde proſperè procede & regna.* l.2.c.15.initio.
44.10. *In veſtitu deaurato.* l 2.c.23.n.1
45.5. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* l.2.c.2.n.4
47.3. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion.* l.3.c.5.n.2
47.13. *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius.* l.3.c.14.n.1
48.1. *Quiq; terrigenæ & filij hominum.* l.2.c 29.n.3
48.12. *Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis* l 3.c.5.n.7
49.19. *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* l.2.c.15.n.1
49.19. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* l.1.c.1.n.4
50.6. *Tibi ſoli peccaui.* l.3.c.4.n.3
50.14. *Spiritu principali confirma me.* l.2 c.16.n.4

Digitized by Google

51.5. *Diligentes malitiam ſuper benignitatem, omnia verba præcipitationis.* l.2.c.5.n.5
51.6. *Dilexiſti omnia verba præcipitationis.* l.2.c.18. n.1
51.9. *Et preualuit in vanitate ſuâ.* l.2.c.18.n.11
54.16. *Nequitia in habitaculis eorum in medio eorum.* l.1.c.11.n.5
55.6. *Tota die verba execrabantur, aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum, inhabitabunt & abſcondent.* l.2.c.30.n.2
57.5. *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudit vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* l.2.c.20.n.7
61.9. *Verumtamen vani filij hominum; mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* l.2.c.29.n.3
63.2. *Exaudi Deus orationē meā cum deprecor. Maior pars Pſalmi, Confitemini, explicatur.* l.3.c.2.n.5
65.3. *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* l.2.c.15.n.5
71.11. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* l.1.c.10.n.1
72.3. *Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns, quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum, &c. bona pars huius Pſalmi explicatur.* l.2.c.8.n.1
72.8. *Tranſierunt in affectum cordis.* l.2.c.29.n.3
73.12. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* l.3.c.5.n.2
77.9. *Filij Ephren mittentes & intendentes arcum conuerſi ſunt in die belli.* l.3.c.12.n.4
77.11. *Diuites eguerunt & eſurierunt.* l.3.c.8.n.2
77.54. *Sorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.* l.2.c.10.n.2

Digitized by Google

77.56. *Et percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum.* l.1.c.7.n.2
79.1. *Dominus regit me, nihil mihi deerit.* l.1.c.9.n.3
80.16. *Inimici Domini mentiti ſunt ei.* l.2.c.15.n.5
80.17. *De petra melle ſaturauit eos.* l.2.c.24.n.4
81.1. *Deus ſtetit in Synagogâ Deorum.* l.1.c.3.n.2
81.2. *Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* l.2.c.18.n.3
81.5. *Mouebuntur omnia fundamēta terræ.* l.1.c.9.n.1
82.4. *Super populum malignauerunt conſilium.* l.3.c.2.n.5
86.1. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* l.3.c.5.n.2
87.11. *Nunquid medici ſuſcitabunt.* l.2.c.13.n.2
89.29. *Et teſtamentum meum fidele ipſi.* l.2.c.15.n.3
96.3. *Ignis ante ipſum præcedet.* l.2.c.23.n.7
100.3. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* l.2.c.14.n.1
102.13. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* l.2.c.3.n.2
103.20. *Herodij domus dux eſt eorum.* l.1.c.9.n.4
103.24. *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.* l.2.c.24.n.7
103.35. *Deficient peccatores à terrâ, ita vt non ſint.* l.2.c.13.n.2
104.22. *Vt erudiret Principes eius ſicut ſemetipſum.* l.1.c.8.n.4
104.23. *Intonuit Iſraël in Ægyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham, & auxit populum ſuum vehementer.* l.3.c.6.n.3
104.37. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* l.3.c.12.n.4
105.26. *Et eleuauit manum ſuam ſuper nos, &c.* l.2.c.13.n.1

109.1. Tecum

109.1. *Tecum principium.* l.1.c.7.n.1
111.9. *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* l.2.c.16.n.1
118.37. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* l.2.c.25.n.3
118.127. *Dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion, propterea ad omnia mandata tua dirigebar.* l.3.c.4.n.6
121.4. *Illuc aſcenderunt tribus tribus.* l.1.c.8.n.2
122.2. *Oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.* l.2.c.15.n.6
124.3. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.* l.2.c.8.n.1
126.2. *Vanum eſt vobis ante lucẽ ſurgere.* l.2.c.24.n.7
128.6. *Sicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit.* l.2.c.8.n.5
131.1. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* l.2.c.1.n.2
131.18. *Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.* l.2.c.23.n.3
135.7. *Fecit luminaria magna, ſolem in poteſtatem diei, lunam & ſtellas in poteſtatem noctis.* l.1.c.4.n.2
136.1. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, &c.* l.2.c.1.n.1
140.5. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* l.1.c.11.n.4
143.7. *Erue me de manu filiorum alienorũ.* l.1.c.6.n.5

Prouerbia.

Cap.1.17. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* l.3.c.11.n.6

Digitized by Google

1.24. *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* l.2.c.13.n.1
1.32. *Auerſio paruulorum interficiet eos.* l.3.c.8.n.7
2.7. *Cuſtodiet Dominus rectorum ſalutem.* l.1.c.8. n.2
3.9. *Honora Deum de tua ſubſtantia.* l.2.c.9.n.1
3.17. *Noli prohibere benefacere eum qui poteſt; ſi vales, & ipſe benefac.* l.2.c.14.n.3
3.28. *Ne dicas amico tuo vade, & reuertere, cras tibi dabo, cum ſtatim poſſis dare.* l.2.c.14.n.3. & l.2.c.16.n.6
5.15. *Bibe aquam de ciſterna tua, &c.* l.2.c.28.n.1
6.1. *Fili ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, &c.* l.2.c.15.n.9
6.30. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit. furatur enim vt eſurientem impleat animam.* l.2.c.15.n.8
8.17. *Qui mane vigilant ad me, inuenient me.* l.2. c.24.n.7
10.9. *Qui deprauat vias ſuas, manifeſtus erit.* l.2.c.15. n.6. & l.1.c.11.n.5
10.17. *Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.* l.2. c.17.n.5
11.18. *Impius facit opus inſtabile.* l.3.c.2.n.6
11.19. *Clementia præparat vitam.* l.2.c.13.n.4
11.24. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt, alij rapiũt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* l.2.c.18.n.5
12.7. *Verte impios, & non erunt.* l.2.c.13.n.1
12.18. *Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientia.* l.2.c.15.n.9
12.19. *Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia.* l.2.c.18.n.9
12.26. *Qui negligit damnum propter amicum, iuſtus eſt.* l.2.c.16.n.1

13.17. *Lega*

Digitized by Google

13.17. *Legatus autem fidelis ſanitas.* l.3.c.3.n.13
13.17. *Lex ſapientis fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.* l.3.c.4.n.1
13.24. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* l.2.c.24.n.7
14.16. *Innocens credit omni verbo; aſtutus conſiderat greſſus ſuos.* l.2.c.31.n.1
14.17. *Inſipiens operabitur ſtultitiam.* l.3.c.2.n.10
14.24. *Corona ſapientium diuitiæ eorum.* l.2.c.17.n.1
15.2. *Lingua ſapientum ornat ſcientiam.* l.1.c.8.n.5
15.2. *Os fatuorum ebullit ſtultitia.* l.2.c.30.n.7
15.23. *Lætatur homo in ſententia oris ſui.* l.3.c.2.n.10
16.18. *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus.* l.3.c.11.n.6
16.27. *Vir impius fodit malum, & in labijs eius ignis ardeſcit. homo peruerſus ſuſcitat lites, & verboſus ſeparat principes.* l.3.c.9.n.4
16.32. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* l.2.c.19.n.2
17.7. *Non decent ſtultum verba compoſita, nec principem labium mendax.* l.2.c.15.n.2
17.9. *Qui altero ſermone repetit, ſeparat fœderatos.* l.2.c.15.n.9
17.24. *In facie prudentis lucet ſapientia.* l.2.c.30.n.8
17.27. *Pretioſi ſpiritus, vir eruditus.* l.1.c.8.n.4
18.11. *Subſtantia diuitis vrbs roboris eius. & quaſi murus validus circumdans eum.* l.2.c.17.n.7. & l.2.c.18.n.6
18.14. *Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam.* l.2.c.19.n.1. & l.3.c.12.n.4

Digitized by Google

19.2. *Qui feſtinus eſt pedibus offendet; ſtultitia hominis ſupplantat greſſus eius.* l.2.c.31.n.1
19.6. *Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis.* l.2.c.16.n.2
19.10. *Non decent ſtultum delitiæ, nec ſeruum dominari principibus.* l.3.c.3.n.7
19.12. *Sicut fremitus leonis ira Regis, ita ros ſuper herbam hilaritas eius.* l.2.c.13.n.3
19.22. *Homo indigens miſericors eſt, & melior pauper quàm vir mendax.* l.2.c.16.n...
20.6. *Multi homines miſericordes vocantur; virum autem fidelem quis inueniet?* l.2.c.16.n.4
20.25. *Ruina eſt homini deuorare ſanctos.* l.2.c.5.n.5
20.26. *Diſſipat impios Rex ſapiens, & incuruat ſuper eos fornicem.* l.2.c.3.n.1.& c.12.n.2
20.28. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus eius.* l.3.c.7.n.1. l.2.c.13.n.3. & l.2.c.16.n.2
21.5. *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia.* l.2.c.19.n.7
21.6. *Qui congregat theſauros lingua mendacij, vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis.* l.2.c.18.n.5
21.8. *Peruerſa via viri altera eſt.* l.2.c.12.n.2
21.16. *Vir qui errauerit à via doctrinæ in cœtu gigantum commorabitur.* l.3.c.8.n.8
21.22. *Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruxit robur fiduciæ eius.* l.3.c.14.n.2
22.3. *Callidus vidit malum, & abſcondit; innocens pertranſijt, & afflictus eſt damno.* l.2.c.31.n.1
22.9 *Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera, animam autem auferet accipientium.* l.2.c.16.n.2
22.20. *Ecce deſcripſi eàm tibi tripliciter, in cogitationibus,*

bus, & in ſcientia. l.1.c.1.n.7

22.29. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles.* l.3.c.3.n.1

23.5. *Facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cælum.* l.2.c.16.n.3

23.23. *Veritatem eme.* l.2.c.15.n.9

24.23. *Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bonum.* l.2.c.15.n.8

24.30. *Iuxta 70. Sicut agricultura eſt homo inſipiens.* l.2.c.16.n.5

25.20. *Acetum in nithro qui cantat carmina cordi peſſimo.* l.1.c.8.n.5

26.1. *Quomodo nix in æſtate, & pluuia in meſſe, ſic indecens eſt ſtulto gloria.* l.2.c.11.n.2

26.8. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem.* l.2.c.11.n.2

26.11. *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam.* l.2.c.31.n.1

26.17. *Sicut qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixæ alterius.* l.3.c.10.n.2

27.19. *Quomodo in aquis reſplendent corda proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* l.3.c.2.n.8

28.2. *Propter peccata terræ multi Principes eius.* l.1.c.4.n.7

28.15. *Leo rugiens, & vrſus eſuriens, princeps impius ſupra populum pauperem.* l.2.c.18.n.1

29.4. *Rex iuſtus erigit terram, vir auarus deſtruit eam, & qui tributa extorquet, euertit eam.* l.2.c.18.n.9

30.15. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, affer, affer.* l.2.c.18.n.1

31.1. *Noli Regibus dare vinum,&c.* l.2.c.24.n.5
31.10. *Mulierem fortem quis inueniet.* l.1.c.5.n.2
31.19. *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.* l.2.c.19.n.7
31.23. *Nobilis in portis vir eius quando ſederit cum Senatoribus terræ.* l.1.c.5.n.2
31.30. *Fallax gratia,& vana eſt pulchritudo.* l.2.c.25.n.3
31.31. *Laudent eam in portis opera eius.* l.1.c.5.n.2

Eccleſiaſtes.

Cap.1.7. *Omnia flumina intrant in mare,& mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur,vt iterum fluant.* l.1.c.4.n.2
1.8. *Cunctæ res difficiles,&c.* l.2.c.29.n.3
1.9.10. *Nihil eſt ſub ſole nouum, & quid eſt quod erit? id quod fuit.* l.1.c.8.n.6
1.13. *Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filijs hominum,vt occuparentur in ea.* l.1.c.8.n.8
2.1. *Feci mihi cantores & cantatrices, & delitias filiorum hominum.* l.2.c.25.n.6
2.9. *Sapientia quoque perſeuerauit mecũ.* l.1.c.11.n.2
4.13. *Melior eſt puer pauper & ſapiens Rege ſene & ſtulto.* l.3.c.2.n.2
7.18. *Ne impiè agas multum,& noli eſſe ſtultus,ne moriaris in tempore non tuo.* l.2.c.8.n.1
7.28. *Ecce hoc inueni vnum & alterum, vt inuenirem rationem quam adhuc quærit anima mea; & non inueni.* l.1.c.5.n.2
8.1. *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* l.2.c.30.n.8
9.15. *Inuentus eſt vir pauper & ſapiens, & liberauit urbem per ſapientiam ſuam.* l.2.c.18.n.11
10.4. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum*

Digitized by Google

locum tuum ne dimiſeris, quia curatio ceſſare facit peccata maxima. l.2.c.18.n.10

10.5. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem ingrediens à facie Principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum.* l.2.c.11.n.1

10.16. *Væ tibi terra cuius Rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt.* l.1.c.6.n.2.& l.2.c.31.n.6

10.17. *Beata terra, cuius Rex nobilis eſt.* l.1.c.6.n.3

10.20. *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annunciabit ſententias.* l.2.c.19.n.4

Cantica.

Cap.1.15. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus.* l.2.c.30.n.8

2.9. *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum.* l.2.c.28.n.1

3.7. *En lectulum Solomonis; ſexaginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladios, &c.* l.2.c.23.n.4

3.9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani.* l.2.c.23.n.5

3.11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius.* l.2.c.13.n.1.& l.2.c.23.n.5

4.9. *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* l.2.c.25.n.3

4.11. *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* l.2.c.23.n.2

5.5. *Digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* l.2.c.9.n.1

8.14. *Fuge dilecte mi.* l.2.c.15.n.5

Digitized by Google

Sapientia.

Cap.1.4. *In maleuolam animam non introibit ſapiẽtia.* l.3.c.2.n.5
2.11. *Sit fortitudo noſtra lex iniuſtitiæ.* l.3.c.12.n.4
3.15. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidat radix ſapientiæ.* l.3.c.26.n.4
3.16. *Filij adulterorum in conſummationem erunt.* l.1.c.7.n.6. & l.2.c.26.n.4
4.8. *Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis.* l.3.c.2.n.2
7.17. *Mihi dedit dicere ex ſententiâ.* l.1.c.8.n.5
8.5.6. *Quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia, & quis eorum quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex.* l.2.c.17.n.7
8.20. *Sortitus ſum animam bonam, & corpus incontaminatum.* l.2.c.30.n.8
12.18. *Cum magna reuerentia diſponit nos.* l.3.c.5.n.6
14.29. *Dum confidunt in Idolis, quæ ſine anima ſunt, malè iurantes noceri ſe non ſperant.* l.2.c.15.n.3
17.10. *Cum ſit timida nequitia dat teſtimonium condemnationis, ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.* l.3.c.18.n.3

Eccleſiaſticus.

Cap.2.4. *Magnificaui opera mea, Ædificaui mihi domos.* l.2.c.22.n.3
2.17. *Væ ijs qui perdiderunt ſuſtinentiam.* l.2.c.31.n.1
3.19. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum opera diligeris.* l.3.c.7.n.1. & l.2.c.14.n.2

32.4. *In*

Digitized by Google

3.24. *In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curioſus. Multos enim ſupplantauit ſuſpicio eorum, & in vanitate delinuit ſenſus eorum.* l.2.c.17.n.7

4.10. *In iudicando eſto pupillis miſericors vt Pater.* l.2.c.13.n.2

5.9. *Auarus non impletur pecunia.* l.2.c.18.n.1

5.11. *Non te ventiles in omnem ventum.* l.2.c.15.n.2

5.11. *Saturitas diuitis non ſinit eum dormire.* l.2.c.24.n.2

5.12. *Eſto firmus in viâ Domini, & in omni veritate ſenſus tui.* l.2.c.15.n.2

6.6. *Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi vnus de mille.* l.3.c.2.n.8

7.5. *Penes Reges noli velle videri ſapiens.* l.3.c.2.n.12

7.13. *Noli arare mendacium aduerſus fratrem tuum.* l.2.c.15.n.1

7.14. *Noli velle mentiri omne mendacium. Aſſiduitas enim illius non eſt bona.* l.2.c.15.n.8

7.32. *Cunctis ſermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias ſeruum tuum maledicentem tibi.* l.2.c.30.n.2

8.20. *Cum fatuis conſilium non habeas, non enim poterunt diligere niſi quæ eis placent.* l.3.c.2.n.8

9.3. *Ne reſpicias mulierem multiuolam.* l.2.c.25.n.3

10.11. *Omnis potentatus vita breuis, languor prolixior grauat medicum, breuem languorem præcidit medicus, ſic & Rex hodie eſt, & cras morietur.* l.2.c. 8.n.1

10.12. *Breuem languorem præcidit medicus.* l.2.c.12. n.2

10.32. *Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit, & quis honorificabit exhonorantem animā ſuam?* l.2.c.26.n.3

11.2. *Non*

11.2. *Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo. Breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius.* l.2. c.30.n.8

12.10. *Non credas inimico tuo in æternum.* l.2.c.31. n.4

13.2. *Pondus ſuper ſe tollet, qui honeſtiori ſe communicat.* l.2.c.18.n.3

13.21. *Cor hominis immutat faciem illius, &c.* l.2. c.30 n.7

14.3. *Viro cupido & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini liuido ad quid aurum? qui aceruat ex animo ſuo, iniuſtè alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* l.2.c.18.n.2

14.5. *Qui ſibi nequam eſt, cui bonus eſſe poterit.* l.3.c.2. n.5

14.9. *Inſatiabilis eſt, oculus cupidi, in parte iniquitatis.* l.2.c.18.n.10

14.14. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* l.2.c.25.n.2

19.11. *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, ſic verbum in ore ſtulti.* l.3.c.2.n.2

19.22. *Eſt ſolertia certa, & ipſa iniqua eſt, qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo.* l.1.c.11.n.5

19.26. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* l.2.c.30.n.8

20.6. *Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus.* l.2.c.31. n.3

20.27. *Potior fur quam aſſiduitas viri mendacis.* l.2. c.15.n.5

20.28. *Mores hominum mendacium ſine honore, & confu*

Digitized by Google

confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione. l.2.c.15.n.5

23.11. *Sicut ſeruus interrogatus aſſiduè à liuore non minuitur, ſic omnis iurans & nominans in toto à peccato non purgabitur.* l.2.c.15.n.9

24.5. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* l.1.c.7.n.3

25.3. *Tres ſpecies odiuit anima mea,&c. Pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, ſenem fatuum & inſenſatum.* l.1.c.6.n.3. & l.3.c.2.n.2

25.22. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* l.1.c.5.n.4

25.22. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, &c.* l.3.c.15.n.8

26.25. *In duobus contriſtatum eſt cor meum. Vir bellator deficiens per inopiam, & vir ſenſatus contemptus.* l.2.c.11.n.3

27.12. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol, ſtultus vt luna mutatur.* l.2.c.19.n.2

28.25. *Qua ſapientia replebitur, qui tenet aratrum,&c. & nonnulla alia ex eo capite explicantur.* l.3.c.2.n.12

28.29. *Aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos.* l.2.c.15.n.9

30.4. *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit poſt ſe,&c. reliquit enim defenſorem domus contra inimicos & amicis reddentem gratiam.* l.1.c.6.n.3

30.18. *Bona abſcondita in ore clauſo quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro.* l.2.c.24.n.4

30.19. *Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec adorabitur.* l.2.c.24.n.4

31.23. *Vigi*

31.23. *Vigilia, cholera, & tortura homini infrunito ſomnus ſanitatis in homine parco. Dormiet vſque in mane, & anima ipſius cum ipſo delectabitur.* l.2.c.24.n.2

31.30. *Diligentes in vino noli prouocare. & multa ex eo capite explicantur.* l.2.c.24.n.5

32.1. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* l.3.c.7.n.1

32.24. *Fili ſine conſilio nihil facies, & poſt factum non pœnitebis.* l.3.c.1.n.5

32.26. *A filijs tuis caue, & à domeſticis tuis attende.* l.3.c.2.n.8

34.2. *Quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia.* l.2.c.29.n.3

34.25. *Panis egentium vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.* l.2.c.22.n.2

34.27. *Qui effundit ſanguinem, & qui facit fraudem mercenario, fratres ſunt.* l.2.c.18.n.3

35.11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* l.2.c.16.n.6

36.14. *Miſerere plebi tuæ ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum, & Iſraël quem coæquaſti primogenito tuo.* l.1.c.7.n.4

37.8. *Omnis conſiliarius prodit conſilium.* l.3.c.2.n.10

37.9. *A conſiliario ſerua animam tuam.* l.3.c.2.n.8

37.12. *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, &c.* l.3.c.2.n.8

38.15. *Qui delinquit in conſpectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici.* l.2.c.24.n.4

39.1. *Sapientiam omnium antiquorum inquiret ſapiẽs.* l.1.c.8.n.6.

40.19. *Filij & ædificatio ciuitatis confirmabit nomen.* l.3.c.5.n.1

Digitized by Google

41.17. *Sapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque.* l.2.c.16.n.3

44.1. *Laudemus viros glorioſos, &c. & multa ex eo capite explicantur, & ſequentibus.* v.45.46.47. 49.l.1.c.1.n.2

44.1. *Laudemus viros glorioſos Patres noſtros.* l.2. c.13.n.2

45.5. *In iracundia eius, impeditus eſt ſol, &c.* l.2.c.12. n.6

45.16. *Non eſt indutus illis alienigena aliquis, ſed tantum filij ipſius ſoli, & nepotes eius per omne tempus.* l.1.c.6.n.3

46.23. *Poſt hæc dormiuit, & votum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ.* l.3.c.32.n.4

47.22. *Et incitari ſtultitiam tuam, vt faceres regnum partitum.* l.2.c.27.n.5

47.24. *Inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo.* l.2.c.26.n.3

Iſaias.

Cap.1.5. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens.* l.1.c.10.n.1

1.7. *Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili.* l.1. c.6.n.5

1.21. *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis plena iudicij; iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.* l.2.c.12.n.1

1.24. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.* l.2.c.15.n.5

2.6. *Angues habuerunt vt Philiſtym, & pueris alienis adhæſerunt.* l.2.c.28.n.1

2.7. *Repleta eſt terra argento & auro, & repleta eſt dolis.* l.2.c.18.n.2

2.22. Quie

Digitized by Google

2.22. *Quieſcite ab homine cuius ſpiritus in naribus eius.* l.2.c.13.n.1
3.1. *Omne robur panis, & omne robur aquæ.* l.3.c.5.n.1
3.3. *Auferet Dominus ſenem & honorabilem vultu.* l.3.c.2.n.4
3.4. *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* l.2.c.2.n.1.& l.3.c.9.n.2
3.7. *Non ſum medicus; nolite me conſtituere Principem.* l.2.c.13.n.2
3.7. *In domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me Principem populi.* l.2.c.17.n.1
3.9. *Agnitio vultus eorum reſpondit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt.* l.2.c.26.n.1
3.12. *Populũ meum exactores ſpoliauerunt.* l.2.c.17.n.6
3.16. *Eleuatæ ſunt filiæ Sion, &c. & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis.* l.2.c.25.n.4
5.1. *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.* l.3.c.5.n.4
5.23. *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus.* l.2.c.12.n.1
5.26. *Eleuabit Dominus ſignum in nationibus, & ecce feſtinus velociter veniet. & quæ ſequuntur, explicantur.* l.3.c.12.n.1
6.13. *Et adhuc in ea decimatio, & erit in oſtenſionem.* l.2.c.12.n.4
7.4. *Vide vt ſileas, noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum.* l.2.c.2.n.3
7.11. *Pete tibi ſignũ à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra; Dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominũ.* l.2.c.2.n.3
7.13. *Audite ergo domus Dauid, nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo?* l.2.c.2.n.3

9.1. *Primo*

Digitized by Google

9.1. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, &c.* l.3.c.5.n.1
9.6. *Vocabitur nomẽ eius Admirabilis, Conſiliarius, &c.* l.2.c.23.n.2.& l.3.c.11.n.7
9.12. *Adhuc manus eius extenta.* l.2.c.13.n.1
9.14. *Et non erit Ægypto opus, quod faciat caput & caudam incuruantem & refrænantem.* l.1.c.2. n.6.& l.2.c.9.n.4
9.20. *Vnuſquiſque carnẽ brachij ſui vorabit.* l.3.c.9.n.1
10.6. *Ad gentem fallacem mittam eum.* l.2.c.2.n.4
10.13. *Et principes eorum deprædatus eſt.* l.2.c.18.n.2
11.5. *Et erit fides cinctorium renum eius.* l.2.c.15.n.3
11.6. *Habitabit lupus cum agno.* l.2.c.3.n.4
11.9. *Non nocebunt, & non occident: in vniuerſo monte ſancto meo.* l.2.c.3.n.4
13.22. *Et ſirenes in delubris voluptatis.* l.1.c.11.n.4
13.31. *Piloſi ſaltabunt ibi, & Sirenes in delubris voluptatis.* l.2.c.25.n.4
14.5. *Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populum.* l.3.c.8.n.2
14.16. *Vinctis eius non aperuit carcerem.* l.2.c.13.n.5
15.7. *Secundum magnitudinem operis, & viſitatio eorum: ad Torrentem Salicum ducent eos.* l.2. c.18.n.2
16.7. *Qui lætantur ſuper muros cocti lateris, loquimini plagas ſuas.* l.1.c.9.n.1
17.12. *Multitudo populorum multorum, & multitudo maris ſonantis.* l.2.c.30.n.5
19.13. *Receperunt Æygptum angulum populorum eius.* l.1.c.9.n.2
21.5. *Accipite clypeum.* l.2.c.12.n.7
22.6. *Parietem nudauit clypeus.* l.3.c.12.n.7
22.10. *Domos Hieruſalem numeraſtis, & deſtruxiſtis domos ad muniendum murum.* l.2.c.9.n.1

23.4. *Tyrus fortitudo maris.* l.3.c.5.n.3
23.10. *Tranſi terram tuam quaſi flumen filia maris, non eſt cingulum vltra tibi.* l.3.c.12.n.1
24.2. *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos; & ſicut ſeruus, ſic dominus eius, &c.* l.1.c.2.n.6
24.10. *Attrita eſt ciuitas vanitatis.* l.1.c.2.n.6
24.15. *In doctrinis glorificate Dominum.* l.1.c.8.n.1
25.1. *Cogitationes eius antiquas fideles, amen.* l.2.c.15.n.3
25.4. *Quaſi turbo impellens parietem.* l.1.c.9.n.2
30.13. *Propterea erit nobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubito, dum non ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione prævalida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* l.2.c.6.n.2
30.24. *Tauri tui, & pulli aſinorum qui operantur terram commiſtum migma comedent.* l.2.c.17.n.3
33.16. *Aquæ eius fideles ſunt.* l.2.c.15.n.3
37.22. *Virgo filia Sion.* l.3.c.5.n.3
40.25. *Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint.* l.2.c.30.n.7
43.24. *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* l.2.c.13.n.1
46.3. *Domus Iſraël, qui portamini à meo vtero.* l.1.c.9.n.3
49.23. *Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* l.1.c.9.n.3
50.4. *Dominus erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.* l.1.c.8.n.2
50.4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam vt ſciam, ſuſtentare eum qui lapſus eſt verbo.* l.1.c.8.n.5

Digitized by

53.3. *Non eſt ei ſpecies, neque decor.* l.2.c.30.n.8
59.6. *Telas araneæ texuerunt.* l.2.c.15.n.4
59.14. *Corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* l.2.c.15.n.7
60.16. *Mamilla Regum lactaberis.* l.1.c.9.n.3
60.17. *Ponam viſitationem tuam pacem.* l.2.c.17.n.6
61.6. *Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eius ſuperbietis.* l.2.c.5.n.4
66.21. *Aſſumam ex ijs Sacerdotes & Leuitas.* l.1.c.6.n.4

Hieremias.

Cap.2.33. *Quid niteris bonã oſtendere viam tuã, &c. in alis tuis inuentus eſt ſanguis, &c.* l.1.c.10.n.2
4.16. *Ecce auditum eſt in Hieruſalem cuſtodes venire de terra longinqua.* l.1.c.6.n.5
6.4. *Væ nobis quia declinauit dies, quia longiores factæ ſunt vmbræ.* l.2.c.29.n.3
6.28. *Omnes iſti Principes declinantes corrupti.* l.1.c.9.n.2
7.13. *Locutus ſum ad vos manè conſurgens.* l.2.c.24.n.7
8.8. *Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum.* l.1.c.1.n.4
8.10. *A propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt mendacium.* l.2.c.15.n.4
10.7. *Quis non timebit te, ô Rex gentium? tuũ eſt enim decus inter cunctos ſapientes terræ, & in vniuerſis regnis, &c.* l.1.c.6.n.2
12.10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam.* l.1.c.4.n.7. & l.1.c.9.n.3
13.13. *Dic Regi, & dominatrici, humiliamini, & ſedete,*

te, quoniam deſcendit de capite noſtro corona gloriæ. l.2.c.1.n.1
17.9. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile.* l.2.c.30.n.7
20.9. *Factus eſt in corde meo quaſi ignis exaſtuãs clauſuſq; in oſſibus, & deficiunt ferre non ſuſtinentes.* l.3.c.2.n.9
27.6. *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſerui mei.* l.1.c.3.n.5

Threni.

Cap.1.1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo.* l.2.c.1.n.1
4.1. *Mutatus eſt color optimus.* l.2.c.23.n.1

Baruch.

Cap.6.31. *Rugiunt clamantes ante Deos ſuos, ſicut in cœna mutui.* l.2.c.24.n.4

Ezechiel.

Cap.5.5. *Iſta eſt Hieruſalem, in medio Gentium poſui eam, &c.* l.3.c.5.n.2
13 10. *Liniebant luto abſque paleis.* l.2.c.7.n.3
16.49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ ſuperbia.* l.1.c.11.n.2
16.49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, otium ipſius, & filiarum eius.* l.2.c.25.n.2
17.4. *In vrbe negotiatorum poſuit illam.* l.2.c.17.n.5
18.20. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* l.2.c.12.n.3
21.19. *Et manu capiet coniecturam.* l.3.c.16.n.6
22.4. *In idolis tuis quæ feciſti polluta es, & appropinquare feciſti dies tuos, & adduxiſti tempus annorum tuorum.* l.2.c.8.n.1

25.6. *Pro*

Digitized by Google

25.6. *Pro eo quod clauſiſti manum, & percuſſiſti pede, &c.* l.2.c.23.n.4

27.3. *O Tyre tu dixiſti, perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita, finitimi tui qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum.* l.3.c.6.n.1

28.5. *In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem.* l.2.c.17.n.5

28.13. *Et foramina tua in die qua conditus es, præparata ſunt.* l.2.c.9.n.2

28.13. *Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es præparata ſunt.* l.2.c.29.n.3

28.14. *Tu Cherub extentus & protegens.* l.1.c.4.n.3

29.18. *Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna, aduerſus Tyrum omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt, &c.* l.1.c.3.n.5

34.23. *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum.* l.1.c.4.n.7

36.7. *Ego leuaui manum meam.* l.2.c.13.n.1

38.12. *Vmbilicus terræ.* l.3.c.5.n.2

38.13. *Negotiatores Tharſis, & omnes leones eius.* l.3.c.8.n.2

45.9. *Separate cõfinia veſtra à populo meo.* l.2.c.17.n.6

Daniel.

Cap.2.32. *Caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia ex argento, &c.* l.1.c.11.n.1

4.14. *Sententia vigilum decretum eſt.* l.3.c.1.n.2

4.27. *Nonne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui.* l.3.c.5.n.5

5.3. *Biberunt in eis Rex, & Optimates eius, vxores & concubinæ eius.* l.1.c.10.n.1

6.4. *Satrapæ quærebant occaſionem vt inuenirent Danieli ex latere regis.* l.3.c.3.n.5

Digitized by Google

7.2. *Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* l.2.c.30.n.5
7.9. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, &c. millia millium miniſtrabant ei.* l.2.c.23.n.7
8.16. *Et audiui vocem viri inter Vlai. & clamauit, & ait Gabriel, fac intelligere iſtū viſionē.* l.1.c.2.n.3
10.13. *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus, &c.* l.1.c.2.n.6
13.5. *Conſtituti ſunt de populo duo ſenes iudices illo anno.* l.3.c.6.n.1
13.54. *Dic ſub qua arbore videris eos colloquentes.* l.2. c.28.n.1

Ozeas.

Cap.1.4. *Viſitabo ſanguinem Iezrabel ſuper domum Iehu.* l.1.c.10.n.2
1.11. *Congregabuntur filij Iuda, & ponent ſibi caput vnum.* l.1.c.4.n.7
2.2. *Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria de medio vberum ſuorum.* l.2.c.28.n.1
2.8. *Argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* l.2.c.18.n.2
2.15. *Et dabo ei vinitores ex eodem loco.* l.1.c.6.n.5
3.4. *Quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, ſine Principe, ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim.* l.2.c.1.n.1
4.11. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.* l.2.c.24.n.5
7.1. *Operati ſunt mendacium.* l.2.c.15.n.4
7.4. *Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus.* l.1.c.10.n.1
11.3. *Ego quaſi nutritius Ephraim portabo eos in brachijs meis.* l.1.c.9.n.3
12.1. *Ephraim paſcit ventum, tota die mendacium multiplicat.* l.2.c.15.n.4

Ioël.

Digitized by Google

Ioël.

Cap.3.17. *Erit Hieruſalem ſancta, & non tranſibunt alieni per eam.* *l.1.c.6.n.5*

Amos.

Cap.6.5. *Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici.* *l.1.c.11.n.2*

Ionas.

Cap.3.3. *Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.* *l.3.c.5.n.5*

Micheas.

Cap.3.1. *Audite principes Iacob & duces, &c.* *l.3.c.8.n.4*

3.5. *Sanctificant ſuper eum prælium.* *l.3.c.10.n.4*

3.10. *Qui ædificatis Sion in ſanguinibus & Hieruſalem in iniquitate.* *l.2.c.22.n.2*

4.13. *Interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorũ Domino vniuerſæ terræ.* *l.2.c.17.n.5*

6.2. *Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ.* *l.1.c.9.n.2*

7.5. *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* *l.1.c.5.n.5*

Nahum.

Cap.2.8. *Clypeus fortium ignitus.* *l.3.c.12.n.7*

3.17. *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ.* *l.2.c.23.n.3*

Abacuc.

Cap.1.10. *Et tyranni ridiculi eius erunt.* *l.3.c.8.n.1*

2.12. *Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus.* *l.2.c.22.n.2*

Digitized by Google

Sophon.

Cap.2.5. *Væ qui habitatis funiculum maris gens perditorum.* l.2.c.23.n.4
3.9. *Et ſeruiant ei humero vno.* l.1.c.4.n.6

Zacharias.

Cap.2.9. *Quia ecce ego leuo manum meam ſuper eos.* l.2.c.13.n.1
6.8. *Requieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra Aquilonis.* l.2.c.13.n.1
11.6. *Quercus Baſan.* l.3.c.8.n.4
11.17. *O paſtor & idolum.* l.2.c.11.n.2
12.10. *Et plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum vt doleri ſolet in morte primogeniti.* l.1.c.7.n.2

Malachias.

Cap.2.7. *Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* l.3.c.4.n.3
3.6. *Ego Dominus & non mutor.* l.2.c.20.n.2

Machabæorum primus.

Cap.2.6. *Hi viderunt mala quæ fiebant in populo Iuda & Hieruſalem.* l.3.c.3.n.14
2.57. *Dauid in tua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni & ſæcula.* l.3.c.7.n.1
6.34. *Elephantis oſtenderunt ſanguinem vuæ, & mori ad acuendos eos in prælium.* l.3.c.12.n.4
6.39. *Refulſit ſol in clypeos aureos, reſplenduerũt montes,&c.* l.3.c.12.n.7
8.3. *In poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri.* l.2.c.17.n.4
10.45. *Vt quicumque confugerent in templum, quod eſt*

Digitized by Google

Hieroſolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxij regi in omni negotio dimitterentur. l.2.c.5.n.5
11.25. *Area Salinarum.* l.2.c.17.n.4
14.9. *Iuuenes induebant ſe gloria.* l.2.c.23.n.1

Machabæorum ſecundus.

Cap.1.3. *Faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti.* l.3.c.4.n.6
3.12. *Decipi eos qui vendidiſſent loco & templo quod per vniuerſum mundum honoratur pro ſui veneratione & ſanctitate omnino impoſſibile eſſe.* l.2.c.5.n.5
4.12. *Auſus es ſub ipſa arce gymnaſium conſtituere, & optimos quoſque Ephœborum in lupanaribus conſtituere.* l.2.c.2.n.2
14.37. *Qui pro affectu pater Iudæorum vocabatur.* l.2.c.13.n.2

Matthæus.

Cap.6.1. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* l.2.c.16.n.1
6.24. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* l.1.c.3.n.6
6.28. *Conſiderate lilia agri.* l.2.c.23.n.1
10.28. *Nolite timere eos qui occidũt corpus.* l.3.c.12.n.4
12.24. *Ex abundantia cordis os loquitur.* l.2.c.30.n.7
13.28. *Vis imus & colligimus ea? at non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis, &c.* l.2.c.3.n.4
16.18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* l.1.c.4.n.4
16.24. *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* l.2.c.18.n.2

17.23. *Cum veniſſet Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum.* l.2.c.5.n.4
19.4. *Nonne legiſtis quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos.* l.2.c.28.n.2
21.30. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* l.3.c.4.n.5
22.21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* l.2.c.17.n.6
23.4. *Digito autem ſuo nolunt ea mouere.* l.1.c.10.n.1
25.33. *Statuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.* l.1.c.7.n.1
27.15. *Per diem ſolemnem conſueuerat Præſes populo dimittere vnum vinctum quem voluiſſent.* l.2.c.13.n.5. & l.3.c.4.n.8

Marcus.

Cap.7.11. *Vos autem dicitis; ſi dixerit patri aut matri Corban, quod eſt donum, quodcunque ex me tibi profuerit.* l.3.c.4.n.7
10.42. *Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum poteſtatem habent ipſorum.* l.1.c.4.n.5
14.37. *Et ait Petro; Simon dormis.* l.1.c.10.n.2

Lucas.

Cap.4.6. *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam eorum quia mihi tradita ſunt, & cui volo do ea.* l.1.c.3.n.5
9.55. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* l.2.c.3.n.4
11.17. *Omne regnũ in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & Sathanas in ſe ipſo diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?* l.3.c.2.n.6

11.23. *Qui*

Digitized by Google

11.23. *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* l.3.c.10.n.2
12. 2. *Nihil opertum quod non reueletur.* l.2.c.15.n.6
12.15. *Cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiuſquam vita eſt ex his quæ poſſidet.* l.2.c.18.n.11
14.12. *Cum facis prandium, &c. Noli vocare amicos tuos.* l.2.c.16.n.4
16. 2. *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* l.3.c.3.n.5
22.25. *Qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur.* l.2.c.16.n.4

Ioannes.

Cap.1.13. *Non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri.* l.1.c.8.n.6
21. 9. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* l.2.c.15.n.9
4. 53. *Credidit ipſe & domus eius tota.* l.1.c.10.n.1
8. 41. *Nos ex fornicatione non ſumus nati.* l.1.c.7.n.6
8. 44. *Cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius.* l.2.c.15.n.4
8. 57. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti.* l.2.c.30.n.8
11.46. *Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant.* l.2.c.2.n.2
11.49. *Vos neſcitis quicquam & cogitatis.* l.3.c.2.n.10
12.31. *Nunc iudicium eſt mundi. Nunc Princeps huius mundi eycietur foras.* l.1.c.3.n.5
18.11. *Mitte gladium tuum in vaginam.* l.2.c.3.n.4
18.31. *Nobis nō licet interficere quemquam.* l.3.c.6.n.1
21.17. *Paſce oues meas.* l.1.c.4.n.4
21.23. *Exijt ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur.* l.2.c.15.n.9

Digitized by Google

Acta Apoſtolorum.

Cap.1.18. *Crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* l.3.c.4.n.4
5.5. *Audiens autem Ananias verba hæc, cecidit & expirauit.* l.3.c.4.n.4
6.3. *Conſiderate fratres viros ex vobis boni teſtimonij.* l.3.c.3.n.2
7.22. *Eruditus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum.* l.1.c.8.n.1
15.10. *Iugum quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus.* l.3.c.4.n.5
16.17. *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis.* l.2.c.3.n.5
16.21. *Annunciant morem quem non licet nobis ſuſcipere cum ſimus Romani.* l.3.c.6.n.3
19.18. *Repleti ſunt ira, & exclamauerunt, dicentes, magna Diana Epheſiorum.* l.2.c.3.n.3
19.19. *Multi ex his qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros & combuſſerunt.* l.2.c.3.n.5
20.35. *Beatius eſt magis dare quã accipere.* l.2.c.16.n.4
23.3 *Iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* l.3.c.4.n.3
23.6. *Sciens, quia vna pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, &c. & ſoluta eſt multitudo.* l.2.c.3.n.3
25.16. *Non eſt Romanis conſuetudo donare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores.* l.2.c.12.n.3

Pauli Epiſtola ad Romanos.

Cap.9.28. *Verbũ breuiatũ faciet Dominus.* l.3.c.4.n.5
13.5. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote.* l.1.c.3.n.3
13.6. *Ideo & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt*

in hoc ipſum ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. l.2.c.17.n.6

14.5. *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat.* l.3.c.1.n.4

14.24. *Omne quod non eſt ex fide, peccatũ eſt.* l.3.c.1.n.4

Ad Corinthios prima.

Cap.5.1. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* l.2.c.26.n.5

5.12. *Quid mihi de ijs qui foris sũt iudicare?* l.2.c.3.n.4

6.15. *Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis, &c.* l.2.c.26.n.3

7.39. *Cui vult nubat, tantum in Domino.* l.2.c.28.n.3

8.4. *Idolum nihil eſt.* l.2.c.11.n.2

11.10. *Ideo debet mulier poteſtatem habere ſuper caput.* l.1.c.5.n.1

14.20. *Nolite pueri effici ſenſibus.* l.2.c.31.n.6

14.40. *Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant.* l.2.c.1.n.3

Ad Corinthios ſecunda.

Cap.1.17. *Cum hoc voluiſſem, nunquid leuitate vſus ſum, aut quæ cogito ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me, aut non.* l.2.c.20.n.1

6.14. *Nolite iugũ ducere cum infidelibus.* l.2.c.28.n.3

Ad Galatas.

Cap.2.2. *Ne fortè in vanum currerem aut cucurriſſem.* l.2.c.3.n.5

4.19. *Filioli mei quos iterum parturio.* l.1.c.9.n.3

4.29. *Quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc.* l.2.c.3.n.2

5.9. Mo

Digitized by Google

5.9. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* l.2.c.3.n.2
5.15. *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini.* l.3.c.9.n.1

Ad Epheſios.

Cap.3.14. *Flecto genua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas, &c.* l.1.c.4.n.3
4.25. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra.* l.2.c.15.n.7
6.12. *Aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum.* l.1.c.3.n.5

Ad Philippenſes.

Cap.3.19. *Quorum Deus venter eſt.* l.2.c.25.n.5

Ad Coloſſenſes.

Cap.3.5. *Auaritia qua eſt ſimulachrorum ſeruitus.* l.2.c.18.n.2

Ad Theſſalonicenſes prima.

Cap.5.20. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* l.2.c.3.n.5

Ad Timotheum prima.

Cap.2.11. *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum.* l.1.c.5.n.1
2.14. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in in præuaricatione fuit.* l.1.c.5.n.3
3.6. *Non Neophytum ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* l.1.c.6.n.5
3.10. *Sic miniſtrẽt nullum crimen habentes.* l.3.c.3.n.2

6.17. *Diui*

6.17. *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum.* l.2.c.18.n.2

Ad Timotheum ſecunda.

Cap.1.17. *Sermo eorum vt cancer ſerpit.* l.2.c.3.n.2

2.17. *Profana & vaniloquia deuita.* l.2.c.3.n.2

3.15. *Quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem.* l.1.c.1.n.5

3.16. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt,&c. ad erudiendum in iuſtitia.* l.1.c.1.n.1

3.16. *Vt perfectus ſit homo Dei.* l.1.c.1.n.5

4. 2. *Obſecra,increpa in omni patientia.* l.2.c.7.n.3

4. 3. *Sanam doctrinam non ſuſtinebunt,ſed ad ſua deſideria,&c.* l.3.c.8.n.6

4.17. *Liberatus ſum de ore leonis.* l.3.c.8.n.2

Ad Titum.

Cap.1.12. *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* l.1.c.8.n.6

Ad Hebræos.

Cap.11.4. *Sanguinis effuſionem,melius loquentẽ quàm Abel.* l.2.c.12.n.2

12.8. *Quod ſi eſtis extra diſciplinam, cuius participes facti ſumus omnes, ergo adulteri, & non filij eſtis.* l.1.c.7.n.6

Epiſtola Iacobi.

Cap.1.5. *Dat omnibus affluenter, & non improperat.* l.2.c.16.n.8

1. 8. *Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis.* l.2.c.20.n.1

2.2. *Vir*

Digitized by Google

2.2. *Vir annulum aureum habens in veſte candida.* l.2.c.23.n.1
2.23. *Superexaltat miſericordia iudicium.* l.2.c.13.n.1
5. 4. *Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* l.2.c.18.n.3

Petri prima.

Cap.3.5. *Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.* l.1.c.5.n.1

Ioannis prima.

Cap.5.19. *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* l.2.c.29.n.3

Apocalypſis.

Cap.2.12. *Habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* l.2.c.3.n.2
2.20. *Permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit propheten docere, & ſeducere ſeruos Dei, fornicari & manducare de Idolothytis.* l.2.c.3.n.2
2.24. *Altitudines Sathanæ.* l.1.c.1.n.7
14.2. *Audiui vocem Citharœdorum citharizantium.* l.3.c.4.n.6
17.13. *Aquæ quas vidiſti populi ſunt & gentes & linguæ.* l.2.c.30.n.5
21.16. *Et ciuitas in quadro poſita eſt.* l.3.c.5.n.6

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus litteris cautum, ne quis in regno ſuo aliiſve locis imperio ſuo ſubiectis, intra proximos ſex annos excudat, excudendum, vendendúmque quouis modo curet opus, quod inſcribitur: *Hieropoliticon, ſiue Inſtitutionis politicæ è ſacris Scripturis depromptæ libri tres, Auctore* R. P. IOAN. STEPH. MENOCHIO *è Societate* IESV, præter LVDOVICVM PROST, Hæredem ROVILLE, Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos quibus ipſe conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit ad id agendum inſtigare, ſine conſenſu dicti LVDOVICI PROST. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis vltima die Decembris 1624.

De mandato Regis

Signatum

LE LONG.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google